6
36-1
32

6
3 N
16

58
Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
IV. 12. g

Collegij Romani Societ. Iesu. Catal. inſcrip. ex Bibl. Marchi

6 5 N 16

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBRI XXXVIII.

AD ALEXANDRVM FARNESIVM S. R. E. Cardinalem Libri xxv.

AD FERDINANDVM MEDICEM S. R. E. Cardinalem Libri xiij.

BIBLIOTECA N. C. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quorum Librorum veteribus editionibus addita ſunt quaedam, pauca variata.



FLORENTIAE
Apud Iunctas.
CIϽ IϽ LXXXII.

Cum Licentia Superiorum, & Priuilegijs.

ALEXANDRO FARNESIO S. R. E. CARDINALI VICECANCELLARIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Petrus Victorius S. P. D.

SPERABAM epiſtolae argumentum Alexander ampliſſime, qua tibi vigiliarum hoc mearum munus dicare ſtatueram, laetius futurum, ac quale maxime conueniret ſtatui illi rerum, quem tibi ſemper ipſe, atque omnes boni optarunt: capiebamque animo iam voluptatem non paruam, cum cogitabam me facultatem cito habiturum de tuis laudibus, ac pulcherrimis actionibus dicendi: cum enim vetus mos fuerit, regibus ac fortunatis hominibus labores ſuos mittere: dignitateque alicuius perſonae, quae in laude vixerit: gratioſaque apud ſtudioſos ſit, gratiae aliquid ac fauoris ſcriptis ſuis acquirere, te vnum e multis elegi, ſtatim vt ingenij haec mei monimenta diuulgare atque edere ſtatui, cuius nomine illa auctoritateque tectiora prodirent, & in manus eruditorum gratiora venirent. Haec igitur mecum ipſe meditabar. totuſque in cogitatione maximarum tuarum virtutum, praeclarorumque factorum verſabar, cum ſubito ad exitum iam perducta opera impreſſorum: meque calamum ſumere volente, grauis nuntius venit, atque omnium quidem ille triſtiſſimus, res tuas e bonis malas factas eſſe, atque ex omnium ſecundiſſimis, ſi non omnino miſeras: neque enim hoc caſus vllus efficere poteſt: nec tantum roboris ac virium temeritas habet, quae tamen ſplendoris multum ac floris repente amiſerint. neque hoc culpa vlla tua, ſed iniquitate fortunae. quae rebus tuis florentibus nunc vndique inuidens, maculae aliquid illis aſpergere voluit. in quo tamen ipſa: vt eſt omnibus in rebus temeraria, ac praeceps, modum nullum tenuit, ſed ea parte, qua plurimum obeſſe potuit, non tacta: neque polluta dignitate tua, illas violauit, atque acerbiſſimam plagam animo tuo inflixit. Eſt autem hoc tantum vulnus, vt, cum iam illud obſcure ſignificem, vix audeam nomine appellare: quod tamen aperte narrandum, &, vt poſtulat virtus nobiliſſimi iuuenis, grauiter deflendum eſt. quanquam refugit animus a commemoratione huius rei, ac prae lacrimis vix ipſe locum hunc poſſum attingere. Horatius enim frater tuus, aetate reliquis minor, virtute nemini illorum ſecundus, in medio curſu laudum ſuarum: nam militiae puer admodum ſe dedit, vi Martis ademptus tibi eſt, dum operam opulentiſſimo & clariſſimo regi, affini ſuo, nauaret: ac nullum periculum

*pro dignitate: officioque boni ducis recuſaret. Honeſta quidem mors haec eſt, ac
plena dignitatis: in tam tenera tamen aetate immatura, magnopereque dolenda:
praeſertim cum, quamuis multum decoris iam gloriaeque illic adeptus eſſet, amplio-
ra tamen adhuc reſtarent, quae nullo negotio, ſi diutius in vita manſiſſet, fuerat
conſecuturus. vt plurimum dignitatis non familiae tantum veſtrae, honeſtiſſimae,
atque omni gradu honoris cumulatiſſimae, ſed & patriae, & vniuerſae Italiae eſ-
ſet acquiſiturus. Qui autem diligenter attenderit, quibus ille initijs profectus ſit,
& quae praeſidia ſecum attulerit rerum gerendarum: ſtudiumque optimi adole-
ſcentis in honore conſequendo: & induſtriam in agendo, ſibi ante oculos poſuerit,
intelliget me, in tam praeclaro iudicio de illo faciendo, non falli: nec plura deſide-
rio ipſum ornandi concedere, quam veritas, ac fides patiatur: magnum enim eſt, vt
taceam animi magnitudinem: corporis firmitatem, ſpeciemque ſingularem: to-
lerantiam laborum: contemptum omnium corporis voluptatum, cupiditatemque
tantum honoris: conſilium in illa aetate rariſſimum. magnum, inquam, eſt,
ſummo loco natum eſſe, ac pontificis maximi, ſapientiſſimi viri, & praeſtantiſſi-
mo illo gradu dignitatis omnium iudicio digniſſimi exiſtimati, nepotem eſſe: tres
fratres habere gratia, atque laude florentes, & in alto cunctos dignitatis loco conſti-
tutos, cum ipſe etiam propriis opibus valeret, ac vetere domus veſtrae principatu
ornatus eſſet. quodque omnia haec longo interuallo eximia bona, commodaque
vincit, cum maximo rege ſanguine coniunctum eſſe: ab eodemque vnice, &, vt ge-
nerum denique decet, diligi & charum haberi. Haec tamen omnia, quae viam
ad maximam fortunam muniebant, vel neceſſario potius in excelſo gradu honoris
fortiſſimum iuuenem collocatura erant, repente fracta diſſipataque ſunt, ac firmam
ſpem de ipſo, in animis hominum conceptam, praeciderunt: proque illa aegritudi-
nem moeſtitiamque ingentem illuc inſeruerunt. Nam te fratrem ipſius, anti-
ſtes optime, quantus dolor ſubito inuaſerit, tanto fortunae vulnere accepto, qui
tuos omnes maxime charos habes: huius autem in primis virtute, ac fortibus factis
delectabare, quamuis abſens, & magno ſpatio terrarum remotus, video, ac prope
oculis cerno. confido tamen te, cum amori & naturae noſtrae imbecillitati: cui
reſiſti a fortibus etiam viris non poteſt, aliquantulum ſatisfeceris, te collegiſſe,
ac condicionem humanam reſpicere coepiſſe: armaque illa expediſſe, quae tibi
magno rerum vſu, ſcientiaque artium optimarum comparaſti: eſt enim ſapientis
officium, ante oculos ſemper poſitos humanos caſus habere: & illo potiſſimum tem-
pore, quo res noſtrae valde ſecundae florenteſque ſunt, eximiam illam fortunam
ſuſpectam habere, ac ſemper aliquid mali expectare. Huius animi fuiſſe fer-
tur Philippus ille Macedo, Alexandri pater, prudentiſſimus rex: quique,
cum multa impetu belli atque armis viciſſet, non pauciora conſilio, ſapientiaque
confecit: cum enim exiguo temporis interuallo tres res, maxime optatae, nun-
tiatae illi forent, gnarus rerum humanarum: animaduerſaque ſaepe fortunae
inſtabilitate, quae conſueuit ſummis felicitatibus inuidere, ſublatis manibus in
caelum, deam hanc ipſam orauit, vt mediocri aliquo detrimento res illas proſpe-*

ras compenſaret. Cum autem hoc munus ſapientis viri eſſe videatur, non confidere magnopere rebus humanis: cogitareque ſe mortalem natum, & variis multiplicibuſque caſibus expoſitum, inprimis proprium eſt eius, qui Chriſtiana pietate non ſolum inſtructus ſit, ſed ſummum etiam locum in ea teneat, & ſacerdotio ſit ampliſſimo ornatus: vt ceteris omnibus, quemadmodum reliquarum virtutum, atque honeſtorum factorum, ſic fortitudinis ac tolerantiae caſuum humanorum ſpecimen, atque exemplar eſſe debeat. Hac ego re fretus, cum magnitudinem animi tui, conſtantiamque duris aliis temporibus perſpectam habeam, quod tempus hoc poſtulare videbatur, & perſona eius, quem tu me tecum eſſe voluiſti, conſolari te, ac tantum dolorem leuare non conabor... Nam potuiſſem fortaſſe, ſi neceſſarium id eſſe duxiſſem, officio hoc iubente: ſummoque amore me impellente, ex intimo artificio, monimentiſque ſapientum, non vulgare quoddam genus conſolationis depromere. Verum id, cum aliis, in luctu maeroreque poſitis, fructus aliquos ferre potuiſſet, inferius multo virtute ſapientiaque tua fuiſſet. volo igitur omnia in te, fortitudineque tua poſita eſſe: nemo enim melius quam tu tibi ipſi ingentis huius mali medicinam facere poteſt: nec quicquam eſt, quod tantam vim habeat ad animum tuum ſanandum, quantam diuina ipſius animi tui vis in conſilium adhibita: dignaque a te, vt eſt, cui pareas, habita. Nec tamen, cum potiſſimum nunc ad te ſcribere contigiſſet, vulnus hoc non refricare potui. Munuſculum autem hoc, tibi multo antea deſtinatum, ſepone: ac temporibus iis, quibus & oblectare animum voles, & e grauioribus curis cogitationibuſque reficere, reſerua: varietas namque ipſius taedij aliquid aliquando ex animo tuo abſterget: & e multis, quae hic notata ſunt, non nulla fortaſſe non indigna cognitione a te iudicabuntur: neque enim tam ſtultus ſum, vt putem lectionem harum rerum aptam nunc eſſe ad dolorem iſtum minuendum: neque eo ad te miſi, ſed caſus hoc fecit, & iniqua quaedam fortuna, quae diu me preſſit, vt hoc, quod aliis temporibus non inſulſum (vt arbitror) viſum fuiſſet, nunc ineptum fortaſſe, & importunum non nullis eſſe videatur. Sed hoc (vt ſpero) vere a te exiſtimabitur, ac ſumma aequitate animi tui perpendetur. me certe diligenter cogitaſſe, an hoc tempore id fieri oporteret, multi ſunt teſtes: nihil enim minus vellem quam auribus tuis in tanto maerore obſtrepere, ac nullius iudicij homo a ceteris exiſtimari. Sed iis iam omiſſis, quod confido omnino te facturum, moderare dolori tuo, atque vtere domeſticis exemplis fortitudinis. Recordor enim te mihi aliquando narraſſe, quanta animi magnitudine, quanta conſtantia, auus tuus, aetate confectus, acerbiſſimum dolorem tulerit, cuius ad eam diem in ſumma poteſtate venti fuerant maxime ſecundi. Ipſum igitur in aduerſis rebus: grauique hoc incommodo magno animo tolerando, imitare, quem in reliqua vita reddere, atque exprimere ſedulo conaris. Nam regem iſtum potentiſſimum: eundemque humaniſſimum, pro cuius imperio dignitateque Horatius ſanguinem profudit, nullum arbitror officij genus praeteriiſſe: omnibuſque viribus atque opibus te a luctu, maeroreque

reuocare conatum eſſe. Quo magis, quod ratio ipſa ſuadet, ac communis neceſſitas cogit, tanta auctoritate adiuncta, mature te facere oportet: nec afflictum longius, & ſtratum iacere. Quod enim magni ponderis a ſapientibus non nullis exiſtimatum eſt eſſe ad res aduerſas leniendas, a malis ad bona animum traducere, copioſe tibi facere licet. Utere igitur hoc quoque firmo ſolacio huius aegritudinis; conuerteque oculos ad ea, quae in te poſita ſunt, multa & praeſtantia, & animi & fortunae bona. praecipue autem eximias animi tui dotes intuere: conſeruaque te, ſpretis ac conculcatis caſibus humanis, illi ſpei, quam maximam de virtutibus ac moribus tuis merito cuncti mortales animo conceperunt. Uale. Florentia UII. K. Sept. CIↃ IↃ *LIII.*

EORVM

EORVM QVAE SINGVLIS LIBRIS PER CAPITA TRACTANTVR, INDEX.

LIBRI PRIMI.

DIVERSVM Dionyſij cauillum, ab eo quod retulit Cicero, in defendendo ſuo quodam ſacrilegio. cap. i.
Locus e commentariis C. Caeſaris correctus: partim ope antiquorum librorum: partim opinione. cap. ij.
Illuſtris Homeri ſententia, qua ſcelus importunitatemque eorum exagitauit, qui ciuili bello delectantur, expreſſa in oratione Ciceronis. cap. iij.
Purgatus locus in oratione pro Archia poëta. cap. iiij.
Magnitudo malorum vocem etiam eripit graues iniurias paſſis: nec ſinit eos libere queri, vbi etiam videntur id ſine periculo facere poſſe. cap. v.
Deleta macula ex oratione Ciceronis: ſimulque correctus locus in epiſtola ad Q. fratrem, qui immutatione eiuſdem Latinae litterae deprauatus erat. cap. vi.
Modus loquendi familiaris Latinis, communis ipſis cum Graecis ſcriptoribus. cap. vij.
Dira, plenaque odij ratio, qua quidam animum ſuum in vlciſcendis inimicis, ſatiarunt. cap. viij.
Graecus verſus inuentus, quem accuſator Deiotari regis obiecit ipſi, pronuntiatus abeo ſuiſſe, in aduerſis, vt putabat, C. Caeſaris rebus. cap. ix.
Qui ſint accipiendi Pelaſgi apud Ciceronem in ij. de Finibus. cap. x.
Quid valeat ex Hymnide apud Ciceronem in ij. libro de Finibus. cap. xi.
Eadem ſententia inuenta apud duos ſummos oratores, Ciceronem ac Demoſthenem: quorum alter ipſa premere reum voluit: alter delatores criminari, quibus nihil perduius eſſe affirmabat. cap. xij.
Notata ranarum natura multis modis a Graecis, quae potu aquae delectaretur: quam ipſi maxime oderant. cap. xiij.
Vocabulis a Cicerone ad alias res translatis, declaratur reſpondere Graeca nomina. cap. xiiij.
Confirmantur exemplis rationes duae Platonis: quibus docuit quantopere obeſſent teneris mentibus puerorum fabulae poëtarum. cap. xv.
Locus Ciceronis e v. libro Tuſculanarum aliter ac nunc in excuſis, in vetuſto libro legi indicatus. cap. vxi.
Elegans modus loquendi, quo vſus eſt Cicero, expreſſus eſſe e Graeco ſermone declaratur. cap. xvij.
Defenſa vetus lectio in v. libro Tuſculanarum: ratioque eius ſermonis, qui imperfectus videtur, explicata. cap: xviij.
Vt Cicero influere aliquando μεταφορικῶς vſurpauit, ita Plato indicatus vti verbo ὑποῤῥεῖν, quod illi reſpondet. cap. xix.
Perſonare aures alicuius vocibus quibuſdam idem valere videri, quod ἔναυλον ἔχειν. cap. xx.
Non omnium cuſtodum firmam eſſe fidem, egereque ſaepe illos alio cuſtode dictum prius a Platone in iij. libro de repub. cap. xxi.
Theriacam videri apud M. Varronem amarae potionis genus fuiße. cap. xxij.
Diligenter ponderatus locus C. Caeſaris, in excuſis libris manifeſto corruptus: antiquaque lectio indicata. cap. xxiij.
Ornatus eorum, qui ſe ad iter longinquum accingerent, e pluribus Plautinis locis erutus. ca. xxiiij.

LIBRI II.

RATIO execrandi aliquem atrocior quam verbis appareat: communis nobis cum antiquis. cap. i.
Vetus mos explicatus, adimendi claues vxori in diuortio. cap. ij.
Humanus mos veterum indicatus in ſaeuo facinore, vt cum filios exponerent parte aliqua ſuorum bonorum ipſos donarent. cap. iij.
Deleta macula e V. libro Ciceronis de finibus, quae viri nomini adhaeſerat. cap. iiij.
Oculis ſpectantium dolorem inurere formam egregiam corporis: formoſaeque virgines ea de cauſa dictae a fortunatiſſimo rege, eſſe oculorum aegritudines. cap. v.
Diligentia, quam tradidit apud Terentium Chaerea, ponere Atticas mulieres vt filias graciles redderent, teſtimonio Graeci ſcriptoris confirmata. cap. vi.
Inſtitutum Graecorum in funeribus, imponendi coronam mortuis, explanatum: ſimulque mos Tarentinorum expoſitus, qui in loco ſepulturae, religione oblata, fugerant conſuetudinem reliquorum. cap. vij.
Diligentem commemorationem beneficiorum eſſe paene exprobationem, dictum etiam a Demoſthene. cap. viij.
Locus emendatus in Liciniana, vbi Cicero vitam ſuam tuetur contra voces maleuolorũ, eum vt nimis deditum ſtudijs litterarum, inſectantium. cap. ix.

Ῥέλαυρμα,

Πλήμμυρα, proprie vſurpatum, ſatis apertum vocabulum eſſe: idem autem ad alias res tranſlatum, aliquando obſcurum. cap. x.
Reprehenſum a Cicerone in oratione aduerſarij verbum accuſatorie, quo ipſe etiam, vt valde apto ad eam rem oſtendendam vtitur. cap. xi.
Quod Cicero dixit philoſophiam quaſi ſaepimento quodam, vallari dialectica arte, expreſſum eſſe e Graeco. cap. xij.
Res, quae videntur honeſte negari vix poſſe, ne in odium incidas, aſtute non conceduntur, exemplo magnorum virorum. cap. xiij.
Verbis propriis conuiuij vocatas diſputationes eruditas & a Cicerone in Topicis, & ſexcentis locis a Platone. cap. xiiij.
Videri Ciceronem peccaſſe in vetere hiſtoria narranda. cap. xv.
Iure quidam accuſati, qui res quamuis vtiles, non idoneis temporibus: neque id poſtulantibus, tractant. cap. xvi.
Quod Cicero affirmat Iſocratem feciſſe indicio, citans illum teſtem, ſcriptorem eum videri dicere ſe facere propter ſenectutem. cap. xvij.
Confirmata vetus lectio in epiſtola Ciceronis ad Trebatium ſimilitudine Graeci ſermonis. cap. xviij.
Virgilij locus, qui videtur expreſſus ex Electra Euripidis, propter ſimilitudinem ſententiarum. cap. xix.
Iocus Dionyſij tyranni in re nefaria mollienda: ductus ab habitu, quo veteres ſtatuas deorum fingebant: aliaeque facetae voces inde conflatae. cap. xx.
Chlamys non militarium hominum tantum: eorumque, qui peregrinationi ſe darent, veſtimentum, ſed venatorum quoque: quo modo Virgilius cepit. cap, xxi.
Sententia poſita a Cicerone in epiſtola ad Q. fratrem declaratur e media philoſophia eruta: contraque eam quamuis veram certamque, oſtenditur ſubtiliter diſſeruiſſe Plutarchus. cap. xxij.
Faceta vox Stratonici citharistae citata, in qua luſit in ancipiti ſermone, σὺν τοῖς θεοῖς: ſimulque eorum vis explicata. cap. xxiij.
Diſputatio de veritate lectionis duorum Ciceronis locorum e libello de Senectute, contra Graecam Theodori tralationem. cap. xxiiij.

LIBRI III.

Locvs in primo C. Caeſaris commentario de bello ciuili correctus. cap. i.
Prauum ſtudium quorundam recentiorum declaratum, qui libertatem, datam antiquis a conſuetudine variandorum generum verborum corrigere conati ſunt. cap. ij.
Lapſus Ciceronis per imprudentiam in appellando auctore Homericae ſententiae. cap. iij.
Nox nata Erebo, auctore M. Varrone. cum Heſiodus ſororem Erebi ipſam faciat. cap. iiij.
Locus Virgilij illuſtratus: declaratumque eadem ratione, qua ille vſus eſt in augenda re, vſum antea fuiſſe Platonem. cap. v.
Confirmata vetus lectio in epiſtola Ciceronis ad M. Brutum: ſententiaque ipſius explicata. cap. vi.
Corruptos eſſe ſaepe Graecos titulos Latinarum fabularum apud noſtros grammaticos: duoſque ex illis emendatos. cap. vij.
Locus Ciceronis conuerſus ex epiſtola Platonis, non valde planus apud Latinum ſcriptorem declaratus. cap. viij.
Hiſtoria tradita ab Horatio de iucundo genere inſaniae, quod Argiuum notum hominem inuaſit, recitata etiam ab Ariſtotele in libro de admirandis. cap. ix.
Enatare vſurpatum a Cicerone μετεωρικῶς: vt Graeci nobiles ſcriptores, capiunt aliquando ἐκνεῦσαι. cap. x.
Conſuetudinem veterum ſcriptorum fuiſſe vt verborum tranſlatorum notionem ilico declararent. cap. xi.
Mos Athenienſium indicatus in funeribus, apud quos nubiles etiam virgines vſque ad rogum mortuum proſequebantur. cap. xij.
Horatij locus e Satyra quarta ſecundi libri reſtitutus. idemque declaratus. cap. xiij.
Erudite Virgilium finxiſſe miſſas a Venere columbas, quae iter Aeneae dirigerent: acceptumque id a Graecis poëtis: cap. xiiij.
Quid valeat, in robore accumbere, apud Ciceronem pro L. Muraena, de aſpera Lacedaemoniorum vita prolatum. cap. xv.
Eadem imagine, ſumpta ab apum natura, duos optimos ſcriptores illuſtraſſe, quod ſignificare volebant. cap. xvi.
Theophraſti locus emendatus, vbi propinquae nobis telluris meminit, quae ſuberis quaſi patria eſt. cap. xvij.
Quod a ſummo doctore valere πρότερον dictum eſt, idem etiam ſignificare priorem apud Latinos, teſtimonio Terentij comprobari. cap. xviij.
Elegans modus refellendi aduerſarios a definitione perſpicue falſa, rei, quam obijciunt: quo modo ſi caperetur id verbum, omne certamen tolleretur. cap. xix.
Caecum dictum videre a Cicerone in litteris: animi tamen luminibus, non corporis vt apparet. Eodem autem pacto optimum tragicorum in optima fabula locutum, oſtenditur. cap. xx.
Quod vulgo dicimus, fumum natura ſua formoſiorem ſectari, a veteribus etiam Graecis in ſermone celebratum. cap. xxi.
Quid valeat apud Catullum, labefactare munere, declaratum. cap. xxij.
De origine Mithridatis Pergameni: qui C. Caeſari valde acceptus fuit: rexque Boſphori ab eo eſt conſtitutus. cap. xxiij.
In familiari ſermone & Graecos & Latinos & noſtros, idem eodem paene modo, ſcite atque eleganter omnes dicere, cap. xxiiij.

LIBRI

CAPITVM.

LIBRI IIII.

M. Craſſi grauem locum, citatum a Cicerone Quintilianoque, non eodem modo legi apud vtrumque. cap. i.

Quid ſit Graecis νηστείας ἄγειν: videriqve apud Cecilium idem ſignificare, ieiuna anima. cap. ij.

Quaeſtio propoſita a Seruio grammatico, aliter quam ipſe auctor eius faciat, ſoluta. cap. iij.

Sententiae duae Ciceronis e libro ipſius de Republica, quae leguntur apud Nonium, patefactis perſonis, de quibus agitur, illuſtratae. cap. iiij.

Correctio Ariſtotelei loci e iij. libro de Republica, ratione allata eius mutationis, nunc confirmatur: orbiumque illorum, qui κύκλοι vocantur, nomen explicatur. cap. v.

Emendatus Horatij locus in epiſtola ad Valam. c. vi.

Graui dolore quidam commoti, cum coetus hominum fugiant, vt animo tamen ſatisfaciant, caelo atque terrae mala ſua narrant, quos imitari ſe nolle dicit adoleſcens Plautinus. cap. vij.

Non perperam: nec ſine ratione, legi in quibuſdam antiquis libris, granidinoſi & granido: cum tamen littera vna immutata nunc & grauedinoſi & grauedo ſcribatur. cap. viij.

Collati duo loci inter ſe duorum optimorum oratorũ: ornatuſque ipſorum declaratus. cap. ix.

Declaratum idem ſentire de eadem re, nobilem Graecum rhetorem ac ſummum Romanum oratorem: ambo enim accuſant ſtultos quoſdam Thucydidis imitatores. cap. x.

Graecum verſum, quo corripuit Tiberius Caeſar Agrippinam nurum, videri eum eſſe quem poſuit Ariſtoteles in iij. libro πολιτικῶν: illo autem acer amor regnandi caſtigatur. cap. xi.

Virgilij verſus in Ciri declarati: vetuſque hiſtoria de Alcathoo, qui condidit Megara, renouata. ca. xij.

Diſputatio de ſententia quadam Ciceronis, ſumpta ex ipſius libris de Republica: quo ille Platonis locum elegantem adumbrauit. cap. xiij.

Θεώρημα illud κατολικὸν, adductum a Chremete Terentiano, de diſſidijs amantium, quod maiorem amorem gignant, explicatum, ratione illius reddita a docto viro. cap. xiiij.

Firmo progreſſu, & Maximo progreſſu, modos eſſe loquendi proprios militiae: quare emẽdantur duo loci duorum optimorum ſcriptorum, qui in prioribus harum vocum deprauati erant. cap. xv.

Tarentes dictos etiam a Salluſtio τὰς ἰταμέας, infrequenti voce apud Latinos auctores. cap. xvi.

Quem, magnopere charum Veneri, vt vlciſceretur dolorem ab ea acceptum, interfecerit ſagittis ſuis Diana, quod minatur ſe facturam apud Euripidem. cap. xvij.

Tormenti genus nefarium, quo narratur apud Virgilium vſus ſaeuiſſimus tyrannus, proprium fuiſſe barbararum gentium. cap. xviij.

Non videri cenauiſſe Lacedaemone in Philitiis Dionyſium tyrannum, vt litteris mandauit Cicero, ſed domi ſuae ius illud atrum guſtaſſe. cap. xix.

Vnde traxerit cognomen Ephorus, auditor Iſocratis, qui δίφωρος appellatus eſt. cap. xx.

Fanum Herculis μήλωντι Athenis fuiſſe: eiuſque cognomenti ratio explicata. cap. xxi.

Pictores inferioris aetatis aliter facere Herculem leonem interfeciſſe, quam veteres artifices pingere ſoliti ſint: qua licentia etiam vtantur in Cleopatra formanda, ſibi mortem afferente. cap. xxij.

Sublatum mendum ex epiſtola Ciceronis ad Q. fratrem: quod, praeter quam quod ſententiam corrumpebat, ſplendidiſſimum etiam lumen orationis extinguebat. cap. xxiij.

Locus M. Varronis Seſquiulyſſe apud Nonium, diuiſis eius partibus quaſi diſcerptus, rurſus componitur. cap. xxiiij.

LIBRI V.

QVID valeat apud Demoſthenem λίξαι διώκομεν: Latinoſque ac noſtros, eandem rem eodem modo dicere. cap. i.

Verba quaedam Salluſtij, citata a Nonio, videri de Cn. Magno prolata fuiſſe: alterumque itidem exemplum eiuſdem ſcriptoris apud eundem grammaticum inuentum, in quo eundem imperatorem docetur aemulatorem fuiſſe Alexandri, & ipſius Magni. cap. ij.

Mos antiquus eorum, qui nouas ſedes quaerebant, indicatus. locuſque Virgilij illuſtratus, qui docet hoc etiam Helenum Troianum ſeruaſſe, cum oppidum in Epiro condidit. cap. iij.

Quae repugnant inter ſe voces miſerorum hominum apud poëtas, docentur idem ſpectare: atque ab eodem animo proficiſci. cap. iiij.

Studium agri colendi, quod tranquillos animos eorum, qui inde aluntur, videtur reddere, non carere ſuis quibuſdam ſollicitudinibus. cap. v.

Confirmata vetus lectio apud Ciceronem in libello de Senectute teſtimoniis & Latinorum & Graecorum auctorum. cap. vi.

Diſputatio de loco quodam Ciceronis in iij. de Oratore, qui mendoſus, abundante verbo, videtur. c. vij.

Terentij locus ex Andria ponderatus: quaeſitumque an expreſſerit illic poëta verba Menandri, quae leguntur apud Athenaeum. cap. viij.

Gorgiae ſtatua, quae Delphis conſecrata erat, aurea ne fuerit an inaurata: ſimulque ſtatuerit ne ipſam Graecia, capta eruditione ipſius, an ipſemet ſibi erexerit. cap. ix.

Quae forent cenae, vocatae a Graecis ἀποδειπνητικὰ δεῖπνα: illuſtratuſque locus Ciceronis, quo inſtituta illius temporis exponit. cap. x.

Vt diſcedere alicunde ſuperiorem aut inferiorem Cicero dixit, ita Graecos auctores ἀπαλλάξαι καλῶς, aut κακῶς, eodem ſenſu dicere. cap. xi.

Hiſtoria infrequentior, quam tetigit Cicero pro L. Flacco, expoſita: correctuſque locus Polybij, vbi peccatum erat in prouerbio, quod valet ad confirmandum iudicium docti viri in emendando loco ex eadem oratione. cap. xij.

Variatum

Variatum fuiſſe magnopere Latinum vocabulum: veſtigiaque, quae reſtant, veteris rationis non eſſe delenda. cap. xiij.
Virgilium, vbi fecit Didonem antequam ſibi manus afferret, flere caſum illum ſuum acerbum: nomineque appellare munera amatoris, uideri imitatum eſſe Sophoclem, qui in Trachinijs & ipſe Deianiram ſimile tempus miſerabiliter expoſuit. ca. xiiij.
Hiſtoria tradita a Plinio, collata cum eo, quod memoriae prodiderunt de eadē re Graeci ſcriptores: duoque in quibus diſſentiunt, indicata. cap. xv.
Verba, quibus in paradoxo explicandu Cicero definiit libertatem, oſtenduntur expreſſa eſſe e Zenonis definitione; qui primus illam rem illo modo euoluit. cap. xvi.
Vetus lectio Catulliani loci confirmata, explicata tota illius rei, de qua agitur, ratione. cap. xvij.
Edolare de opere ingenij dictum, non manuum, quo vſus eſt Cicero in epiſtola quadam, declaratur acceptum eſſe ab Ennio: qui primus eleganter hoc verbum ad aliud tranſtulit. cap. xviij.
Reſpondere Latinae voci, Non putaui: qua non nulli ſe purgant, qui propter imprudentiam peccarint, quod Graeci dicunt, οὐκ ἂν ᾤμην. cap. xix.
Quam blande ſalutet apud Menandrum, qui diu aſpectu eius caruerat, quidam agellum ſuum: honeſtaeque illius appellationis ratio diligenter reddita. cap. xx.
Duo loci M. Varronis e v. libro de lingua Latina emendati auxilio optimi exemplaris. cap. xxi.
Quid valeat apud Terentium, in ore ſerui poſitum, deſugere auctoritatem. cap. xxij.
Sententia utilis magnopere ad vitam a duobus poëtis celebrata: qui vt diuerſa lingua ſcripſerunt, ita etiam aliam ſcenam coluerunt. cap. xxiij.
Deleta macula e verſu illo Ciceronis, qui vt arrogantiae plenus, ualde reprehenſus eſt ab inimicis: abalienauitque ab ipſo animum ſummi imperatoris. cap. xxiiij.

LIBRI VI.

QVOMODO accipi debeat Salluſtij ſententia: quae videtur res honeſtas ac laude dignas vituperare. cap. i.
Conatus, Lucilij locum emendandi, citatum a Nonio. cap. ij.
Locus Ciceronis e primo libro de Diuinatione, qui manifeſto vitio laborat: ſiue peccatum id librariorum: ſiue auctoris fuerit, diligenter examinatus. cap. iij.
Argumenti, quo ſe purgat Creon Oedipo apud Sophoclem: diluereque conatur crimen affectati regni, vitium patefactum: Diſtinctioque illa inter regem eſſe, &, vt regem ſe gerere, confirmata auctoritate optimi viri, ac maximi imperatoris. cap. iiij.
Diſſenſio indicata inter Ariſtotelem, Ciceronemque de iudicio Ariopagi. cap. v.
Locus ex epiſtola quadam ad Q. fratrem, qui videtur mendoſus, praecipue Graeco verbo deprauato, diligenter ponderatus. cap. vi.
Locus alius euſdem epiſtolae, in quo perſpicuum mendum erat, opinione correctus. Simileque illi erratum in vi. libro M. Varronis eodem pacto ſublatum. cap. vij.
Quiddam, quod prouerbij vim habet in patrio ſermone declaratum apud Graecos etiam dici ſolitū: nec non a magno Latino auctore uſurpatū. cap. viij.
Locus Platonis, quem expreſſit Cicero, indicatus: illo autem exponitur ſomnium Socratis, nuntium ipſius interitus. cap. ix.
Indicatur locus pro Rabirio Poſthumo expreſſus e Sophocle: quo fertur omnem ſui poteſtatem amittere, qui poteſtati regiae ſe committunt. cap. x.
Quae vocata ſit a philoſophis εὔλογος ἐξαγωγή: intellexiſſeque migrationem hanc ipſam e uita ratione tractatam, Ciceronem, cum de exitu Catonis praeclaro in prima Tuſculana diſputauit. cap. xi.
Quod irriſit Catullus in Egnatio, ob candidulos dentes inſaniente, docetur etiam a poëta comico in mulieribus reprehenſum, quae & ipſae plerumque tam tenue bonum, non ſine faſtidio ceterorū, oſtentant. cap. xij.
Idem quod apud Latinos ludus ac iocus valet, poſſe in Graeco ſermone ὕθλον καὶ φλυαρίαν. cap. xiij.
Delectatum fuiſſe magnopere Ciceronem locutionibus Terentianis: viderique modos quoſdam loquendi inde ſumptos, in orationibus etiam intexiſſe. cap. xiiij.
Sententia Demoſthenis cum M. Varronis ſententia collata: emendatuſque Salluſtij locus in oratione C. Marij, qui correctorum audacia deprauatus fuerat: idemque facere cum ſententia illa Demoſthenis indicatus. cap. xv.
Defenſa peruulgata lectio in ij. libro de Finibus: quae ſine cauſa temptata a quibuſdam eſt. c. xvi.
Quaeſtio de quodam loco Ennij, verſo ex Euripidis Medea. cap. xvij.
Quo tempore acta ſit cauſa pro L. Muraena: & quae videatur ſua propriaque ipſius ſedes. cap. xviij.
Vetus ſcriptura indicata verſus Horatiani: quae ſi vera eſt, ſuperiorum morem eo loco ſecutus poëta intelligitur. cap. xix.
Indicati qui fuerint athletae, qui tanto deſiderio coronae flagrarint, vt nuntium remiſerint omnibus corporis voluptatibus, vt honore illo potirentur. cap. xx.
Emendatus locus Ciceronis in iij. de Oratore, qui valde corruptus in omnibus libris eſt: totaque ipſius vis diligenter explicata. cap. xxi.
Mos antiquorum Graecorum declaratus, qui conſuerant comam alere alicui Deo: in illiſque inſtitutum proprium Ambraciotarum expoſitum, conſecrantium primum capillum Apollini. cap. xxij.
Cur Cicero in oratione quadam de Phormione, vt de nigro homine loquatur: paraſitoſq; omnes atros videri fingi ſolitos, ſi attendantur Alexidis verba, qui hoc ſcripſit. cap. xxiij.
Antiquus mos Siculorum explicatus in re diuina

Nymphis

Nymphis facienda, quem tetigit eruditus poëta in Bucolicis: improbiſſimumque facinus Damoclis aſſentatoris commemoratum. cap. xxiiij.

LIBRI VII.

LOCVS M. Varronis de lingua Latina valde in excuſis libris deprauatus, & diligentia & ope antiquiſſimi libri magna ex parte correctus. ca. i.

Locus Plauti e Ciſtellaria mancus, inuentis, quae deſiderabantur apud M. Varronem, reſtitutus. cap. ij.

Quintiliani locus declaratus, vbi tropi μεταλήψεις vocati, Graecum exemplum ponit. cap. iij.

Loci duo duorum, ſummi vtriuſque in ſua lingua, oratorum, inter ſe propter ſimilitudinem collati. cap. iiij.

Deleta macula ex oratione Ciceronis, qua Catilinam emiſit: declaratumque idem valere apud illum dare mentem, & iniicere mentem, quod apud Graecos ἐμβάλλειν, ſiue ἐμβαλεῖν νῷ. cap. v.

Virgilius indicatus accepiſſe totum illum locum, quo de furore equarum in iij. libro Georgicorum agit, ab Ariſtotele: diligenſque de ſententiis illis diſputatio. cap. vi.

Oſtenditur Graecum etiam ſcriptorem ſimili eodem vſum, quo Cicero in declaranda calliditate eorum, qui alienis ſententiis pro ſuis vtuntur: ſtudiumque ſuum prauum occulere volunt. cap. vij.

Exemplis clariſſimorum virorum comprobatur oportere fugere voluptates: abigereque a ſe illas ſummo ſtudio, qui aliquid magna laude, gloriaque dignum gerere volunt. cap. viij.

Non facta, ſed voluntatem in iudicando ſpectari oportere, auctoritate magnorum virorum conſtituitur: oſtenditurque Ciceronem a Graecis ſcriptoribus, non nihil diſſentire in admirabili hiſtoria tradenda. cap. ix.

Docetur idem, quod Iſocrates de vi orationis dixit, tribuere etiam ipſi ſolitos ſophiſtas: poſſe ſcilicet ipſam res admirabiles ac paene contrarias. ca. x.

Quam apte traducantur verba ab officiis nautarum ad munera Remp. regentium eleganterque in primis id feciſſe Aeſchylum, declaratũ, initio tragoediae cuiuſdã, quae adhuc in manibus eſt. cũ duobus verbis, inde translatis, eodem loco vſus ſit cap. xi.

Quod in Eunucho dictum eſt a coquo, qui aegre e culina fuerat abſtractus, oſtenditur in Graeca etiam quadam fabula prolatum. cap. xij.

Locus Ciceronis e primo libro de Officiis emendatus. cap. xiij.

Sententiae non nullae Salluſtij oſtenduntur e Graeco ſermone expreſſae. cap. xiiij.

Sententias duas, quae a pluribus poëtis tractatae ſunt, ponderatas fuiſſe oſtenditur a bono harum rerum exiſtimatore. cap. xv.

Cenam ſine ſanguine vocatam eſſe a Graeco poeta, quam Plautus terreſtrem appellauit: ambo autem tenuem pauperemque menſam intellexerunt. cap. xvi.

Qui vocarentur balaearij fures, declaratum: ſimulque illos legibus ſeuerius puniri ſolitos, vt ceteros, qui e publicis locis aliquid ſurriperent, indicatum. cap. xvij.

Quod Cicero dixit librorum ab Ariſtotele ſcriptorum fuiſſe limatius genus illud, quod reliquit in commentariis, diſcrepat magnopere a iudicio Alexandri. cap. xviij.

Quomodo accipi debeat ſententia quaedam Ciceronis, ne videatur ignoraſſe, quod ſit poëtae officium, fabulam aliquam argumentumque ſcribentis. cap. xix.

Omnibus in rebus aegre ferre mortales immutari de ſua virtute iudicia reliquorum: ſtudereque illos partam exiſtimationem tueri. cap. xx.

Vti ſaepe oratores, cum de natura multitudinis loquuntur, quae facile concitatur, ſimilitudine maris ac procellarum. cap. xxi.

Inſtitutum Athenienſium indicatum, apud quos inquilini ſine auctore in iudicio non audiebantur: ſimulque comprobata ſuae editionis lectio in iij. libro politicorum. cap. xxij.

Explicata ſententia M. Varronis apud Nonium reperta, de vini quodam genere abortum gignentis. cap. xxiij.

Loτus Virgilij e X. Aeneidos collatus cum eo, quod Graeci poëtae, Homerus Euripideſque, de eadem re dixerunt. cap. xxiiij.

LIBRI VIII.

SVBLATIONEM ſuperciliorum notam exiſtimatam eſſe & irati animi, & maerentis a diuerſis poëtis. cap. i.

Vocabulum, quo vocamus loca vbi condimus corpora mortuorum & Graecum eſſe, & in conſuetudine veterum fuiſſe, quamuis aliam rem tunc ſignificarit. cap. ij.

Aliter capere T. Liuium hoc vocabulum concubium, quam M. Varro. vetuſtique ſcriptores faciant, demonſtratum. cap. iij.

Terentij locus in Adelphis examinatus, quo ſerui ebrietas accuſatur: ſimiliſque illi ſententia a Demoſthene prolata oſtenditur. cap. iiij.

Cum ſubtiliter Cicero vocem Apollinis interpretatus ſit, ac contraria quam ceteri ratione, declaratur eodem ſenſu illam cepiſſe Xenophontem. cap. v.

Quod Latini, optimi auctores, fricare frontem dixerunt, Graecos τρίψαι μέτωπον appellaſſe: idemque gentem vtramque nota hac indicari exiſtimaſſe. cap. vi.

Militiam requirere dura corpora: tolerandiſque laboribus, atque omnibus iniuriis caeli, exercitata. cap. vij.

Videri Sophoclem in trachiniis Herculi tribuere haſtam quoque, non arcum modo ac clauam, vt ceteri poëtae faciunt. cap. viij.

Inſtitutum veterum declaratum, qui pueros in dorſum arietum imponebant: vt illic ſine periculo rudimenta equeſtris artis perdiſcerent. cap. ix.

Valere

Valere in Graeco ſermone, περιβόητον εἶναι, qui peruenit in ora vulgi qualibet de cauſa: ſiue ob honeſta ſacta: ſiue ob turpia. Viderique Veronenſem poëtam id intellexiſſe, cum minatur riuali. cap. x.
Idem valere fingere vultum, quod πλάττειν τὸ πρόσωπον, teſtimoniis optimorum auctorum confirmatur. cap. xi.
Qui vocati ſint comici ſtulti ſenes a Caecilio: locique duo emendati Ciceronis; alter, in Catone maiore; alter, in Laelio. cap. xij.
Quae vis ſit huius verbi Circulari: quo vſus eſt C. Caeſar in commentariis, declaratumque κύκλους etiam Graecos appellare ſolitos hominum quaſdam coagmentationes. cap. xiij.
Valere καταπιττοῦν nunc pice illita pilos e corpore euellere, nunc torquere, ac quaeſtionem de aliquo habere, exemplis confirmatur, eadem materia ual de diuerſis rebus accommodata. cap. xiiij.
Duae ſententiae Aeneidis e Graeco expreſſae oſtenduntur. cap. xv.
Exemplum obſcurius Ariſtotelis illuſtratum in primo libro de arte poëtarum, quo loco, quae ſint ſigna innata declarat. cap. xvi.
Strabonem reprehendere populos, qui ducibus exercituum peregrinis vtuntur, iiſque vtilitates ſuas ac libertatem mandant: Iudicium itidem Iſocratis de militibus mercede conductis. cap. xvij.
Vtilem auaritiae refellendae rationem, qua vſus eſt in epiſtola, videri Horatium ſumpſiſſe ab Ariſtippo, qui illo modo auarorum hominum ſtultitiam declarabat, deletaque macula e loco Plutarchi, quo ſententiam Ariſtippi celebrauit. cap. xviij.
Declarati plures elegantes modi loquendi, qui a Graecis ſcriptoribus vſurpantur: emendatuſque locus Polibij, ubi de calamitoſo exitu Aſdrubalis, ſummi imp. agit. cap. xix.
Quid valeat In mundo apud Plautum: locuſque eius poëtae correctus, ea voce, quae inde temere ſublata erat, reſtituta. cap. xx.
Illuſtrem Platonis ſententiam, quam manifeſto Cicero expreſſit, demonſtratum Salluſtium etiam expreſſiſſe. cap. xxi.
Verba, quibus Cicero narrat quid ſuaſerit Socrates Xenophonti, conſulenti ipſum de profectione ad Cyrum iuniorem, collata cum verbis Xenophontis ipſius, qui rem illam diligenter in ea hiſtoria narrauit. cap. xxij.
Declaratus Catulli locus, Marcique Varronis alter locus emendatus, quem turpis macula inquinarat. cap. xxiij.
Correctus M. Varronis locus de lingua Latina, vbi mentio eſt veteris illius modi loquendi, Dicis cauſa: de illoque aliquantulum diſputatum. cap. xxuij.

LIBRI IX.

LOCUS Ariſtotelis explicatus e IIII. libro de hiſtoria animalium: in quo vertendo Plinius, vt videtur, lapſus eſt. cap. i.
Confirmatum teſtimonio veterum, quod Cicero in Liciniana dixit, tenuibus hominibus Graecos, in media etiam Graecia, ius ciuitatis dilargiri ſolitos. cap. ij.
Qui fuerint Tarentini in vetere militia: receptaque lectio confirmata epiſtolae cuiuſdam ad Atticum. Praeterea, Bene eueniat, dicere ſolitos olim, qui recte ominabantur: exitumque alicuius rei ſecundum optabant, declaratum. cap. iij.
Vt plura Graeca vocabula in Tuſcum noſtrum ſermonem penetrarunt, ita modos quoſdam loquendi, quibus vulgo utimur, videri inde profectos. ca. iiij
Artificium Platonis iam ſenis in expoliendis ſuis ſermonibus a Dionyſio celebratum oſtenditur: ſimulque ab eadem re tranſtuliſſe nomen, cum & ipſe de ornatu librorum loqueretur, Cicero indicatur. cap. v.
Vetus prouerbium e tenebris erutum, quo affirmatur, indicio orationis quales homines ſint facile perſpici. cap. vi.
Deletae multae maculae M. Varronis: exemplis priſcorum poëtarum quibus ille vſus erat, illuſtratis. cap. vij.
Locus Ariſtotelis emendatus in primo de arte poëtarum: qui cum valde corruptus eſſet in omnibus libris, tamquam anſam dedit interpretibus peccandi. cap. viij.
Eleganter ocellos dictas ab optimis auctoribus res, quae tantum reliquis einſdem generis praeſtarent, quantum lumina ceteris corporis animantium partibus. cap. ix.
Quid valeat Graecum verbum, ἀμυχαρίς in epiſtola ad Atticum: locique plures veterum auctorum, in quibus idem nomen eſt, explicati. cap. x.
Argumenti vis examinata, quo in aliis multis vititur apud Euripidem Hippolytus in muliebri genere exagitando. cap. xi.
Craterum medicum, cuius magnum nomen Romae fuit, aetate Ciceronis floruiſſe. cap. xij.
Idem poſſe, inſculpere in animo, quod γράφειν ἐν φρεσίν: contraque ſignificare paene idem. in vento & aqua ſcribere, quod ἐς ὕδωρ γράφειν. ca. xiij
Tubarum ſonus Romae adhibitus in funeribus honeſtorum hominum: reſque admiranda de docilitate picae, quam litteris mandauit grauis auctor. cap. xiiij.
Graeca Menandri verba, quae Terentius duobus locis expreſſit adpoſita. cap. xv.
Sublata macula ex oratione Demoſthenis, quae nata fuerat ex corrupta pronuntiandi ratione: illa autem totius illius loci ſententiam peruertebat. cap. xvi.
Facere videri interdum abundare in Latino ſermone, cum tamen, ſi non ſententiam, ornatum ſaltem verborum adiuuet. cap. xvij.
Sapphonis carmen cum Horatij carmine collatum propter ſententiae ſimilitudinem. cap. xviij.
Vt attingere & guſtare μεταφορικῶς dicitur a Cicerone, ita ἅπτεσθαι & γεύεσθαι a Platone. cap. xix:
Nouas fabulas, quas vocarunt Latini, Graecos apellaſſe καινὰ δράματα: maiorique ſtudio illa

illa ſpectari ſolita. cap. xx.
Duo ſimiles loci, graues, duorum maximorum ſcriptorum, ſuauitate quadam conditi. cap. xxi.
Vocabula quaedam Latina capi a ſuis hominibus, vt Graeca quoq; a Graecis, pluribus modis. ca. xxij.
Notatus loquendi mos peculiaris M. Varroni: qui, quotquot annis, Crebro dicere ſolebat. ca. xxiij.
Indicata vetus lectio, valde diſcrepans a recepta, in iij. Commentario Caeſaris de bello Ciuili. cap. xxiiij.

LIBRI X.

ENNII duo ſenarij, qui citantur a Nonio, indicati ex Euripidis Hecuba eſſe tranſlati. cap. i.
Mendum librarij ſublatum e loco quodam T. Liuij: opinione tamen, non veterum librorum auctoritate. cap. ij.
Erratum Plutarchi pateſactum, in re Romana commemoranda: memoriae vitio nominibus perſonarum immutatis. cap. iij.
T. Liuij ſententiam illuſtrem videri ab Homero acceptam: alioque loco eundem imitatum eſſe locum quendam einſdem poëtae, ſuppreſſo itidem auctoris nomine. cap. iiij.
Collatus Ciceronis locus e iij. libro de Rep. cum eo, quod ab eodem alibi de eodem homine dictum eſt: Athenaeique lapſus eandem rem tradentis, indicatus. cap. v.
Correctum vitium librariorum, in primo libro Tuſculanarũ: & ope antiqui libri, & teſtimonio Graeci ſcriptoris: vnde rem illã Cicero accepit. cap. vi.
Emendatus locus in v. Philippica Ciceronis de opinione: aliuſque itidem, qui contraria ratione deprauatus erat, eodem pacto reſtitutus. cap. vij.
Idem valere apud Virgilium Rumpere vocem, quod apud Graecos ſcriptores ῥῆξαι φωνήν: ratioque eorum verborum explicata. cap. viij.
Locus Horatij ex Ode vltima primi libri declaratus: quem etiam veteres interpretes perperam explicarant. cap. ix.
Locus ex Hortenſio fractus diuulſuſque apud Nonium, reſtitutus atque emendatus. cap. x.
Explicata ſententia verborum quorundam Ciceronis pro lege Manilia: Pythagoraeque praeceptum commemoratum, qui iubebat homines, quae petituri eſſent a diis immortalibus, dicere, non animo optare. cap. xi.
Quod apud Ciceronem antiqui poëtae legitur Innuptis nuptijs, ad imitationem Graecorum dictum videri, apud quos frequentior eſt haec forma ſermonis. cap. xij.
Verba quaedam M. Varronis inuenta apud Nonium, quorum ſententia imperfecta nunc eſt, videri Socraticum quoddã factum olim retuliſſe. cap. xiij
Cum vſus ſit Cicero ſimilitudine cerae, oſtendere volens flexibilitatem, mollitudinemq; orationis, demonſtratum accepiſſe id ipſum a Platone. ca. xiiij
Verba Varronis apud Nonium, quae continentiam victus Perſarum exponunt, demonſtrantur expreſſa e Xenophonte. cap. xv.
Quod Cicero ſpargere diſſeminareque ſermonem dixit, oſtenditur Graecos ſcriptores verbis ſuis, reſpondentibus his Latinis, eodẽ pacto vſos. ca. xvi.
Erratum librariorum in Lucullo correctum, re ipſa, quae traditur, admonente, & auctoritate Graecorum. cap. xvij.
Quid valeat Tinctus litteris, apud Ciceronem: viderique Budaeum perperam id accepiſſe. ca. xviij.
Prouerbium Graecũ in epiſtola quadam ad Atticũ, plene vt protulit illud Cicero, reſtitutum. ca. xix.
Vetus mos Graecorum indicatus in curando funere: qui ad noſtram etiam aetatem, gentemque peruenit. cap. xx.
Quaeritur an commentum a Virgilio in Georgicis celebratum, ad imitationem ſimilis rei, prolatae a Pherecide, fictum ſit. cap. xxi.
Latinos poëtas, Horatium ac Lucretium, modum loquendi proprium Graecorum, in ſuum ſermonem tranſtuliſſe: dixiſſeque Idem illi, vt ea gens, ταυτὸ ἐκείνῳ. cap. xxij.
Cur aliquando veteres ſcriptores res non nullas diligenter narrant, quae non ſunt neceſſariae propoſito ipſorum. cap. xxiij.
Quid ſui iudicij ſit de loco quodam C. Caeſaris, quem non putat eſſe integrum, pateſactum. cap. xxiiij.

LIBRI XI.

AN verba quaedam, quae a Nonio vt Lucilij citantur, Plauti ſint: vt videntur, corrupto nomine auctoris: ſiue aliqua huiuſcemodi labe importata. cap. i.
Illuſtris Salluſtij locus expreſſus eſſe e Graeco ſcriptore declaratur: maculaeque duae inde eluuntur. cap. ij.
T. Liuij locus collatus cum Polybij loco. vnde manifeſto expreſſus eſt: adnotataque illic non nulla ſcitu digna. cap. iij.
Fuci genus ſordidum, quod obiecit anui Flaccus, declaratur in vſu etiam Graecarum mulierum fuiſſe: duoque genera crocodilorum eſſe. cap. iiij.
Notatus ſermo Salluſtij durinſculus, qui videtur ſimilis Ariſtoteleae cuidam locutioni. cap. v.
Eaſdem ſententias, & ab Horatio, & ab Euripide prolatas, in eadem re celebranda. ſimulq; quid valeat ſυγκομίζειν duobus locis apud eundem tragicum declaratum. cap. vi.
Sententia, quae videtur aliena: falſaque apud Salluſtium, declaratur mirifice conuenire illi tempori, atq; auctoritate Graecorum prolata eſſe. cap. vij.
Quid valeat Battuere in vetuſto Latino ſermone: Flagitiumque potius nomen eſſe rei foedae atque indignae polito homine, quam ſceleris alicuius, aut iniqui facti. cap. viij.
Quod Cicero inquit, Nullam eſſe beluam, quae non ſui generis forma maxime delectetur, oſtenditur multo prius dictum fuiſſe ab Epicharmo. cap. ix.
Declaratum nõ diſſentire inter ſe Salluſtium ac Theophraſtum, quamuis eorum alter vitam hominum

longam

longam: alter breuem exiguamque eſſe dicat. Simulque ſententiae illius, quam reprehendit Latinus ſcriptor, oſtenditur auctorem fuiſſe Democritum. cap. x.

Vt Cicero architectus ſceleris dixit μηχανοποιός, ita Demoſthenes ἀρχιτέκτων τῶν ἐπιβουλῶν. cap. xi.

Diſputatio de Catulli opuſculo, quod ſcripſit de Attide ac magna matre. cap. xij.

Multas ſententias videri Ciceronẽ a Platone ſumpſiſſe, cum vitam Dionyſij tyranni in V. quaeſtione Tuſculana explicauit. cap. xiij.

Duo loci duorum magnorum ſcriptorum emendati, Ciceronis ac Demoſthenis, qui contrario vitio laborabant: quod enim in Latino abundabat, in Graeco defecerat. cap. xiiij.

Sublatum mendum e iij. libro M. Tullij de natura Deorum, quod in cognomine Mineruae quartae manebat. cap. xv.

Quod ſaepe a noſtris dictum eſt, dicere quempiam ſcribereue, quod in buccam venit, in Graecorum etiam conſuetudine fuiſſe: diſputatumque diligenter de auctore huius ſermonis. cap. xvi.

Argutum carmen inter luſus veterum poëtarum, quod valde corruptum erat, emendatum, viſque omnis ipſius, atque elegantia explicata. ca. xvij.

Vt Cicero praeſentia viuaque exempla appellauit, quamuis animo ſenſuq; illa careant, ita optimum tragicorum viuens tempus dixiſſe. cap. xviij.

Quaeritur an legi debeat apud Ciceronem de finibus, vbi quaedam praecepta ſapientium exponit, tempori parcere, non parere, vt eſt in omnibus libris. cap. xix.

Explicata ſententia Ciceronis in I. libro de finibus, quae difficultatis aliquid in ſe habere uidetur. c. xx

Praeceptum, quod vtile eſt diſtinguendis diuerſis generibus iocorum, accommodatum etiam eſſe dirimendis luminibus orationis, quae Graeci χρώματα vocant. cap. xxi.

Deleta macula ex oratione pro A. Cluentio: declaratumque non penitus idem valere donum & munus. cap. xxij.

Apud Virgilium Namque hoc imitamur arando, declaratum longe aliud valere, quam id, quod putauit antiquus interpres. cap. xxiij.

Locus Ciceronis emendatus in iiij. Tuſculana: diſputatioque non inutilis de admirabili ſententia Stoicorum. cap. xxiiij.

LIBRI XII.

OSTENTVM, *quo Dionyſio regnum ſignificatum eſt, expoſitum diligenter a M. Tullio, indicatur ab Aeliano quoque litteris mandatum eſſe.* cap. i.

Inſcriptio nomiſmatis animaduerſa. cap. ij.

Elegans carmen, cuius falſus nunc eſt, aut incertus auctor, demonſtratur Catulli eſſe. cap. iij.

Sententia Ciceronis e libris de republica, quae oſtendit damni multum importatum eſſe veteri Graeciae a Phoenicibus, qui mercaturis faciendis antiquitus rem quaerebant. cap. iiij.

Cum dictum ſit a Latino poëta, munera placare deos, oſtenditur Graecos antea id protuliſſe. cap. v.

Obſcurus ſenſus verborum quorundam M. Tullij illuſtratus. cap. vi.

Quid valeat ἰλλαίνειν in Graeco ſermone: monſtratuſque elegans locus M. Varronis, vbi id verbum apte poſitum eſt. cap. vij.

Dictum eſſe a magnis viris, errare eos, qui putent mortem ſemper paenam eſſe, cum miſeris potius ac calamitoſis ſit malorum finis. cap. viij.

Videri longe aliter, ac putarint interpretes, accipiendum locum eſſe in Georgicis, vbi poëta furorem aprorum commemorat: declaratumque id totum acceptum eſſe ab Ariſtotele. cap. ix.

Allata ſententia multorum, qui omne ſupplicium aequo animo perpetiendum putarent, pro tyrannide, breui etiam impetrata, & bonis ipſius tantum guſtatis. cap. x.

Valere, attingere digito, leuiter tangere: capique aliquando pro puſilla iniuria afficere. cap. xi.

Proditum memoriae ab Aſclepiade Cyprio, coepiſſe homines veſci animãtibus, rege illius inſulae Pygmalione, Beli filio: Didoniſque fratre. cap. xii.

Vt ſalem vocauit Catullus id, quod facit vt mulieres placeant: nomenq; formoſarum ipſis acquirit, ita Graecos appellare ſolitos ἁλμυρὰς χάριτας. ca. xiij.

Verum eſſe omni in re, quod M. Cato apud Salluſtium dixit, Non votis tantum ſupplicijſque proſpere omnia euenire, ſed oportere etiam opera ſtudioq; ſuo conatus adiuuare. cap. xiiij.

De Syrorũ ſuperſtitione, qui & columbas, & piſces venerabantur. cap. xv.

Locus Ciceronis explicatus in Oratore, qui interpunctione, perperã collocata, confuſus erat. cap. xvi.

Emendatus locus in Oratore, vbi de concurſu vocalium diſſerit. cap. xvij.

Sententiam Ciceronis, qua queritur de importunitate quorundam hominum, a muſis auerſorum, ipſum reprehendentium, quod in ſtudiis litterarum multum temporis poneret, videri expreſſam e Platone. cap. xviij

Diſputatur de contumelioſa voce Philippi Macedonis, qui vrbes non nullas, opportuno loco ſitas, vocabat compedes Graeciae. cap. xix.

Simili, quo vſus eſt Cicero de ſenectute, declaratur pupugiſſe incuriam clariſſimi viri ſummum phyſicum. cap. xx.

Commentum ſerui hominis oſtenditur reſpondere deſiderio Hippolyti apud Euripidem, ambo enim deos immortales corrigere voluerunt, atque eorum rationem immutare. cap. xxi.

Vox Archytae Tarentini celebratur, qui timens ne modum in puniendo tranſiret, impunitum potius vilicum, cui vehementer iratus erat, dimittere voluit. cap. xxij.

Faceta ratio, qua riſũ mouere uoluit Ariſtophanes in comoedia, explicata: declaratũq; idẽ ualere Graecis αἴρειν σκέλη, quod Latinis tollere pedes. c. xxiij.

Idem modus loquendi, quem vſurpauit M. Cicero

ro contra M. Antonium, docetur in conſuetudine Graecorum fuiſſe, teſtimonio grauium ſcriptorum. cap. xxiiij.

LIBRI XIII.

LOCVS C. Caeſaris emendatus, vbi oſtendit, quam primum terram attigit, cum exercitum in Graeciam tranſportauit. cap. i.
Conſuetudo veterum expoſita in diis nominibus appellandis. cap. ij.
Indicatus locus, Strabonis, in quo Appiae viae oppida, omniſque ratio eius itineris exponitur, quod ab Horatio quoque diligenter in Satyra factum eſt. cap. iij.
Sententiam, qua apud Caecilium quidam vim amoris extollit, videri acceptam ab Euripide, qui eodem pacto poteſtatem ipſius celebrauit. cap. iiij.
Declaratio quorundam Epicharmi verborum, quae in epiſtola quadam Cicero poſuit. cap. v.
Vocatum a Cicerone tacitum ſenſum, videri eum eſſe, quem Graeci [illegible] appellabant. ca. vi.
Allati Graeci Euripidis verſus, quos interpretatus eſt Cicero in ij. de natura Deorum. cap. vij.
Quod Cicero primum Socratem dixit quaeſiuiſſe de rebus bonis ac malis, falſum videri, cum conſtet Pythagoram plurimum ſtudij in ea parte philoſophiae poſuiſſe. cap. viij.
Non dictos a Platone Titanum e genere eſſe, qui aduerſantur magiſtratibus: vt tradidit Cicero, ſed qui iuſiurandum fidemque violant: ac denique deos ipſos negligunt. cap. ix.
Quaeritur de verbis quibuſdam obſcuris & fortaſſe mendoſis, initio epiſtolae ad Atticum poſitis. cap. x.
Verſus Catullianus emendatus: idemque declaratus. cap. xi.
Oſtenditur Flaccum familiarem ſermonem, frequentemque apud Graecos, in Latinum vertiſſe, ſeruata eadem ratione loquendi. cap. xij.
Confirmatur quod Cicero inquit, fuiſſe Chryſippum in omni hiſtoria curioſum. minutis quibuſdam ipſius narrationibus apud Graecum auctorem inuentis. cap. xiij.
Idem valere apud Ciceronem, In ſtrepitu exaudiſſe, quod valet apud Plautum, quaſi per nebulam audiſſe. Declaratumque M. Tullium quoque dixiſſe, quaſi per caliginem videre, ſublata macula, quae modum hunc loquendi obſcurabat. ca. xiiij.
Correctus locus in primo libro de diuinatione: declaratumque auctoritate Graecorum, Iamidas familiam fuiſſe illuſtrem arte augurandi. cap. xv.
Defenſa compoſitio Ciceronis pro Archia, declaratumque vacare ea culpa illuſtrem illic locum, cuius inſimulat ipſum Quintilianus. cap. xvi.
Quaeſtio de loco quodam Euripidis, qui videtur mendoſus. cap. xvij.
Ledam Helenae matrem, in leaenam verſam dictum ab Euripide: virginemq; item e genere Titanidarũ in ceruam mutatam Dianae voluntate. cap. xviij.
Diſputatur de more dialogorum: in quibus finguntur aliqui locuti inter ſe, quae numquam locuti ſunt. cap. xix.
Diuerſa hiſtoria de Annibale memoriae prodita declaratur. cap. xx.
Defenſa vetus communiſque lectio loci cuiuſdam ex epiſtola ad Atticum, qui ſine cauſa mendoſus a quibuſdam exiſtimatus eſt. cap. xxi.
Deleta macula ex oratione pro L. Flacco. cap. xxij.
Diſputatio de ſententia quadam Ciceronis pro Milone, vbi iudicij Oreſtis meminit, qui a Minerua, diſſentientibus inter ſe iudicibus, maternae caedis abſolutus eſt. cap. xxiij.
Deleta macula e M. Varronis loco de lingua Latina, vbi docet qua de cauſa, qui lumen affert, dicatur lucere. cap. xxiiij.

LIBRI XIIII.

DECLARATIO verborum eorum in epiſtola M. Antonij, quibus factum ſenatus accuſat, qui vectigalia conceſſa ipſis a Caeſare, Lupercis ademerat. cap. i.
Cum Horatius tradiderit Telephum, quamuis rebus aduerſis oppreſſus tunc foret, magnifice de ſe locutum, idem teſtimonio illius ipſius declaratum a principio orationis, qua hoc fecit, huc allato. c. ij.
Locus in Oratore emendatus. vbi de priſca ſcribendi ratione Cicero diſſerit: declaratumq; tres Graecas litteras ſaepe inter ſe locum commutare. cap. iij.
Cretam, qua in obſignandis litteris Aſiae populi vtebantur, videri eam eſſe, quam Herodotus γῆν σημαντρίδα vocauit. cap. iiij.
Notio Graeci huius nominis [illegible] explicata; indicatusque M. Varronis locus, vbi id deprauatum erat. cap. v.
Sententia, quae apud Terentium refertur de amore proprio, celebrata etiam oſtenditur in Medea Euripidis. cap. vi.
Scrupulus iniectus de claro loco, qui nemini, quod ſciam, ſuſpectus fuit. cap. vij.
Mirum, quod tradũt ueteres de cultu croci, expoſitũ: cum aetas noſtra longe alia ratione ferat. ca. viij.
Quid valeat corpus ſolidum apud Terentium: quomodoque Graeci idem appellent: aliaeque vocabuli huius Solidum, notiones explanatae. cap. ix.
Acutum dictum, quo quidam ſalſamentarij filium tetigit, cum legatur in rhetorica ad Herennium oſtenditur e Graeco fuiſſe verſum. cap. x.
Locus Graeci ſcriptoris indicatus ſimilis illuſtri loco Ciceronis, quo de eloquentia tamquam de virgine aliqua locutus eſt. cap. xi.
Qui vocati ſint a Cicerone vrbani competitores. cap. xij.
Cum Terentius expreſſerit, quibus verbis vterentur heri, ſeruis irati: malique denuntiatione ipſos terrere volentes, monſtratus illi ſimilis locus apud Graecum ſcriptorem. cap. xiij.
Demoſthenis locus ſimilis indicatus loco Ciceronis, cum improbitatem Rubrij: licentiamque in con-

nio Lampſaceno vſurpatam in Oratione contra C. Verrem exponeret. cap. xiiij.
Sententia, quam Terentius accepit a Latino comico, indicata: Declaratumq; ſandalium calceamentū fuiſſe diuitum feminarum. cap. xv.
Duo verſus Ennij, qui diuulſi leguntur diuerſis locis, coniuncti. cap. xvi.
Cur Virgilius in iij. Georgicorum Lunam roſcidam vocarit: roremque a Graeco poëta Lunae filium appellatum. cap. xvij.
Coronas Muſarum antiquos e roſis texere ſolitos. cap. xviij.
Manibus pedibuſque aliquid facere, quod apud Terentium eſt, videri deriuatum e Graeco ſermone. cap. xix.
Vt apud Ciceronē legitur gladius plumbeus, ita Graecos μολυβδίνῳ μαχαίρᾳ dicere ſolitos. cap. xx.
De more veterum diſputatur, qui ſuis in agris plerumque buſta ſibi facere conſueraut. cap. xxi.
Quòd veruaculum videtur verbum in patria noſtra lingua, oſtenditur manaſſe huc e Graecos ſermone. cap. xxij.
Quod Quintilianus exempli loco poſuit, Erutius Antoniaſter, oſtenditur a Cicerone ſumptum eſſe: rationque poſterioris nominis explicata. cap. xxiij.
Sententis multorum Virgilij verſuum e ij. Georgicorum declaratur accepta e Theophraſto, collatis ſingulis ſententiis inter ſe. cap. xxiiij.

LIBRI XV.

SENTENTIA Ciceronis collata cum ſententia Ariſtotelis de eadem re: declaratumque verius eſſe, quod a philoſopho dictum eſt. cap. i.
Cum, & Plutarchus, & M. Varro libros ſcripſerint de liberis inſtituendis, oſtenditur ambos non nulla notaſſe, quae obſunt ſtudijs litterarum: impedimentoq; ſunt pueris ad diſcendum. cap ij.
Orationes duas pugnantes inter ſe, quae nunc C. Salluſtio & M. Tullio tribuuntur, videri eorum auctorum non eſſe. cap. iij.
Valere, translatum ad aliud, nunc aliquando familiarem tritumque ſcriptorem aliquem habere. Idemque quandoque ſignificare quippiam pedibus terere ac conculcare. cap. iiij.
Vetus modus loquendi, repugnans, vt videtur, praeceptis grammaticorum, indicatus: ſimulque declaratum, quid valeat Ariſtophaneo modo in epiſtola ad Q. fratrem. cap. v.
Videri Ciceronem modos quoſdam loquendi a fabulis Terentij accepiſſe. cap. vi.
Verba quaedam ex epiſtola ad Atticum longe aliud ſignificare declarata, quam id, quod interpretes exiſtimarunt. cap. vij.
Indicatum vnde expreſſa ſententia ſit, quam Cicero a principe Argonautarum in tragoedia pronuntiatam dicit. cap. viij.
Locus Ciceronis explicatus, qui importune poſitis interpunctionibus, impeditus erat: & fortaſſe maiore vitio laborabat. cap. ix.
Videri in extremo Eunucho comedere longe aliud ſignificare, quam putarit vetus interpres. cap. x.
Illuſtris ſententia Ciceronis, qua docuit mortem pro patria, gloriaque eſſe contemnendam, oſtenditur ab Homero accepta. cap. xi.
Emendatus locus Ciceronis in x. Philippica: opinione tamen coniecturaque, non vllius antiqui libri auctoritate. cap. xij.
Emendatus Horatij verſus de arte poëtica, qui nunc fere in excuſis omnibus libris corruptus eſt: ſimulque de moribus poëtae diſputatum. cap. xiij.
Vocem Horatij, qua ſe ſimilem coti facit, oſtenditur prius editam fuiſſe ab Iſocrate. cap. xiiij.
Verba Graeca inuenta oraculi editi Alexandro Epiri regi, quorum ſententiam T. Liuius expreſſit. cap. xv.
Ludus, qui noſtra adhuc in gente a pueris frequentatur: muſcaque caeca vocatur, oſtenditur a Graecis fluxiſſe: a quibus etiam eodem nomine appellabatur. cap. xvi.
Quod ab Homero de Menelao prolatum eſt, ipſum in dicendo ἀγορεύειν παῦρα ſolitum, Ciceronem reddidiſſe pauca dicere. Declaratumque Halicarnaſſeum ex verbis illis praeceptum artis eius ſubtiliter eliciuiſſe. cap. xvii.
Videri nō nihil diſcriminis eſſe inter Ciceronē ac Laërtium in voce Socratis commemoranda. ca. xviij.
Diligenter ponderata verba quaedam in epiſtola Anacharſedis, quam Cicero expreſſit, cum illa non videantur reſpondere ſententiae Graecorum verborum. cap. xix.
Verſus Pacuuij indicatus, qui eandem paene ſententiam continet, quam chorus edit in Oedipode tyranno. confirmataque vetus lectio loci Ciceronis pro A. Cluentio. cap. xx.
Ratio nominis cenſorum declarata, cuius auctor fuerat M. Varro: & qua paena afficere ſolerent eos, qui culpae affines forent indicatum. Simulque locus Plauti emendatus. cap. xxi.
Vt Cicero aliquando. Excidiſſe verbum inquit μνημονικὸν, ita Graecos dicere ſolitos ἐκπεσεῖν, Platonemque idem oſtendere volentem, euidentius adhuc dixiſſe ἐκφυγεῖν. cap. xxij.
Graecas quoque mulieres conſueſſe ſubere calceamentis inſerto, grandiorem ſpeciem corporis reddere. cap. xxiij.
Quibus coniecturis ductus emendarit de opinione locum Clementis Alexandrini. De vinoque Ariuſio, quod vt optimum, celebratum eſt ab antiquis ſcriptoribus diſputatum. cap. xxiiij.

LIBRI XVI.

ARGVMENTVM Ciceronis ponderatum, quo probare voluit M. Caelium in corporis voluptatibus perditum non fuiſſe, vt accuſator arguebat. cap. i.
Mos Graecorum explicatus, qui buſtis myrtum imponebant: atque illo etiam modo mortuos ipſos ornabant. cap. ij.

Defenſa

Deſenſa vetus emendatio loci Ciceroniani contra reprehenſiones aduerſariorum: declaratumq; coniecturam illam inanem non fuiſſe. cap. iij.

Monſtratus locus T. Liuij ad ſimilitudinem conformatus argumenti, quo vſus eſt apud Homerum Agamemnon, in exercitu ad pugnam hortando. cap. iiij.

Diligenter animaduerſus Euripidis locus in Hippolyto: de moreque veterum ſcribendi in tabulis diſputatum. cap. v.

Diſputatum de oſtentis, quae Leuctricam pugnam anteceſſerunt, allatuſque Plutarchi locus, vbi eadem, quae a Cicerone recitantur. cap. vi.

Reſtituta verba non nulla Graeca, quae deſiderantur in epiſtola quadam ad Atticum, vbi Homericis verbis fatetur ſe peccaſſe, qui Pomponio non paruerit, cauſamque illius erroris aperit. cap. vij.

Quamuis Cicero tradat ſuperiorem aetatem Nequire pro non quire dixiſſe, Ennium tamen in hoc veterem conſuetudinem retinuiſſe. cap. viij.

Collecta plura vocabula, quibus Romani partim vernaculis: partim peregrinis, oſtenderent homines gutturis ac ventris vitio deditos. cap. ix.

Cur Romanus magiſtratus, qui vniuerſam Graeciam regeret, non Graeciae praetor aut proconſul, ſed Achaiae vocaretur, cap. x.

Elegans vox Theophraſti, qua labem detrimentumque ſignificauit, quod animo a corpore importaretur. cap. xi.

Emendatus locus Ciceronis in epiſtola quadam ad Atticum. vbi ignauiam L. Afranij conſulis notat. cap. xij.

Simile quo vulgo utimur, de periculo ardentis uicinae domus, frequens fuiße, & apud Latinos, & apud Graecos ſcriptores. cap. xiij.

Cum Cicero, & Horatius nubem frontis μετωπο-ξιῶσε appellarint Euripidem quoque declaratum eadem translatione vſum. cap. xiiij.

Quaedam vox, quam lepidam concinnamq; putauit Cicero, oſtenditur irriſa exploſaque fuiſſe a Plutarcho. cap. xv.

Verba non nulla quae domi noſtrae nata videntur, oſtenduntur hic radices egiße a Graeco ſermone. cap. xvi.

Latrones antiquitus ſtipatores appellatos; emendatuſque ſimul M. Varronis locus, vbi a Graeco rationem huius nominis ducit. cap. xvij.

Confirmatur emendatio, qua maculam eluit e nomine oppidi Siciliae in ij. libro πολιτικῶν cap. xviij.

Locus Ciceronis in primo de Oratore oſtenditur aliter legi in ſcriptis libris atque in excuſis legatur: Diſſeritur que de recta verborum compoſitione. cap. xix.

Declaratur, vt ſedere ſignificat aliquando in Latino ſermone cunctari & pigre ſe gerere, ita etiam καθῆσθαι in Graeco. cap. xx.

Duo Ciceronis loci manifeſto mendoſi pro M. Marcello, de opinione reſtituti. cap. xxi.

Deleta macula e v. libro M. Varronis de lingua Latina. cap. xxij.

Macrobij locus mendoſus ac mancus, & macula deleta, & exemplo poſito, reſtituitur: quomodoque aliae turpes maculae inde etiam detergeri poſſint, declaratur. cap. xxiij.

Duo M. Varronis loci emendati in V. libro de lingua Latina. cap. xxiiij.

LIBRI XVII.

PVRGATVR reliqua pars loci illius M. Varronis, vnde iam plures maculae deletae erant. cap. i.

Reſtituitur locus Sex. Pompeij Feſti: vbi qui vocati fuerint ludi piſcatorij docet: in excuſis libris mancus et maculoſus. cap. ij.

De vetere ſitu Piſarum: formaque totius regionis, valde nunc immutata. cap. iij.

Locus A. Gellij reſtitutus, verſibus, qui apud eum deſiderabantur, indicatis: maculaque inde ſublata. cap. iiij.

Locus Ciceronis in epiſtola ad Atticum illuſtratus, ponderatis diligenter ſententiis illis. cap. v.

Declaratur teſtimonio Poſidonij Apicium accuſatorem fuiſſe P. Rutilij. qui cũ probus ciuis fuerit, ab iniuſtis nefariiſq; iudicibus condemnatus eſt. c. vi.

Vnde nomen impoſitum ſit Tityro paſtori contra Latinorum grammaticorum ſententiam. cap. vij.

Declaratum quis fuerit Conon ille Virgilianus in poculo caelatus, & de Alcone, cuius laudes paſſim canebantur, quaeritur. cap. viij.

Reſtitutus locus in xiij. Philippica Ciceronis: qui temere inculcatis eo non nullis alienis verbis, deprauatus erat. cap. ix.

De natura T. Quinctij diſputatum. & quam aptae ſint ad fidem faciendam fictae etiam aliquando res declaratum. cap. x.

Quaeritur cur in libro quem ſcripſit de re pecuaria Virgilius de ſuibus nihil praeceperit. cap. xi.

Quod apud Ciceronem eſt pluribus locis. Poſt homines natos, videri acceptũ e poëmate Lucilij. c. xij.

Illuſtratus locus in epiſtola illa M. Antonij, quam confutauit Cicero. cap. xiij.

Quaeritur de cognomine ſoceri M. Antonij, qui Bambalio vocatus eſt. cap. xiiij.

Quo vſus eſt Virgilius in paſtorali carmine, modus loquendi, oſtenditur acceptus eſſe a Graecis poëtis. cap. xv.

Declaratum M. Varronem libenter verbũ procudere ad aliud tranſtuliſſe: emẽdatuſq; locus doctiſſimi ſcriptoris in hoc ipſo verbo maculoſus. c. xvi.

Oſtenditur teſtimonio Lucilij fuiſſe olim quendam, qui ſe exſecuerit, vt vxori dolorem inureret, quod peruulgata voce nos etiam a ciue noſtro factum ridemus. cap. xvij.

Faſtigium id eſſe in templis, quod Graeci ἀκρωτήρια vocant, eoque ſenſu Ciceronem cepiſſe, cum de honoribus C. Caeſaris loqueretur. cap. xviij.

Bonum, quod Catullus cum contemptu in paupere vita celebrat aduerſarij, cum idem a mendico homine in ſignificanda aſpera ſua tenuiq; cena cum

dolore illic eſſe declaratum. cap. xix.

Quam rationem ſecutus eſt M. Cicero in Q. fratre laudando: poſitis namque virtutibus ipſius ſtatim contraria earum vitia ſuſtulit, eandem Iſocratem in celebrandis priſcis Athenienſibus tenuiſſe: idemque paene ab ambobus dictum eſſe. cap. xx.

Vt Cicero in orationibus duabus conſutato figmento poëtarum, docuit quae ſint verae furiae, ita Aeſchines oſtenditur eodem argumēto vſus. ca. xxi.

Exempla quaedam illuſtria breuium collationum allata, ſiue imaginum: & a Latinis & a Graecis ſcriptoribus ſumpta. cap. xxij.

Declaratum ita induci ſolitum Telephum in ſcenam a tragicis triſtem tacitumque, vt comici poſtea, cum triſtitiam ingentem, ſilentiumque ſignificare vellent, exemplo illo vterentur. cap. xxiij.

Qui homines vocati ſint in fabulis ab Euripide, cum contemptu, σχήματα ἀγορᾶς: quomodoque nos eoſdem vernacula lingua appellare conſueuimus. cap. xxiiij.

LIBRI XVIII.

DECLARATVM verba, & foecunda & ſterilia μεταφορικῶς vocata fuiſſe a M. Varrone: deletaque macula, quae locum illum inquinabat. cap. i.

Videri ſermones Platonis M. Varronis aetate eundem ordinem habuiſſe, quem nunc retinent: declaratumque quomodo notis diſtingui locus apud Varronem ipſum poſſit. cap. ij.

Vox Timothei, illuſtris ciuis Athenienſis, quam celebrat Cicero, diligenter examinata, cum a Graecis etiam ſcriptoribus litteris prodita ſit. cap. iij.

Commemoratur nimium amorem ornandi patriam in hiſtoria, cauſam fuiſſe Ephoro Cumano, vt contemneretur: cumque dum hoc pacto dignitatem aliquam ipſi acquirere voluit, magis obſcuritatem ipſius atque inertiam indicaſſe. cap. iiij.

Argumentis comprobatur teſtimonioque veterum grammaticorum, Ciceronem meros principes dixiſſe e ludo Iſocratis exiſſe, non innumeros. ca. v.

Reſtitutus locus Ciceronis pro M. Marcello de opinione, qui temere repetita ſuperiore particula: eoque inculcata, vbi locum non habebat, deprauatus erat. cap. vi.

De more veterum R. diſputatum, qui ſexagenarios de ponte deijciebant: declaratumque de hoc etiam antiquitus quaeri ſolitum. cap. vij.

Indicatum Graecum hominem ſimile quiddam dixiſſe voci Q. Catuli, cum Clodianos iudices exagitauit. cap. viij.

Imagine vſum Ciceronem, periodum longiorem dixiſſe tamquam crepidinem quandam, ſuſtinere ac regere prolixam diſputationem, quo verbo etiam Graeci ſcriptores μεταφορικῶς vtūtur. ca. ix.

Explicatus locus Ciceronis in epiſtola quadam ad Atticum, qui venuſtum lepidumque ſenſum habet. cap. x.

Monſtratus locus apud Homerum, quem obſcure tetigit Ariſtoteles in iij. libro ἠθικῶν νικομαχείων: vbi de naturalibus cupiditatibus differit. cap. xi.

Non ſemper fugere Demoſthenem concurſum litterarum vocalium: ſed aliquando etiam, vt valde illi tempori accommodatum, ſtudioſe perſequi. cap. xij.

Declaratum ſententia, quam in epiſtola quadam edidit Horatius, prius vſum fuiſſe Aeſchinem in Demoſthenem: ac de praeclaro omni loco eius oratoris diligenter diſputatum. cap. xiij.

Quid valeat apud optimos auctores τοῦ ἰδεῖν, declaratum: Elegansque vox Socratis, patientiſſimi hominis, recitata quae modo hoc loquendi continetur. cap. xiiij.

Indicatum, quod in hiſtoria Taciti deſideratur, de latebris Sabini: vxoriſque ipſius optimae feminae conſtantia, ac ſumma virtute, apud Plutarchum in cōmentariolo de amore narrari. cap. xv.

Lyſiae locus collatus cum loco Ciceronis propter ſimilitudinem rerum, quae eodem argumento diluuntur. cap. xvi.

Exempla duo duarum tenuiſſimarum collationum: quae tamen mirifice aptae fuerunt ad res eas illuſtrandas, quibus declarandis adhibitae ſunt. cap. xvij.

Falſo aliquando Ariſtotelem exiſtimatum praeciſe locutum: cum ad ſententiam implendam verbum nullum in oratione ipſius deſideretur, quod extra ſumendum ſit. cap. xviij.

Declaratur quid valeat apud veteres auctores Virum virum legere: quo ſermone militare factum oſtenditur. cap. xix.

Verba Strabonis diligenter examinata, quibus de origine Arni fluminis differit, cum de eo falſum tradere videatur. cap. xx.

Diſputatur de ſimplicitate animi: anilique ſuperſtitione Pauſaniae ſcriptoris, qui litteris mandauit interfectum eſſe Caligulam ob violatum Cupidinem Theſpienſem. cuius etiam dei iram vult Neroni alio pacto obfuiſſe. cap. xxi.

Cum Virgilius, inquit, Tumere terras, & alio loco Turgere gemmas, videri eum expreſſiſſe Graecū verbum ὀργᾶν. cap. xxij.

Oſtenditur in Graeca comoedia ſententiam pronuntiatam ſimilem voci cuidam, quae vulgo fertur in patrio noſtro ſermone. cap. xxiij.

Quae vis ſit huius aduerbij Miſere apud Terentium pluribus locis. cap. xxiiij.

LIBRI XIX.

MOs veterum explicatus ſeruandi corpora mortuorum in melle, quod ſepulturae genus laudatum oſtenditur a Democrito. cap. i.

Emendatus locus Ciceronis in Oratore: idemque declaratus. cap. ij.

Locus C. Caeſaris emendatus, deleta macula e nomine herbae, qua Britannos narrat ſe inficere ſolitos. cap. iij.

Iſocratis

Iſocratis argumentum celebratur, quo ſe purgauit Philippo regi, quod res ipſius geſtas non ſcriberes: ſimiliſque huic Virgilij locus indicatur. cap. iiij.

Torquere oculum, quod Cicero inquit, Graecos dicere διασείειν ὀφθαλμόν. cap. v.

Ciceronis locus pro L. Flacco monſtratur expreſſus eſſe ex Iſocratis Panegyrico. cap. vi.

De togis Romanorum, quae, vt conijcere licet ex Athenaei loco, quadratae fuerunt. cap. vij.

Declaratus Virgilij locus e ij. Georgicorum contra veteris interpretis ſententiam. cap. viij.

Quomodo vim horum verborum ὑπόθεσις & ἰσχύς, Cicero exprimere conſuerit. Sententiaque e Protagora conuerſa a Cicerone, cum Graeca collata. cap. ix.

De Ilua inſula non nulla cognitu digna referuntur: ac quomodo a Graecis olim appellaretur, oſtenditur. cap. x.

Quam apte Lucretius Varroque, verbum Aegrotare ad ea tranſtulerint, in quae verus morbus non cadit. cap. xi.

Somnium de interfecto a caupone Megaris, commemoratum a Cicerone, oſtenditur legi etiam nunc apud Graecum auctorem. cap. xij.

Quod a Themiſtocle Cicero dictum commemorat, oſtenditur a Xenophonte litteris mandatum eſſe; qui tamen auctorem eius vocis clariſſimum illum virum non appellat. cap. xiij.

Duo loci Themiſtij, qui negligentia librariorum maculoſi erant, emendati. cap. xiiij.

Artificium locutionis illius, Et quiſquam dubitabit? qua vſus eſt Cicero pro lege Manilia, explicatum. cap. xv.

Explicatus locus Ciceronis e primo de finibus: declaratumque, cum delapſam de caelo dixit, Graecum hoc verbum διοπετῆ, ipſum expreſſiſſe. cap. xvi.

Emendata quaedam verba Ciceronis e Timaeo conuerſo ab ipſo, quae nunc apud Nonium leguntur. cap. xvij.

Epeum, fabricatorem equi Troiani, coquum etiam fuiſſe. cap. xviij.

Platanum in agro noſtro ſua ſponte naſci, contra id, quod memoriae prodiderunt veteres: Stoechadiſque itidem magnam vim apud nos oriri. ca. xix.

Sententia, qua vſus eſt Cicero pro Ligario, oſtenditur accepta fuiſſe a Graeco auctore. cap. xx.

Inſtitutum quoddam Ceorum, quod litteris mandatum eſt a Cicerone, oſtenditur tactum etiam eſſe ab Apollonio Rhodio: ab ipſiuſque interprete plenius exponi. cap. xxi.

Verba Graeca Democriti allata, quae expreſſit Cicero in V. Tuſculana: maculaque e Latinis ſublata. cap. xxij.

Grauis ſententia M. Druſi, qua tradidit omnes qui Remp. violaſſent paenas eius ſceleris dediſſe, oſtenditur in Graeco etiam ſermone celebrata fuiſſe. cap. xxiij.

Examinatum verbum Catulli, qui contumeliae cauſa mulierem ligneam vocauit: declaratumque Graecos quoque par huic verbum aliquando eodem modo capere. cap. xxiiij.

LIBRI XX.

Collatvs Demoſthenis locus cum T. Liuij loco: cum vterque indignationem quandam: ſtomachumque, generoſi animi deſcriberet. cap. i.

Modus elegans loquendi apud Aeſchylum declaratus. cap. ij.

Diſputatum de parte loci illius in epiſtola ad Atticum, quo narrat ſe multis acutis vocibus Clodium in Senatu fregiſſe. cap. iij.

Demetrij Pharij vox acuta commemoratur, qua confirmauit vtilitatem muneris ſui conſilij, dati Philippo Macedoni. cap. iiij.

Nutrices eleganter appellatas a Catullo papillas, cũ inquit. Nutricum tenus: improbeque feciſſe, qui id verbum inde eijcere conati ſint. cap. v.

Quid valeat ἀρχὴν ἔχειν διαπρεπῆ apud Iſocratem: quibuſque verbis Cicero idem dicere videatur. cap. vi.

Quae fuerint ἠχεῖα in theatris appellata: correctuſque Vitruuij locus in excuſis libris deprauatus. cap. vij.

Salluſtij ſententia quaedam de bello Iugurthae diligenter ponderata. cap. viij.

Purgatus locus in epiſtola Horatij ad Claudium Neronem. cap. ix.

Diſputatum accurate de duobus Catulli locis in carmine de Berecynthia & Atti. cap. x.

Ratio accuratorum magiſtrorum explicata in aliquibus expoliendis, quam egregie expreſſit Terentius. cap. xi.

Quod Cicero apud Agathoclem in hiſtoria legit de Amilcare Poenorum duce capto, idem Diodorus Siculus oſtenditur memoriae prodidiſſe. cap. xij.

Quid valeant verba illa in epiſtola ad Trebatium. Manibus gypſatiſſimis: moſque veterum traditus, qui noctu hoſtes aggreſſuri, & arma, & veſtimenta gypſo illinebant. cap. xiij.

Variae notiones huius vocabuli σκάφη explicatae, cum primum videatur nauigioli genus ita appellatum. cap. xiiij.

Oſtenditur ſententiam, qua Horatius nimium ſui ipſius amorem accuſauit, celebratã fuiſſe in Graeco ſermone. cap. xv.

Quiddam, quod Cicero ſubtiliter venuſteque dixit, dictum antea fuiſſe eodem modo a Graecis oratoribus. cap. xvi.

De lepidiſſimis quibuſdam Platonis carminibus accurate diſputatum. quibus addita eſt venuſta Ode Anacreontis: nunc primum e tenebris eruta. cap. xvij.

Emendati duo loci in oratione pro Milone, auxilio ſcriptorum librorum, qui in excuſis maculoſi ſunt. cap. xviij.

Locus Euripidis collatus cum loco Terentij: in quibus vterque poeta collectis multis veriſimilibus, inducit

inducit ſuas perſonas confirmare, quod ſuſpicari coeperant. cap. xix.

Ariſtotelis locus in viij. libro ἠθικῶν illuſtratus, indicato integro carmine Euripidis, quod illic fractum exempli loco eſt poſitum. cap. xx.

Quaeritur quem intellexerit Cicero verbis quibuſdam, quibus in Hortenſio vſus fuerat. cap. xxi.

Locus Ciceronis e libris de Rep. explicatus: hiſtoriaque relata de ducibus Athenienſibus, qui cum nauali in pugna hoſtes viciſſent, ab iratis poſtea ciuibus non iuſta de cauſa interfecti ſunt. cap. xxij.

Quali ingenio praediti inducerentur coqui a comicis: maioraque quam praeſtare poſſent, polliceri illos paſſim de ſe ſolitos. cap. xxiij.

Indicantur plures Catulli loci de opinione non ſatis proſpere emendati. cap. xxiiij.

LIBRI XXI.

INVENTA Polybij verba, quibus Liuius teſtatus eſt memoriae ipſum mandaſſe, ductum fuiſſe Syphacem in triumpho. diſputatumq; non valde gratum Titum videri erga illum ſummum hiſtoriae auctorem. cap. i.

Aeſchyli locus indicatur ſimilis Ciceroniano illi, cum inquit: maxime optandum accuſatori habere confitentem reum. cap. ij.

Quam lepide ſuauiterque, & Plautus & Demoſthenes rem turpem tetigerint: qui nuptiarum cotidianarum nomine meretriciam vitam vocarint. cap. iij.

Oſtenditur poſitis exemplis duobus, Terentium multos locos ſumpſiſſe a veteribus comicis. cap. iiij.

Indicata vetus lectio loci illius M. Varronis, quo, qui nexi appellarentur, exponit, cum in excuſis libris ſit deprauatus. cap. v.

Cum praefectum mulieribus a Graecis creari ſolere Cicero tradat, videri eum ſignificare γυναικονόμον. cap. vi.

Collatus Iſocratis locus cum loco Ciceronis, cum ambobus declaretur victoriam, quae obtinetur bello ciuili, non omnibus probari. cap. vij.

Ariſtotelis locus explicatus in viij. ἠθικῶν. cuius ſenſum interpretes non perceperunt. cap. viij.

Quae ſit origo priſci huius verbi. Petere cibum e flamma. cap. ix.

De ſacrilegio Dionyſij Siculi, cui ille addidit impiam, ſed acutam vocem, diſputatum. Ciceronemque, qui id litteris mandauit, videri in loco, in quo id factum narrat, peccaſſe. cap. x.

Aliud eiuſdem impuri hominis impium factum, eodem loco a Cicerone commemoratum, ſubtiliter examinatur. cap. xi.

Eadem vocabula, & in Graeco, & in Latino ſermone, aliter ſaepe capi a diuerſis hominibus. quia res etiam quae illis ſignificabantur, diſcrepabant eorum iudiciis. cap. xij.

Quot ſint notiones huius verbi Solarium, in Latino ſermone. cap. xiij.

Videri apud Ciceronẽ ſignificare Tragoedias excitare, id quod Demoſthenes τραγῳδεῖν vocauit. c. xiiij.

Duo Ciceronis loci, qui a ſiniſtris quibuſdam correctoribus deprauati ſunt, reſtituti. cap. xv.

Nouus orator qui a Cicerone vocatus ſit: eundem declaratum a Dionyſio καινὸν ζῆλον appellatum. cap. xvi.

Correctus Iſocratis locus in Philippo. qui in viri nomine deprauatus erat. cap. xvij.

De ardore animi, quo flagrauit Plato in optimis artibus perdiſcendis: longinquaſque terras ipſum hac de cauſa peragraſſe. cap. xviij.

Correcti duo loci in oratione pro Milone de opinione. cap. xix.

Declaratum beneficia, quae in probos & honeſtos viros conferuntur, compenſari ſine opera eorum, qui acceperunt: quia facta illa vulgo probantur, ac ſummis laudibus in caelum feruntur. cap. xx.

Duo loci duorum grauium ſcriptorum, Iſocratis Ciceroniſque, inter ſe collati. cap. xxi.

Indicatum, vt Cicero prauam rationem Appij regendi prouinciam oſtendit, uſus uerbis medicorum, ita etiam Platonem in ſimili re tradenda eadem ἀλληγορίᾳ vſum. cap. xxij.

Videri Ciceronem pro Plancio alluſiſſe ad Homericam ſententiam, valde celebrem: & ab ipſo etiam alias nunc Graece: nunc Latine vſurpatam. cap. xxiij.

Quid valeat apud Ciceronem aliquid Trahi pedibus: originemque huius ſermonis inueniri apud Homerum, non eam tamen, quam non nulli putarunt. cap. xxiiij.

LIBRI XXII.

EXPLICATVM illud Ciceronis e iij. libro in Verrem. Poſcunt maioribus poculis: ac de more illo bibendi Graecorum diligenter diſputatum. cap. i.

Explicatus Ariſtotelis locus e iiij. ἠθικῶν: declaratumq; quae vis ſit huius verbi, περιαστιν. cap. ij.

Declaratum Cleanthem etiam quendam Samium fuiſſe eiuſdem opinionis, cuius Nicetas Syracuſius fuit: qui cenſuit caeleſtia omnia, ſuperaque, ſtare: terram autem ſolam in mundo moueri. cap. iij.

Declarati loci quidam Ciceronis: ijdemque emendati, e libris ipſius de Republica, qui leguntur apud Nonium. cap. iiij.

Locus M. Ciceronis pro Gallio, qui citatur a Quintiliano, diligenter animaduerſus: aliuſque itidem M. Caelij in Antonium ab eodem rhetore adductus, emendatur. cap. v.

Euripidis ſententia inuenta, quae conuenit ſententiae cuidam Ciceronis, declaratumque, qui ſint diuites ex opinione Stoicorum. cap. vi.

Sublatum mendum e ij. Ciceronis Philippica. ca. vij.

Cur carpſerit Cicero verbũ in epiſtola Antonij, quod iuſta reprehenſione carere videtur. cap. viij.

Indicatum duas Graecas ſententias, quibus vſus eſt Cicero in epiſtolis ad Atticum, a Grae-

cis

cis etiam ſcriptoribus citari. cap. ix.

Emolumentum aliam etiam notionem habere, quam vulgo putetur: nec ab vllo grammatico explicatam, teſtimonijs veterum comprobatum. cap. x.

Quod accuſauit Catullus in amoribus ac delicijs ſuis, declaratur commune vitium eſſe omnium qui formam ſuam valde expeti vident: atque imbecillo conſilio propter aetatem ſunt. cap. xi.

Sententiae M. Varronis, qua laudauit abſtinentiam virorum mulierumque Romanarum, oſtenditur conuenire teſtimonium Plutarchi, idem commemorantis. cap. xij.

Quaeritur de veritate lectionis verſus Catulliani in epigrammate, quo laudat poëma Cinnae. ca. xiij.

Notantur verba quaedam eleganter translata ab Cicerone: quo modo etiam Graeca his reſpondentia capi ſignificantur a ſcriptoribus eo ſermone. cap. xiiij.

Ponderata quaedam carmina Catulli, quae manca videntur partibus ipſorum quibuſdam vetuſtate amiſſis. cap. xv.

Purgatus locus M. Varronis, quo tradit, quod etymon ſit huius vocabuli canis. cap. xvi.

Reſtituta ſentẽtia in oratione pro P. Seſtio, eo loco, quo Gellium infamia obruit. cap. xvij

Quis fuerit Daphitas, quem intellexit Cicero in libro de fato: &, quod oraculum ipſi editum ſit. cap. xviij.

Emendatus locus in ij. libro Ciceronis de legibus, vbi de atrocibus iniurijs inimicorum queritur: narratque qui exitus impia ipſorum facta conſecuti ſint. cap. xix.

Argumentis confirmatur legi apud Ariſtotelem oportere in vij. libro πολιτικῶν, χῶνας, non χάονας. cum gẽtem appellat, quae Italiae partem incoluit, in qua eſt promontorium Iapyx. cap. xx.

Sex. Pompeij locus purgatur, in excuſis libris valde maculoſus: quo ſignificatur, qua in parte vrbis fuerit Seruilius lacus. cap. xxi.

Antiqua lectio loci Ciceroniani pro Milone conſtituitur: anteponendaq; peruulgatae oſtẽditur. c. xxij.

Quem intellexerit Cicero, cum in epiſtola obſcure quempiã vocauit Cynicũ conſularem. cap. xxiij.

Explicata elegans vox Ciceronis & facta quodammodo, de ſimilitudine, quae eſt inter legem, & magiſtratum: diſputatumq; de ſimili huic Simonidis ſententia: eodemq; pacto confirmata. cap. xxiiij.

LIBRI XXIII.

Explicatvs *locus Ariſtotelis in IX. libro ἠθικῶν: declaratumque longe aliud illic valere εἰς τὰ κάτω ἀποτείνειν, quam putarint interpretes.* cap. i.

Quaeritur an Horatius duobus locis expreſſerit grauem vocem, qua Hercules moriens apud tragicum virtutem accuſauit. cap. ij.

Collecti multi Ciceronis loci, apud grammaticos ſparſi, ex opere, quo vertit οἰκονομικὰ Xenophontis. cap. iij.

Quod Dolabella vocauit oſtentare, Lyſiam dixiſſe κομπάζειν: idemque alijs etiam Graecis verbis ſolitum ſignificari. cap. iiij.

Pluribus exemplis declaratur M. Varronem libenter hac translatione vſum: ſolitumque vocare res aliquas expertes animi filios aliarum rerum inanimarum, quod inde natae videantur. cap. v.

Diſputatur de duorum Graecorum verborum vi, vt videatur an verum ſit, quod praeter communem notionem quidam poſſe illa exiſtimauit. cap. vi.

Confirmata vetus lectio loci Ciceronis in epiſtola ad M. Brutum, vbi Solonis auctoritatem oſtendit. cap. vij.

Deletae maculae non nullae e ij. libro Ciceronis de legibus: quo loco de humatione diſputat. ca. viij.

Veteres vſurpaſſe aliquando animal proinde, ac beluam tantum valeret: vt nos quoq; capere vulgo conſueuimus. cap. ix.

Voces, quas decantari filijs ſolitas ab auaris patribus docuit Flaccus, oſtenduntur etiam in vſu Graecorum fuiſſe. cap. x.

Grauis ſententia Salluſtij, quae admirabilis eſt, oſtenditur e Graeco expreſſa. cap. xi.

Verba antiqui poëtae, quae exempli loco ponuntur a Cicerone, declarantur apud auctorem ipſum pronuntiata fuiſſe a Medea. cap. xij.

Notati duo turpiſſimi lapſus magnorum duorum in litteris virorum. cap. xiij.

Diſputatur de acuta voce Graeci hominis, qui poëtarum phantaſias vocauit vigilantium ſomnia. cap. xiiij.

Cum Cicero μεταφορικῶς principia orationũ vocauit Veſtibula, & Aditus, declaratur Graecos quoq; verbis, quae his reſpondent, vſos in eadem paene re oſtendenda. cap. xv.

Clarus Plutarchi locus, qui, errore magno imperitorum, deformatus erat, reſtitutus. cap. xvi.

Celeritas itineris μεταφορικῶς appellata verbo illo, quod proprium eſt auium, & a Graecis, & a Latinis ſcriptoribus. cap. xvij.

Quid valeat σφῦξαι τινὲς in domeſtico illo vernaculoq; ſermone: quod etiam verbo συγγενέσθαι oſtendebatur. cap. xviij.

Quod Plato multis locis, inquit, τὸ σὸν μέρος, Varronem dixiſſe pro ſua parte. cap. xix.

Videri Horatium, cum liquidam vocauit aquam, imitatum eſſe conſuetudinẽ Graeci ſermonis. ca. xx.

Emendati duo Plutarchi loci e libro, quem inſcripſit. ὅτι οὐδὲ ζῆν ἐστὶν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον. cap. xxi.

Quod Cicero in oratione quadam μεταφορικῶς inquit, Terram intueri, idem etiam in alio perfugio alicuius mali eadem ratione ſuis verbis Graecum hominem dixiſſe. cap. xxij.

Explicatus familiaris hic modus loquendi Soli ſumus: qui oſtenditur in conſuetudine etiam Graecorum fuiſſe. cap. xxiij.

Diſputatum de modo quodam loquendi, frequenti in Graeco ſermone: quaeſitumq; an M. Varro eum expreſſerit. cap. xxiiij.

LIBRI

INDEX

LIBRI XXIIII.

QVID Eritius ſit apud Caeſarem declaratur: diſputaturq; de ſomno Epimenidis Cretenſis, qui dormiendo ſenex eſt factus. cap. i.
Emendati duo loci Ciceronis in oratione pro A. Cluentio, ope antiqui libri. cap. ij.
Quae ſit auis a Graecis olim vocata Iynx: quomodoque a nobis appelletur. cap. iij.
Vt M. Antonius lucrum μιτωφιμιῶς dixit. ita Platonem, quod reſpondet huic, Graecum verbum eodem pacto vſurpaſſe declaratum. cap. iiij.
Reſtitutus locus in oratione in L. Piſonem: indicataq; ſententia Lyſiae ſimilis Ciceronianae illi. cap. v.
Philippeum videri quoque vocatum potionis genus non ſolum nomiſma hoc nomine appellatum. cap. vi.
De ſtudio Romanorum hominum in cuſtodienda mulierum pudicitia. cap. vij.
Emendatum verbum in oratione pro Q. Ligario, quo loco morem C. Caeſaris exponit in ſalute aliquibus danda. cap. viij.
Athletas vocatos μιτωφιμιῶς & a Graecis & a Latinis ſcriptoribus, qui in ſingulis ſtudijs & artibus alijs antiſtarent. cap. ix.
Diſputatur accurate de integritate Graeci verbi, in Topicis Ciceronianis. cap. x.
Indicatus Polybij locus apud Athenaeum, quo commemoratur id, quod narrauit Liuius de amore Antiochi: remiſſioneque publicarum omnium curarum, eo ipſo tempore quo maxime intentum illum eſſe bello, a ſe excitato, oportebat. cap. xi.
Polybium ante Salluſtium dixiſſe Imperium iiſdem artibus retineri, quibus initio partum eſt. cap. xij.
Exponitur coniectura quaedam, qua emendauit locum in libello Demetrij περὶ ἑρμηνείας. cap. xiij.
Suetonij locus reſtitutus: qui valde in Graecis quibuſdam verbis deprauatus erat. cap. xiiij.
Ciceronem, quo loco differit de fabrica noſtri corporis: vtilitateque partium, videri multa ſumpſiſſe a Xenophonte. cap. xv.
Quod de Arceſila memoriae proditum eſt a Cicerone: iiſque, qui eius ſectam ſecuti ſunt, idem etiam de iiſdem oſtenditur commemoratum eſſe a Graeco ſcriptore. cap. xvi.
Corpus munitionum μιτωφιμιῶς omne illud opus a Caeſare in commentarijs vocatum: quod tamen verbum improbe illinc ab imperitis eiectum fuerat. cap. xvij.
Confirmata vetus lectio loci Ciceroniani: in quo olim reſtituto, puſilla adhuc macula reſtabat. ca. xviij
Quaeritur quid valeat in primo de natura deorum Cheſippus, quo nomine contumeliae cauſa illic traditur vocatus ſemper Chryſippus a Zenone Epicureo. cap. xix.
Confirmata vetus lectio Ciceroniani loci, quo ſimili vtens, praecepit quid ſeruare nos oporteret in nouis amicitijs inſtituendis. cap. xx.
Locus Dionis hiſtorici purgatus: collata omni illa re, quae illic narratur cum eo, quod de eodem a Cicerone traditum eſt. cap. xxi.
Grauis diſputatio de ducenda vxore, quae apud Plautum habetur, oſtenditur a Platone profecta. cap. xxij.
Collata Ciceronis ſententia cum ſententia Iſocratis ob ſimilitudinem: ambo enim eodem modo clariſſimos viros ornarunt. cap. xxiij.
Teſtimonium Ariſtotelis e libro problematum citatum a Plutarcho, apud auctorem ipſum monſtratum: ac de illa re diſputatum. cap. xxiiij.

LIBRI XXV.

PVRGATVS locus in Athenaeo coniectura e cum macula, quae inſederat moleſta eſſet, ac veterem hiſtoriam perturbaret. cap. i.
Explicata Virgilij mens, quum iram Iunonis memorem appellauit. ac propinqua illius ſententia auctoritate tragici poëtae confirmata. cap. ij.
Oſtenditur grauem ſententiam T. Liuij, editam illic a legato Carthaginienſi, acceptam fuiſſe a Demoſthene. vt aliam proxime vicinam a Thucydide. cap. iij.
Pliniani loci, quo inſimulat Graecos poëtas, pars illa, qua reprehendit Euripidem & Apollonium, quod duabus in rebus ambo lapſi ſint, ponderata: ſubtiliſque ratio, ſi non omnino vera, vtrumque a mendacio vindicandi excogitata. cap. iiij.
An recte immutatum ſit herbae nomen in Culice Virgiliano, videriq; peruulgatam eius loci lectionem mendo vacare. cap. v.
Collati inter ſe duo loci duorum poëtarum. quibus antiqua puerorum educatio: dura ſeueraque celebratur. cap. vi.
Locus Strabonis elegans: idem tamen ſubobſcurus, accurate ponderatus: in quo de conſuetudine, quam neceſſario ſecuti ſunt in diſputando veteres peripatetici agitur. cap. vij.
Naues cum hominibus captas, aut depreſſas dici ab optimis Latinae linguae auctoribus quas Graeci nunc iunctis duobus nominibus αὐτάνδρους: nunc ſeparatis, σὺν αὐτοῖς ἀνδράσιν dicebant. cap. viij
Emendatur locus Sex. Pompeij: ac quid pronuntiare ſoliti ſint Romani magiſtratus in ſontibus capitis condemnandis, traditum ab illo, declaratur. Cum mos hic maculis ſcripturae non obſcuratus tantū, ſed extinctus eſſet. cap. ix.
Diſtichon in antiquum cuſtodem hortorum explicatū quo turpis res honeſtis verbis petitur. cap. x.
Quae foret medicina Serapid. declaratum. cap. xi.
Quid ſui indicij ſit de auctore lepidi ingenioſiq; carminis, quod legitur inter luſus in Priapum. cap. xij.
Falſo nunc exiſtimari Ariſtotelem auctorem libri περὶ κόσμου ad Alexandrum: videriq; id opus eſſe Nicolai Damaſceni, magni peripatetici. cap. xiij.
In Graeco quoque ſermone vſurpari ſolitum quiddam, quod apud nos fertur: vimque prouerbij habet. cap. xiiij.

Mos

CAPITVM.

Mos veterum explicatus, ſortes in vrnam aquae plenam, conjiciendi: & ex qua materia ipſae fierent declaratum. cap. xv.

Signa quaedam inſaniae, quibus vtitur apud Plautum medicus, declarata. cap. xvi.

Teſtimonio etiam Graeci ſcriptoris declarari, quod memoriae prodidit Cicero, magnopere diſplicuiſſe Ariſtoteli inſcriptionem ſepulchri Sardanapali. cap. xvij.

Eodem pacto auxiſſe diuerſae victoriae magnitudinem duos magnos ſcriptores. cap. xviij.

Deleta puſilla macula, quae reſtabat initio V. libri de finibus cum prius magis adhuc deprauatum locum cum correxiſſet. cap. xix.

Naturae aptum & accommodatum, quum dixit Cicero: nec non, quod per ſe appetitur, intellexiſſe πρῶτον οἰκεῖον, & αἱρετὸν a Graecis vocatum. cap. xx.

Integer ſanguis a Virgilio Plautoque dictus iis eſſe, quos validos florenteſque viribus oſtendere voluerunt: eleganſque locus Aeſchinis oratoris indicatus, quo ſanguine carere Demoſthenem dixit, cum ignauum eum ac nullius animi, oſtendere vellet. cap. xxi.

Qui ab Ariſtotele traditus eſt fuiſſe ita hebeti oculorum acie, vt ante oculos ſemper imaginem ſuam cerneret, et tanquam ſibi ipſi occurreret, non fuiſſe Antipherontem Oritem vt putatur. ca. xxij.

Diſputatur de eleganti translatione, qua Virgilius motum alarum in auibus remigium dixit, oſtenditurque Aeſchylum quoque in tragoedia eandem metaphoram vſurpaſſe. cap. xxiij.

Aliter cepiſſe cubitum Latinos quam πῆχυν Graecos cum menſuras haec nomina in vtraque lingua valent: notataque alia non nulla cognitione digna. cap. xxiiij.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Diuerſum Dionyſii cauillum, ab eo quod retulit Cicero, in defendendo ſuo quodam ſacrilegio.

CAP. I.

CVM in extremo iij. libro de natura Deorum M. Cicero Dionyſij, Syracuſarum tyranni, ſcelus atque impietatem oſtenderet, qui furtis turpiſſimis fanorum, contemptum etiam Deorum immortalium addebat & in nefaria re iocabatur; in aliis multis hoc poſuit. Iam menſas argenteas de omnibus delubris iuſſit auferri, in quibus quod more veteris Graeciae inſcriptum eſſet, BONORVM DEORVM vti ſe eorum bonitate velle dicebat. Luſit igitur ille, ſi Ciceroni credimus, in cognomine Deorum illorum: atque ita furtum improbiſſimum texit: bonorum enim proprium videtur eſſe iuuare mortales. Athenaeus qui in xv. libro δειπνοσοφιστῶν. idem commemorauit, ac facto illo impio impuriſſimi hominis veterem ritum illuſtrare voluit, in alio cauillatum ipſum fuiſſe ſignificat: cum enim moris eſſet vt in conuiuiis, poculo boni daemonis circumlato, menſae tollerentur, narrat Dionyſium Aeſculapio, in cuius fano res acta eſt, poculum hoc ipſum propinaſſe: ſtatimque menſam tolli imperaſſe, tamquam antiqui moris retinendi ſtudioſus: antea namque Athenaeus recitarat Nicoſtrati comici carmen, in quo moris huius tollendi menſas, epoto poculo boni daemonis, mentio fiebat. Verba eruditi ſcriptoris haec ſunt. Ὅτι δὲ διελόντες τὰς τοῦ ἀγαθοῦ δαίμονος κράσεις, ἔθος ἦν βαστάζεσθαι τὰς τραπέζας, δηλοῖ διὰ τῆς αὐτοῦ ἀπιστίας ὁ Σικελιώτης Διονύσιος· τῷ μὲν γὰρ Ἀσκληπιῷ ἐν ταῖς Συρακούσαις ἀνακειμένας τραπέζας χρυσᾶς, προπιὼν αὐτῷ ἄκρατον ἀγαθοῦ δαίμονος, ἐκέλευσεν βασταχθῆναι αὐτὰς τραπέζας. Cum autem Cicero certos quoſdam auctores ſequi potuerit, qui aliter rem tradiderant, aut ipſe etiam id comminiſci, quod ab Athenaeo traditum eſt, eruditius videtur: declaratur enim illo vetus mos. Praeterea diſcedit non nihil a veritate illarum inſcriptionum Cicero, qui in multitudinis numero BONORVM DEORVM interpretatus eſt, cum in menſis ſingulari ἀγαθοῦ δαίμονος inciſum foret. Sed etiam δαίμων aliud illic valere videtur, non deus. Et ſane δαίμονας aliam quandam naturam a diuina aliquantulum diſcrepantem, habere credebantur, vt alia nunc diſcrimina omittam, quae inter Ciceronis, & Graeci ſcriptoris narrationem verſantur. Non legitur autem ſuperior Athenaei locus in excuſis adhuc libris, ſed deſideratur, vna cum infinitis aliis ſententiis. Acceptus vero eſt a me ex antiquo exemplari, quod in Medicea bibliotheca ſeruatur: in xv. enim libro, vbi formis impreſſi aduotatum habent, deeſſe multa, defecerunt plures paginae. Lapſus autem videtur vir valde doctus, qui, cum in Prouerbiis moris huius meminiſſet; originemque eius oſtendere vellet; inquit. Xenodotus, & Ariſtophanis interpres oſtendit prouerbium hinc eſſe natum, quod olim, peracto conuiuio: ſublataque menſa, meracum inferri ſolitum eſt: iſque calix ἀγαθοῦ δαίμονος, ideſt boni genij appellatur. Huius commenti auctorem citat Theopompum interpres Ariſtophanis in Veſpis. Neque enim ſublata iam menſa interpres ille dicit hoc fieri morem fuiſſe, ſed antequam tolleretur, cum ſtatim hoc facto illa auferri deberet. Verba eius haec ſunt. ἔθος δὲ ἦν ἐπειδὰν μέλλῃ ἡ τράπεζα αἴρεσθαι ἀγαθοῦ δαίμονος ἐπιρροφεῖν ὡς ... Crebro

vero tangit inſtitutum hoc: appellatque vinum vel poculum ἀγαθοῦ δαίμονος Ariſtophanes. nam verſus eius poëtae illo loco hic eſt. μηδέποτε πίοιμ' ἀκράτου μισθὸν ἀγαθοῦ δαίμονος pronunciatus a Philocleone, quem inducit, ſi feciſſet aliquid, ita precantem. Adiungere etiam liber io bis, quae olim ab Aldo habita fuere ſcriptis Ariſtotelis inchoatis, de diſciplina domeſtica, idem legi, in quo tamen varietatis hoc eſt, quod primum narratur illic, ſacrilegum hominem mandaſſe Diis illis, vt ingererent, quod benigne pollicebantur, poſt quod ſtatim praecipiebat ſuis, vt auferrent ea pocula.

Locus e commentariis C. Caeſaris correctus: partim ope antiquorum librorum: partim opinione.

CAP. II.

SI QVIS excuſos libros cum calamo exaratis conferet, animaduertet profecto locum hunc C. Caeſaris e primo libro de bello ciuili contaminatum eſſe, ita communis lectio a veſtigiis antiquioris diſcrepat: cum enim formis impreſſi habeant. Profectum item Domitium ad occupandam Maſſiliam nauibus actuariis vij. quas Sicilia & Sardinia a priuatis coactis ſeruis libertiſque colonis ſuis compleuerat. in ſcriptis legitur. Quas Sicilia & in Caſano a priuatis coactas, ſeruis, libertis, colonis ſuis compleuerat. non omnino purgato loco, multo minus tamen inquinato, & vna tantum macula relicta: nam ſi immutato ordine duarum litterarum Coſano legas, locus, vt arbitror, integer & ab omni labe vacuus erit: intelligit enim agrum Coſanum, vbi L. huius Domitij poſſeſſiones erant: & in quo ille hoc tempore, hoc ipſum occulte agens, manebat: vt teſtimonio quoque Ciceronis cognoſcitur, qui in ix. libro epiſtolarum ad Atticum inquit. Domitius (vt audio) in Coſano eſt. & quidem paratus ad nauigandum. Et in eodem libro poſt. De Domitio, vt ſcribis, ita opinor eſſe, vt & in Coſano ſit: & conſilium eius ignoretur. Appellatum vero Coſanum a Coſa oppido, conſtat: cuius Caeſar in iij. eorum librorum meminit his verbis. Coſam in agro Turino oppugnare coepit. Loquitur autem de Milone, qui bellum in Italia excitare conatus eſt. Vitium illius lectionis declarat quoque interuallum locorum. Quid enim L. Domitio cum Sardinia, in illis locis manenti? nam Sicilia obiecta ei terrae ac propinqua eſt: Cetera item, quae immutata ſunt, melius leguntur in antiquis exemplaribus: naues enim coactas vult, non ſeruos. Hoc ipſo autem genere militum vti quandoque Romanos homines huiuſcemodi temporibus conſueſſe declaratur quoque teſtimonio Salluſtij de bello Catilinae: de exitu namque eius imperatoris loquens, ait. Ipſe cum libertis & colonis propter aquilam aſſiſtit. Domitium vero magnam vim eorum ſecum habuiſſe, teſtatur Caeſar infra hoc ipſo libro, his verbis. Certas ſibi depoſcit naues Domitius: atque has colonis paſtoribuſque, quos ſecum eduxerat, complet.

Illuſtris Homeri ſententia, qua ſcelus importunitatemque eorum exagitauit, qui ciuili bello delectantur, expreſſa in oratione Ciceronis.

CAP. III.

VSVS eſt aliquando Cicero locis quibuſdam poëtarum: ſententiiſque grauioribus inde ſumptis, cum id nemo expectaſſet: Nec Latinorum tantum, ſed Graecorum quoque poëtarum: erat enim mirum in modum ſtudioſus eorum ſcriptorum: nec flores tantum ex illis, leporeſque, verum etiam argumenta firma, atque ad id quod agebat, confirmandum valde accommodata decerpebat. Vt alios autem nunc relinquam, initio xiij. Philippicae, cum pacem illam diſſuadere vellet, de qua tunc agebatur: metuens ne in odium ciuium incideret, parumque aequis auribus audiretur, vſus eſt προθεραπείᾳ: conſtituitque prius diligenter & conſilium illud, quod toto pectore fouebat: & perſonam ſuam, acriter accuſans vniuerſos illos, qui belli ſtudiis caperentur: praecipue autem ciuilis: vt alienus penitus ab illis conſiliis videretur. in hoc enim loco peragendo manifeſto expreſſit Homeri ſententiam, quam in viiij. libro Iliadis affinxit ſapientiſſimo ſeni Neſtori, leniter reprehendenti orationem Diomedis, cum ipſum primum magnopere laudaſſet: oſtenderat enim ille ſe nimis cupidum eſſe bellandi. Vniuerſe igitur accuſaua illos, qui huius animi ſotent, vt bello ciuili delectarentur, inquit. Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος, Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος. Verba vero Ciceronis haec ſunt. Nam nec priuatos focos, nec publicas leges videtur, nec libertatis iura cara habere, quem diſcordiae, quem caedes ciuium, quem

bellum

bellum ciuile delectat: Ordinem tamen diuerſum ſequitur, vel contrarium potius: quod enim tertium eſt poëtae verbum, primis ipſe vertit: ſecundum autem ſequentibus. primum reddere atque exprimere non curauit: quod (vt arbitror) non reſponderet moribus atque inſtitutis Romanorum: ſed pro illo inquit libertatis iura cara non habere. Nec tamen exquiſite cuncta interpretari neceſſe eſt, cum huiuſcemodi loci vertuntur: atque in oratione, ſcriptione aliquo ſimili includuntur: Sed illa tantum, quae illic quadrent, tempuſque illud adiuuent. Eſt autem ſententia haec Homerica valde celebris, ac grauium auctorum monimentis commendata, vt ab Ariſtotele quoque in primo libro de Rep. Sed Ariſtophanes etiam ὑέῳ τῃ ſua ambos hos verſus poſuit.

Purgatus locus in oratione pro Archia poëta.

CAP. IIII.

VERBA haec Ciceronis e Liciniana turpi macula deformata ſunt in excuſis libris: ita vt ſententia vera inde elici nulla queat. Nam ſiquis minorem gloriae fructum putat ex Graecis verſibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat: propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus: Latina ſuis finibus, exiguis ſane, continentur. quare ſi res eae, quas geſſimus, orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus quo minus, manuum noſtrarum tela peruenerint, eodem gloriam famamque penetrare. Quis enim, qui accurate attendat, non videat tollendam inde eſſe particulam minus: quae officit huic ſenſui: argumentumque totum diſturbat. abeſt autem illa a pluribus, quos vidi, ſcriptis libris, e ſimilitudineque conſequentis vocis, vt puto, conformata eſt, cum imprudens librarius aliquis illic peccaſſet: nec perperam exſcriptam vocem poſtea deleſſet. Vis omnis argumenti haec eſt. Cum enim conſtet Graecam linguam magis patere quam Latinam: atque omnes paene terras peragraſſe: noſtra autem arma factaque peruagata ſint vniuerſum orbem, videmur optare debere, vt ipſe inquit, quo manuum noſtrarum tela peruenerint, eodem gloriam famamque penetrare. Hoc eximie praeſtare poteſt Graecus ſermo: Latinus nullo pacto. Quare ſonendus eſt, omnique honore afficiendus Licinius, qui ea lingua poëma pangit: ac fortia noſtra facta celebrat.

Magnitudo malorum vocem etiam eripit graues iniurias paſſis: nec ſinit eos libere queri, qui etiam videntur id ſine periculo facere poſſe.

CAP. V.

DEMOSTHENES cum improbitatem Midiae ſignificare vellet: & quam contumelioſus importunuſque ciuis foret, oſtendere, docuit Stratonem graui iniuria ab ipſo affectum, ne in iudicio quidem audere quicquam contra illum loqui: &, quam male acceptus ab eo eſſet, aperire. tanta vis timoris eum oppreſſerat: tamque firma memoria in animo ipſius impotentiae Midiae adhaeſerat. a ſilentio igitur illo Stratonis, innocentis ciuis, inuidiam facere Midiae voluit: culpamque ipſius augere. Quod tamen ſilentium aliam radicem habere potuit, & a timiditate animi, aut infantia proficiſci. Verba Graeci oratoris haec ſunt. Καὶ ὅμως οὐδὲν ἐξειργασμένος, ἔστιν καὶ σιωπῇ, οὐ μόνον τῶν ἄλλων ἀφῄρηται τῶν κοινῶν ἐπιτιμίων, ἀλλὰ καὶ τὸ φθέγξασθαι ἢ ὀδύρασθαι: καὶ οὐδ' εἰ δίκαια ἢ ἄδικα πέπονθε, οὐδὲ ταῦτ' ἔξεστιν αὐτῷ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν. Hunc autem locum videtur imitatus in augenda, ante oculoſque omnium ponenda Arioniſti crudelitate Caeſar, aut rem ipſam, vt erat, narrauit; habituſque animi Sequanorum ſimilis fuit habitui Stratonis. Non ſine cauſa tamen accurate Caeſar id commemorauit: eſt enim vehementer aptum ad patefaciendam immanitatem regis. iuſtumque ac neceſſarium bellum illatum illi eſſe declarandum: cui rei ſtudioſe ipſe incumbebat, ne videretur amicum populi R. regem, ſine vlla neceſſitate, bello laceſſiſſe. Scripta autem Demoſthenis Romae adoleſcentes, qui orandi ſtudio tenebantur, accurate legebant: ac trita admodum familiariaque habebant. Nam alios etiam locos in commentariis illis diſertum eruditumque illum virum vertiſſe e Graecis ſcriptoribus, poëtiſque, olim in aliis libris indicaui. ita igitur inquit. Animaduertit Caeſar vnos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas ceteri facerent, ſed triſtes, capite demiſſo, terram intueri. Eius rei quae cauſa eſſet miratus, ex ipſis quaeſiuit. Nihil Sequani reſpondere, ſed in eadem triſtitia permanere. Cum ab iis ſaepius quaereret: neque vllam omnino vocem exprimere

 poſſet,

poſſet, idem Diuitiacus Heduus reſpondit: Hoc eſſe miſeriorem & grauiorem fortunam Sequanorum, quam reliquorum, quod ſoli ne in occulto quidem queri, neque auxilium implorare auderent: abſentiſque Arioniſti crudelitatem, velut ſi coram adeſſet, horrerent.

Deleta macula ex oratione Ciceronis: ſimulque correctus locus in epiſtola ad Q. fratrem, qui immutatione eiuſdem Latinae litterae deprauatus erat.

CAP. VI.

MENDVM, (vt opinor) occupauit locum hunc Ciceronis e iij. Philippica: quod tamen coniectura (niſi fallor) ſatis tuto tolli poteſt, quamuis ratio haec corrigendi veteres auctores lubrica ſit, ſaepeque maius aliquod incommodum gignat. Facilius autem ita exiſtimari poteſt, quia eodem modo multis aliis in locis peccatum eſt: ſimilitudo enim litterarum fraudi fuit. Ita igitur nunc in excuſis omnibus ſcriptiſque, quos vidi libris legitur. Cuius quidem ego (intelligit autem libertatem) quoad potui, non modo defenſor, ſed etiam conſeruator fui. Cum autem id facere non potui, qui fui? Nec abiecte, nec ſine aliqua dignitate, caſum illum temporum & dolorem tuli. Legi autem debet meo iudicio, quieui; errore librariorum mutata littera, quae in antiqua ſcribendi ratione valde ſimilis erat. Infra in hac ipſa oratione, cum eundem locum vrgeret, inquit. Hoc feci ſemper dum licuit: intermiſi quoad non licuit. quod etiam emendationem hanc adiuuat. Quis autem non videt ex ea lectione commodum nullum ſenſum elici poſſe: ex hac vero, leuiter immutata, praeclarum? ſententia ita reſtituto loco, adeo plana eſt, vt nulla explicatione egeat. Potius oſtendendum eſt in eodem verbo eodem modo alibi peccatum: quod & opinionem meam confirmabit, & lucem, tenebris inuoluto loco, adportabit. In graui enim illa epiſtola ad Q. fratrem de ratione regendae prouinciae, cum legatur. Apud quem primus lictor qui fuit: tacuit accenſus. corrigi puto debere. primus lictor quieuit: vt ſignificet faciles aditus ad Octauium fuiſſe: poteſtatemque omnibus ſemper datam, qui eum adiſſent, vt accurate cauſam ſuam exponerent. quod non licet apud multos: nam exturbantur a miniſtris, tacereque iubentur. Coniunxit autem multis locis duo haec verba Cicero. eorum namque vis notioque vicina eſt. Pro P. Seſtio. Si qui fecerunt aliquid aliquando, atque iidem nunc tacent & quieſcunt, nos quoque ſimus obliti. In ij. Philippica. Ecce Dolabellae comitiorum dies: ſortitio praerogatiuae? quieſcit, renuntiatur: tacet.

Modus loquendi familiaris Latinis, communis ipſis cum Graecis ſcriptoribus.

CAP. VII.

ELEGANS illa familiariſque locutio, qua vſus eſt Aeſchinus Adelphis, expreſſa videtur a Graeco ſermone. Crebra autem erat in eo, quamuis aliquantulum verba illi variarent, cum ſententia tamen eadem foret. Cum igitur Aeſchinus iudicium patris accuſaret duriterque id atque immiſericorditer ab eo factum diceret, rationem eius rei reddens, quaerenti Mitioni, inquit: quid illi tandem creditis fore animi miſero, qui cum illa conſueuit prius. ſignificare autem his verbis voluit infelicem admodum ac miſeram condicionem amatoris, qui erepta ſibi amica: in aliaſque terras aſportata, ſe vndique perditum ac ſpoliatum omnibus bonis exiſtimabit. Suſpicari igitur poſſumus ita fuiſſe apud Menandrum. τίνα οἴει ψυχὴν ἔχειν. Cum autem ſcripta eius perierint, teſtimoniis optimorum auctorum ita eos loqui ſolitos confirmabo. Demoſthenes enim in oratione contra Aphobum ait. τίνα οἴεσθε αὐτὴν ψυχὴν ἔχειν, ὅταν ἐμὲ ἴδῃ, μὴ μόνον τῶν πατρῴων ἀπεστερημένον, ἀλλὰ καὶ προσητιμωμένον. Sed etiam ad Polyclem. τίνα μ' οἴεσθε ψυχὴν ἔχειν, ὦ ἄνδρες δικασταί. Quandoque tamen γνώμην pro ψυχὴν dicebant, vt Iſocrates in Trapezitico. τίνα οἴεσθέ με γνώμην ἔχειν. Apud Platonem, cum ſenſus paene idem ſit, καρδίαν eſt. Cuius etiam indicio percipimus modum hunc loquendi late patuiſſe, & per omnium ora peruagatum. Haec enim eius verba ſunt e vj. libro de Rep. cum de ratione ſophiſtarum loqueretur: ac, quantopere obeſſent adoleſcentibus, doceret. ἐν δὴ τῷ τοιούτῳ τὸν νέον, τὸ λεγόμενον, τίνα οἴει καρδίαν ἴσχειν: ideſt quomodo ſe continere poſſe: nec pati ſe abripi plauſu illo clamoreque multitudinis: neque enim hic dicitur de malis, aduerſiſque rebus alicuius. De ſaeuo quoque immiſericordique homine vſurpabantur hae voces, non de eo tantum, qui malis conſternatus eſſet: vt exemplo hoc Lyſiae, ab Halicarnaſſeo poſito in vita ipſius, intelligitur. ἔφη αὐτὸς ὁ γυνὴ τίνα

καρ

καὶ ἀρχὴν ἔχειν ἀξιοῖ πρὸς τὸν παῖδα τοιαύτῃ γνώμῃ χρῆσθαι. qui venuſtus ſcriptor in primis ſaepe ita locutus eſt, vt ex iis ipſius orationibus, quae reſtant, perſpicitur. Quod autem ſupra, contra ac nunc vulgo ſcribatur id nomen, Micioni dixi, non Mitioni, non temere id feci: in vetuſtiſſimo namque libro, qui fuit Petri Bembi, ita ſemper ſcriptum eſt: cui auctoritati accedit etiam, quod hoc nomen in conſuetudine fuit Athenienſium, & a comicis poëtis celebratum eſt. Alexis namque Epiclero, Micionis cuiuſdam, qui piſces Athenis vendebat, mentionem fecit, vt teſtatus eſt Athenaeus in vi. libro δειπνοσοφιστῶν. Apud T. Liuium quoque in xxxxiij. libro nomen hoc inueni. Micion enim ab eo appellatur vnus e legatis Chalcidenſium, Romam miſſis, princeps eius legationis: atque id duobus locis. in nomen autem illud numquam incidi: nec rationem ipſius afferri poſſe commodam puto.

Dira, plenaque odij ratio, qua quidam animum ſuum in vlciſcendis inimicis, ſatiarunt.

CAP. VIII.

VIRGILIVS, vbi inducit Priamum execrantem Neoptolemum, ob atrox ipſius immitemque factum, non accuſat hoſtem, quod filium necarit, ſed quod ante oculos ſuos eum obtruncarit: contemeraueritque aſpectum patrium caede filij: neque enim maior vllus dolor patri inuri poteſt, quam ſpectante ipſo filium necare: multo namque magis homines mouent, quae fieri vident, quam quae facta audiunt. Hoc etiam narrat feciſſe Cardianos in oratione contra Ariſtocratem Demoſthenes, cum Miltocythem Thracem, amicum Athenienſium, proditum Charidemo cum filio, ab ipſo vt poena afficerent, accepiſſent: auget enim crudelitatem Cardianorum: πάθος que mouet, docens eos non tantum ambos interfeciſſe, ſed nato ante oculos patris in nauicula iugulato, patrem poſtea in mare abieciſſe: atque ita & voluntati Charidemi ſatisfeciſſe, & animum ſuum impleſſe, quod eum qui fauebat rebus Athenienſium, quos ipſi male oderant, crudelem in modum interemiſſent. Verba ſummi oratoris, id exponentis, haec ſunt. Κἀκεῖνοι λαβόντες αὐτὸν καὶ τὸν υἱὸν, καὶ ἀναγαγόντες εἰς τὸ πέλαγος ἐν πλοίῳ: τὸν μὲν υἱὸν ἀπέσφαξαν: ἐκεῖνον δὲ, ἐπιδόντα τὸν υἱὸν ἀποσφαττόμενον, κατεπόντισαν. Idem etiam longe maiore in perſona: nec humili penitus animo muliere, ſignificauit Plutarchus, dum miſerum interitum Cleomenis, regis Laconum: ſociorumque ipſius, fortiſſimorum virorum, commemoraret. cum enim illi fruſtra magno facinore Alexandreae temptato, deſtituti iam ab omni ſpe, ſponte occubuiſſent, mandato regis Ptolemaei, a militibus Strateſiclea Cleomenis vxor cum filiis, ac reliquae Spartanae mulieres, captae ad ſupplicium ducebantur: generoſae autem ſtirpis femina ſatis conſtanter acerbum illum caſum tuliſſe tradita eſt: tantumque petiiſſe vt ante filios interficeretur. eum tamen ad locum muneribus illis deſtinatum, venerunt miniſtri regij, ſpretis precibus ipſius, primum liberos ſpectante matre necarunt: ſtatimque ipſam interfecerunt, quam ſolum in tanta acerbitate commemorat Plutarchus, conuerſis oculis ad natos, dixiſſe. Ὦ τέκνα ποῦ ἐμόλετε. Studuit autem grauis & eruditus ſcriptor locum ornare: ducereque non inferiores fuiſſe muliebres partes in ea fabula, quod adiungit, quam viriles: quamuis magnitudine animi pioque omni officio, viciſſe etiam fateatur Stratiſicleam Pantei vxorem, vnius e comitibus Cleomenis, quae virum in exilium inuitis parentibus ſecuta, malorum ipſius, calamitoſaeque necis, tenera adhuc aetate, particeps fuerit.

Graecus verſus inuentus, quem accuſator Deiotari regis obiecit ipſi, pronuntiatum ab eo fuiſſe, in aduerſis, vt putabat, C. Caeſaris rebus.

CAP. IX.

VIDEOR mihi repperiſſe Graecum verſum, quem accuſator Deiotari, in rebus C. Caeſaris malis: nec bonis etiam Pompeianorum, pronuntiatum fuiſſe a rege illo diceret. Vnde maniſeſto intelligi poſſe arguebat peſſimam ipſius voluntatem, qui aequo animo pateretur incommoda amicorum, vt eodem tempore damno afficerentur graui aliquo inimici. quod purgat Cicero. Nam ſententiam ipſius hanc fuiſſe, quae in eo eſt, quem deprehendimus, iudicatur a Cicerone, quamuis eum non exprimat, ſed poſitis hic eius verbis omnia planiora erunt. Itaque cum eſſet ei nuntiatum Domitium naufragio periiſſe: te in caſtello circumſideri, de Domitio dixit verſum Graecum eadem ſententia, qua etiam nos habemus Latinum. Pereant amici dum vna inimici intercidant. Eſt autem ille apud Plutarchum in commentario, quo diſputat de diſcrimine adulatoris & amici; neque enim ſe vllo modo probare dicit ſenten-

tiam eam, ἐῤῥέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ. Quare nolle vt aſſentatorem tollat, iacturam facere amici: idem igitur paucis his Graecis verbis, quod pluribus illis Latinis, ſignificatur. Accurate autem animaduertenda eſt vis verbi ἐῤῥῶσθαι: cum enim idem valere putetur, quod χαίρειν (vnde multis locis Demoſthenes inquit ἐῤῥῶσθαι λέγειν, vel φράζειν, cum id oſtendere vellet, quod his etiam verbis ſignificabatur, πολλὰ χαίρειν. Nam & in v. Philippica, quae nunc inſcribitur de pace, inquit. ἐγὼ δὲ τούτοις μὲν ἐῤῥῶσθαι λέγω. Et pro Cteſiphonte. ἐῤῥῶσθαι φράσας πολλὰ ταῖς κρίσεσι. Vt exempla praeteream, quibus vſus eſt in hoc tradendo Budaeus) veteres tamen quidam grammatici affirmabant, ἐῤῥεῖν valere, μετὰ φθορᾶς ἀπελθεῖν. quod hic mirifice quadrat. Quare cum idem ſermo ſuperior exiſtimetur valere, quod alter, quem indicaui, poteſt a contraria ratione ſumptus eſſe: nam cum aliquos etiam, faceſſere a nobis iubentes, dicimus illis πολλὰ χαίρειν, non optamus ipſis boni aliquid, ſed vtentes verbis, quibus vtimur cum aliquas caras perſonas dimittimus, oſtendimus cupere nos vt abeant. Cicero aliquando verbis Latinis vſus eſt, quae his Graecis reſpondent, ſi capiatur ἐῤῥεῖν, pro valere tantum, non cum pernitie & interitu abire, vt cum inquit in epiſtolis ad Atticum. Sed valeant recta, vera, honeſta conſilia. &c. Multam ſalutem dixi. valuiſſe autem hoc ipſum etiam ἐῤῥεῖν indicatur illo, quod conſuetudo erat Graecorum in extremis litteris ponere ἔῤῥωσο, vbi Latini homines, vale.

Qui ſint accipiendi Pelaſgi apud Ciceronem in II. de Finibus.

CAP. X.

FALLIT multos quos vocarit pelaſgos M. Cicero in ij. libro de Finibus bonorum & malorum, cum inquit. Itaque vt maiores noſtri ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, vt dictator eſſet, ſic vos de pelaſgis omnibus colligitis bonos illos quidem viros, ſed certe non pereruditos: neque enim hic valet id nomen, quod plaerunque ſolet, gentem quandam Graecorum. Hoc igitur, quod ſatis obſcurum fuiſſet, aperit Stephanus, qui de vrbibus ac nationibus ſcripſit. docet enim Pelaſgos vocitatos a Graecis, qui Italiam incolebant, illos, quorum opera vterentur in agris colendis: eum ruſtici homines, & qui eo ſtudio alerentur, diuerſis nominibus ab aliis gentibus appellarentur. Primos autem tradit Chios (de illorum enim vrbe tunc agebat) vſos eſſe mancipiis, vt Lacedaemonij, iis, quos Ilotas vocabant: & Argiui Gymneſiis: Sicioniique Corynephoris: Italiotae Pelaſgis: Cretes autem Dmoitis: Nec deerant etiam, qui genus hoc hominum vocarent Peneſtias, pauperes enim hoc duro munere fungebantur, alij quoque Dulias, quia ſine ſerui erant apud eos, qui colerent agros, aut, tamquam mancipia habebantur. haec enim omnia nomina erant generis hominum in ſubigendis glaebis occupati. Reſpondet igitur egregie notio haec ſententiae Ciceronis, vt nullo negotio quilibet intelligere poteſt. Epicuri autem diſciplina ita fuſa erat, vt non ciuitates ſolum, Graeciae, Italiaeque, verum etiam agros peragraſſet; & omnem barbariam, vt idem eodem libro teſtatus eſt, commouiſſet.

Quid valeat ex Hymnide apud Ciceronem in II. libro de finibus:

CAP. XI.

HYMNIS fabula fuit Menandri, quam Latinam fecit Caecilius. Eius igitur teſtimonio vtitur Cicero in ij. libro de Finibus, exemplo illo docens extare nonnullos, etiam idiotas homines, qui penitus metu mortis liberi ſint: ipſamque omnino contemnant. inquit enim. Deinde ita mortem non timentes, vt illud in ore habeant ex Hymnide. Mihi ſex menſes ſatis ſunt vitae: ſeptimum orco ſpondeo. Et Sudas autem, & Athenaeus, Menandrum ὑμνίδι citant. Nam fabulam hanc vertiſſe in Latinum Caecilium teſtatur Nonius, qui pluribus locis auctoritatem inde petit. quamuis nomen hoc apud eum (niſi fallor) corruptum ſit, vbi vim verbi blaterare declarat: ſic enim legitur in excuſis. Caecilius Hymnis. Deſine blaterare: nihil agit in amore inermus. ipſe autem puto legi debere. Hymnide. Sine blaterare. nam quod apud Sex. etiam Pompeium impreſſi habent in explicatione verbi Prodigere. vt Caecilius Hymnis, in antiquiſſimo eſt. Caecilius Hymni. Quod vero ad ſententiam eius verſus pertinet, idem quoque iiſdem verbis pronuntiarat in ſatyra Lucilius, accuſans eos, qui ventris ac gutturis vitio dediti ſunt. hic enim ipſius verſus adducitur ab eodem grammatico e xxvi. libro. Qui ſex menſes vitam ducunt: orco ſpondent ſeptimum.

Eadem

Eadem ſententia inuenta apud duos ſummos oratores, Ciceronem ac Demoſthenem: quorum alter ipſa premere reum voluit: alter delatores criminari, quibus nihil perditius eſſe affirmabat.

CAP. XII.

QVAE magnam inuidiam ipſi fecit, odioſam nefariamque vocem attribuit C. Verri Cicero in ij. libro accuſationis: editam, vt exiſtimari voluit, ab eo in Sicilia, tunc, cum prouinciam diriperet, quaſi iam tum ille ſibi proſpiceret ac remedium quaereret ſuae damnationis. vnde tamen in plures iniuria peruagaretur: ea autem haec eſt. Qui ita dictitat, iis eſſe metuendum, qui quod ipſis ſolis ſatis eſſet, ſurripuiſſent: ſe tantum rapuiſſe, vt id multis ſatis eſſe poſſit. Idem autem protulit in oratione contra Theocrinem Demoſthenes, cum contra indices, delatoreſque diceret: atque id genus hominum pernitioſiſſimum omnium eſſe affirmaret: refellens enim id, quod eorum ſtudium videtur comprobare: id autem erat, quod ſontes improboſque ciues punirent: eorumque opera pauciores huiuſcemodi inuenirentur, inquit. Nullo modo res hoc pacto ſeſe habet iudices, ſed contra longe pluſes, atque importuniores extant: qui namque cogitant aliquid mali facere, ſcientes his partem pecuniarum dandam, quas abſtulerint, neceſſario plura in animum inducunt rapere, vt non ſolum ſibi ipſis, verum iis etiam poſſint ſuppeditare. Verba Graeci oratoris haec ſunt. τί γὰρ ἄν τις τούτους εὕροι χρησίμους ὄντας τῇ πόλει; οὐκ ἀδικοῦντας τὰ δίκαια οὕτω κολάζοντες, καὶ διὰ τούτους ἐλάττους εἰσὶν ἰδεῖν τοὺς δοκοῦντας ἀδικεῖν. ἀλλὰ καὶ πλείους: εἰδότες γὰρ οἱ βουλόμενοι κακόν τι πράττειν, ὅτι τούτοις ἀπὸ τῶν λημμάτων τὸ μέρος δώσουσιν, ἐξ ἀνάγκης μείζω προαιροῦνται παρὰ τῶν ἄλλων ἁρπάζειν, οὐχ ἵνα μόνον αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ τούτοις ἔχωσιν ἱκανόν. Vt autem vere id potuit a turpiſſimo viro, maximoque fure pronunciari, quod narrat Cicero: ita potuit a Cicerone, quod vulgo ferebatur, illique perſonae quadrabat, Verri falſo, accuſatorio more, aſſignari.

Notata ranarum natura multis modis a Graecis, quae potu aquae delectaretur: quam ipſi maxime oderant.

CAP. XIII.

APVD Athenaeum in x. libro δειπνοσοφιστῶν carmen Pherecratis comici legitur, in quo reprehendit quidam puerum, vini miniſtratorem, quod nimium aquae ingeſſiſſet, ac vini ipſius vim penitus perdidiſſet, lepide dicens, oportere illum ranis miſcere. verba, quibus maledicit puero, haec ſunt. ὃ ἐξ' ἐς κέρασας: βατράχοις οἰνοχοεῖν σε δεῖ. Praeterea in vi. eiuſdem operis Ariſtophontis plures verſus citantur, in quibus inducitur quidam, qui ſibi gloriae ducit, quod patientiſſimus eſſet eorum malorum, quae ceteri mortales ſummo ſtudio fugerent, atque in illis tolerandis nulli cederet, in ipſis fortiter ſuſtinendis praeſtantium habitorum. in quibus malis etiam poſuit ſe in aqua bibenda: vinoque non guſtando, ranam eſſe. Videtur autem ille diſciplinam Pythagorae ſectamque ſecutus: vnde fabula ipſa, in qua incluſi erant, πυθαγορισταί nomen habuit. Initium eius carminis eſt. Πρὸς μὲν τὸ πεινῆν, ἐσθίειν τε μηδὲ ἕν, Νόμιζ' ὁρᾶν Τιθύμαλλον ἢ Φιλιππίδην: Ὕδωρ δὲ πίνειν, βάτραχος: Et quae ſequuntur. Subtilis igitur gens, & quae vino in primis delectabatur, viderat, quae potiſſimum animans contrariam ea parte vitam ſequeretur: ac quod ipſi toto animo expeterent, odio haberet: nam cum in terris degere poſſet, aquam ſedem ſibi fecerat. Cum autem βατράχοις οἰνοχοεῖς prouerbium eſſet, vt Xenobius etiam tradit, ſolitum dici in eos, qui ea praeberent, quibus non egent, qui accipiunt, apertum eſt hic οἰνοχοεῖν valere vinum miniſtrare: in verſu vero ſupra citato Pherecratis, tantum miniſtrare: vſurpatum enim eſt iunctum verbum eodem intellectu, quo ſimplex, relicta materia, quae infunditur, profertur. Explicatur etiam hoc prouerbium ab alio. vt alterum quoque, ab eadem ancipitis naturae animante, ductum, quod eſt βατράχῳ ὕδωρ. Animaduertendum autem ſuperius exemplum Pherecratis mendum continere in excuſis libris: cum enim ita illic totum legatur. Ἀπόλλω ὦ γλυκυδρίζω ἐνέχεέ σοι. Παντάπασι μὲν οὖν ὕδωρ, τί ἐργάσω. Πῶς ὦ κατάρατ' ἐνέχεας δ' ὕδατος; Ὦ μιαρὰ τίδ' ἶσον πίττωρες ἐξ' ἐς κέρασας: βατράχοις οἰνοχοεῖν σε δεῖ. in calamo exarato exemplari multo fidelioſe ſcriptum eſt. ἀπέλθ' ὦ γλύκη: ὑδαρῆ ἐνέχεέ σοι. quod omnino verum puto: verba enim ſunt anui ſuadentis, quae Glyce vocabatur, vt poculum abiiceret, in quod nimium aquae infuſum eſſet. Perſona autem, quae loquitur, hoc iam prolato, ſe corrigit, quod non potius aquam praebitam dixerit, ac ſtatim grauiter accuſat miniſtrum, qui id fecerit peccarum-

que

que eius oſtendit: atque execrata eum antea, dignum eſſe ait qui ranis miniſtret. Ὑδαρὴ autem vilioris potionis genus eſt, cum in muſti puſillam partem multum aquae infuſum eſt: ὑδαρὲς vero, quod aquoſum eſt. vt Alexis ἐν παιδεραστῇ, cuius teſtimonium ſupra ab Athenaeo citatur. Ξ. ἴσχιον οὐ δὴ μιξ Εὐζωρότερον, γεῦσαι δ' ὅπως ποιήσεις τῷ ὕδατι. Ὑδαρὲς ἅπαν τοῦτ' ἐστὶ τῇ ψυχῇ κακόν. Vnde translatum ad alias res, valet tenue atque infirmum. vt Ariſtoteles etiam hoc verbum in II, πολιτικῶν cepit: diſſerens contra remp. Platonis communionemque, quam inducebat, liberorum: haec enim eius verba. ἐν δὲ τῇ πόλει τὴν φιλίαν ἀναγκαῖον ὑδαρῆ γίνεσθαι διὰ τὴν κοινωνίαν τὴν τοιαύτην. Vt Aeſchylus quoque Ἀγαμέμνονι. appellauit ὑδαρεῖ φιλότητι. intellexerunt igitur hi ambo amicitiam, quam dixi, ideſt, non puram, neque meram, quod ſcholion etiam in tragicum eum valere id appoſitum nomen, teſtatur. Intellexit igitur amicitiam, ὑδαρῆ vocans, leuem atque imbecillam. vt nos quoque vulgo verbum, quod huic reſpondet, ſaepe vſurpamus: dicimus enim aliquas res, quae multum ſnatum virium amiſerunt, ac valde tenues ſunt, annacquate. vt ſolem etiam obſcuriorem; nec, vt ſolet, fulgentem.

Vocabulis a Cicerone ad alias res translatis, declaratur reſpondere Graeca nomina.

CAP. XIIII.

INITIO vi. actionis in Verrem Cicero cum de ſignis picturiſque ab eo ſublatis e Sicilia dicere vellet, primum ſecum dubitauit, quo potiſſimum nomine rem illam appellaret: variis namque modis culpa haec vocabatur, pro vt quiſque crimen aut contegere, aut augere volebat. nam auctor ipſius eo verbo appellabat, quo non male vocari potuit, ſi id ſine alicuius iniuria factum eſſet: amici vero hominis, qui modum nullum ipſum in ſtudio earum rerum comparandarum tenuiſſe ſciebant, vt accuſator commemorat, vitium oſtendentibus nominibus, cupiditatemque incredibilem, translatis autem illis a corporis animique labibus, morbum & inſaniam appellabant. Quod ad priorem harum translatarum vocum pertinet, Plutarchus quoque in commentario περὶ ἀοργησίας, cum perditum in ſtudio margaritarum gemmarumque hominem ſignificare vellet, verbo, quod huic Latino reſpondet, vſus eſt. Elegantem autem callidamque rationem exponebat, qua Polemo irati ſibi hominis, contumeliaſque in ipſum iacientis, animum delinierit: inquit enim. Πολέμων δὲ λοιδοροῦντος αὐτὸν ἀνθρώπου φιλολίθου, καὶ περὶ σφραγίδια πολυτελῆ νοσοῦντος. & quae ſequuntur. Quod ſi addidiſſet καὶ μεμηνότος, vt ſaepe Graeci loquuntur, qui nimium aliquarum rerum effrenatumque amorem ſignificare volunt, plene huic loco reſpondiſſet: μανίαν enim protſus appellatam a Graecis inſaniae nomine ſignificare voluit; quod verbum in Graeco ſermone & ipſum ad alias res transfertur.

Confirmantur exemplis rationes duae Platonis: quibus docuit quantopere obeſſent teneris animis puerorum fabulae poëtarum.

CAP. XV.

VT ALIA nonnulla paſſim canentes, ita nullo modo ferri poſſe poëtas affirmat Plato in iij. libro de Rep. qui tradunt heroas nulla re meliores praeſtantioreſque fuiſſe hominibus: atque id adoleſcentium auribus inculcant: eſſe namque cuncta haec & impia aduerſus deos immortales, eximiaſque illas naturas, & falſa. Eam igitur culpam merito reformidare potuit Iſocrates, qui in libro, quem ſcribit ad Philippum Macedonem, excogitata callida ſe purgandi ratione: ſimulque ſubtiliter regi aſſentans, inquit ſe ſibi ob eam rem ab rebus ipſius geſtis narrandis temperaſſe, ne minores ipſo fuiſſe humilioreſque oſtendat, qui heroes vulgo habentur, ac ſuperaſſe mortalem condicionem exiſtimantur: hoc enim facere, eſſet omnem illis dignitatem eripere. Poſt ſuperiorem autem ſententiam addit, eundem locum vrgens, illa praeterea iis qui audiunt eſſe detrimentoſa: labemque non paruam animis eorum afferre: vnuſquiſque enim inquit, ſibi ignoſcet, ſi mali aliquid fecerit, perſuaſus huiuſcemodi etiam ſcelera moliri ac ſaepe feciſſe qui ſati ſunt e Diis immortalibus, ac prope abſunt a diuina progenie. Quibus omnibus de cauſis cenſet huiuſcemodi fabulas tollendas, ne in teneros animos magna peccandi licentia inferatur. Hoc igitur, quod metuebat ſapientiſſimus ſcriptor, & qui omnes fibras vitiorum euellere ſtudebat, animum addidit ad ſtuprum virgini inferendum Chaereae Terentiano, vt ipſe ille adoleſcens narrat: Nam cum de laſciua tabula picta, & quae mirifice quadrabat in domo meretricia, loqueretur, inquit, Egomet quoque id ſpectare coepi: & quia conſimilem luſerat. Iam olim ille ludum, impendio

magis

magis animus gaudebat mihi, Deum ſeſe in hominem conuertiſſe: & quae ſequuntur. Ad extremum autem, quod vitium harum rerum aperte ſignificat, a Platoneque in primis exagitatur, addidit. Ego homuncio hoc non facerem. ego illud vero ita feci, ac lubens.

Locus Ciceronis e V. libro Tuſculanarum aliter ac nunc in excuſis, in vetuſto libro legi indicatur.

CAP. XVI.

Cicero cum animi conſtantiam ac fortitudinem exemplo quoque beluarum in v. quaeſtione Tuſculana confirmaret, ita locutus eſt, vt in excuſis libris legitur. Quid beſtiae? non frigus, non famem: non montiuagos atque ſiluestres curſus luſtrationeſque patiuntur? Animaduerti autem olim in antiquo fidelique exemplari legi, ſiluestricurſus, iunctis duobus nominibus: quod nunc in mentem mihi venit teſtari in his libris: neque enim arbitror contemnendam hanc lectionem eſſe. Videtur namque totus locus ex aliquo vetere poëta ſumptus eſſe: non enim mihi perſuadeo Ciceronem montiuagos vſurpaturum fuiſſe: redolet enim hoc verbum orationem poeticam: facitque vt non ſine cauſa ſuſpicer conſequentem quoque vocem eodem pacto conformatam fuiſſe. Vt Catullus etiam in libello de Atti huiuſcemodi non nulla verba compoſuit: ceu cum inquit. Vbi cerua ſiluicultrix, vbi aper nemoriuagus. Ita autem loqui conſueſſe priſcos illos Latinos homines teſtatur Cicero in Oratore his verbis. Sed quid ego vocales? ſine vocalibus ſaepe breuitatis cauſa contrahebant, vt ita dicerent, multimodis, vaſargenteis, palmetcrinibus, tectifractis.

Elegans modus loquendi, quo vſus eſt Cicero, expreſſus eſſe e Graeco ſermone declaratur.

CAP. XVII.

In Libro de Fato Cicero Graecum (niſi fallor) modum loquendi in Latinum ſermonem conuertit: neque enim ab alio vllo Romano homine vſurpatum inueni: id autem eſt ferire medium, quod valet, cum duo inter ſe de aliquo controuerſantur, ad arbitrumque res venit, aequo interuallo ac momento vtrinque illum ipſum, qui ſententiam fert, diſcedere, atque ita litem diiudicare: quod tamen iudicij genus vt negligens ac pingue, iuriſconſulti contemnunt: noſque etiam patrio ſermone, quae prouerbij loco dicitur, voce eludimus. Verba eius haec ſunt. Chryſippus, tamquam arbiter honorarius, medium ferire voluiſſe. Ita autem hunc locum deprauatum, quondam reſtitui, ſecutus fidem veterum exemplariorum: legebatur enim antea perperam in excuſis libris, ſe ferre voluiſſe. Plato in v. de Legibus ita locutus eſt, quamuis ab iudiciis ad aliam rem tranſtulerit, dicens. Ἐγὼ γὰρ ἀντλέων συγχωρῶ τὸν λόγον τι καὶ ἀδελφῆς ἀκράτου βίου φεύγων δεῖν πάντως μέσον ἀεί τινα τέμνειν ἀεί. Sed etiam in poſteriore epiſtola ad Dionis propinquos. δίκαιον ἂν ἴσως καὶ συμφέρον γίγνοιτο ὑμῖν πᾶσι μέσον τεμεῖν: τοῖς τε φεύγουσι τὴν ἀρχὴν τὸ χαλεπὸν τῇ ὑμῖν, καὶ τοῖς τὴν ἀρχὴν πάλιν ἐρῶσι τυχεῖν. Praeterea in ſermone, quem Protagoram vocauit, cum induceret Hippiam ſuadentem magno illi ſophiſtae, ac Socrati, ne vellent in contraria inter ſe diſſerendi ratione diutius perſtare, ſed aliquantulum alterutrum alteri concedere, & mediam quandam viam tenere: cum enim, ſimilibus vſus, rationem indicaſſet, qua vtrumque ſequi debere in ea re optimum iudicaret, addidit. ἀλλὰ μέσον τι ἀμφοτέρους τεμεῖν. Quia enim ipſum dialogum Cicero in Latinum vertit, facilius potuit hunc Atticiſmum notare: atque ipſo poſtea, cum apte poſſet, vti. Nam expreſſiſſe illum totum teſtimonio antiquorum grammaticorum intelligitur. Priſcianus certe haec inde verba citat. Nunc a vobis Protagora & Socrates poſtulo concedatis alter alteri: & inter vos de huiuſcemodi rebus controuerſemini, non concertetis: quae ſane expreſſa ſunt e loco, qui non multo ſupra hunc ipſum eſt: cum enim Prodicus eodem munere fungeretur (rogati enim ambo hi ſophiſtae diligenter fuerant a Critia, vt illi rei operam darent) in aliis multis inquit. ἐγὼ μὲν καὶ αὐτὸς ὦ Πρωταγόρα καὶ Σώκρατες ἀξιῶ ὑμᾶς συγχωρεῖν καὶ ἀλλήλοις περὶ τῶν λόγων ἀμφισβητεῖν μέν: ἐρίζειν δὲ μή.

Defenſa vetus lectio in V. libro Tuſculanarum: ratioque eius ſermonis, qui imperfectus videtur, explicata.

CAP. XVIII.

VERBA Ciceronis ſunt in v. quaeſtione Tuſculana. Nihil bonum niſi vacuitatem, vt Hieronymus: ita namque legitur non ſolum in ſcriptis pluribus libris, verum etiam in iis, qui ſuperioribus temporibus excuſi fuere, cum in Aſulana editione additum ſit doloris: qui enim curae illi praefuerunt, vt ſuſpicor, locum mancum putantes, ita correxerunt, legentes, niſi vacuitatem doloris. Nec tamen veterem illam lectionem arbitror damnandam, ac non neceſſaria parte augendam. vt ſit ἔλλειψις, frequens figura in conſuetudine loquendi: non multo enim quoque poſt inquit: Cumque ea deſcendet in taurum, non addens Phalaridis, illum tamen intelligi volens. Eſt igitur preciſe id dictum, quomodo nonnulla vſurpari ſolita oſtendit Cicero in iij. libro de natura Deorum, his verbis: Vt ſiquis dicat Athenienſium remp. conſilio regi, deſit illud Ariopagi: ſic cum dicimus prouidentia mundum adminiſtrari, deeſſe arbitrator Deorum.

Vt Cicero influere aliquando μεταφορικῶς vſurpauit, ita Plato indicatus vti verbo ὑπορρεῖν, quod illi reſpondet.

CAP. XIX.

INFLVERE μεταφορικῶς Cicero pluribus locis vſurpauit: nec enim de aquis tantum, humoreque aliquo, verum etiam de rebus ſolidis loquens, ſenſuſque participibus, eo vſus aliquando eſt, vt de rebus quoque quae ſenſu aurium percipiuntur, nec tamen manu tanguntur: vt in ij. libro de Legibus cum inquit: Aſſentior enim Platoni: nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi ſonos. quibus verbis locum hunc grauiſſimi auctoris expreſſit e iiij. libro de Rep. οὐδὲ γὰρ ἐργάζεται ἄλλο γε ἢ κατὰ σμικρὸν εἰσοικισαμένη ἠρέμα ὑπορρεῖ πρὸς τὰ ἤθη τε, καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα. Non ſolum igitur Cicero, qui quomodo ex alio ſermone in alium conuerti aliquid oporteret, egregie tenebat, idem quod Plato antea dixit, verum etiam eodem modo dixit: & ſententiam enim explicuit: & ordinem loquendi cuſtodiuit: eruditiſſimus enim quoque atque idem politiſſimus ſcriptor, tamquam de humore aliquo, de cantu ſonoreque locutus eſt.

Perſonare aures alicuius vocibus quibuſdam idem valere videri, quod ἔναυλον ἔχειν.

CAP. XX.

QVOD Cicero dixit in epiſtola ad Leptam perſonare aures, arbitror valere ἔναυλον ἔχειν: frequens enim hic modus loquendi eſt in Graeco ſermone, & ab optimis auctoribus crebro vſurpatus. ſignificat autem aliquid ex auditu ſonore cantuque reſtare in auribus, quod quaſi idem inſuſurret: diutiuſque illic maneat. verba Latini ſcriptoris haec ſunt. Leptam noſtrum cupio delectari iam talibus ſcriptis, & ſi abeſt maturitas aetatis, tamen perſonare aures eius huiuſmodi vocibus non eſt inutile. Plutarchus autem in libro, quo docet quomodo ſint ab adoleſcentibus legendi poëtae, monſtrans viam, qua ſententiae aliquae ipſorum, quae moribus obeſſent, ſint infirmandae, atque omni auctoritate ſpoliandae, inquit. πρὸς ταῦτα δὲ μάλιστα παρατηρητέον ἀεὶ δεῖ ἐξ ἀρχῆς ἔχειν ἔναυλον. ὅτι ποιητικῇ μὲν οὐ πάνυ μέλει τῆς ἀληθείας. ideſt in auribus ſemper obſtrepentem hanc vocem habere: & quae continenter eandem ſententiam renouet. Plato quoque in iij. libro de Legibus eodem modo locutus eſt. ἐν γὰρ τῇ ἐναύλῳ εἰς τὰ παιδία καταβαίνειν ἡμῖν ποιεῖ φθόγγους ἐναύλους ἐγγύαν. In epitaphio quoque idem appellauit λόγον ἔναυλον. ſed etiam Ariſtoteles in xxj. ſegmento Problematum. ὅτ' ἔναυλον εἶναι τὴν δύναμιν, ἐάν τις αὐτῇ πλησιάζῃ, καὶ μὴ ταχὺ ἐκλείπῃ τὴν αἴσθησιν: qui tamquam interpretatus eſt hunc modum loquendi, declarauitque quid illic valeret: μεταφορικῶς namque illo vſus fuerat: neque enim de voce, ſonoreue aliquo ſermo erat, ſed cauſa tunc quaerebatur, cur ſuaues quidam cibi dulceſque, citius faſtidium gignant: ea autem dicitur eſſe, quod concoctis etiam illis, vis quaedam eorum, & quaſi ſucus reſtat: nec penitus extinguitur.

Non omnium cuſtodum firmam eſſe fidem, egereque ſaepe illos alio cuſtode, dictum prius a Platone in III. libro de rep.

CAP. XXI.

QVod Latinus poëta, cum magno animi dolore, in ſatyra inquit, vbi incontinentiam mulierum accuſat, atque aculeatis dictis vulnerat: Sed quis cuſtodiet ipſos cuſtodes. cauta eſt & ab illis incipit vxor, Plato quoque eleganter expoſuit in iij. libro politiae. vbi docet cuſtodes reip. qui praeſidio ſunt reliquis ciuibus, ebrietatem cauere oportere. Id autem poſtea vere magnificeque de ſeipſo praedicauit optimus vir ac clariſſimus imperator, Epaminondas: cum ex eo quaeſitum eſſet, cur potantibus ceteris, feſtoſque dies ſumma laetitia celebrantibus, ſolus ipſe ſquallens, in magnaque cogitatione defixus, per vrbem ambularet. Vt liceat inquit vobis omnibus temulentis eſſe, atque omni cura ſolutis. Platonis verba haec ſunt. γελοῖον γὰρ δὴ τόν γε φύλακα φύλακος δεῖσθαι. Sed etiam Demoſthenes contra Ariſtogitonem, οἱ προστησάμενοι μόνον τὰς ἁμαρτίας, αὐτοὶ τῆς μεγίστης εἰσὶ φυλακῆς δεόμενοι. Eodem etiam reſpexit Cicero in Diuinatione in Verrem his verbis. Cuſtodem, inquit, Tullio me apponite, quid? Mihi quam multis cuſtodibus opus erit, ſi te ſemel ad meas capſas admiſero? qui non ſolum ne quid enunties, ſed etiam ne quid auferas, cuſtodiendus ſis. Nec non in iij. Philippica, irridens M. Antonium, qui in contione dixerat, ſe cuſtodem futurum vrbis; ait enim. O praeclarum cuſtodem, ouium vt aiunt, lupum.

Theriacam videri apud M. Varronem amarae potionis genus fuiſſe.

CAP. XXII.

THERIACA videtur olim bibi ſolita, vt ex verbis M. Varronis elicitur: quare liquidior fuerit neceſſe eſt: hoc enim tempore craſſior duriorque conformatur. Apud Nonium autem hoc doctiſſimi viri teſtimonium legitur e libro de liberis educandis: Vel maxime illic didici & ſitienti, theriacam, mulſum: eſurienti, panem cibarium, ſiligineum: & exercitato, ſomnum ſuauem. Docet igitur Varro, quae ſint vera condimenta, vt Dionyſij coquus locutus eſt. quod litteris etiam mandauit Cicero in v. libro Tuſculanarum, quo loco de hac ipſa re accurate diſſerit. Nam cibarij quoque panis illic vt viliſ meminit: quomodoque effici poſſit vt vulgares eſcae, potioneſque gratae ac ſuaues ſint, oſtendit. Animaduertendum tamen an theriaca tunc appellata ſit, non quae vt remedium veneni adhibetur, ſed potionis genus amarae triſtiſque: ex contrario enim hunc fuiſſe ſaporem illius percipitur: mulſum namque vt e melle & vino conditum, dulce erat: nec enim omnia vocabula omni aetate idem valent: quamuis enim maneant ipſa, notio tamen eorum immutatur. Cum autem cibarius in primis panis appelletur, quod non ſolum ſuperioribus exemplis intelligitur, ſed etiam teſtimonio Cornelij Celſi, cuius e ij. libro haec ſunt verba. At aluum mouent panis fermentatus: magiſque ſi cibarius vel hordeaceus eſt, auctoritate Varronis intelligitur etiam vinum cibarium aliquando vocatum: ipſius namque apud eundem grammaticum haec verba leguntur. In cubiculo dormire mallem ſcilicet potius vinum meum cibarium, quam ego dominus cubarem. ſed etiam, quod magis mirandum eſt, homo quoque cibarius appellabatur, tamquam omne, quod ſordidum atque abiectum eſſet, recte hoc pacto vocari poſſet: eiuſdem autem doctiſſimi viri ſententia haec eodem loco legitur e libro; cuius index erat, ὄνος περὶ λύρας. Tuus autem iſte frater cibarius fuit Ariſtoxenus.

Diligenter ponderatus locus C. Caeſaris, in excuſis libris manifeſto corruptus: antiquaque lectio indicata.

CAP. XXIII.

VERBA haec C. Caeſaris e iij. libro de bello ciuili ita nunc paſſim leguntur: mendoſe prorſus, vt cuiuis facile intelligere licet. Cohortemque poſtea duplici ſtipendio frumentoque, & ſpeciariis, militaribuſque donis, ampliſſime donauit: quomodo enim tam inquinato verbo locus eſt apud politiſſimum ſcriptorem? Videndum igitur accurate an auxilio veterum librorum macula haec deleri poſſit. in duobus autem ipſe non paruae fidei exemplaribus, ita ſcriptum offendi: non omnino integre minus tamen peruerſe, vt puto, quia extant hic veſtigia verae lectionis, quae illic contamina-

ts ſunt. Cohortemque poſtea duplici ſtipendio, frumento veſtimentis militaribus donis, ampliſſime donauit. Vt autem ego coniicere potui, diligenter omnibus examinatis, ſi ita legeretur, nihil vitij, neque in ſententia, neque in verbis reſtaret: nec tamen magnopere a notis illis perturbatis diſceſſum eſt. Cohortemque poſtea duplici ſtipendio, frumento, veſte, diariis, militaribus donis, ampliſſime donauit. veſte autem milites aliquando donari ſolitos eſſe certum eſt: in rebus tamen potius aduerſis quam ſecundis. quod facit, vt minus firmam hanc emendationem putem, donec exempla inuenero quibus declaretur, virtutis etiam praemium reique bene geſtae, hoc fuiſſe. T. Liuius in xxij. libro ab vrbe condita. Eos, qui Canuſium perfugerant, mulier Paula nomine, Buſa genere, clara diuitiis, moenibus tantum tectiſque a Canuſinis acceptos, frumento, veſte, viatico etiam iuuit. Xenophon quoque in primo libro de rebus Graecorum. *Φαρνάβαζος δὲ παντὶ τῷ τῶν πελοποννησίων στρατεύματι, καὶ τοῖς Συρακουσίοις παρακελευσάμενος μὴ ἀθυμεῖν ἕνεκα ξύλων, ὡς ὄντων πολλῶν ἐν τῇ βασιλέως, ἕως ἂν τὰ σώματα σῶα ᾖ, ἱμάτιόν τε ἔδωκεν ἑκάστῳ, καὶ ἐφόδιον δυοῖν μηνοῖν.* Nam diaria praeberi ſolita militibus vt commoda quaedam, quo magis laborem ferrent, teſtimonio etiam Ciceronis comprobatur, qui in epiſtola quadam ad Atticum inquit. Eo modo autem ambulat Caeſar, & iis diariis militum celeritatem incitat, vt timeam ne citius ad Brunduſium, quam opus ſit, acceſſerit. Aut igitur eruditi viri, ſi coniecturam meam non probabunt, videbunt, an his veſtigiis melior lectio indagari poſſit, aut certiora, mtouiſque deprauata quaerent. ipſe magno ſtudio diligentiaque adhibita, quod potui, praeſtiti.

Ornatus eorum, qui ſe ad iter longinquum accingerent, e pluribus Plautinis locis erutus.

CAP. XXIIII.

ORNATVS eorum, qui peregrinabantur: ac quae ſumerent itineri faciendo neceſſaria, vel ſaltem accommodata, percipitur Plauti pluribus locis inter ſe collatis: in fabula namque, quam inſcripſit Mercatorem, e Philemone verſam, cum induceret Charinum adoleſcentem, amore perditum, iniuriaque patris compulſum, patriam relinquentem, haec ipſum ſecum habuiſſe oſtendit: chlamydem, zonam, machaeram, ampullam: reuocatus namque ille a ſodali ſuo, qui nuntiarat amicam ipſius inuentam eſſe, illa omnia depoſuerat, quae paulo poſt, putans id falſum: ſeque deluſum, denuo ſumit. Adiungitur autem his petaſus in Pſeudolo: cum enim fallax is ſeruus, vnde comoedia vocata eſt, ſycophantam ornaret, vt peregrinus videretur, ac tunc ipſum Athenas aduenisse, inquit. Etiam opus eſt chlamyde & machaera & petaſo. Petaſatos autem eſſe ſolitos, qui longo itineri ſe darent, declarauit etiam Cicero in epiſtola ad C. Caſſium, cum ſe purgaret de intermiſſione epiſtolarum: reiecit enim culpam in tabellarios, qui tempus ad ſcribendum non darent hoc pacto. Sed petaſati veniunt, comites ad portam expectare dicunt. quo etiam verbo M. Varro iudicio Nonij, viſus intelligitur: poſuit enim hoc exemplum e libro *περὶ ἐξαγωγῆς* doctiſſimi illius viri, cum quid valeat numero, auctoritate etiam ipſius declararet. Quid puer rogaſſet, & petaſatus capite annuiſſet, ac diſcedens numero venire ait adoleſcentem. In eadem autem fabula, cum leno tectus iam, nec tempore inſidias metuens, verum militis nuntium vt ſimulatum exagitaret, adiunxit ſuperioribus rebus ſoccos: ita cum eo agens: totum enim locum ponam, quia corruptus eſt in excuſis libris. Chlamydem hanc commemores quanti conducta eſt. Quid eſt? Quid meret machaera. Helleborum hiſce omnibus opus eſt. Eho? Mitte. Quid mercedis petaſus hodie domino demeret? Quoi domino? Quid ſocci? Quid ſomniatis? mea equidem haec habeo omnia meo peculio empta. Nempe quod femina ſumma ſuſtinent vnde tibi? Verba autem haec ipſa, in quibus exemplum manet, cum abſint ab excuſis, accepta ſunt a ſcriptis libris: quamuis quod auſus ſum emendare, in illis legatur ſocij pro ſocci. Ampulla autem vaſculum vinarium fuiſſe videtur, quod femori alligatum ferrent viatores: id autem e corio apparet fieri ſolitum, vt percipitur ex hoc loco e Rudente. Ni erit tam ſincerum, vt quiuis dicat ampullarius. Optimum eſſe opere faciendo corium & ſinceriſſimum. Quid cauſae eſt, quin virgis te vſque ad ſaturitatem ſauciem? Nam geſtari ampullam etiam ſolitam a Cynicis, mendicisque, eiuſdem comici iudicio intelligitur, qui in Perſa ita induxit Saturionem paraſitum loquentem. Cynicum eſſe egentem oportet paraſitum probe. Ampullam, ſtrigilem, ſcaphium, ſoccos, pallium, Marſupium habeat: inibi paulum praeſidij. Et Ciceronis quoque: cuius haec verba in iij. libro de finibus. Si ad illam vitam, quae cum virtute degatur, ampulla aut ſtrigilis accedat: & quae ſequuntur; pro re enim leui ac parui pretij ponitur. Idem confirmat alia in fabula Plautus, in qua induxit lepide Gelaſimum auctionem facientem: coniunxit enim illic quoque ambas has viliſſimas res, dicens. Rubiginoſam ſtrigilem, ampullamque rubidam.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER II.

Ratio execrandi aliquem atrocior quam verbis appareat, communis nobis cum antiquis.

CAP. I.

ANIMADVERTANDVM Veteres cum aliquem execrabantur, quod odio ipſis ob quoppiam inſigne facinus foret, ſi forte tunc aliquo ille profecturus arat, precari ſolitos, vt ea via ipſi perpetua foret. quibus verbis ſignificabant, vel potius ſummis precibus a Diis immortalibus petebant, vt numquam ille in ea loca rediret, ſed quo magis iter facere pergeret, eo magis e conſpectu ſe ipſis eriperet. Hoc in oratione contra L. Piſonem poſuit Cicero, quum inquit, oſtendens quantum foret odium ipſius in animis ciuium, ob res improbe ab eo in conſulatu geſtas. An quod tibi proficiſcenti euenit, vt omnes execrarentur: male precarentur: vnam tibi illam viam & perpetuam eſſe vellent. Turpilius quoque comicus Traſyleone, cuius teſtimonium hoc citatur a Nonio, hunc ſermonem vſurpauit. Age, age, egredere, atque vtinam iſtuc perpetuum itiner ſit tibi. Nos etiam cum alicui maledicimus, abigentes eum a nobis, ita vulgo loquimur: votaque facimus, ne vmquam in eadem loca redeat.

Vetus mos explicatus, adimendi claues vxori in diuortio.

CAP. II.

QVI in corrigendis bonis auctoribus ſtudium ponunt, accurrateque antiqua exemplaria voluta nt, multa legiſſe debent, ac firmiter meminiſſe: alioquin ſaepe vera fideliſque ſcriptura, in illis reperta, fallit ipſos. quod Hieronymo Ferrario, non indiligenti homini, contigit, cum Philippicas Ciceronis cum veteribus libris conferret: cum enim illic aliter legi locum hunc offendiſſet, atque in impreſſis legeretur, falſam concinnatamque ab aliquo lectionem verae integraeque antepoſuit. Locus ita habet in excuſis in ſecunda illa nobili oratione, vbi Antonium acriter vulnerauit, ac turpi quadam laude ipſum omni dignitate ſpoliauit. Illam ſuas res ſibi habere iuſſit: ex xij. cauſam addidit: exegit: Videtur enim omnino legi debere, quod ipſe quoque in quibuſdam ſcriptis inueniri teſtatur. Illam ſuas res ſibi habere iuſſit ex xij. tabulis: claues ademit, exegit; Erat enim mos inſtitutumque Romanorum, vt vxoribus primum domum ingredientibus claues darent, quo (niſi fallor) ſignificabant ipſas matres familias eſſe, atque omnem rei quaeſitae a viro, poteſtatem habere, quamuis Sex. Pompeius, qui hoc memoriae prodidit, aliam huius rei cauſam tradat, dicens. Clauim conſuetudo erat mulieribus donare, ob ſignificandam partus facilitatem. Vtra autem huius rei cauſa foret, veriſimile eſt, quas initio matrimonij darent, ipſas diuortio facto adimere ſolitos, quod prorſus ſignificare arbitror voluiſſe Ciceronem, cum omnem ritum illum exprimeret, vt foediorem notam inureret turpiſſimo viro, cuius ex omni vita nihil erat honeſtius quam quod cum mima feciſſet diuortium, indicat etiam turpitudinem hominis eum oſtendit eum mimae claues amicaeque, ingenuarum mulierum legitimaeque vxoris inſigne conceſſiſſe.

Humanus mos veterum illorum indicatus in ſaeuo facinore, vt cum filios exponerent parte aliqua ſuorum bonorum ipſos donarent.

CAP. III.

NOTANDVS eſt mos Graecarum mulierum, quae cum rem ſaeuam facerent, atque ex ſe natos infantes exponerent, aliquam tamen pietatis ſpeciem in duro illo munere obeundo retinebant: nec patiebantur filios nudos prorſus expertesque ſuorum bonorum ad mortem tradi. itaque cum neceſſitati alicui anguſtiſue rei familiaris parerent, non obliuiſcebantur penitus ſe matres eſſe, ſed aliquid ſui ornatus ſibi detrahebant: corporique ipſorum imponebant. inde autem poſtea, vt poëtae comici tragicique fingunt, aliquando illi agnoſcebantur: mutatiſque temporibus, ac fortunis parentum, libenter in familiam ſuam aſciſcebantur. Hoc diligenter expoſuit Terentius in heautontimorumeno ſua, cum induxit Soſtratam, Chremetis vxorem, ita cum viro loquentem. ⁖ vt ſtulte & miſere omnes ſumus Religioſae, cum exponendum du illi, de digito anulum Detraho, & eum dico vna cum puella exponeret. Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis. Hoc etiam ſeruaſſe Creuſam narrat Mercurius apud Euripidem in Ione, cum ex ſe & Apolline natum exponeret: argumentum enim fabulae, quae prima perſona in ſcenam prodiit, explicans deus ille, inquit. ⁖ ὡς δ' ἦλθε χρόνος τεκοῦσ' ἐν οἴκοις παῖδ' ἀπήνεγκε βρέφος Εἰς ταὐτὸν ἄντρον οὗπερ ηὐνάσθη θεῷ Κρέουσα, κἀκτίθησιν ὡς θανούμενον. infraque ⁖ ἀλλ' ἣν εἶχε παρθένος χλιδὴν τέκνῳ προσάψασ' ἔλιπεν ὡς θανουμένῳ. ipſa igitur quoque Creuſa, inani miſericordia commota, ſe ornatu muliebri ſpoliauit, ac morituro filio adplicuit. Admonet autem me verbum quo vſus eſt Euripides in poſteriore hoc loco, dicens ornatus illos corporis, quos ſibi demit Creuſa, reliquiſſe illam apud infantem, vt doceam ſine cauſa fuiſſe ſublatum Graecum verbum e commentario Aelij Donati, accurati eruditique interpretis Terentiani, bonique in primis magiſtri dicendi: cum enim apud poëtam Thais dixiſſet. Abi tu & ciſtellam Pythias domo affer cum monimentis, ita ille interpretator. Monomenta ſunt, quae Graeci dicunt λείψανα, σπάργανα. vt legitur & in ſcriptis, & in formis olim excuſis libris. cum quidam poſtea improbe pro priore illa vera voce λείψανα, duo Graeca verba repoſuerint, quae quamuis rem aliquo modo iudicent, non tamen vera ſunt: nec reſpondent Latino verbo, quo vſus eſt Terentius. Ariſtoteles vero in primo libro de arte poëtarum de cognitionibus diſputans, quas ἀναγνωρίσεις vocat, huiuſcemodi monimenta in ſignis poſuit, quae extra rem poſita ſunt.

Deleta macula e V. libro Ciceronis de finibus, quae viri nomini adhaeſerat.

CAP. IIII.

CORRVPTVM eſt Perſae hominis nomen apud Ciceronem in v. libro de finibus bonorum ac malorum, vbi de infelici exitu Polycratis Samiorum tyranni diſſerit, qui antea fortunatiſſimus habebatur; amicitiaque regis Perſarum floruerat: ita enim legitur in omnibus, quos vidi, libris. Si ſapiens, ne tum quidem miſer, cum ab Oronte praetore Darei, in crucem actus eſt. cum ſcribi debeat Oroete: hoc namque verum nomen illius fuit, qui tam crudeliter in Polycratem animaduertit: quod liquido intelligitur teſtimonio Herodoti, vnde hiſtoria accepta eſt: haec enim ipſius e Thalia verba ſunt, totam rem narrantis. ἀποκτείνας δέ μιν οὐκ ἀξίως ἀπηγήσιος Ὀροίτης, ἀνεσταύρωσε. Apud Athenaeum quoque in xij. libro δειπνοσοφιστῶν ita ſcriptum eſt. vbi hiſtoriam hanc tangit, de victu delicato Crotoniatarum loquens, Democideque impiorum ciue, quo medico vtebatur Polycrates: inquit enim. Πολυκράτει δὲ τῷ Σαμίων τυράννῳ, συνὼν, καὶ μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον αἰχμαλωτισθεὶς ὑπὸ Περσῶν ἀνήχθη ὡς βασιλέα, Ὀροίτου τοῦ Πολυκράτην ἀποκτείναντος. Quod vero ad miſeram Polycratis necem oſtendendam pertinet, memoriae proditum eſt non ſolum ipſum viuum in crucem actum, ac ſeruili ſupplicio affectum, verum etiam de cruce depoſitum, ſandapila deportatum eſſe: id autem feretri genus erat, quo viliſſimarum perſonarum atque damnatorum corpora ad ſepulturam portabantur.

Oculis ſpectantium dolorem inurere formam egregiam corporis: formoſaeque virgines ea de cauſa dictae a fortunatiſſimo rege, eſſe oculorum aegritudines.

CAP. V.

Vt Terentivs Phormione oculos dolere de eo dixit, qui rem moleſtam odioſamqoe videret, ita contra Graeci auctores oculos dolere illius ſigoificarunt, qui rem pulchram atque iucundam cernerent, qua tamen frui non poſſent. comicus impurum ilium paraſitum ita induxit cum vxore Chremetis loqnentem. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam Nauſiſtrata, & quod tuo viro oculi doleant: nulla enim maior aegritudo afferri potuit Chremeti, quam ſi ſpectaret ſecum accubantem Phormionem, qui flagitia ipſius vxori detexerat, quare non ſine cauſa inquit ille oculos viri dolituros eo aſpectu. Alexander antem, ille magnus, deuictis Perſis, vt memoriae prodidit Plutarchus, cum captiuas ſpectaret ſpecie corporis magnitudineque praeſtantes, iocans inqoit. ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ Περσίδες: cum enim poſſet oculorum deſideria ſatiare, noluit tamen parere libidini, temperanterque ſe admodum in ea victoria geſsit. Herodotus quoque in Terpſicora legatos Perſarum, molles eneruatoſque viros, ita induxit loquentes: accepti namque illi magnifice ab Amynta Macedonum rege, cum quererentur qnod adductas in conuiuium mulieres, contraqne ſe ſedentes, non liceret attrectare, dixerunt. Praeſtitiſſe ipſas primo non veniſſe, quam profectas eo: e regioneque ſedentes, oculorum dolores ipſis gignere. Longioo quoque in libello περὶ ὕψους non placet hic ſermo, qui tamen alio nomine ipſum accuſat; propinquum enim eſſe putat illi culpae, quam in aliis ſupra reprehenderat, ideſt eſſe frigidum, & ineptum; de quo tamen alij exiſtimabunt: non facile enim affinem eſſe vitio putarim vocem Attico comico creditam elegantem, ideſt Apollodoro; vnde fabulam Terentius expreſſit, & quam praeterea ſummus Rex, & eruditus ab Ariſtotele vſurparit, & ſi Dionyſius ille arbitratur ignoſci Herodoto poſſe, quia ipſam edi fecerit a barbaris hominibus, & in vino. Huius quoque loci mentionem fecit Euſtathius in tertium librum Iliadis, cum verba illa Homerica interpretaretur. Καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ: quaereretque cur ſummus poëta dulce deſiderium appellaſſet: inquit enim ad extremum. πρὸς δὲ ταῦτ' ἱστορεῖται δεινῶ παρά τινος ἐλεχθὲ μιζόνως σοφοῦ τὸ, τὰς κόρας ἀλγηδόνας ὀφθαλμῶν εἶναι. nam qnod addit vocem hanc reprehenſione egere, nec vacare vitio, quod nequeant aegritudinem afferre oculis, quae dulce deſiderium viſae inſerunt, inane eſt: nec enim grammaticus ille elegantiam huius ſermonis vidit: nec ab iis ipſum vſurpatum eſſe cognouit. Plautus quoqne Aſinaria eundem modum loquendi vſurpauit, vbi induxit intemperantem perditumque patrem cum amica filij, inſpectante illo, accubantem, atque ipſum ita interrogantem. Numquid nam tibi moleſtum eſt mi gnate, ſi haec nunc mecum accubat? cui filius reſpondet. Pietas pater oculis dolorem prohibet, quamquam ego iſtanc amo, poſſum equidem inducere animum ne aegre patiar, quia tecum accubat.

Diligentia, quam tradidit apud Terentium Chaerea, ponere Atticas mulieres vt filias graciles redderent, teſtimonio Graeci ſcriptoris confirmata.

CAP. VI.

Atticarvm matronarum ſtudium, quod ponerent in extenuando corpore filiarum, commemorat apud Terentium Eunucho Chaerea, cum ſpeciem virginis, quam viderat, habitudinemque corporis ipſius ſummis laudibus tolleret. Verba adoleſcentis, repentino amore capti, haec ſunt. Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum, quas matres ſtudent Demiſſis humeris eſſe: vincto pectore, vt graciles fient. Si quae eſt habitior paulo, pugilem eſſe aiunt, diducunt cibum. Tam & ſi bona natura, reddunt curatura iunceas. Primum igitur, vt apparet, faſciis pectus deuinciebant, ne habitiores fierent, quae ratio valde vtilis eſt corporis amplitudini coërcendae, vt medici quoque teſtantur: victus deinde ratione, detractioneqne cibi, ſi qua plenior natura fuiſſet, tenuiorem reddebant. Plutarchus tamen, qui & ipſe huius laudis mulieres cupidas eſſe tradit, alio etiam remedio ipſas vti ſolitas docet: cum enim in commentariolo, quem inſcripſit αἴτια φυσικά, voluiſſet rorem vim quandam mordendi, erodendique habere, hoc etiam tamquam ſigno quodam teſtimonioque, id confirmauit. quod meatus corporis tenues redderet eorum, qui ipſum vorare conſueſſent. Vnde inquit pingues mulieres, veſtimentis aut velleribus mollibus rorem excipientes colligenteſque, videntur hoc remedio conſumere ac minuere pinguitudinem.

Inſtitutum Graecorum in funeribus, imponendi coronam mortuis, explanatum: ſimulque mos Tarentinorum expoſitus, qui in loco ſepulturae, religione oblata, fugerant conſuetudinem reliquorum.

CAP. VII.

GRAECORVM hominum morem in efferendo honeſtiore aliquo funere ſignificauit Cicero in oratione pro L. Flacco: quibuſque rationibus ornare mortuum ſolerent indicauit. in iiſque ſolitos illos docet coronam ipſis imponere: inquit enim quid contineretur plebiſcitis Smyrnaeorum, quae fecerant in Caſtricium mortuum, breui oſtendens. Primum, vt in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur: deinde, vt ferrent ephebi: poſtremo, vt imponeretur aurea corona mortuo. inſtitutum autem hunc coronatos mortuos efferendi, tetigit etiam Ariſtophanes ἐν ἐκκλησιαζούσαις: ita enim induxit virum vxorem increpantem, quod eum noctu in lectulo dormientem, reliquiſſet, tamquam cadauer, Ὤιχου καταλιποῦσ' ὡσπερεὶ προκείμενον: Μόνονουχὶ στεφανώσασ' οὐδ' ἐπιθεῖσα λήκυθον: addidit enim nihil deſiderari potuiſſe vt plenam ſpeciem eius rei redderet, niſi quod coronam capiti ipſius non impoſuerat: neque lecythum prope collocarat. Graecos autem conſueſſe extra oppida mortuos ſepelire, intelligitur etiam loco quodam Polybij ex octauo libro hiſtoriarum, qui nunc in excerptis legitur docet enim illic, quomodo Tarentum in poteſtatem Annibalis venerit narrans vrbis Tarentinorum partem ad ortum Solis vergentem. buſtorum plenam fuiſſe, quia ad ea vſque tempora Tarentini morem haberent, intra oppidum mortuos condere, parentes veteri cuidam oraculo: cum enim edita ipſis ſors eſſet, res eorum meliores futuras, ſi vna cum pluribus habitarint, ita illos interpretatos eſſe id oraculum: exiſtimaſſeque temp. ſuam bonam fortunatamque fore, ſi illos etiam, qui migrarint e vita, intra vrbem receperint, quod poſtea diligenter ſeruarunt. Verba oracoli haec erant. ἄμεινον καὶ λώϊον ἔσεσθαι σφίσι ποιουμένοις τὰν οἴκησιν μετὰ τῶν πλειόνων. Ceterae autem nationes Graecorum tantopere hoc fugiebant, vt miniſtros etiam triſtis huius muneris, quos κατηκιῶτας appellabant, vrbis domicilio arcerent. Quod memoriae prodidit Heſychius, hoc ipſo nomine illos vocans: eoſdem etiam Graece νεκροθάπτας vocatos, cum libitinarij dicerentur a Latinis, teſtatur Vlpianus in xiiij. libro Pandectarum. tit. de inſtitoria actione. Animaduertendum autem, cum in oraculo illo πλείονες crediti ſint vocati eſſe mortui, qui vere non ſunt, nos quoque patrio noſtro ſermone ita loqui: dicimus enim eos, qui interiere, ad plures profectos eſſe. ſed in conſuetudine quoque hoc Latinorum hominum fuiſſe teſtimonio Plauti cognoſcimus: cuius in Trinummo haec verba ſunt, a Philtone pronuntiata, filio praecipiente. Quia ego ad hoc genus hominum duraui, quin prius Me ad plures penetraui.

Diligentem commemorationem beneficiorum eſſe pene exprobationem, dictum etiam a Demoſthene.

CAP. VIII.

QVOD in ore liberti hominis Poſuit Terentius Andria, cum iniquo animo ipſum ferentem induxit herilem illum ſermonem, accuratamque explicationem beneficiorum in ſe collatorum, Demoſthenes quoque pro Cteſiphunte maiore in re vſurpauit. Verba ſummi oratoris haec ſunt. Τὸ δὲ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν μικροῦ δεῖν ὅμοιον ἐστὶ τῷ ὀνειδίζειν: comicus enim inquit: nam iſtaec commemoratio Quaſi exprobatio eſt immemoris beneficij. Quod Graecis igitur eſt ὀνειδίζειν, ille exprobare reddit. Cicero vero ὀνειδιζόμενος exprimere volens, vt puto, verſo ſermone, cum eſſet ei obiectum, ait. locus autem eſt in epiſtola ad Paetum cum vocem referret, qua Ariſtippus Cyrenaicus ſe purgauit, inſimulatus quod Laida haberet. Graeci ſcriptores hoc ipſo verbo in re exponenda vti ſolent.

Locus emendatus in Liciniana, vbi Cicero vitam ſuam tuetur contra voces maleuolorum, eum vt nimis deditum ſtudiis litterarum, inſectantium.

CAP. IX.

LOcvs eſt corruptus in oratione Ciceronis pro Archia poëta, qui tamen in ſcriptis exemplaribus vitio vacat: idemque etiam in iis, qui primis temporibus excuſi ſunt, integer legitur: vnde ſuſpicari licet ipſum a ſiniſtro aliquo correctore contaminatum fuiſſe: ita enim nunc ſcriptum eſt in iis, qui emendatiores putantur. Me autem quid pudeat? qui tot annos ita viuo iudices, vt ab illis nullo me vnquam tempore, aut commodum, aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas auocarit, aut denique ſomnus retardarit. (loquitur autem de ſtudiis litterarum) cum hoc pacto videatur omnino legi debere. Vt a nullius vnquam me tempore aut commodo, aut otium meum abſtraxerit, & quae ſequuntur: oſtendit enim, quod incubuerit litteris nemini obfuiſſe: nec ſe eſſe e genere illorum hominum, qui his ſtudiis vehementer delectati, cuncta officia & publica & priuata deſerunt, ſed ſemper ſe praeſto fuiſſe iis, qui opera ſua vti vellent & temporibus commodiſque eorum diligenter ſeruiſſe; nec a muneribus illis potuiſſe, aut otio auelli, aut voluptate auocari, aut ſomno retardari, quare liberum eſſe omni culpa. nam quod tempus poneret in litteris boniſque artibus perdiſcendis, ſtatim accurate docet, atque id cum ſua magna laude, turpique nota eorum, qui longe aliam vitam, quam deſcribit, ſequerentur. nullo autem modo accomodatum fuiſſet illi loco temporique oſtendere ſe ita vixiſſe multos annos, vt nulla ratione diiungi potuerit a ſtudiis litterarum, vel potius valde alienum incommodumque: quamuis enim res commemoraric, quae impediunt ſtudia bonarum artium, vt ignauia, voluptas corporis, ſomnus, planum tamen eſt ipſas alia etiam honeſta facta retardare.

Πάλαισμα, proprie vſurpatum, ſatis apertum vocabulum eſſe: idem autem ad alias res translatum, aliquando obſcurum.

CAP. X.

ΠΑΛΑΙΣΜΑ valet aſtutam rationem vincendi aduerſarium, qua vtebantur pugiles in certaminibus: ſaepe tamen hoc verbum apud optimos auctores ad alias res translatum inuenitur: ſignificatque callidum aliquod conſilium ac vafrum. Aeſchines igitur contra Cteſiphontem cum inquit, iudices admonens ne ſe paterentur a Demoſthene decipi: μὴ δ' ἀγνοεῖθ' ὅτι πάλαισμα τοῦτ' ἐϛὶ δικαϛηρίου, manifeſto ita cepit. Xenophon quoque in ij. libro ἀπομνημονευμάτων, inducens Socratem irridentem ſtultam rationem Ariſtippi, qui dixerat, vt liber eſſet malis, quae ſaepe vexant incolas certorum locorum, noluiſſe vnquam aſcribi ſe in ciuitatem vllam, ſed vbique peregrinum eſſe, eodem pacto illo vſus eſt. verba politi ſuauiſque ſcriptoris haec ſunt. Καὶ ὁ Σωκράτης ἔφη, τοῦτο μὲν τοι ἤδη λέγεις δεινὸν πάλαισμα ἐπεὶ γὰρ οἱ ξένοι, ἐξ οὗ ὁ, τε Σίννις, καὶ ὁ Σκείρων, καὶ ὁ Προκρούϛης ἀπέθανον, οὐδεὶς ἔτι ἀδικεῖ. Vehementer autem illa eſt ironia; multis enim iniuriis tunc quoque expoſitos eſſe hoſpites intelligebat. Ariſtophanes itidem βατράχοις, cum ait Φρυνίχου παλαίσμασι, quod adnotat etiam vetus grammaticus, intellexit huiuſcemodi dolos, aſtutaque facta, quamuis ab interprete adferri videantur etiam aliae illius loci declarationes. ipſe tamen affirmarim ita locum eum accipiendum. praeſertim cum ſermo ſit de lapſu corporis: eſt enim illic ἀλληγορία niſi fallor. integer locus eſt (digreditur autem illic poëta ab argumento fabulaque) Κεἴ τις ἥμαρτε σφαλείς τι Φρυνίχου παλαίσμασιν Ἐγγενέσθαι φημὶ χρῆναι τοῖς ὀλισθοῦσι τότε Αἰτίαν ἐκθεῖσι, λῦσαι τὰς πρότερον ἁμαρτίας. non tam facile tamen perſpicitur quid intellexerit hoc verbo Sophocles in Oedipode tyranno, cum ita chorum fecit canentem. Τὸ καλῶς δ' ἔχον πόλει πάλαισμα, μή ποτε λῦσαι θεὸν αἰτοῦμαι, Θεὸν οὐ λήξω ποτὲ προϛάταν ἴσχων. Accuſabat autem ille Iocaſtam, quae contempſerat oracula: omnemque diuinationem flocci non faciebat, & ſane ipſe puto praedictionem ipſam ſignificari, ſiue pietatem erga deos immortales. non apparet tamen quid ſimilitudinis huic rei ſit cum illa, vt apte verbum illinc huc tranſferri poſſit.

Reprehenſum a Cicerone in oratione aduerſarij verbum accuſatorie, quo ipſe etiam, vt valde apto ad eam rem oſtendendam, vtitur.

CAP. XI.

NOTANDA eſt malitia ſummi Latinis oratoris, qui verbum recte in ſenatu a Trib. pl. vſurpatum reprehendidit, atque exagitauit, cum omnem illius rationem agrariam apud Quirites criminaretur. In ſapiente enim illo conſilio cum Rullus legem ipſam ornaret: vtilitatemque eius exponeret, vrbanam plebem nimium in rep. poſſe dixerat, exhauriendamque eſſe: id enim verbum quamuis rei narrandae, vel ante oculos potius ponendae, valde aptum foret, notatum Cicero in contione illi exprobrauit, indeque magnam inuidiam ipſi conflauit: de ſe enim tamquam de ſentina aliqua, verba feciſſe tribunum iniquo animo ferre debuit populus R. nam quin translatio elegans ſit dubitari non poteſt. Ipſe certe Cicero ita poſtea locutus eſt in epiſtola quadam ad Atticum, cum de eadem re ageret: inquit enim. Populo autem & Pompeio ſatisfaciebam emptione: qua conſtituta diligenter, & ſentinam vrbis exhauriri, & Italiae ſolitudinem frequentari poſſe arbitrabar. Sed Graeci quoque ſcriptores verbo, quod huic reſpondet, μεταφορικῶς vtuntur. ad eandemque rem transferunt, vt Euripides Oreſte. narrans Troianum bellum excitaſſe hoc conſilio deos immortales vt exhaurirent e terra tamquam e naui, ſentinam improborum contumelioſorumque hominum. haec poëtae ipſius verba ſunt, Θανάτους τ' ἔθηκαν, ὡς ἀπαντλοῖεν χθονὸς ὕβρισμα θνητῶν ἀφθόνου πληρώματος. nam Plutarchus, qui in Pericle eandem pene quam Cicero, ſententiam protulit, hoc ipſo verbo vſus non eſt: ſed inquit, docens ſingulis annis ipſum claſſem ornare ſolitum, nec non miſiſſe etiam agrarios in plura loca, id Periclem eo conſilio feciſſe vt ignaua, ob otiumque turbulenta ac ſeditioſa plebe, ciuitatem leuaret. ἀποκουφίζων μὲν ἀργοῦ, καὶ διὰ σχολὴν, πολυπράγμονος ὄχλου τὴν πόλιν.

Quod Cicero dixit philoſophiam quaſi ſaepimento quodam, vallari dialectica arte, expreſſum eſſe e Graeco.

CAP. XII.

CICERO in primo libro de Legibus cum de ſapientia ageret, a cuius amore φιλοσοφία vocata eſt, partes huius praeclari ſtudij explicauit. primumque illam, quae in purgando pectore occupatur, quomodo pararetur oſtendit: deinde, quae rerum naturalium cauſas inquirit: tertiam autem, dialecticam Graeco verbo appellatam intelligens, inquit. Atque haec omnia quaſi ſaepimento aliquo, vallabit diſſerendi ratione. & quae ſequuntur. expreſſit autem ſimile, quo Stoici quidam vim dialectices, naturamque explanabant. id autem, vt alia etiam nonnulla eiuſdem generis, Diogenes Laertius in Zenone poſuit: iis enim imaginibus illi putabant ſe inuolutam abditamque vim rerum poſſe explanare, cuius verba haec ſunt. εἰκάζουσι δὲ τὴν φιλοσοφίαν ἀγρῷ παμφόρῳ: τὸν μὲν περιβεβλημένον φραγμὸν, τὸ λογικόν: τὸν δὲ καρπὸν, τὸ ἠθικόν: τὴν δὲ γῆν ἢ τὰ δένδρα, τὸ φυσικόν. Reddidit igitur φραγμὸν, quae ſane notio eſt huius verbi, M. Tullius ſaepimentum. ad hoc cum ſatis certo cognoſcatur Ciceronem reſpexiſſe: huiuſque ſimilis notitia valde locum illuſtret, libentius id adnotaui quia memini eruditum virum in ſenſu huius loci eliciendo lapſum eſſe, qui falſo putarit M. Tullium reſpexiſſe ad ſententiam Platonis, qui in vij. libro de rep. dialecticam celebrans, appellarit ipſam θριγκὸν philoſophiae. cum tamen eruditiſſimus ille ac politiſſimus ſcriptor longe aliam rem ac praeſtantiorem ſcientiam, dialectices nomine illic ſignificarit: quod exiſtimabat ille Ciceronem feſelliſſe. Sed etiam in eo arbitrabatur eundem parum vidiſſe, quod putarit θριγκὸν eo in loco ſignificare ſaepimentum, cum apicem culmenque illic valeat, quamuis planum ſit eam quoque notionem eſſe eius nominis. vnde etiam nunc militari voce vulgo munitiones caſtrorum vallumque appellentur, e Graeco ſermone deriuata voce, trinceae.

Res, quae videntur honeſte negari vix poſſe, ne in odium incidas, aſtute non conceduntur, exemplo magnorum virorum.

CAP. XIII.

ATTENDENDA eſt aſtuta ratio duorum ſummorum ducum, qui cum alieni a quietis conſiliis paceque videri non vellent, eas conditiones ferentes, quas probari aduerſariis non poſſe intelligebant, callide fugerunt, quod honeſte negare non poterant: Philippus enim Macedonum rex in epiſtola quam ſcripſit ad Athenienſes, cum in animo haberet nihil eorum facere, quae legati ipſorum poſtulabant: nec tamen nimis durus videri vellet, affirmauit ſe auditis oratoribus eorum aſſentiri omnibus rebus, quas illi petebant: ſeque paratum eſſe inducias facere, ſi tamen Athenienſes miſſis ad ſe auctoribus malorum conſiliorum, iuſto ſupplicio illos affici paſſi ſint. litterae regis recitatae a Demoſthene in actione pro Cteſiphonte, illic nunc incluſae leguntur. Eodem etiam pacto M. Antonius texit odium ſuum contra eos, quos Mutinae obſidebat, docens ſe omni poena eos liberaturum, ſi imperatorem ſuum prodidiſſent, quod illi commiſſuri nullo modo erant: in epiſtola enim quam miſit Hirtio & Caeſari inquit, At militibus
„ incluſis opem fertis. nihil moror eos ſaluos eſſe, & ire quo iubet. ſi tantummodo patiuntur
„ perire eum, qui meruit.

Verbis propriis conuiuij vocatas diſputationes eruditas & a Cicerone in Topicis, & ſexcentis locis a Platone.

CAP. XIIII.

CICERO in libro Topicorum eleganti ἀλληγορίᾳ vſus eſt: manifeſto enim aliud dixit: aliud intelligi voluit cum multis vſurpatis translatis verbis, inquit.
„ Sed quoniam auidum hominem ad has diſcendi epulas recepi, ſic accipiam, vt
„ reliquiarum ſit potius aliquid, quam te hinc patiar non ſatiatum diſcedere. an autem primus apud Latinos accipere e ſua ſede in alienum locum tranſtulerit, ante aliosque epulas μεταφορικῶς vocarit diſputationes de rebus grauioribus, affirmare non auſim. Plato certe cuius, elegantiam orationis ſummo ſtudio Cicero imitatur, ante ipſum in Phaedro hac forma dicendi iterum vſus eſt: verbaque ſua, quae Latinis illis reſpondent, eodem tranſtulit, vt cum initio eius ſermonis ita induxit Socratem loquentem. Τίς οὖν δὴ ἦν ἡ διατριβή, ἢ δῆλον ὅτι τῶν λόγων ὑμᾶς Λυσίας εἱστία; & poſt ex eiuſdem perſona, paulo antequam tecto capite ſanctiſſimus ille vir delicatam eam teneramque orationem auſpicaretur: inquit enim πῶς γὰρ
„ ἂν οἷός τ᾽ εἴην τοιαύτης θοίνης ἀπέχεσθαι. Itemque in I. libro de Rep. his verbis. εὐωχοῦ τοῦ λόγου
„ ἔφη θαρρῶν: οὐ γὰρ ἔγωγέ σοι ἐναντιώσομαι, ἵνα μὴ τοῖσδε ἀπέχθωμαι. ἴθι δὴ ἦν δ᾽ ἐγώ. καὶ τὰ λοιπά
„ μοι τῆς ἑστιάσεως ἀποπλήρωσον, ἀποκρινόμενος ὥσπερ καὶ νῦν. vt in vij. etiam. quo teſtimonio quo-
„ que vſus eſt Budaeus. cum a Graecis vſurpatum ſaepe hoc verbum μεταφορικῶς doceret. καὶ
„ εἰς τὸν ὕπνον ἴῃ τὸ λογιστικὸν μὲν ἐγείρας ἑαυτοῦ καὶ ἑστιάσας λόγων καλῶν καὶ σκέψεων. & quae ſequuntur. locum autem illum in primo libro de Diuinatione vertens Cicero, eandem figuram ſeruauit,
„ his verbis. Ea parte animi, quae mentis ac conſilij eſt, agitata & erecta: ſaturataque bonarum cogitationum epulis, & quae ſequuntur. Idem quoque non minus elegans quam eruditus ſcriptor in ſermone de amicitia, quem Lyſidem inſcripſit, eodem pacto locutus eſt dicens.
„ Τί ὑμεῖς ἐστὸν ὁ Κτήσιππος αὐτὼ μόνω ἑστιᾶσθον: ἡμῖν δὲ οὐ μεταδίδοτον τῶν λόγων. vnde manifeſto tenetur magnopere delectatus eſſe hac translatione, cum tantopere ipſam frequentet.

Videri Ciceronem peccaſſe in vetere hiſtoria narranda,

CAP. XV.

QVOD M. Cicero inquit in ij. quaeſtione Tuſculana; Aſpice Philoctetam, cui concedendum eſt gementi: ipſum enim Herculem viderat in Oeta magnitudi-
„ ne dolorum eiulantem. nihil igitur hunc virum ſagittae, quas ab Hercule ac-
„ ceperat, conſolabantur, vereor ne a vero diſſentiat: memoriaeque lapſus hic ſit: neque enim Philocteta Herculem in Oeta acerrimis doloribus oppreſſum vidit, muliebremque fletum edentem, ſed pater ipſius Poean. temporaque manifeſto repugnant: ad Troianum enim bellum, cuius dux Agamemnon fuit, profectus eſt Philocteta: Hercules vero multo ante in deos relatus erat. Poeantem autem ab eo ſagittas dono accepiſ-

ſe,

ſe, quas poſtea filio reliquit, certum eſt, teſtimoniis multorum ſcriptorum. Apollodorus in bibliotheca id his verbis docet, vbi narrat non fuiſſe dicto audientem filium Herculi, cum iuſſiſſet eum incendere rogum: Poeantemque forte illac praetereuntem, duro illo munere functum eſſe, τοῦ δὲ μὴ θέλοντος, Ποίας παριὼν ἐπὶ ζήτησιν ποιμνίων, ὑφῆψε, ἔλαβε τὰ τόξα παρ' αὐτοῦ δωρεάν. Philoctetes ipſe apud Sophoclem in fabula, cui ipſe nomen dedit. ὅδ' εἰμ' ἐγώ σοι κεῖνος, ὃν κλύεις ἴσως Τῶν Ἡρακλείων ὄντα δεσπότην ὅπλων Ὁ τοῦ Ποίαντος παῖς Φιλοκτήτης.

Iure quidam accuſati, qui res, quamuis vtiles, non idoneis temporibus: neque id poſtulantibus, tractant.

CAP. XVI.

ACVTE increpauit aduerſarium, magnum oratorem, acris animi iuuenis apud Virgilium, quod propinquis hoſtibus, aggredique vrbem parantibus, oſtentaret importunam illam ſuam eloquentiam: neque enim tunc linguae munus valde requiritur, ſed manuum opus. quod ſi conſilij quoque vſus eſt, id ſubita ex poſitione contentum eſt. non male igitur inde orationem exorſus, inquit. Larga quidem ſemper Drance tibi copia fandi Tum cum bella manus poſcunt. & quae ſequuntur. Demoſthenes quoque in oratione περὶ συμμοριῶν, id exagitauit. quemadmodum etiam contrariam huius culpam: eius qui cum conſilia requiruntur, deliberatioque de aliqua re habetur, ſtudet opinionem fortitudinis reportare. vnde oppoſita haec inter ſe vitia incipit accuſare. ὅτι δ' οὐ ἐν χαλεπὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δόξαν ἀνδρείας λαβεῖν, ὅταν κίνδυνός τις ἐγγὺς ᾖ, δεινὸν εἰπεῖν φαίνεσθαι. addit autem ille ſtatim, in quo plurimum laboris, difficultatiſque poſitum ſit: quodque tempori conueniat.

Quod Cicero affirmat Iſocratem feciſſe iudicio, citans illum teſtem, ſcriptorem eum videri dicere ſe facere propter ſenectutem.

CAP. XVII.

MARCVS Cicero in Oratore tradit Iſocratem in ſenectute temperaſſe ſibi, iudicio ac voluntate, a frequentia numerorum, quaſi cognoſſet vſu nimis vinctam illam numeris orationem, quam antea adamarat, vitio non carere, comprobatque hoc teſtimonio ipſius auctoris: quem affirmat hoc ſcripſiſſe in oratione ad Philippum Macedonem: verba tamen Iſocratis videntur potius ſignificare id ipſum feciſſe labore deterritum, quod tantum moleſtiae, confectus annis, ſuſtinere non poſſet: ita enim ſeipſum purgat magno illi regi, ad quem librum miſit. Οὐδὲ γὰρ περὶ τὴν λέξιν εὐρυθμίαις καὶ ποικιλίαις κεκοσμήκαμεν αὐτόν· αἷς αὐτός τε νεώτερος ὢν, ἐχρώμην, καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπέδειξα, δι' ὧν τοὺς λόγους ἡδίους ἅμα καὶ πιστοτέρους ποιοῖεν: ὧν οὐδὲν ἔτι δύναμαι διὰ τὴν ἡλικίαν. nam cum aperte narret ſe prius hoc ornatu vti ſolitum: primumque ipſum aliis oſtendiſſe: addatque bona ipſius, dicens illarum rerum auxilio orationem iucundiorem: magiſque aptam ad perſuadendum effici, non videtur conuenire ſententiae illius, qui hanc rationem damnet. quod ſiquis aſtute velit egiſſe callidum ſcriptorem: puterque rejeciſſe in grauitatem aetatis, quod alia de cauſa faciebat, nihil hoc adiuuat Ciceronem, qui quod tradit de immutato conſilio Iſocratis, intelligi poſſe affirmat ex ipſius verbis, in ea oratione poſitis: ita enim inquitur. Quin etiam ſe ipſe, tantum quantum aetate procedebat (prope enim centum confecit annos) relaxarat a nimia neceſſitate numerorum. quod declarat in eo libro, quem ad Philippum Macedonem ſcripſit, cum iam admodum eſſet ſenex. in quo dicit ſeſe minus iam ſeruire numeris quam ſolitus eſſet. ita non modo ſuperiores, ſed ſe ipſe correxerat. nam quin verum ſit quod dicit, dubitari non poteſt: in dubio eſt res, quae ipſum impulerit: fueritne correctio veteris errati, an deſperatio praeteriti ornatus, ob virium imbecillitatem, conſequendi.

Confirmata vetus lectio in epiſtola Ciceronis ad Trebatium ſimilitudine Graeci ſermonis.

CAP. XVIII.

VERBA haec M. Ciceronis ex epiſtola ad C. Trebatium ſunt, ita olim a me purgata ope vetuſtorum exemplariorum: turpis enim macula in excuſis libris prius ipſa foedabat. Num ius ciuile veſtrum ex libris cognoſci poteſt? qui quamquam plurimi ſunt, doctorem tamen, vnumque deſiderant. antea namque impreſſi habebant, lumenque, quomodo autem reſtitutum a me verbum

accipi

accipi deberet, accurate tunc docui in caſtigationum illarum mearum explicationibus: exemplum tantum defuit, quo ſermo ille comprobaretur, in quod cum poſtea inciderem, libuit illud notare: valde enim ipſo integritas eius lectionis confirmatur: praeſertim, cum non defuerint, qui puritatem elegantiamque huius locutionis non videntes, rurſus contaminarint. Ariſtoteles igitur in Problematum ſegmento xix. eodem pacto locutus eſt: (nihil enim refert auctoritas huius ſermonis e Latino, an e Graeco ſcriptore petatur) Διὰ τί οἱ πολλοὶ ᾄδοντες, „ σῴζουσι μᾶλλον τὸν ῥυθμὸν ἢ ὀλίγοι, ἢ ὅτι μᾶλλον πρὸς ἕνα τε καὶ ἡγεμόνα βλέπουσι. cauſam igitur eſſe putauit cur magis numeros in canendo ſeruarent multi quam pauci, quod chorus, e multis conſtans, magis ſibi vnum ducemque proponeret: ad ipſumque reſpiceret.

Virgilij locus, qui videtur expreſſus ex Electra Euripidis, propter ſimilitudinem ſententiarum.

CAP. XIX.

VIRGILIVS his verbis induxit Andromachen interrogantem Aeneam, repente viſum: quaerentemque, quae & ipſa ſcire cupiebat, magni animi mulier, nec dum tot aduerſis rebus fractal & grata eſſe ſciebat illi, vnde quaerebat. Quid „ puer Aſcanius, ſuperat ne, & veſcitur aura? Eodem autem modo induxit Euri„pides colonum interrogantem Electram vxorem in fabula, cui ipſa nomen dedit, vt videatur epicus Latinus poëta e tragico Graeco hunc locum tranſtuliſſe: cum enim, ab opere rediens, ille inueniſſet domi cum vxore loquentes adoleſcentes duos, ac percunctatus „ eſſet, qui nam illi forent, accepiſſetque ab Oreſte miſſos ſtatim inquit. Τί φασιν, ἀνὴρ ἐν, καὶ λεύσσει φάος. valet autem apud Latinum poëtam ſuperat, quod apud Graecum ἐν: id enim primum interrogari debuit: neque enim mirum fuiſſet vtrunque tantis malis oppreſſum, vitam finiſſe. quod vero additur ab vtroque, eſt tamquam declaratio eius, quod vno tantum verbo, ac nimis conciſe dixerat. a conſequentibus igitur ambo vitam ſignificarunt: nam qui „ viuunt luce fruuntur, & quaſi veſcuntur. Praeterea quod Virgilius adiunxit. Ecquae nam „ puero eſt amiſſae cura parentis Ecquid in antiquam virtutem, animoſque viriles Et pater „ Aeneas & auunculus excitat Hector, poſterioris interrogationis agricolae illius imitatio eſſe „ videtur, cum ait. ἢ καί τι πατρὸς: σῶν τι μέμνηται κακῶν. vt falſa prorſus explodendaque videatur ſententia eorum, qui in Latino carmine parentis valere putarunt patriae. nam ſimiles etiam hi loci valde inter ſe ſunt, quod ambae hae perſonae quae interrogant, commotae animo ſunt, re noua, atque inexpectata perturbatae: quare conuenit ipſis mirifice vehemens haec, acriſque interrogatio.

Iocus Dionyſij tyranni in re nefaria molienda: ductus ab habitu, quo veteres ſtatuas deorum fingebant: aliaeque facetae voces inde conflatae.

CAP. XX.

FINGEBANT Veteres artifices ſimulacra multa deorum porrectas manus habentia: aliter tamen atque aliter conſormatas: partim enim eorum pateras coronaſque manibus ſuſtinebant; partim autem vacuas manus ipſas, ſupinas habebant. vnde materiae iocorum cauillationeſque naſcebantur. quod enim memoriae prodidit Cicero in iij. libro de natura Deorum, Dionyſius ille Siculus tyrannus cum ſana expilaret tolleretque, quae ſtatuae deorum immortalium in manibus porrectis gerebant, ita tegebat improbitatem ſuam: dicebatque ſe accipere illa, non auferre: eſſe enim ſtultitiam a quibus bona precemur, ab iis porrigentibus & dantibus, nolle ſumere. Contra autem lepidiſſimus comicus ἐκκλησιαζούσαις hunc argumento quendam induxit alium reuocantem, a propoſitoque retrahentem; ſtatuerat enim ille e priuato in publicum vaſorum aliquid conferre, vt plebiſcito iubebatur; nullo igitur modo id oportere fieri affirmauit: ſed potius conandum eſſe ſemper accipere quam dare, ſequentem inſtituta deorum ipſorum immortalium. hoc vero illis cordi eſſe intelligi poſſe ſpectatis ipſorum manibus: quando enim inquit votis ab illis petimus, vt boni aliquid nobis dent, ſtant eorum ſimulacra ſupinam manum porrigentia, vt quae malunt accipere quam dare. Verba poëtae haec ſunt, ab auctoritate deorum quod volebat, confirmantis: notaque quadam voluntatem illorum indicantis. γνοίης δ' ἀπὸ τῆ χειρῶν καὶ τ' ἀγαλμάτων: ὅταν γὰρ εὐχώμεθα διδόναι τἀγαθὰ Ἕστηκεν ἐκτείνοντα τὴν χεῖρ' ὑπτίαν Οὐχ ὥς τι δώσοντ', ἀλλ' ὅπως τι λήψεται. vt autem illic manus porrigere Cicero inquit, ita in v. quaeſtione Tuſculana, cum lepidam rationem commemoraret, qua vſus eſt idem callidi ingenij vir: condicionemque vitae miſerae praeclare intelligentis, in refellendo Damocle

BIBLIOTECA NAZ. V. EMANUELE ROMA

Damocle aſſentatore, qui beatum illum eſſe praedicabat: ait enim. Nec manum porrigebat in menſam. Plutarchus vero cum de eadem re loqueretur in v. libro Sympoſiacarum quaeſtionum, eodem verbo quo comicus, vſus eſt, cui tamen in initio alia particula addita eſt: loquit enim ἀπὸ δὲ τὴν δεξιὰν προτείνοντας ἐπὶ τὰς τραπέζας.

Chlamys non militarium hominum tantum: eorumque, qui peregrinationi ſe darent, veſtimentum, ſed venatorum quoque: quomodo Virgilius cepit.

CAP. XXI.

NON temere doctiſſimus poëta, cum Didonem deſcribit in venationem proficiſcentem, ornatam rebus omnibus, quas tempus illud poſtulabat, chlamydem etiam gerentem fingit: erat enim chlamys tegmen quoque venatoris. merito igitur cecinit. Tandem progreditur magna ſtipante caterua Sidoniam picto chlamydem circundata lymbo. nam qui peregrinabantur, longumque iter aliquod ſuſcipiebant, vti ea conſueſſe, vt ad iniurias coeli depellendas apta, certum eſt. illud autem teſtatur Pollux in Onomaſtico, vbi quae adiuuent id ſtudium exponit: copioſeque de vtenſilibus venatoris agit. addit vero ipſe etiam vſui chlamydem eſſe poſſe, ſiniſtra manu implicatam, cum ferae in eum inſiliunt. aut ipſe pugnam cum illis capeſſit. valde autem accommodatum eſſe huic ipſi muneri indumentum hoc ſignificatur etiam his Pacuuij verbis, quae citantur a M. Varrone in v. libro de lingua Latina. Hinc, chlamyde clupeat brachium, tamquam vſum praebeat clypei amyctus hic: euitarique illo poſſint tela ictuſque, qui inferuntur. Idem exemplum plenius ponitur ab Nonio. vbi etiam nomen fabulae legitur, vnde ſumptum fuit. Sic enim apud eum eſt. Pacuuius Hermiona. Currum liquit. chlamyde contorta clypeat brachium.

Sententia poſita a Cicerone in epiſtola ad Q. fratrem, declaratur e media philoſophia eruta: contraque eam quamuis veram certamque, oſtenditur ſubtiliter diſſeruiſſe Plutarchus.

CAP. XXII.

IN graui illa, plenaque optimorum praeceptorum epiſtola, quam M. Cicero ad Q. fratrem ſcripſit: quaeque ob longitudinem inſtar libri eſt, ea parte qua mederi vitio ipſius, quo maxime laborabat, ſtudet: erat enim ingenio iracundus Quintus: commotuſque animo, linguae non parcebat, ſed paſſim maledicta conuiciaque in omnes iaciebat, ſententia haec eſt, expreſſa e libris philoſophorum. Sed te illud admoneo, vt ſi hoc plene vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia, quam prouidere ratio potuit, ne occuparetur vt te ante compares: cotidieque meditere, reſiſtendum eſſe iracundiae. Hieronymus enim, qui multa commode vtiliterque praeceperat ad hunc motum ſedandum, aſſentiebatur & ipſe iram ſurgentem non intelligi: nec ortum illius ſentiri ob celeritatem, ſed ipſam poſtea iam conflatam, cognoſci. quod Cicero probans, verumque eſſe putans, non repugnat in hoc fratri. Plutarchus tamen in commentario περὶ ἀοργησίας ipſius opinioni reſiſtit: & ne dum concedat ortum iracundiae nos fallere, affirmat nullum animi motum cum excitatur, habere originem auctionemque adeo apertam. quod & Homeri auctoritate, & ſapientium virorum exemplo, confirmat. Locum ipſum eruditi eius ſcriptoris ponam, ſimulque maculam delebo: quae, niſi fallor, illum aſperſit. Οὐκ ἄριστον ἔφη μοι, καὶ περὶ ἄλλα χρήσιμα λέγων καὶ παραινῶν ὁ Ἱερώνυμος, ἐν ᾧ φησι γινομένης, ἀλλὰ γεγενημένης καὶ οὔσης, αἰσθάνεσθαι ὀργῆς εἶναι διὰ τάχος· οὐδὲν γὰρ οὕτω τῶν παθῶν συλλεγόμενον καὶ διακινούμενον ἔχει τὴν γένεσιν ἐμφανῆ, καὶ τὴν αὔξησιν. Suſpicor igitur legi debere οὐκ ἀρεστόν. idque magis ſententiae quadrare videtur: & in conſuetudine ſermonis frequens eſt, vt non placuiſſe ſibi dicat auctorem illum ea parte, quamuis iudicium illius, ſapientiamque, in multis aliis rebus probaret.

Faceta vox Stratonici cithariſtae recitata, in qua luſit in ancipiti ſermone, σὺν τοῖς θεοῖς: ſimulque eorum vis explicata.

CAP. XXIII.

STRATONICVS quidam cithariſta fertur vrbani lepidique ingenij fuiſſe: in multis autem ipſius acutis vocibus haec etiam a Graecis ſcriptoribus celebratur, quod cum ludum ille aperuiſſet, in quo artem ſuam doceret: illicque ſtatuas nouem muſarum dedicaſſet:

caſſet: Apollinisque vnam: duos autem tantum diſcipulos haberet. quaeſitumque ex eo eſſet, quot diſcipuli ipſius forent, reſpondit: (Graeca enim verba ipſius ponam) σὺν τοῖς θεοῖς δώδεκα. Intellexiſſe vero illum numeratis etiam diis numerum eum confici, conſtat. an autem aliter quoque accipi verba illa potuerint: vt in duplici eorum notione luſerit, animaduertendum. ipſe ſane puto hunc etiam ſenſum ab ignaro veritatis elici inde potuiſſe, quaſi dixerit ſe auxilio deorum ad numerum xij. diſcipulorum perueniſſe: quod honori illi erat: vt enim ſaepe poëtae vnitatis numero σὺν θεῷ dicunt, cum iuuante deo ſignificare volunt, ita etiam multitudinis σὺν τοῖς θεοῖς. cuius rei teſtis eſt Machon comicus, qui in fabula quadam hanc orationem tribuit Philoxeno Cytherio, poëtae optimo: eidem tamen ventris gutturiſque vitiis inquinatiſſimo, cum appropinquante morte de ſuis rebus loqueretur, ac quid in tabulis ſui teſtamenti contineretur facete explicaret. Τοὺς διθυράμβους σὺν θεοῖς καταλιμπάνω ἠνδρωμένους, καὶ πάντας ἐστεφανωμένους. longum autem elegansque Machonis carmen: in quo Philoxeni intemperantia declaratur: eiuſdemque in morte obeunda, quam ſibi ſuauis cibi auiditate procurarat, animi aequitas, apud Athenaeum eſt in viij. libro δειπνοσοφιστῶν. Ciceronem autem hunc modum loquendi, a Graecis ſumptum, in epiſtola ad Atticum vſurpaſſe, notum eſt. cum temperare & quaſi corrigere, quam editurus eſſet ſententiam, nimia confidentem ac ſpiritus iracundiaeque plenam, vellet: inquit enim. Σὺν θεῷ τι λέγω, magnus dolor acceſſit. efficietur aliquid dignum nobis; improbe autem contumelioſeque ſibi ab Antonio tractatus videbatur.

Diſputatio de veritate lectionis duorum Ciceronis locorum e libello de Senectute, contra Graecam Theodori tralationem.

CAP. XXIIII.

HAVD facile affirmarim corruptum ne exemplar habuerit Theodorus, cum locum Ciceronis vertens in libello de Senectute, vbi voluptates, quae percipiuntur ex ſtudio agri colendi explicat, reddidit. ὅ τις εἰς κόλπον μεμαλαγμένον τε καὶ διειργασμένον τὸ σκεδασθὲν σπέρμα ὑποδεξαμένη, πρῶτον μὲν βαλλοκρυπτικῶς συνέχει πιέσασα. ὅθεν δὲ καὶ βαλλοκρυπτία ὁ τόδε ἀπεργαζόμενον, καλεῖται. verba enim M. Tullij ſunt. vt in ſcriptis quos vidi, & excuſis olim legitur. Quae cum gremio mollito ac ſubacto ſemen ſparſum excepit, primum occaecatum cohibet. ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata eſt. Confirmat praeterea lectionem hanc auctoritas veterum grammaticorum. ipſe tamen videtur legiſſe occatum. non affirmarim igitur vtrum erratum hoc librariorum, ſi forte in aliquo libro hanc ſcripturam offendit, fraudi ipſi fuerit, aut ita verterit, quod etymon Latinae vocis exprimere non potuerit. quia in Graeco ſermone quod valet occare, ſimilitudinem nullam habeat, cum verbo quo ſignificant occaecare & tenebris occulere. quae vicinitas eſt communioque Latinorum verborum inter ſe: voluit namque Cicero dum de ruſtico hoc opere diſputat, originem illius vocis aperire ac docere denique vnde occatio dicta eſſet. nam inde appellatam ipſum putaſſe teſtimonio antiquorum intelligimus. in primis autem Sex. Pompeij erudıti ſcriptoris qui inquit. Occare & occationem Verrius putat dictum ab occendo. & caedant grandes globos terrae. cum Cicero venuſtiſſime dicat ab occaecando fruges iactas. Sed etiam Nonij Marcelli, cuius haec verba. Occationem ab occaecatis ſeminibus, qua id efficitur, dici M. Tullius voluit de Senectute. locum autem ponit. alio autem in loco idem, cum proprietatem huius verbi oſtenderet, & cur ita appellatum ſit duas opiniones afferret, huius etiam Ciceronianae meminit, quamuis diuerſum auctorem eius videatur afferre: ait enim. Occationis proprietas his indiciis aperitur. Varro de re ruſtica libro primo. Et poſtea occare, ideſt comminuere, ne ſit glaeba. quod ita occidunt occare dicunt. Serenus occatio occaecatio eſt. Arbitror igitur de explicatione huius nominis, quam Graeci etymologian vocant, a Cicerone hic agi. quae ſi occatum legatur, nulla hic eſſe poteſt. occatio enim πηρώσιμον eſt eius vocis. In altero autem hoc non dubito quin peruulgatam lectionem ſecutus ſit, quae fortaſſe mendo non vacabat. intelligo autem cum Cicero purgat ſenectutem, quod moroſa difficiliſque eſſe diceretur atque haec naturae ac morum vitia eſſe affirmat, non aetatis. probatque id exemplo ſenum Terentianorum, qui magnopere diſſimiles inter ſe forent: alter enim eorum nimis triſtis ac ſeuerus, alter vero lenis comiſque: ita enim quondam legebatur. Quanta in altero duritas; in altero comitas. emendaui autem ipſe quondam diritas. Theodorus vero reddit. ἴσα μὲν γὰρ ἐν τῷ σκληρότης: ἴσα δ᾽ ἐν τῷ φιλοχρηστία. illo autem modo correxi ſecutus teſtimonium Nonij Marcelli, nec non rem ipſam: inquit enim Nonius. Diritas M. Tullius de ſenectute. Quanta in altero diritas. Ditiſsimum ſeuerum. Varro Bimargo. Scena quem ſenem Latina vidit ditiſſimum, Sed etiam notiones verbi dirum explicans eandem lectionem

confirmat;

coofirmat: citat enim huuc locum: de naturae enim acerbitate loquitur comicus, quod ex contrario manifeſto perſpicitur, necnon ſuperioribus Ciceronis verbis. id autem valere dirum apertum eſt. & diritas eſt feritas quaedam ingenij atque immanitas. Vnde Annibal ab Horatio appoſite dirus appellatus eſt. nam durum etiam hominem appellari certum eſt, qui pudore non mouetur: nec flectitur precibus vllis. tranſlato ab corpore ad animum nomine. quod Graeci quoque fecerunt qui σκληρὸν ἦθος dixerunt. verum non de hoc animi habitu (niſi fallor) apud Ciceronem illic ſermo eſt, ſed diuerſo. ideſt de ſene, qui nimis ſaeuus eſſet in abſterrendis filiis ab iis voluptatibus, quae gratae adoleſcentiae eſſe conſuerunt.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER III.

Locus in primo C. Caeſaris commentario de bello ciuili correctus.

CAP. I.

QVAMVIS nullo certo teſtimonio vetuſtorum librorum niti poſſim, auſim tamen affirmare, conjecturis quibuſdam ductus, locum Caeſaris in primo libro de bello ciuili mendoſum eſſe: vbi enim non longe a principio legitur. Haec Scipionis oratio, quod Senatus in vrbe habebatur, Pompeiuſque aderat, ex ipſius ore Pompeij mitti videbatur. falſum eſt quod his verbis oſtenditur, adfuiſſe tunc in Senatu Pompeium: erat enim cum imperio: nec vrbem ipſi ingredi per leges licebat. hoc autem ita planum eſt, vt dubitari de eo non poſſe videatur. quare cenſeo legendum, ſecunda eius verbi littera immutata, aberat. Sententia praeterea verior eſt: magiſque conuenit. ſi namque Pompeius adfuiſſet, non poterat exiſtimari Scipionis orationem ex ore Pompeij mitti: ipſe namque praeſens, ſenſus animi ſui aperuiſſet, ac verbis omnia explanare. contra vero cum Pompeius abeſſet, nec vllo pacto per ſe loqui poſſet, veriſimile erat ipſum quid de ea re ſentiret, ab amico & affini homine dici voluiſſe. locus autem hic, qui non multo poſt ſequitur, omnem ſcrupulum euellit, vt mirer hanc maculam non animaduerſam antea: nec deletam fuiſſe. Proximis diebus habetur extra vrbem Senatus: Pompeius eadem illa, quae per Scipionem oſtenderat, agit. Senatus virtutem conſtantiamque collaudat.

Prauum ſtudium quorundam recentiorum declaratum, qui libertatem datam antiquis a conſuetudine variandorum generum verborum corrigere conati ſunt.

CAP. II.

PRISCI Latini eandem rem ſaepe, parum immutata voce, aut ne immutata quidem, diuerſis generibus appellabant, vt ſtudio etiam diligentiaque veterum grammaticorum percipitur, qui de hac re accurate ſcripſerunt: cunctaque teſtimoniis optimorum ſcriptorum confirmarunt. Inferioris autem aetatis litteratores non animaduerſa licentia temporum eorum, quibus Latinus ſermo vigebat, vno ſaepe tantum modo illa dici iudicarunt, ac ſi quid in ſcriptis vetuſtorum auctorum a conſuetudine diſcrepans, inuenerunt, ad normam illam ſuam redegerunt: ſummaque audacia vtentes, libere variarunt. exempla huius inſcitiae plura afferre poſſem, ac quas notas optimis auctoribus inuſſerint, declarare: vno tamen nunc, aut altero, contentus ero: cum enim Cicero muliebri genere interitio dixerit in v. libro in Verrem: vt alijs etiam fortaſſe locis, qui ab eadem licentia contaminati ſunt, illi ſiniſtri correctores, virili tantum genere interitum dici exiſtimantes, verbum id deleuerunt, ac pro illo par ei, vt putarunt, eiuſdemque notionis poſuerunt: ſic enim nunc in excuſis legitur. Cum bellis Carthaginienſibus Sicilia vexata eſt, & poſt noſtra patrumque memoria cum bis in ea prouincia magnae fugitiuorum copiae verſatae ſint, tamen aratorum internicio facta nulla eſt. No-

nij autem

nij autem indicio intelligitur interitio illic legendum eſſe: ipſe namque oſtendere volens muliebri quoque genere id verbum vſurpari ſolitum, hoc exemplo vſus eſt. Inueni autem eodem modo alium longe minoris ſcriptoris locum deprauatum eſſe: cum enim qui confecit commentarium de bello geſto a C. Caeſare contra liberos Cn. Pompeij, eodem pacto locutus eſſet: atque interitio protuliſſet, quod verum eſſe cognoſcitur teſtimonio vetuſtiſſimorum librorum, vox illa infrequentior, vt noua barbaraque, eiecta inde eſt, atque illius loco eadem, quae irrepſit in ſuperiorem Ciceronis locum, inculcata. in fidelibus tamen illis hac parte exemplaribus ita ſcriptum eſt. Ita pridie duorum centurionum interitio hac aduerſariorum paena eſt litata. Quamuis autem ignobilis eius libri auctor ſit: neque enim valde polito ſermone locutus eſt: nec magno iudicio vſus in rebus memoriae prodendis, & ſi Latinos Graecoſque poëtas ſe legiſſe declarat, atque eleganti etiam doctrina ſe ornatum facit, praeterquam quod valet ad locum eum Ciceronis confirmandum, non me tamen piget locum hunc apud eum reſtituiſſe. Eſt autem diligenter attendendum, an Nonius cum, de hac ipſa re ſubtiliter diſſerens, inquit. Mendae feminino genere. M. Tullius in Verrem, quae mendoſa denique littora: ita enim nunc in excuſis legitur, intellexerit locum hunc e iiij. actione. quod mendum iſta litura correxit, vt fortaſſe ita ſcripſerit Cicero. Quam mendam iſta denique litura correxit.

Lapſus Ciceronis per imprudentiam in appellando auctore Homericae ſententiae.

CAP. III.

Vm errata non nulla e genere eorum, quae μνημονικὰ ἁμαρτήματα vocantur, viuente adhuc ipſo ab amicis in Ciceronis ſcriptis deprehenſa ſint, poſtea etiam A. Gellius, quod Tironem familiareſque ipſius fefellerat, quoddam aduotauit. Sed ſuperiore quoque aetate Politianus in ij. libro de Diuinatione eodem modo ab ipſo peccatum fuiſſe declarauit, cum quaedam apud Homerum locutum fuiſſe Agamemnonem ſcripſiſſet, quae manifeſto edit illic Vlyxes. Reſtat autem alter par huic lapſus in eodem libro, a nemine adhuc, quod ſciam indicatus: non multo enim poſt cum Homericum verſum conuertat, quod Vlyxes pronuntiat, ab Aiace dictum tradit: Vlyxes enim eſt qui apud Achillem, querens de ferocitate Troianorum, ſententiam illam edit. Apud Ciceronem tamen ita in omnibus exemplaribus legitur. At Homericus Aiax & quae ſequuntur, neſcio quid hoc modo nunnat. Proſpera Iuppiter his dextris fulgoribus edit. Interpretatur autem hoc carmen. Ζεὺς δέ σφιν κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων. nec eſt quod miremur tam ſaepe memoria vacillaſſe Ciceronem: eſt enim id vitium proprium ſenectutis, qua aetate ille ſe ad haec φιλοσοφούμενα ſcribenda dedit: habuitque ſemper animum occupatum maximarum cogitatione rerum: quamuis enim vt ipſe teſtatur, defenſionum laboribus, ſenatoriiſque muneribus eſſet magna ex parte liberatus, non patiebatur tamen vita tam clari ciuis: in tantiſque rebus verſati, vt penitus ſe litteris otioque traderet: cum illi etiam, qui omnem aetatem in ſtudijs contriuerunt & ipſi aliquando in huiuſcemodi errores inciderint, vt Ariſtoteles, qui in ij. de moribus ad Nicomachum Calypſonis nomen pro Circes poſuit. & in ij. de ſtudio dicendi vbi Aegyptiorum regis nomen immutauit. Plutarchus praeterea, licet accuratiſſimus ſcriptor, quandoque hac culpa laborauit, vt in Nicia eum inquit. ὁ δ' Ἀριστοφάνους Κλέων ἀπειλῶν λέγει. λαρυγγιῶ τοὺς ῥήτορας καὶ Νικίαν ταράξω: neque enim hunc verſum edit apud Ariſtophanem Cleon, ſed Agoracritus, quem vt ἀλλαντοπώλην exagitat.

Nox nata Erebo, auctore M. Varrone: cum Heſiodus ſororem Erebi ipſam faciat.

CAP. IIII.

In libro Sex. Pompeij cognoſcimus M. Varronem Erebo natam Noctem dixiſſe, nec tamen Varronis teſtimonium illic poſitum eſt, iniuria vt ſuſpicari licet eius, qui diligentem & eruditum grammaticum, amputatis multis partibus mancum debilemque reddidit. additum tamen illic. Vnde & illud. Erebo creata, fuſcis crinibus nox te inuoco. Euripides in Oreſte Erebi loca incolere ipſam tradit: orat enim in ea fabula chorus, vt relictis illis ſedibus veniat ad conſolandam domum Agamemnonis, illi namque malo remedium ſopore tantum adhiberi poterat: nec tamen illo parente procreatam poëta commemorat. ὦ πότνια νὺξ ὑπνοδότειρα τῶν πολυπόνων βροτῶν Ἐρεβόθεν ἴθι. μόλε μόλε κατάπτερος τὸν Ἀγαμεμνόνιον ἐπὶ δόμον. Heſiodus vero & Erebum

" ipſum & Noctem extitiſſe ex Chao commemorauit hoc verſu, qui eſt in Θεογονίᾳ. Ἐκ χάεος δ' Ἔ-
" ρεβός τε μέλαινά τε νὺξ ἐγένοντο. Cum mixtam poſtea Erebo Noctem genuiſſe Aetherem &
Diem tradat; tam multos natos eſſe ex iis Cicero etiam in iij. libro de natura deorum oſtendit:
" cuius haec ſunt verba. Quod ſi ita eſt, Caeli quoque parentes dij habendi ſunt, Aether & Di-
" es: eorumque fratres & ſorores, qui a genealogis antiquis ſic nominantur. Appellat au-
" tem eos fere, qui ab Heſiodo referuntur, ab eo verſu. Νὺξ ἔτεκε στυγερόν τε μόρον καὶ κῆρα μέλαιναν.
" additque ad extremum Cicero, Quos omnes Erebo & Nocte natos ferunt.

Locus Virgilij illuſtratus: declaratumque eadem ratione, qua ille vſus eſt in augenda re, vſum antea fuiſſe Platonem.

CAP. V.

SVBTILITER Virgilius apteque, in colloquio regis Euandri cum Aenea: expoſi-
tioneque fabulae Herculis, cum feritatem Caci atque audaciam demonſtrare vel-
let, deique illius impetum in maximum furem, cognita illius iniuria, id tum con-
tigiſſe dixit, quod numquam antea viſum fuerat, vt immanis ſcilicet illa belua ti-
meret, ac timoris ſui certa etiam ſigna vultu oſtenderet. Verba poëtae, Euan-
" dri ore prolata, haec ſunt. Tum primum noſtri Cacum videre timentem Turbatum-
que oculis. Eodem pacto Plato in primo libro Politiae declarauit, quam acer eſſet in di-
ſputando Thraſymachus, ille Chalcedonius: nec ſolitus vmquam concedere quicquam aduer-
ſario. ſimulque Socratis acumen, elegantiamque, qui illum refellerat: faterique coëgerat,
rem illo modo ſe habere, quo antea negarat: ait enim. Tum primum ſe vidiſſe, quod num-
quam antea ipſi vſu venerat, Thraſymachum erubeſcentem: victus enim ille in eo certamine,
colore etiam corporis quantum dedecoris admiſiſſet, indicauit: neque enim libenter, vt veri-
tatis cognoſcendae cupidus, ſed vt partae exiſtimationis omni ratione retinendae ſtudioſus,
aegre aſſenſus eſt: potiuſque eo inuitus tractus, quam ſponte venerit. Multum autem ſtudij
poſuit Plato vt hoc explanaret: nam & exagitare ſophiſtas propoſitum habebat: inanemque
eorum & ſimulatam doctrinam irridere: necnon Socratem ornare: laudibuſque in caelum di-
ſciplinam ipſius ferre. Verba vero politiſſimi ſcriptoris, in hoc toto animo incumbentis, haec
ſunt. Ὁ δὲ Θρασύμαχος ὡμολόγησε μὲν πάντα ταῦτα, οὐχ ὡς ἐγὼ νῦν ῥᾳδίως λέγω. ἀλλ' ἑλκόμενος καὶ μόγις,
μετὰ ἱδρῶτος θαυμαστοῦ ὅσου, ἅτε καὶ θέρους ὄντος. τότε καὶ εἶδον ἐγώ, πρότερον δὲ οὔπω, Θρασύμαχον
ἐρυθριῶντα. Similitudinis autem quiddam cum hoc habet, quod apud Homerum dixit Diome-
des contra Agamemnonis orationem: quae videbatur inſimulare principes Graecarum copia-
rum, ex quibus ipſe non vltimus erat, ignauiae, cum ita de illis exiſtimaret, vt domum reditu-
ris, & diſceſſuris e bello, non expugnato Ilio: inquit enim illum ſibi primum obieciſſe rem alie-
nam a vita, factiſque ſuis. Vnde vetus declaratio, vt alia quaedam illic adnotauit, accommodata
perſonae ſummi bellatoris, ita admonuit, valere eo loco primum, vnum, ac ſolum, quo ſigni-
ficauit, numquam antea ſibi hoc a quopiam obiectum fuiſſe. Verba poëtae ſunt haec. ἀλκὴν
μέν μοι πρῶτος ὀνείδισας ἐν Δαναοῖς,

Confirmata vetus lectio in epiſtola Ciceronis ad M. Brutum: ſententiaque ipſius explicata.

CAP. VI.

VERBA haec Ciceronis ſunt in epiſtola quadam ad M. Brutum. Spes liberta-
" tis nuſquam, niſi in veſtrorum caſtrorum principiis eſt. Significant autem ſpem
" omnem recuperandae libertatis in exercitibus C. Caſſij, & M. Bruti ipſius po-
ſitam. niſi intellexerit Cicero, non tam in copiis ipſis ſpem eſſe, quam in illis,
qui eas ducebant: quod non omnino militibus confiderent, ac fieri poſſe puta-
rent, vt animi ipſorum corrumperentur, niſi virtus Imperatorum obſtaret: in ea enim parte
caſtrorum duces ipſi tendebant. peccarunt igitur magnopere, qui eiecta vera voce, & quae
in omnibus, quos vidi, ſcriptis libris, formiſque antiquitus excuſis, inuenitur, pro illa falſo
praeſidiis poſuerunt. Verbum autem hoc, praeterquam quod ſemel a Terentio Eunucho ce-
ptum eſt, a Plutarcho quoque in Galbae imperatoris vita vſurpatur: vbi de Ouinij intemperan-
tia loquitur, qui adoleſcens adhuc, cum militaret ſub Caluiſio Sabino, primis ſtipendiis vxorem
ipſius, impudicam mulierem, noctu in caſtra militari habitu clam introduxit: ſtuprumque ei
in principiis intulit. Graeca verba, quae extremam hanc ſententiam valent, haec ſunt.
" Καὶ διέφθειρεν ἐν τοῖς ἀρχείοις, ἃ πριγκίπια καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Locum autem hunc caſtrorum caſtio-
rem

rem ſeruari ſolitum, & ab omni ſcelere mondiorem, cum manifeſto teſtimonio hoc Graeci ſcriptoris intelligatur (a loco enim quoque crimen Ouinij augere voluit, dicens in principiis id ab eo ſcelus commiſſum) percipitur etiam verbis his C. Gracchi oratoris, quae adducuntur ab A. Gellio capite xij. libro xvij. Sed in conuiuio liberi veſtri modeſtius erant quam apod principia. ita namque legitur in manu ſcripto fidelique exemplari, cum in excuſis ſit perperam principem. Poſt principia autem locum tutiorem fuiſſe atque ab omni periculo remotiorem & voce Gnathonis Terentiani intelligitur, militem irridentis, qui illic ſe eſſe velle oſtenderat: & praeterea auctoritate hac L. Siſennae, quae citata eſt ab Non. Marcello in libro de proprietate Latini ſermonis. Siſenna hiſtoriarum libro iij. Poſt principia paolatim recedunt, atque inde cum paucis fugae ſe mandant. quamuis illic haec verba mendoſa legantur, ita omnia macularum plena ſunt.

Corruptos eſſe ſaepe Graecos titulos Latinarum fabularum apud noſtros grammaticos: duoſque ex illis emendatos.

CAP: VII.

NOMINA ipſa indiceſque priſcarum fabularum ſaepe corrupta ſunt in commentariis veterum grammaticorum: cum enim poëtae, qui in Latinum ſermonem ipſas conuertebant, plerumque Graecos ipſarum titulos relinquerent, librarij poſtea Latini, eius ſermonis ignari, multa turbarunt. quod igitur ſaepe Accius citatur a Nonio Marcello nyctegreſia (quamuis quibuſdam locis magis adhuc id nomen inquinatum ſit) deprauatum omnino eſt: ſcribique debet νυκτηγερσία: ſignificat enim noctem illam luctuoſam Graecis, plenamque pauoris, qua vigilare coacti ſunt, nonaque conſilia capere, Troiana ex vrbe egreſſis: & quia res eorum valde ſecundae erant, in campo tendentibus. inde igitur quoque teſtimonium ab eo petitur, vbi docet a veteribus ſcriptoribus accuſatiuum ſaepe poſitum pro genitiuo. Accius in nyctegreſia. An ego Vlyxem obliuiſcar vmquam, aut quemquam praeponi velim. Sunt autem verba pronuntiata a Diomede, cui cum contigiſſet vt exploraret quid Hector gereret: poteſtaſque data foret, vt ſumeret quem vellet ſocium eius periculi, praeponens omnibus ſummi conſilij virum, id protulit: ſine dubio enim tragicus ille hunc Homericum verſum expreſſit e x. libro Iliadis. quo in libro tota illa res narratur. πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην. Sed etiam poſt de motatis coniugationibus, vbi docet expedibo pro expediam, poſitum aliquando eſſe. Accius nyctegreſia. Cuncta expedibo: id modo iuſiurandum date. hoc autem editum eſt a Dolone, capto iam a Diomede. apud Homerum enim inquit. Τοὶ γὰρ ἐγώ τοι ταῦτα μάλ' ἀτρεκέως καταλέξω. quamuis illic iuriſiurandi nulla mentio. Plutarchus quoque in vita Homeri tempus hoc eodem nomine appellauit, ſcribens. ὡς ἐπὶ τοῦ Διομήδους καὶ τοῦ Ὀδυσσέως ἐκ τῆς νυκτηγερσίας ἀνακομισθέντων. vt Strabo etiam in viiij. libro, cuius haec verba. Κράτης δὲ φοινίκα καὶ φοίνικα, τεκμαιρόμενος ἐκ τοῦ κράνους τοῦ μίλτου. ᾧ ἐχρήσατο Ὀδυσσεὺς κατὰ τὴν νυκτηγερσίαν. certae enim partes eius poëmatis, vt Odyſſeae etiam, quod a veteribus ſcriptoribus memoriae proditum eſt, ſuis propriiſque vocabulis appellabantur, quae indicarent id quod ibi contineretur. Teſtimonio etiam Sex. Pompeij, ſi quid adhuc alicui ſcrupuli reſtaret, declaratur ita omnino legi debere: inquit enim. Vnde & νυκτηγερσία quaſi noctiſurgium. Idem etiam Caecilio, in altera ſcena verſato, contigit: cum enim citetur a Nonio, vim verbi grauidauit explicante, Titte (ita enim eſt in Aldino exemplari) nec non ab eodem docente virili etiam genere compitos dici Tithe: vt alibi Titheo: nec non quandoque Tite, arbitror legendum omnibus his locis Titthe; inueni enim apud Graecos grammaticos citatum Menandrum ἐν Τίτθῃ: ſuſpicorque hanc fabulam a Latino illo comico verſam fuiſſe. Nec me tamen fallit ſuperioribus locis emendatum a neſcio quo Tyche: quae lectio, vt certa, firmaque irrepſit in omnes excuſos libros. Hoc autem auſum eſſe eum apparet, quia ſemel tantum apud eum grammaticum ſcriptum inuenit in Aldi libro, Caecilius Tyche: cum ſcilicet Nonius auctoritatibus veterum probat varias eſſe notiones verbi contendere. Qui autem caſtigationes confecit in hos grammaticos, Bentinus, ſibi nihil conſtare dixit de veritate lectionis.

Locus Ciceronis, conuerſus ex epiſtola Platonis, non valde planus apud Latinum ſcriptorem, declaratus.

CAP. VIII.

MArcus Cicero in v. libro Tuſculanarum quaeſtionum, locum Platonis vertens e priore epiſtola ad Dionis propinquos: nec eundem ordinem ſententiarum ſeruans, obſcurior fuit: & tamquam anſam dedit iis, qui legerent, errandi: ſic enim inquit. Ceterae

qoe, quae comitantur huic vitae, in qua ſapiens nemo efficietur vmqoam: moderatus vero multo minus: quae enim natura tam mirabiliter temperari poteſt: hoc enim quod extremum poſuit, non confirmat poſteriorem ſententiam, quae ratione non eget: ac ſua vi ſatis aperta eſt: quis enim vmquam ſecum dubitet, an e delicata illa luxurioſaque vita, quam deſcripſit, moderatos aliquis temperanſque effici poſſit? planum enim omnibus eſt neceſſario rem contra ſe habere. ſed valet ad comprobandum, ſi quis eam vitam ſequatur, ſapientem nullo modo effici poſſe: in quo aliquis fortaſſe, non multum videns, haerere potuiſſet: falſoque putare ab hominibus quoque, qui ita viuerent, ſi ingenio valeant, tempore poſſe ſapientiam comparari. quod refellitur, falſumque eſſe declaratur his verbis: nullam enim naturam tam admirabiliter temperari potuiſſe affirmant, quae non obruatur varietate copiaque ciborum: libidineque itidem ac Venere non corrumpatur. Eruditiſſimus autem ſcriptor Plato hoc cauit; nec commiſit vt quiſquam culpa ipſius laberetur, qui ita rem tradidit. Καὶ ἐκ τούτων ἐκ τῶν ἐθῶν ἐν τῷ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἀνθρώπων, εἰ νέος ἐπιτηδεύων, οὔτ' ἂν φρόνιμος οὐδείς ποτε γενέσθαι δύναιτο: οὐδ' ὅπως θαυμαστῇ φύσει κραθήσεται; σώφρων δὲ οὐδ' ἂν μελλήσαι ποτὲ γενέσθαι.

Hiſtoria tradita ab Horatio de iucundo genere inſaniae, quod Argiuum, notum hominem, inuaſit, recitata etiam ab Ariſtotele in libro de admirandis.

CAP. IX.

QVOD in epiſtola ad Iulium Florum Horatius narrat Argis cuidam vſu veniſſe, vt cum ſuaui quodam genere inſaniae teneretur, poſteaque cura cognatorum eo errore liberatus foret, male ſecum actum diceret, id ab Ariſtotele Abydi contigiſſe memoriae proditum eſt in commentario, quo res admirabiles, ab aliis acceptas, exponit: verſus Horatiani ſatis noti ſunt: copioſe enim totam rem commemorat. eius vero narrationis initium. fuit haud ignobilis Argis. Qui ſe credebat miros audire tragoedos In vacuo laetus ſeſſor plauſorque theatro, & quae ſequuntur. Verba vero Ariſtotelis, conciſius idem dicentis, illo tantum diſcrimine, quod indicaui, haec ſunt. Λέγεται δέ τινα ἐν Ἀβύδῳ παρακεκινηκότα τῇ διανοίᾳ καὶ εἰς τὸ θέατρον ἐρχόμενον ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας θεωρεῖν, ὡς ὑποκρινομένων τινῶν: καὶ ἐπισημαίνεσθαι. καὶ ὡς κατέστη τῆς παρακοπῆς, ἔφησεν ἐκεῖνον αὐτῷ τὸν χρόνον ἄριστα βεβιῶσθαι. Aut igitur ſefellit memoria poëtam carmen condentem: aut alios auctores, qui in loco ab Ariſtotele diſcreparent, ſecutus eſt.

Enatare vſurpatum a Cicerone μεταφορικῶς: vt Graeci, nobiles ſcriptores, capiunt aliquando ἐκνεῖν.

CAP. X.

ENATARE quid valeat, cum de profundo quopiam flumine, marique ſermo eſt, nemo eſt qui ignoret, vt cum Flaccus inquit. quid hoc? ſi fractis enatat expes Nauibus, aere dato, qui pingitur; transfertur tamen eleganter hoc verbum ad alias res, vnde exire non minus laboris eſt, quam e profundo. quo intellectu illud a Cicerone dictum fuit in v. libro Tuſculanarum quaeſtionum. Reliqui habere ſe videntur anguſtius: enatant tamen, Epicurus, Hieronymus: & ſiqui ſunt, qui deſertum illum Carneadem curent defendere: ſignificat enim quamuis ratio ipſorum maioribus difficultatibus premeretur, atque illis quaſi fluctibus obruta foret, eos tamen inde quamuis aegre, emergere atque ad honeſtam illam ſententiam aſpirare. Graeco verbo, quod huic reſpondet, μεταφορικῶς & ipſe, Euripides vſus eſt in Hippolyto coronato. cum induceret nutricem, illam impuram anum, ſuadentem Phaedrae vt animum deliniret: pelleretque a ſe morbum illum, in quem inciderat, remedio, quod vnicum erat eius mali. exemplo namque ſui reginam cohortans, inquit. ἐς δὲ τὴν τύχην πεσοῦσ', ὅσην σύ, πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκεῖς. Si ipſa in eum locum veniſſem, in quem tu, quam nullo labore inde enataſſem: e maliſque iſtis me eripuiſſem? Plato quoque in v. libro de Rep. cum ad id, quod volebat explanandum, ſimili quodam vſus fuiſſet, in eoque verbum hoc ipſum proprie vſurpaſſet: de piſcina enim illic & profundo mari egerat, idem poſtea, ad id quod explicabat rediens, retinuit, e ſua ſede in alienam tranſlatum: ſermo enim erat de difficili quadam obſcuraque ratione ac ſententia. verba politiſſimi ſcriptoris haec ſunt. Ἀλλὰ δὴ οὕτως ἔχει, ἄντε τις εἰς μικρὰν κολυμβήθραν ἐμπέσῃ: ἄντε εἰς τὸ μέγιστον πέλαγος μέσον, ὅμως γε νεῖ οὐδὲν ἧττον . Πάνυ μὲν οὖν . Οὐκοῦν καὶ ἡμῖν νευστέον καὶ πειρατέον σῴζεσθαι ἐκ τοῦ λόγου. & quae ſequuntur: ipſe enim verbis, quae addidit, tamquam interpretari voluit vim illius tranſlati: in ea namque re enatare eſt ſaluum incolumemque eripi ex ea perículoſa ratione.

Conſue-

Conſuetudinem veterum ſcriptorum fuiſſe, vt verborum translatorum notionem ilico declararent.

CAP. XI.

Von nunc ſedulo feciſſe Platonem indicaui, vt vim translati verbi pluribus propriis explicaret, id fere veteres bonique auctores ſemper cuſtodiebant, vt cum voce ignotiore vterentur: ac translatione duriore, ſtatim notionem eius aperirent, ac quomodo accipi vellent, oſtenderent. Sophocles Oedipode tyranno, vbi calamitoſum illum regem facit de aduerſis ſuis rebus queri, inducit illum, conuerſa oratione ad filias, dicentem. χέρσους φθαρῆναι, κἀγάμους ὑμᾶς χρεών. poſterius enim nomen eſt declaratio prioris translati: χέρσος enim inculta atque ignaua terra proprie dicitur, vnde μιτοφορικὰς virgines, quae nuptui non traderentur: perpetuamque virginitatem ſeruarent, ob ſimilitudinem χέρσοι & ipſae vocari potuerunt. noſtri etiam agricolae in villaticis gregibus oues, quae non conceperunt, eodem vocabulo appellant, quo agrum non exaratum incultumque vocant. Demoſthenes quoque de falſa legatione, cum ita locutus eſt, manifeſto idem fecit. ὅτι πολλῶν συμμάχων ὑμῖν ἱερῶν καὶ φίλων παῖδας ἀλῶντας, καὶ πτωχοὶ περιέχοντας. M. Cicero vtrumque videtur complecti voluiſſe, cum in epiſtola quadam ad Atticum inquit. Vagamur egentes cum coniugibus ac filiis: ſunt enim conſequentia duo illa apud Graecum oratorem verba declaratio prioris obſcurioris vocis, ἀλῶντας. Duo praeterea ſummi oratoris vicini loci in oratione pro Cteſiphonte huius animaduerſionis apta exempla eſſe poſſunt, cum inquit. Αἱ δὲ πόλεις ἐνόσουν. τῶν μὲν ἐν τῷ πολιτεύεσθαι καὶ πράττειν δωροδοκούντων καὶ διαφθειρομένων ἐπὶ χρήμασι: τῶν δὲ ἰδιωτῶν καὶ πολλῶν τὰ μὲν, οὐ προορωμένων: τὰ δὲ, τῇ καθ' ἡμέραν ῥᾳστώνῃ καὶ σχολῇ δελεαζομένων: oſtendit enim qui nam eſſet ille morbus, ſtatimque extremum horum verborum & ipſum translatum interpretatus eſt, addens. Καὶ τοιοῦτόν τι πάθος πεπονθότων ἁπάντων. Dionyſius autem Halicarnaſſeus, nobilis magiſter dicendi, in tradenda arte affirmat hoc fieri debere, vt ante poſitis verbis explanetur notio conſequentis, ſi obſcurius id futurum eſt: aut ſtatim illatis tollatur nouitas nominis, omniſque eius aſperitas molliatur. Cicero quoque in iij. libro de Oratore videtur hoc ſeruaſſe, cum inquit. Nunc contra plerique ad honores adipiſcendos, & ad Remp. gerendam, nudi veniunt, atque inermes: nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati: vſus namque duobus verbis translatis, quid accipi ipſis velit, ſtatim declarauit.

Mos Athenienſium indicatus in funeribus, apud quos nubiles etiam virgines vſque ad rogum mortuum proſequebantur.

CAP. XII.

Diligenter eſt animaduertendus mos Athenienſium, apud quos mortuorum filiae innuptae etiam, ceteraeque cognatae mulieres, in funus prodibant: ac mortuum vſque ad rogum ſequebantur: hoc enim ipſorum inſtitutum tetigit Terentius Andria, cum inquit, Effertur, imus, interea inter mulieres, Quae ibi aderant, forte vnam aſpicio adoleſcentulam Forma. & quae ſequuntur. & infra. funus interim Procedit, ſequimur: ad ſepulturam venimus In ignem poſita eſt, fletur: interea haec ſoror, Quam dixi, ad flammam acceſſit imprudentius. Illud etiam manifeſto ſignificauit Lyſias in defenſione, quam ſcripſit Eratoſtheni. qui adulterum, domi depreheuſum, occiderat: affirmat enim ille interitum matris originem fuiſſe omnium ſuorum malorum: quod vxor, cum in funus proceſſiſſet, ſpectata primo ibi ſit a delicato illo adoleſcente, cum quo poſtea conſuetudinem ſtupri habuit: inquit autem purus ille venuſtuſque ſcriptor. ἐπειδὴ δέ μοι ἡ μήτηρ ἐτελεύτησε, πάντων τῶν κακῶν ἀποθανοῦσα αἰτία μοι γεγένηται: ἐπ' ἐκφορὰν γὰρ αὐτῇ ἀκολουθήσασα ἡ ἐμὴ γυνὴ, ὑπὸ τούτου τοῦ ἀνθρώπου ὀφθεῖσα, χρόνῳ διαφθείρεται. Similes autem hi loci ea quoque de cauſa inter ſe ſunt, quod in altero bene diſſimulatus & diu celatus amor indicatur: in altero vero expreſſus, ab eoque principio conflatus, memoratur. non ſine cauſa igitur apud nos dimiſſus hic mos repudiatuſque eſt, cum ſaepe amatoriarum leuitatum inde initium naſceretur.

Horatij locus e Satyra quarta ſecundi libri reſtitutus: idemque declaratus.

CAP. XIII.

IN Satyra, qua Flaccus Catium Epicureum irriſit, minuta multa praecepta ex eius perſona, dans: in iis etiam, quae ad alnum molliendam facerent poſuit, dicens. Si dura morabitur aluus, Mutulus, & viles pellent obſtantia conchae. ita namque legi debet,

auctoribus etiam ſcriptis exemplaribus, cum in excuſis perperam ſit Mugilis: quod erratum vt oſtenderem: antiquamque lectionem conſtituerem: teſtimonio etiam veterum interpretum comprobatam, hoc adnotaui. Athenaeus igitur in iij. libro δειπνοσοφιστῶν, quem Graecis piſcem eſſe putet, a Latinis Mutulum vocatum, indicat his verbis. τὴν τιλλίνην λεγομένην ἰχθῦν· καὶ ῥωμαῖοι μύτλον ὀνομάζουσι. M. vero Cato de re ruſtica. Aluum ſi voles deiicere, mutulorum iij. piſcem capitonem. Plinius quoque hunc piſcem appellat, & in harenoſis ſponte naturae prouenire affirmat. Diligenter autem ponderandus eſt locus hic Theopompi comici, adductus ab Athenaeo in xiiij. libro: παῦσαι κυβεύων μειράκιον, καὶ τοῖς βλίτοις διαχρῶ τὸ λοιπόν: κοιλίαν σκληρὰν ἔχεις, τὰ πετραῖα τῶν ἰχθυδίων ἀπόδου: videtur enim remedium tradere huius mali, iubereque vt edantur hi piſces ſaxatiles, qui certe huic corporis habitui ſunt accommodati. cum tamen Democritus, qui illic loquitur, affirmet ἀποδύειν valere cibum aliquem ab ore depellere, ac denique non comedere: comprobetque id teſtimonio hoc ipſo huius poëtae. exagitans Vlpianum, qui audito verbo illo, cum antea κεστρῖν ipſe ſuaſiſſet ἀποδύειν: vim eius (vt ipſe putat) non intelligens, ſtatim eam deuorarat. ita igitur cepit hunc eius poëtae locum Democritus, tamquam iuſſus eſſet adoleſcens ille, quod ſatis iam luſiſſet, deſinere ac blitis vti, nec vllo modo piſces ſaxatiles edere.

Erudite Virgilium finxiſſe miſſas a Venere columbas, quae iter Aeneae dirigerent: acceptumque id a Graecis poëtis.

CAP. XIIII.

QVOD Virgilius in vj. Aeneidos finxit Aeneae optanti auxilij aliquid, vt ad aureum illum ramum perueniret: idque a diis immortalibus votis petenti, apparuiſſe geminas columbas volantes, quae locum oſtenderent, Apollonius quoque in iij. Argonauticorum canit, aſpectu eius auis iuſſos ab augure Mopſo Heroas illos bene ſperare: demonſtratumque illis eſſe reſpondere id ſignum praedictioni Phinei, qui affirmarat reditum eorum e periculoſa illa expeditione poſitum eſſe in voluntate Veneris: ipſius namque deae ſacras eas eſſe aues, quod Latinus etiam poëta teſtatus eſt, his verbis. tum maximus heros Maternas agnoſcit aues. interpres etiam Graeci poëtae teſtimonium Apollodori citat e libro περὶ θεῶν, tradentis dicatam eſſe Veneri columbam, quod libidinoſa inprimis ſit auis. vnde quoque ipſi nomen impoſitum ſit in Graeco ſermone a copioſo coitu: & (vt loquitur) παρὰ τὸ περιττῶς ἐρᾶν, cum vocetur ab illis περιστερά.

Quid valeat, in robore accumbere, apud Ciceronem pro L. Murena, de aſpera Lacedaemoniorum vita prolatum.

CAP. XV.

IN oratione pro L. Murena, cum duritiam victus Spartiatarum oſtendere vellet Cicero, inquit: Qui cotidianis epulis in robore accumbunt. ſignificauit autem eos non conſueſſe in lectulis accumbere, vt mos erat reliquorum Graecorum, ſed in dura quapiam materia ac ligno: robur enim dicens lignum intellexit. Fuiſſe autem hoc conſuetudinis eorum percipitur etiam ex his Athenaei verbis e xij. libro δειπνοσοφιστῶν. Καὶ κλιθεὶς ἐπὶ στιβαδίτην, ἐπὶ τῶν ξύλων κατακείμενος, καὶ φαγὼν μετ᾽ αὐτῶν. ſermo autem illic eſt de Sybarita, molli teneroque homine: qui cum Lacedaemonem veniſſet, & in publicas illas coenas vocatus eſſet, cum & ipſe in robore accumberet, vt reliqui, inquit, ſe antea obſtupuiſſe, audita Lacedaemoniorum fortitudine: nunc vero cum inſtituta ipſorum viderit, nulla re aliis meliores iudicare. nam ignauiſſimus etiam quiſque optaret mori potius, quam vitam illam ducere, atque in tot malis perdurare. quod vero addit Cicero, eandem ſententiam vrgens: Neque vero Cretes, quorum nemo guſtauit vmquam cubans, melius quam Romani homines, qui tempora voluptatis laborisque diſpertiunt, reſp. ſuas retinuerunt. hoc diſcriminis extitiſſe quod ad tempus illud pertineret, inter vtroſque, multis rebus pares populos, intelligitur. quod Lacedaemonij in epulis accubabant, eoque habitu corporis cibum capiebant, quamuis in dura materia: Cretes, ne accubabant quidem.

Eadem imagine, ſumpta ab apum natura, duos optimos ſcriptores illuſtraſſe, quod ſignificare volebant.

CAP. XVI.

CVM refelleret crimen Cicero, quod accuſator L. Flacci Laelius, fecerat in reum: veneno ipſum Doryleníem quendam, qui teſtis contra eum venerat, ſuſtuliſſe: iamque illud ioco quodam riſuque eleuaſſet, addidit veriſimile id nullo modo eſſe, quia bo-

no ipſi

no ipſi tunc eſſe mors eius non potuiſſet, omne namque virus ſuum teſtis ille in Flaccum iam euomuerat. in extrema vero hac ſententia, tamquam imagine quadam ſimilique vſus eſt, falſam illam teſtimonij dictionem criminoſamque, ſumptis verbis a natura moreque apum, aculeum dimiſſum appellans. M. Tullij verba haec ſunt. Cuius mors te ex aliqua parte releuauit: edacem enim hoſpitem amiſiſti. Flacco vero quid profuit? qui valuit tamdiu, dum huc prodiret, mortuus eſt, aculeo iam dimiſſo ac dicto teſtimonio. nam interpretari etiam quod translatis verbis obſcurius ſignificarat, voluit. Ita autem quoque locutus eſt Plato in Phaedone, vnde id ſumere potuit Cicero, qui ornatum elegantiamque eruditiſſimi ſcriptoris magnopere admirabatur, ac cum licebat, ſummo ſtudio exprimebat. Induxit autem ille Socratem ita cum Simmia Cebeteque loquentem: ſuadentemque illis, vt ſiquid aliquando ipſe falſi in diſputando protuliſſet, contra id ſe accingerent: cauerentque magnopere, ne ipſe ſtudio elatus, cum ſeque atque eos decepiſſet, tamquam apis relicto aculeo euolaret. Planius autem ſignificauit Plato ſe imagine vti: notam enim illam addit, qua ipſae cognoſcuntur, dicens. ὥσπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν, οἰχήσομαι.

Theophraſti locus emendatus, vbi propinquae nobis telluris meminit, quae ſuberis quaſi patria eſt.

CAP. XVII.

SVSPICOR mendum eſſe in his verbis Theophraſti e iij. libro, de iis quae oriuntur e terra. οὗτοι δ' ἰδιώτερα, καθάπερ καὶ ὁ φελλός: ἐν γίνεται μὲν ἐν πυῤῥηνίᾳ. legi que debere τυῤῥηνίᾳ: copioſa namque haec arbor eſt in maritima regione Hetruriae, quam olim incoluere Tyrrheni, vt & ſyluae etiam ingentes ſuberis ſint prope Populonium, & oppidum quoque inde appellatum Sughereto: corrupta enim Latina voce ſuber patrio ſermone ſughero vocamus. quod autem tradiiut, quaedam magis propria eſſe certorum locorum vt ſuberem, idem quoque Plinius videtur confirmare, qui nec in Italia tota naſci commemorat, aut in Gallia omnino: ſignificat enim non paucas Italiae partes illam non ferre: Galliamque penitus eius expertem eſſe.

Quod a ſummo doctore valere πρότερον dictum eſt, idem etiam ſignificare priorem apud Latinos, teſtimonio Terentij comprobari.

CAP. XVIII.

EXPLICATIS iam x. illis generibus Ariſtoteles, quo tamquam ad capita quaedam, cunctae aliae res referuntur, non nulla expoſuit, quae adiuuare praeceptionem illam videbantur: in iiſque quot modis diceretur in Graeco ſermone aliquid πρότερον: pluribus autem iam eius nominis notionibus declaratis, addidit. Conſueſſe etiam multitudinem hominum, qui maiore in honore apud ipſos forent: quoſque magis diligerent, affirmare προτέρους παρ' αὐτοῖς εἶναι. Terentius igitur Eunucho, cum induxit Thaidem ita alloquentem amatorem ſuum Phaedriam. Siue eum priores partes hoſce aliquot dies apud me habere, hoc intellectu cepit. quo etiam antea Phaedriam, cum illa querentem da iniuria, fecit dicentem. Aut quia ſum apud te primus. nam exemplum etiam, cum idem verbum traditur valere βέλτιον, ab eodem comico peti poteſt, cum inquit, Siquidem hercle poſſis, nihil prius, aut fortius.

Elegans modus refellendi aduerſarios a definitione perſpicue falſa, rei, quam obiiciunt: quomodo ſi caperetur id verbum, omne certamen tolleretur.

CAP. XIX.

DILIGENTER attendenda eſt acuta ratio, qua vſi ſunt eruditiſsimi ac politiſsimi ſcriptores, Xenophon ac Plato, in diſcutiendis falſis criminibus, quae obiiciebantur ſanctiſſimo viro Socrati: cum enim antea ſedulo certis argumentis illa confutaſſent, poſtea quaſi manus dantes, & in ſententiam aduerſariorum venientes, re illa ita definita vt quadret ſententiae illorum: abſurditateque eius opinionis demonſtrata, penitus diſiiciunt crimen illud, innocentiamque ac virtutem rei declarant. In primo igitur libro ἀπομνημονευμάτων Xenophon, vbi purgat Socratem contra id, quod dixerant accuſatores, corrumpere ipſum iuuentutem, cum conſuetudinem ipſius oſtendiſſet, optimaque praecepta, quae adoleſcentibus dabat, recitaſſet, inquit; inſultans in aduer-
ſarios,

ſarios, maledicto ipſorum iam exploſo. πῶς ἂν οὖν ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ διαφθείροι τοὺς νέους; εἰ μὴ ἄρα ἡ τῆς ἀρετῆς ἐπιμέλεια, διαφθορά ἐστιν. quis autem vnquam tam inſigniter improbus, ſtultuſque foret vt diceret, ſtudium adhibitum in virtute illis tradenda eſſe corruptelam adoleſcentium? Plato autem in Apologia induxit Socratem ipſum eodem modo ſe defendentem, cum accuſatores iudicibus dixiſſent, eſſe illum artem in dicendo ac vehementem: omniaque, quae vellet artificio illo facile omnibus perſuadere: addit enim vanitate eius, criminis prius declarata; εἰ μὴ ἄρα δεινὸν καλοῦσιν οὗτοι λέγειν, τὸν τἀληθῆ λέγοντα; εἰ μὲν γὰρ τοῦτο λέγουσιν, ὁμολογοίην ἂν ἔγωγε οὐ κατὰ τούτους εἶναι ῥήτωρ. ambo igitur quaſi dixerunt, ſi immutanda vis eſt & notio nominum: ac longe aliter quam conſuetudo facit, vocabula haec capienda, non recuſo quin haec de me dicantur.

Caecum dictum videre a Cicerone in litteris: animi tamen luminibus, non corporis vt apparet. Eodem autem pacto optimum tragicorum in optima fabula locutum, oſtenditur.

CAP. XX.

IN extremo v. libro Tuſculanarum Cicero, vbi malum caecitatis conſolatur: docetque exemplis multis doctorum illuſtriumque hominum, illud aequo animo ferri poſſe: nec carere certis quibuſdam liquidiſque voluptatibus, hoc etiam de Cn. Aufidio, ciue R. honeſto viro, qui & ipſe caecus erat, ſubtiliter ingenioſeque edidit. Et Graecam ſcribebat hiſtoriam, & videbat in litteris. quamuis enim careret ſenſu oculorum, nec album colorem ab atro diſtinguere poſſet, acie tamen ingenij: menteque verum a falſo in ſtudio illo ſuo ſcribendae hiſtoriae: omnique re, quae ad litteras pertineret, diiudicabat. nam videre ſcite de illo, qui luminibus captus ſit, ſi idem acumine ingenij valeat in aliqua re, dici poſſe, confirmatur auctoritate optimi poëtae tragici. Sophocles enim in Oedipode tyranno, vbi inducit Oedipodem ipſum inſimulantem proditionis Creontem: ac Tireſiam augurem examinantem, obiicientemque illi caecitatem, eadem forma orationis eſt vſus: videreque dixit de rebus, quae ſenſu oculorum non percipiuntur. haec eius verba ſunt de Tireſia. Ὅς τις ἐν τοῖς κέρδεσιν Μόνον δέδορκε: τὴν τέχνην δ᾽ ἔφυ τυφλός. vt igitur Cicero videre in litteris, ita tragicus ille videre in quaeſtu, lucroque dixit.

Quod vulgo dicimus, fumum natura ſua formoſiorem ſectari, a veteribus etiam Graecis in ſermone celebratum.

CAP. XXI.

NOSTRARVM mulierum opinio eſt, & tamquam prouerbium quoddam patrio ſermone celebratur vox, qua fertur, fumum pulchriorem totius domus perſequi: cum autem illa inanis admodum nugatoriaque eſſe videatur, non tamen recens eſt, ſed multis ſeculis & apud diuerſas etiam gentes, viguit: antiqui enim quoque Graeci hoc ita ſe habere exiſtimabant, vt teſtimonio comici poëtae intelligitur. Apud Athenaeum enim in vj. libro δειπνοσοφιστῶν plures Ariſtophontis verſus leguntur e fabula cuius index erat, ἰατρὸς. quibus paraſitus, vt videtur, naturam moreſque ſuos deſcribit: atque in diuerſis rebus ac ſtudiis ſe praeſtantem eſſe, eximiumque oſtendit. extremi autem duo hi ſunt. ὑπομένειν πληγάς, ἄκμων καὶ κονδύλους: πλάττειν δὲ, τιλμός: τῶν καλῶν καπνός, κἀπνός. in formoſis igitur tentandis cum ſe reliquos ſuperare dicere vellet, inquit in illis ſe fumum eſſe. Quod vero priore verſu Ariſtophon paraſitum dicentem induxit, ſe in perpetiendis plagis incudem eſſe, conſtat nullam aliam rem tot tantoſque ictus accipere. vt qui illam reddat, merito plurimum valere ſe in hoc tradat. Plautus quoque Amphitryone idem fecit Soſiam ſignificantem: illum quidem certe id malum magnopere metuentem: non quod idoneus illi tolerando foret, laudi ſibi ducentem: inquit enim. Ita quaſi incudem, me miſerum homines octo validi caedant.

Quid valeat apud Catullum, labefactare munere, declaratum.

CAP. XXII.

ACCVRATE Catulliani huius verſus ſententia videnda eſt: in epigrammate enim, quod fecit in Rufum, oſtendere volens nullis muliebribus donis obtinere ipſum poſſe vt femina vlla ſui corporis ſibi poteſtatem faciat, inquit. Non ſi illam rarae labe-

factas

befactas munere veſtis. ipſe ſane ſuſpicor labefactare munere, hic [illegible] dictum eſſe: valereque duram ipſam obſtinatamque flectere ac delinire, quomodo etiam expugnare pudiciuam dictum eſt. Graeci quoque ſcriptores (niſi fallor) eodem pacto locuti ſunt, vt Herodotus in viij. libro. vbi narrat praefectos quoſdam claſſium ſociorum in fide retentos pecunia. Haec eius verba ſunt. [illegible]. icti autem vulneratique muneribus appellati ſunt, quia vis ipſis ita quodam modo allata eſt. & tamquam de gradu propoſitoque deiecti mercede. nam, quod lepidus poëta in eodem carmine ludens, inquit, mala valde eſt beſtia, ſumptum fuit e familiari vernaculoque ſermone. cuius ille ſtudioſiſſimus eſt. Plautus enim quoque ita locutus eſt, vt in Bacchidibus. Magis illectum tuum, quam lectum metuo: mala es beſtia. Sed etiam in Poenulo. Tene ſis me arcte mea voluptas, male ego metuo miluos: Mala illa beſtia eſt, ne forte me auferat, pullum tuum.

De origine Mithridatis Pergameni: qui C. Caeſari valde acceptus fuit: rexque Boſphori ab eo eſt conſtitutus.

CAP. XXIII.

IN II. Philippica Cicero vbi de atroci odio C. Caeſaris in Deiotarum regem agens, inquit. In eius tetrarchiam ex Graecis comitibus ſuis collocarat. intellexit Mithridatem Pergamenum, quamuis nomine ipſum non appellarit: huic enim, erepta Deiotaro, a Caeſare tradita eſt poteſtas illa, quod copioſe narratur in extremo quarto commentario de bello Alexandrino his verbis (de Mithridate autem, aucto magnopere dignitate, ſermo eſt). Eidem tetrarchiam, legibus Gallograecorum, iure gentis & cognationis, adiudicauit: occupatam & poſſeſſam paucis ante annis a Deiotaro. quod autem, quicunque fuit, auctor huius libri, tuetur tam diligenter hoc factum Caeſaris, ſuſpicari poſſumus id a multis reprehenſum fuiſſe, indignumque Mithridatem tanto honore vulgo habitum: eoque pertinet tam diligens & accurata purgatio. Seruat autem hoc C. ipſe Caeſar in Commentariis, vt cum aut bellum nulla neceſſitate illatum, a ſe ratione coeptum oſtendere vult: aut improbum aliquod factum aequum eſſe declarare, multis argumentis in ea re vtatur. quod etiam ſodales ipſius, ſtudioſique eius exiſtimationis, cuſtodiebant. nam quod ſupra ſcriptum eſt, eum regio genere ortum: diſciplinis etiam regiis educatum: poſteriuſque hoc, quomodo factum ſit accurate traditum. Strabo, vicinus eorum temporum, non tantopere celebrat initia ipſius. fatetur ſane fuiſſe e tetrarchico genere Gallograecorum: gratum autem fuiſſe docet Mithridati, regi Aſiae, ob florem aetatis, ſpeciemque corporis. quod perſuaſit ſummo regi vt in caſtra ſecum eum aſportaret. vnde neceſſarios, nomen hoc illi impoſuiſſe, vt qui videri vellent natum ipſum e rege. Addit autem reliqua de beneficiis acceptis a Caeſare, & quaſi miratur eum in tantum dignitatis gradum ſublatum.

In familiari ſermone & Graecos & Latinos & noſtros, idem eodem paene modo: ſcite atque eleganter omnes, dicere.

CAP. XXIIII.

CVM ſuauitatem alicuius cibi, aut auiditatem eorum, quibus adpoſitum iri deberet Graeci oſtendere volebant, [illegible] de illis dicebant, [illegible] Ariſtophanis auctoritate hoc, cuius in primis purus ſermo commendatur, maniſeſto comprehenditur. In fabula namque, quam vocanit Pythagoreos, inſimulans ipſos: docenſque, quod a veſcendis animantibus ſibi temperarent, neceſſitate fieri: cum inopes admodum eſſent, addidit. poſſe huius rei periculum fieri: ſiquis enim ipſis aut piſcem, aut carnem adponat, ita illos libenter voraturos eſſe, vt ne digitis quidem parcant. Verba venuſtiſſimi comici haec ſunt. [illegible] citantur autem plures ipſius verſus ante hos ab Athenaeo in iiij. libro [illegible]. quibus exponuntur ea, quae commemoraui. Coquus Plautinus, quem glorioſum poëta in Pſeudolo induxit, cum idem ſignificare vellet, praerodere digitos inquit: iocatur enim dum artificium ſuum in caelum tollit. nam cum quaeſiſſet ex illo, qui eum conduxerat, vtrum amicis, an inimicis ſuis cenam daturus eſſet: accepiſſetque amicis, contra ſuaſit vt inimicos potius vocaret, lepidam huius admirabilis conſilij rationem reddens: ait igitur. Quin tu illo inimicos potius, quam amicos vocas? Nam ego ita conuiuis cenam conditam dabo Hodie, atque ita ſuauiter conditam, Vt quiſque quidquid conditum guſtauerit, Ipſos ſibi faciam vt digitos praerodat ſuos. nam quod Ballio ſta-

tim

tim reſpondit, retorquens in illum dictum, ac pro digitis manus ponens. Quaeſo hercle prius quam quicquam conuiuis dabis Guſta tute prius, & tuis diſcipulis dato. Vt praerodatis veſtras furtificas manus. Antiphanes quoque comicus, cuius teſtimonium eodem loco poſitum eſt eiuſdem ſcriptoris, in eadem ſententia, vt videtur, efferenda, eandem partem corporis appellauit, quamuis verbum etiam immutarit. inquit enim in Drapetagogo. Κοσμίως πάνυ τὴν σάθην μικρὰν μετ' ἐν τῷ περιδέρῳ: μισῶ δ' εἰδέναι τὴν χεῖρα κελεύω τὰ γυναικῶν καταφάγειν πάμπολλα καὶ ταχύνειν. Nos quoque patrio ſermone idem pronuntiamus; dicimuſque vulgo quempiam, qui vehementer cibo aliquo delectatur, leccarſene le dita, ſed etiam modum hunc loquendi ad alia transferimus.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER IIII.

M. Craſſi grauem locum, citatum à Cicerone Quintilianoque, non eodem modo legi apud vtrunque.

CAP. I.

LONGE aliter legit locum ex oratione M. Craſſi Quintilianus, quam apud Ciceronem nunc ſcriptus ille ſit in Oratore, vbi de numeroſa oratione Cicero diſſerens, eodem exemplo vtitur: illic enim ſic vulgo ſcriptum eſt. Cur clandeſtinis conſiliis nos oppugnant? cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos? Quintilianus vero: comparat is contra nos? manifeſto legit. vt ſint duo ſpondei quales dicit, in extremo. verba ipſius haec ſunt in ix. libro. Duo ſpondei non fere coniungi patiuntur (quae in verſu quoque notabilis clauſula eſt) niſi cum id fieri poteſt ex tribus quaſi membris. Cur de perfugis noſtris copias comparat is contra nos. vna ſyllaba, duabus, vna. quod ſi ita legatur clauſula penitus ſimilis erit & ſyllabarum natura & numero huic Ciceronis ex oratione pro Q. Ligario, ſed vita vis. Cuius item exemplo vtitur Aſconius cum M. Tullium inſimulatum falſo doceret, quod dura hac clauſula vſus foret in Diuinatione. Cuius ego cauſa laboro: inquit enim. Inepti ſunt homines, qui hanc clauſulam notant vt malam. cum ſit ex ſpondeo & baccheo. de induſtria durior, ad exprimendum ſententiam poſitam more Ciceronis vt alibi idem. Non tu eum patria priuare qua caret, ſed vita vis. In quo animaduertendum eſt, pedem, quem ipſe bacchеum appellat, vocari a Dionyſio Halicarnaſſeo hypobaccheum. de quo illic ita loquitur. Τὸ δὲ αὐτὸ συμβαίνει, κἂν ὁ βακχεῖος πρώτην τιθῇ τὴν μακράν. καὶ τὰς δύο τὰς ὁ ῥυθμὸς ἀξίωμα ἔχει καὶ μέγεθος: baccheum enim Halicarnaſſeus contra vult primas duas productas: tertiam correptam habere.

Quid ſit Graecis νηστείας ὄζειν. viderique apud Caecilium idem ſignificare, ieiuna anima.

CAP. II.

FOETOREM quendam animae, qui non vitio aliquo oris prouenit, ſed in omnibus fere eſt, qui nihil guſtarint, Graeci ſignificare volentes, νηστείας ὄζειν quaſi ieiunium olere, dicebant. Hoc teſtatus eſt Ariſtoteles in quaeſtione quadam, qua potiſſimum huius rei cauſam diligenter quaeſiuit. cur ſcilicet grauis anima eorum ſit, qui nihil adhuc comederint, ſed ieiuni ſint. cum ſtatim ſumpto modico cibo moleſtus ille odor pellatur: inquit enim. Διὰ τί τοῦ σώματος μηδὲν ἐδηδοκότων, ἀλλὰ νηστευόντων ὄζει μᾶλλον, ὃ καλοῦμεν νηστείας ὄζειν: φαγόντων δὲ οὐκ ἔτι. Hunc autem ingratum oris odorem ſignificauit Caecilius comicus. cuius haec verba leguntur apud Nonium, edita (vt apparet) ab eo, qui vxoris parum acceptae, odioſam comitatem, blanditiaſque accuſaret. Quae mihi, vbi domum adueni: aſſedi, extemplo ſauium dat, ieiuna anima. nam quod ſtatim grammaticus ille animam (eius enim verbi vim, diuerſaſque notiones tradebat) ſignificare inquit aquam: vſuſque eſt ad id probandum teſtimonio Plauti Amphitryone, qui ita Soſiam loquentem

tem induxit. Ni ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxero, falſus eſt: neque enim exemplo illo declaratur, animam, aquam valere, quamuis illic ſane id oſtendat: Sed eſt translatio, e genere earum translationum, quae in reliquis principatum obtinent: & ἐκ τοῦ ἀνάλογον vocantur: aqua enim puteo, quod anima eſt animantibus.

Quaeſtio propoſita a Seruio grammatico, aliter quam ipſe auctor eius faciat, ſoluta.

CAP. III.

LOCVS hic e iiij. Aeneidos negotium faceſſit Seruio interpreti, quaerenti nodum diſſoluere, qui torquet illum magnopere. Heſperidum templi cuſtos: epulaſque draconi Quae dabat, & ſacros ſeruabat in arbore ramos: Spargens humida mella, ſoporiferumque papauer: neque enim videtur cibus accommodatus peruigili ſerpenti; cuſtodique aureorum pomorum papauer, quod ſomnum inducit: ſumpto enim illo parum recte munere ſuo fungi poſſet. Ita igitur ipſe ſcrupulum hunc euelli poſſe puto: quomodo enim ille diſſoluit quaeſtionem, nullo modo probo. Vt cum fera admodum truculentaque foret beſtia illa, ſine periculo ali, curarique non poſſet. quare oportebat ſaeuam illius naturam mollire. eodem igitur tempore cibaria, quibus in vita eum retineret, cuſtos illa templi praeparauit: ac ſibi conſuluit. nam miſcuit infuditque cibis illis papauer, vt aſperum ingenium ſerpentis mitigaret: hac enim ratione diritas ipſius frangebatur: nec tamen profundus ſomnus inducebatur. mel vero aut ipſum quoque humore ſuo idem praeſtitit; aut ſuauitatem addens cibo, faciebat vt libentius deuoraretur. In vj. quoque libro vates illa ſapiens, inferorum canem, ne moleſtus eſſet Aeneae, demulcere volens Melle ſoporatam, ac medicatis frugibus offam, obiecit. medicatas namque fruges accipere debemus, quibus aſperſum ſit aut papauer, aut aliquid, quod ſomnum conciliet, vt medicatae aquae vocatae ſunt a Celſo, quibus vtimur ad pellendos morbos: quod ſulphur, aut huiuſcemodi quandam aliam materiam redoleant: inſitamque vim eius habeant. Accepi Turcarum regem alere tigrim: quae catenis etiam vincta, tuto tractari non poſſit. quare cum aliquo conuehere velint curatores ipſius, ſuccum mandragorae praebere ſolitos. quem Graeco nomine: nunc tamen quoque vulgo vſurpato, ὀπίον vocant.

Sententiae duae Ciceronis e libro ipſius de Republica, quae leguntur apud Nonium, patefactis perſonis, de quibus agitur, illuſtratae.

CAP. IIII.

HAEC verba M. Ciceronis ſunt e iij. libro de Rep. citata a Nonio. Duas ſibi res, quominus in vulgus & in foro diceret, confidentiam & vocem defuiſſe. puto autem intelligi illis Iſocratem, optimum dicendi magiſtrum. ipſe namque, cum omnem aetatem conſumpſiſſet in excolendis aliorum ingeniis: praeceptiſque artis tradendis, fatetur ſe iis de cauſis in contionem non aſcendiſſe: neque cauſas defenſitaſſe. In Panathenaico. οὕτω γὰρ ἐνδεὴς ἀμφοτέρων ἐγενόμην, τῶν μεγίστων δύναμιν ἐχόντων παρ' ὑμῖν, φωνῆς ἱκανῆς, καὶ τόλμης, ὡς οὐκ οἶδ' εἴτις ἄλλος τῶν πολιτῶν. Idem etiam in libro, quem miſit ad Philippum Macedonem, de ſe ipſo praedicat. Nec non Halicarnaſſeus in vita ipſius. In ij. autem de oratore Cicero alterum tantum horum tangit. quam ſcilicet Iſocrates appellat τόλμαν, hoc pacto. Siue, vt ille pater eloquentiae de ſe Iſocrates ſcripſit ipſe, pudore a dicendo & timiditate ingenua quadam refugiſti. loquitur enim de Q. Fratre, cui in hoc cum Iſocrate conueniebat: cum alterum afferre non poſſet. quod voce ille non careret, oratori idonea. Apud eundem autem veterem grammaticum leguntur haec quoque verba Ciceronis e iiij. libro de Rep. iuuat enim e tanto naufragio optimorum librorum has paruas quaſi tabulas colligere, ac quantum poſſum diligentia mea illuſtrare. Sed menti vtique noſtrae minime audiendus. Quippe, ſi ita ſenſit vt loquitur, eſt homo impurus: ſin aliter, vt malo, oratio eſt tamen immanis. Hoc (niſi fallor) pronuntiatum eſt de Epicuro. qui finem bonorum aiebat eſſe voluptatem. nam quod inquit. ſi ita ſentit, vt loquitur. notum eſt homines ſtudioſos eius diſciplinae ſolitos dicere, non intelligere ceteros quam dicat Epicurus voluptatem, falſoque putare corporis voluptatem ipſi probatam fuiſſe, cum tamen voluptatis nomine illa indicetur. quod vero addit. vt malo. valet ad ſignificandos mores ſuus: aequum enim ſemper ſe praebuit aduerſus illos Cicero: nec Epicurum ipſum odio perſequutus eſt, vt fere faciebant, qui ab eo diſſentiebant. ſed rationem ipſius tantum non probauit. immanis autem oratio, quae voluptatem laudet, cum anceps id verbum ſit, recte illic appellata eſt: magis enim pro-

prium

prium eſt beluae quam hominis, & eius quidem agreſtis, perſequi toto animo turpes voluptates. vnde immaniſſimum quemque acerrime voluptatem ſequi Cicero ipſe in Partitionibus inquit. quamuis immanitatem etiam in eodem libro appellet habitum animi, voluptatem omnem aſpernantis: intelligatque ἀναισθησίαν. Videndum autem (nihil enim reticere volo, quod opem ferre poſſit ſcriptis optimi auctoris) an in ſuperioribus Ciceronis verbis macula ſit, legique debeat. iuuentuti noſtrae. nam illo modo neque ſermo, neque ſententia valde mihi ſatisfacit.

Correctio Ariſtotelei loci e III. libro de Republica, ratione allata eius mutationis, nunc confirmatur: orbiumque illorum, qui κόλουροι vocantur, nomen explicatur.

CAP. V.

IN III. libro πολιτικῶν, vbi Ariſtoteles docet peccare illos, qui Periandri conſilium, Thraſybulo obſcure datum, exagitent vt nefarium ac tyrannicum penitus, cum idem fieri ſoleat etiam & in dominatu paucorum, & in ſtatu populari, librarij erratum erat in Graecis exemplaribus, quod correxi, cum ſtudio ac diligentia mea plures maculas deleui ex illo praeclaro opere: iudicij enim mei nunc rationem reddere volo: coniecturamque firmam, niſi fallor, comprobare. Cum igitur ita in omnibus, non excuſis tantum, verum etiam calamo exaratis ſcriptum foret: ὁ γὰρ ὀστρακισμὸς τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν τρόπον τινὰ τῷ κωλύειν τοὺς ὑπερέχοντας καὶ φυγαδεύειν, emendaui τῷ κολούειν. quod verbum mirifice aptum videtur huic rei oſtendendae: valet enim κολούειν, μειοῦν, ἐλαττοῦν, vt veteres grammatici teſtantur. & exemplis quoque optimorum auctorum liquido perſpicitur. Ipſemet etiam Ariſtoteles aliis in locis ita loquitur, cum idem oſtendere vult: cumque eandem hanc rem commemorat, vt in V. horum librorum. ἔστι καὶ τὸ Περιάνδρου πρὸς Θρασύβουλον συμβούλευμα ἐστίν, ἡ τῶν ὑπερεχόντων σταχύων κόλουσις, & eodem libro poſt. Τὸ τοὺς ὑπερέχοντας κολούειν, καὶ τοὺς φρονηματίας ἀναιρεῖν. Sed etiam in ij. libro cum Ephialtem Periclemque imminuiſſe auctoritatem Ariopagi diceret, ac quaſi vires illius amputaſſe, eodem verbo vſus eſt: ait enim: καὶ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν Ἐφιάλτης ἐκόλουσε, καὶ Περικλῆς. Κόλουροι autem orbes in ſphaera ab hoc ipſo verbo vocati ſunt. vt docet Proclus Lycius, cum falſum ineptumque etymon eius nominis inferioris aetatis homines, qui ſphaeram confecerunt, excogitarint.

Emendatus Horatij locus in epiſtola ad Valam.

CAP. VI.

MENDVM eſt in his Horatij verbis ex epiſtola poſteriore ad Numenium Valam (ita namque nominatur is, ad quem miſſa eſt, in antiquis exemplaribus: atque id non ſemel) cum enim quae nunc e duabus concreta videtur, illic ſeiuncta ſit, in ambarum capite idem index eſt: nouae vero epiſtolae in illis initium eſt. Menius vt rebus maternis atque paternis. Verba igitur haec non carent mendo; — non hercule miror Aiebat, ſiqui comedunt bene, cum ſit obeſo Nil melius turdo: cum enim in excuſis ita paſſim legatur, in ſcriptis libris ſcriptum inueni, comedunt bona: quae ſcriptura melior eſſe nullo negotio perſpicitur. Cicero ſane ita locutus eſt pro P. Seſtio, vbi Gellium, proſciſſum etiam pluribus epigrammatis a Catullo, vulnerat, atque omni turpitudine obruit. Vſque eo non fuit popularis, vt bona ſolus comeſſet. pauloque poſt. Vtrum ego tibi patrimonium eripui Gelli, an tu comediſti. Nonij praeterea hic ſenarius legitur apud Nonium grammaticum. Aedepol paternam qui comeſt pecuniam. Graeci quoque καταφαγεῖν οὐσίαν dicunt. vt Menander apud Athenaeum, de eo qui relictum a patre agrum vendidiſſet: pretiumque eius in ventrem abſumpſiſſet, γῆν καταφαγεῖν inquit.

Graui dolore quidam commoti, cum coetus hominum fugiant, vt animo tamen ſatisfaciant, caelo atque terrae mala ſua narrant: quos imitari ſe nolle dicit adoleſcens Plautinus.

CAP. VII.

IN Plauti Mercatore Charinus adoleſcens imitari ſe nolle dicit ceteros amatores, qui in comoediis aduerſas ſuas res inducuntur narrare iis, quae ipſe credit nihil ſua intereſſe putare quid illis fiat, ſed decreſſe ſe ſpectatoribus aperire miſerias ſuas: verba poëtae haec ſunt. Non ego idem facio, vt alios in comoediis Amantes vidi facere: qui aut nocti, aut die,

Aut

" Aut Soli, aut Lunae, miſerias uarrant ſuas Quas pol ego credo humanis quetimoniis Non
" tanti facere, quid velint, aut quid non velint. Hoc etiam nomine accuſabat quidam philo-
ſophum ſiniſtrum in ſabula Theogneti comici, phaſmate, cuius plures verſus leguntur apud
" Atheuaeum in xv. libro δειπνοσοφιστῶν. extremi autem illorum hi duo ſunt. Πεφιλοσόφηκας γῆ
" τε καὶ οὐρανῷ λαλῶν. Ὅτι οὐδεὶς ἐπιμελεῖτ' τῶν σῶν λόγων. In ſolo igitur loco ille, vacuoque ab au-
ditoribus, diſputarat ea, quae in conuentu dicere oportet, aut ſiqui forte aderant, ſermonem
ipſius non attenderant. Valet igitur hic, terrae caeloque loqui, idem quod apud nos vox
quaedam, quae prouerbij loco fertur: cum enim ſignificare volumus, quempiam fruſtra labo-
rare, qui aliquid aliquibus voluntatis obſtinatioris perſuadere conetur, imagine vtentes, dici-
mus idem ipſum facere, quod facit ille, qui ad certa quaedam olera verba facit: illa enim, cum
caput multa terra tectum habeant, non vocem exaudiunt. Medeae etiam nutrix apud Euri-
pidem in tragoedia hoc facit: maliſque conſternata, eum ipſa ſolitudine loquitur. verſiculos
ipſos, quibus oblectationem hanc ſuam ſiue potius ſolacium grauis doloris ſignificauit, ita
" expreſſit Cicero in iij. quaeſtione Tuſculana. Cupido cepit miſeram nunc me proloqui Cae-
" lo atque terrae Medeae miſerias.

Non perperam: nec ſine ratione, legi in quibuſdam antiquis libri, grauidinoſi & grauido: cum tamen, littera vna immutata, nunc & grauedinoſi & grauedo ſcribatur.

CAP. VIII.

M. Ciceronis hic locus e iiij. libro Tuſculanarum. Itaque dicimus grauedinoſos
" quoſdam: quoſdam torminoſos, a Nonio adductus, aliquantulum illic immutatus
legitur. grauidinoſos namque apud eum eſt. vt etiam in ſcriptis Ciceronis libris me-
" lioribus. Apud Catullum quoque hoc in verſu. Hinc me grauedo frigida, & frequens tuſ-
ſis, immutata eadem littera, grauido habent calamo notata exemplaria, vt videatur graui-
do dicta eſſe, vt libido, formido, cupido. cum autem vſu inualuerit grauedo, ſuſpicari poſſu-
mus id quoque ratione non carere, quod conſuetudo quondam ambobus modis hoc ver-
bum proferret.

Collati duo loci inter ſe duorum optimorum oratorum: ornatuſque ipſorum declaratus.

CAP. IX.

DVo ſunt hi loci, valde ſimiles inter ſe, duorum maximorum, vtriuſque ſua in gente, oratorum, Demoſthenis, & M. Ciceronis; in ambobus enim, & ſtomachus quidam perſpicitur, ac iuſta quaedam indignatio contra eos, qui rei ſatis plane, aperteque a ſe tactae, fidem habere nollent. eademque praeterea figura demonſtrata, qua vri auctores, antique homines conſueuerunt in leuiter emendando aliquo, quod prius ediderint, ac ſaepe etiam in re aliqua augenda: vocatur autem illa ἐπανόρθωσις, ita igitur locutus eſt princeps Graecorum oratorum in ij. quae vocatur Olynthiaca: Καιρὸς μὲν δὴ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πρὸς τῷ τότε παρὰ Φιλίππῳ τὰ πράγματα, ὁ παρελθών τις ἐμοί, μᾶλλον δὲ ὑμῖν δειξάτω, ὡς οὐκ ἀληθῆ ταῦτ' ἐγὼ λέγω. & quae ſequuntur. ſignificarat enim egregium tempus veniſſe, magna cum ſpe bellum gerendi cum rege illo. M. vero Cicero in prima, quam habuit in M. Antonium, ſatis moderate quidem, non ſine aculeis tamen quibuſdam ignominiae inquit. Vellem adeſſet Antonius, doceret me, vel potius vos P. C. quemadmodum ipſe Caeſaris acta defenderet. Cauſa enim, vt arbitror, vtrique fuit tamquam corrigendi. quod dixerant, quia id ipſis obſcurum, dubiumque nullam in partem erat, neque etiam eſſe debebat; iis autem, apud quos verba faciebant, opus fortaſſe erat ea explanare, quod ambo diligenter praeſtiterunt. Illius autem quod addidi, vſurpari etiam quandoque idem lumen orationis ad rem quampiam amplificandam, exemplum eſt ſupra in eadem Demoſthenis oratione, cum ait, ὡς ἐκ τῶν αἰσχρῶν· μᾶλλον δὲ τῶν αἰσχίστων.

Declaratum, idem ſentire de eadem re, nobilem Graecum rhetorem, ac ſummum Romanum oratorem: ambo enim accuſant ſtultos quoſdam Thucydidis imitatores.

CAP. X.

VErba ſunt Ciceronis in Oratore, corripientis quoſdam ſiniſtros imitatores Thucydidis, qui relictis virtutibus ipſius, vitia ſedulo exprimebant. id autem crebro vſu venit his, qui iudicio parum valent: cum enim quempiam amare coeperint, omnibus,

quae in eo inuenerint, ſtulte delectantur. Huius tamen nemo, neque verborum: neque ſententiarum grauitatem admiratur, ſed cum mutila quaedam & biantia locuti ſunt: quae vel ſine magiſtro facere potuerunt, germanos ſe putant eſſe Thucydidas. Eiuſdem autem iudicij fuit Dionyſius Halicarnaſſeus: conuenitque ipſi mirifice in hoc cum Cicerone, vt ſi moris Graecorum ſcriptorum eſſet vti teſtimonio Latinorum auctorum, facile crediturus fuerim ipſum additurum fuiſſe, ita quoque ſentire ſummum Latinum oratorem. nam librum hunc Ciceronis legiſſe ipſum puto: vixit enim Romae: omninoque expreſſus inde hic ipſius locus videtur. ſunt autem haec verba in Dinarchi vita, quam ſcripſit accuratiſsime. Οἷα Θουκυδίδην ζηλοῦν λέγοντες, καὶ τὸ μὲν εὔτονον, καὶ στερρὸν, καὶ δεινὸν, καὶ τὰ τούτοις ὅμοια, χωλῶς ἐκλαμβάνοντες: αὐτὸ δὲ σολοικοφανὲς σχηματισμοὺς, καὶ τὸ ἀσαφὲς προχειριζόμενοι, πάνυ εὐχερῶς ἀνθηρίσκοντο ἐκ τούτου τοῦ παραγγέλματος.

Graecum verſum, quo corripuit Tiberius Caeſar Agrippinam nurum, videri eum eſſe, quem poſuit Ariſtoteles in III. libro πολιτικῶν: illo autem acer amor regnandi caſtigatur.

CAP. XI.

ARISTOTELES in iij. libro de Rep. oſtendere volens longe aliam virtutem eſſe gubernantis ciuitatem viri, & priuati alicuius, id ſenſiſſe affirmauit magnae auctoritatis hominem, & qui conſilio multum valebat, cum edidit hanc vocem πεινῆν, ὅτε μὴ τυραννοῖ. quod neſciret alij parere: Iaſonem autem puto intelligi, quamuis geminata media littera perperam prius legeretur in omnibus libris Ἰάσων: quod in mea editione correxi. ſiue principem illum argonautarum intelligit, qui hoc apud tragicum aliquem pronuntiauit: ſiue Iaſonem potius Theſſalum, qui vocem hanc editam ab aliquo poëta, quia ſententiam eius probaret, in ſermone ſolitus eſſet commemorare: verba enim haec eſſe poëtae alicuius omnino puto. expreſſam vero fuiſſe vocem hanc a Tacito in iiij. libro hiſtoriarum, cum ſententiam verſus Graeci poſuit, non ſine cauſa aliquis arbitraretur. Audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere: correptamque Graeco verſu admonuit. Ideo laedi quia non regnaret. eandem autem rem exponens Suetonius & ipſe ſententiam reddidit his verbis. Graecoque verſu. Si non dominaris inquit filiola iniuriam te accipere exiſtimas. Hoc tantum aduerſari videtur, quod non valet πεινῆν laedi atque iniuriam pati, niſi forte, cum tranſlatum manifeſto id verbum ſit, quid ſignificetur hic ambo in vertendo ſpectarunt: ſed tamen mirum eſt, ſi aliud valet id verbum: nec vim illius exprimere curarunt, conſenſiſſe ambos vt redderent tamquam ſi ἀδικεῖσθαι legeretur.

Virgilij verſus in Ciri declarati: vetuſque hiſtoria de Alcathoo, qui condidit Megara, renouata.

CAP. XII.

ALCATHOVS, Pelopis filius, conditor fuit Megarorum: non ſine diuino tamen auxilio: nam praeſto fuit illi operi Apollo, adiuuitque ipſum in moenibus ciuitatis extruendia. quod Virgilius in Ciri ſignificauit his verſibus. Quarum non vlli fama concedere digna Stant Megara: Actaei quondam munita labore Alcathoi Phoebique: deus namque affuit illi. Theognis quoque, qui παραινέσεις ſcripſit, ciuis eius oppidi, illo ipſo in carmine hoc prodidit, canens. Φοῖβ' ἄναξ, αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην Ἀλκαθόῳ, Πέλοπος παιδὶ, χαριζόμενος. Pauſanias praeterea in Atticis idem commemorat, qui certae cuidam arci inditum nomen ab Alcathoo affirmat. quod etiam tunc manſerit: monſtrarique ſolitam narrat ἑστίαν ſecumque deorum, προδομείων appellatorum: quibus fama eſſet immolaſſe Alcathoum primum, cum munitionem oppidi exorſus eſt. prope autem focum illum lapidem extare. vbi aiebant depoſuiſſe lyram Apollinem, cum operam ſuam praeberet Alcathoo, in muris ciuitatis aedificandis.

Diſputatio de ſententia quadam Ciceronis, ſumpta ex ipſius libris de Republica: quo ille Platonis locum elegantem adumbrauit.

CAP. XIII.

HAEC ſunt verba M. Ciceronis e iiij. libro de Republica, citata a Nonio. Ego vero eodem, quo ille Homerum; redimitum coronis, & delibutum vnguentis, emittit ex ea vrbe, quam ſibi ipſe fingit, Intelligit autem, illum dicens, Platonem, qui hoc ipſum facit:

ducitque e ſua ciuitate Homerum, reliquoſque eiuſdem generis poëtas: quoniam mores optimos, quos ipſe ſummo ſtudio inſtituerat, corromperent. quod vero, ſummo hoore an Homero babito, hoc ipſum efficere tradit, intelligit locum hunc, qui io iij. libro πολιτείας eſt. ἄνδρα δὴ, ὡς ἔοικε, δυνάμενον ὑπὸ σοφίας παντοδαπὸν γίγνεσθαι, καὶ μιμεῖσθαι πάντα χρήματα, εἰ ἡμῖν ἀφίκοιτο εἰς τὴν πόλιν αὐτός τε καὶ τὰ ποιήματα βουλόμενος ἐπιδείξασθαι, προσκυνοῖμεν ἂν αὐτὸν ὡς ἱερὸν, καὶ θαυμαστὸν καὶ ἡδὺν· εἴποιμεν δ' ἂν ὅτι οὐκ ἔστι τοιοῦτος ἀνὴρ ἐν τῇ πόλει παρ' ἡμῖν, οὔτε θέμις ἐγγενέσθαι· ἀποπέμποιμέν τε ἂν εἰς ἄλλην πόλιν, μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες, καὶ ἐρίῳ στέψαντες: oeque tamen illle Plato Homerum appellat: eumue ſolum emitti vult e ciuitate, ſed omnes poëtas, qui varios mores imitarentur: in quorumque cantu diuerſae formae mutatioonum forent: cunctoſque demum, excepto illo, qui merus imitator ſit probi modeſtique ingenij: nec aliquid mixtum temperatumque reddat. nam hunc etiam, cum ſanctum, admirabilem, ſuauemque eſſe non neget, inutilem ſtatui illi optimo Reip. affirmat. Quod autem in cultu, ipſi habito tempore illo, Cicero inquit, redimitum coronis, lana coronatum eſt apud Platonem. ſecutus igitur videtur Cicero morem aetatis ſuae: io vj. enim quoque actione io Verrem affirmauit Segeſtanas mulieres, cum Dianae ſimulacbrum exportaretur ex oppido, vnxiſſe ipſum vngnentis: compleſſe coronis & floribus. Animaduertendum autem Themiſtij patrem, quod a filio monimenos litterarum proditum eſt, illum mortuum laudante, cum Epicurum exturbaret e choro pbiloſopborum, vngnento ſupra caput effuio, longe alio conſilio id feciſſe: tamquam enim illa ratione exprobrare voluit ipſi, perſecutom fuiſſe eum toto corpore voluptatem. oam quin hunc locum Platonis imitari voluerit, non eſt dubitandum. Cogitaodum praeterea an eundem bunc mollem tenerumque phioioſophum ſignificent verba Ciceronis, qui cum recipiendus non eſſet inter graues, eruditoique philoiopbos, noo tameo propter nomen ipſum ſapientiae: dignitatemque viri videbatur cum ignominia dimittendus: ſed potius boaore aliquo afficiendus. cum autem ſententia imperfecta ſit, nibil certi de hoc ſtatui poteſt.

Θεώρημα illud καθολικὸν, adductum a Chremete Terentiano, de diſſidiis amantium, quod maiorem amorem gignant, explicatum, ratione illius reddita, a docto viro.

CAP. XIIII.

Voo Terentius io Aodria inquit. Amantium irae amoris integratio eſt. praeterquam qood vſu verum eſſe intelligitur, teſtimoo1o etiam atque auctoritate Plutarchi confirmatur. qoi io commentatio, quem ἐρωτικὸν vocauit, idem affirmat: ac ſimili quoque, valde eleganti, declarat. Quemadmodum enim inquit, cum e nubibus exiit ſol ac poſt caligioem denique, feruentior eſt, ita amor cum interceſſit ira, aut ſuſpicio, pace facta: reconciliatiſque animis, iucundior eſt atque acrior. Plautus praeterea ſimulatum Amphitryoni Iouem idem induxit ioqueotem. Verum irae, ſi quae forte eueninot huiuſmodi, Inter eos, rurſum ſi reuentum in gratiam eſt. Bis tanto amici ſunt ioter ſe, quam prius.

Firmo progreſſu, & Maximo progreſſu, modos eſſe loquendi proprios militiae: quare emendantur duo loci duorum optimorum ſcriptorum, qui in prioribus barum vocum deprauati erant.

CAP. XV.

Verba haec Cn. Pompeij ex epiſtola quadam ad L. Domitium, cum ita legantur in pluribus ſcriptis libris, corrupta ſuot. Quod audieris Caeſarem Firmo progreſſum in caſtrum Trutinum veniſſe. corrupta autem ab aliquo, qui putauit ſe emendare, quod rectum erat: nec vlla correctione egebat: in optimo enim exemplari: ceteriſque ſuperioribus temporibos excuſis, inuenitur. firmo progreſſu. quae locutio militaris eſt, valetque magnis itineribus. oam firmus progreſſus μισ-ταφρικῶς appellatus eſt, vt nos quoque patrio ſermooe, cum idem ſignificare volumus, a gagliarde giornate, dicere conſueuimus. occaſiooem autem dedit peccaodi, quod Firmum oppidi nomen eſt eius regionis, ideſt agri Piceni. vode qui diſceſſiſſet, atque in caſtrum Truentinum veniſſet Corfinio, vbi tunc erat Domitius, appropioquabat. Eadem cauſa fuit alicui deprauandi locum e primo libro bellorum ciuilium C. Caeſaris: cum enim nunc paſſim excuſi habeant. Auximo Caeſar progreſſus omnem agrum Picenum percurrit, io antiquiſsimis pluribus quos vidi libris, ſcriptum eſt. Maximo Caeſar progreſſu. & quae ſequuntur. oon dubito autem quin haec vera ſit certaqoe lectio.

Parentes dictos etiam a Salluſtio τῶν ὑπάρχων; infrequenti voce apud Latinos auctores.

CAP. XVI.

PARENTES patres aut matres appellari ſolitos notum eſt, quamuis parentum nomine maiores etiam vocari iuriſconſultorum auctoritas velit. Salluſtius autem de coniuratione Catilinae parentes vocauit, quos Graeci ὑπάρχους & ἀρχηγέτας appellant. cum inquit. Libertatem, patriam, parenteſque armis tegere. Item de bello Iugurthino. Deinde, quod parentes abunde habemus: amicorum neque nobis, neque cuiquam hominum ſatis fuit. Cicero quoque videtur inde formaſſe vocabulum, in quo contentio fit, parentior: cum in primo libro de Officiis dixerit. Quinetiam ob has ipſas cauſas & parentiores habuerunt exercitus & fortiores. Quando autem hoc valet parens, eſſe aliam partem orationis, a pareo deductam, conformatamque, conſtat.

Quem, magnopere charum Veneri, vt vlciſceretur dolorem ab ea acceptum, interfecerit ſagittis ſuis Diana, quod minatur ſe facturam apud Euripidem.

CAP. XVII.

QVAE minantur, facturoſque ſe affirmant apud poëtas Dij immortales irrita eſſe non ſolent: ſed finem, quem illi praedixere, conſequuntur. quaerendum igitur quem necarit, ſagittiſque ſuis fixerit Diana, acceptum Veneri, vt inureret ipſi parem dolorem: compenſaretque incommodum, quod acceperat in morte Hippolyti, ob caſtitatem & ſtudium venandi, quo tenebatur, ſibi vehementer chari. Euripides enim in Hippolyto coronato, ita inducit Dianam loquentem. Ἐγὼ γὰρ αὐτῆς ἄλλον ἐξ ἐμῆς χερὸς, Ὃς ἂν μάλιστα φίλτατος κυρῇ βροτῶν, Τόξοις ἀφύκτοις τοῖσδε τιμωρήσομαι. An Adonim intelligit? quamuis enim ab apro interfectus ſit, auctore Marte caedis eius, potuit tamen ſibi id factum vendicare Diana, quia in ipſius ſtudio venationeque interfectus Adonis eſt.

Tormenti genus nefarium, quo narratur apud Virgilium vſus ſaeuiſſimus tyrannus, proprium fuiſſe barbararum gentium.

CAP. XVIII.

REX Euander apud Virgilium in ſermone, quem habuit cum Aenea, quum ſaeuitiam Mezentij regis oſtenderet: inſtamque iram populorum aduerſus illum exponeret, atroci etiam quodam ſupplicij genere vti conſueſſe eum docuit his verbis. Mortua quin etiam iungebat corpora viuis, Componens manibuſque manus, atque oribus ora, (Tormenti genus) & ſanie taboque fluentes Complexu in miſero longa ſic morte necabat. Immanis autem huius cruciatus mentionem fecit Clemens Alexandrinus, pius atque eruditus ſcriptor, in commentario, quem miſit ad Graecos, ſuadens illis vt veteres ritus: inanemque cultum deorum relinquerent, ſeque ad Chriſtianam pietatem conferrent: προτρεπτικὸν ipſe eum appellauit. inquit igitur ille, quod multum facit ad hunc Virgilij locum illuſtrandum. Τοὺς ἀνθρώπους (ἐμοὶ δοκεῖν) βαρβαρικῶς τιμωρούμενοι, οἱ νεκροῖς τῶν αἰχμαλώτους συνδεῖν λέγονται σώμασιν, ἕως ἂν αὐτοῖς καὶ συσαπῶσιν, neque tamen barbarae hae ſaeuaeque nationes, quod faciebat dirus tyrannus, ciuium corpora, ſed hoſtium, armis captorum, infelici hoc genere leti conſumebant. Quod vero ad nomen eius libri facit, ita veteres huiuſcemodi orationes appellabant, quibus, plenis laudis alicuius rei, ad eam capeſſendam hortabantur. Ariſtoteles quoque a Graecis interpretibus traditus eſt προτρεπτικὸν confeciſſe, quo adoleſcentes impelleret ad ſtudia philoſophiae. ipſe autem aliquando mecum cogitaui, an Cicero verbis his ex Hortenſio, quae citantur a Nonio, huiuſcemodi orationem ſignificarit. Nam quod vereris, ne non conueniat noſtris aetatibus iſta oratio, quae ſpectat ad hortandum: ſententia enim illic plena non eſt, ita vero arbitror legendum cum in excuſis libris veteres, ſit, pro veretis corrupte.

Non videri cenauiſſe Lacedaemone in philitiis Dionyſium tyrannum, vt literis mandauit Cicero, ſed domi ſuae ius illud atrum guſtaſſe.

CAP. XIX.

DISSENTIT aliquantulum Cicero a nonnullis Graecis ſcriptoribus in eo, quod memoriae prodidit de Dionyſio Syracuſio in v. libro Tuſculanarum. non delectatum eſſe cum iure illo atro, quod publicarum cenarum Lacedaemone initium erat: cum enim

de re

de re ipſis inter ſe conueniat, de loco diſcrepant. Cicero igitur inquit. Victum Lacedaemoniorum in philitiis videmus. vbi cum tyrannus cenauiſſet Dionyſius, & quae ſequuntur. Plutarchus vero in Laconicis dictis, tradit illum emiſſe coquum Laconem, cum deſiderio iuris eius atri deuorandi teneretur, quod magnopere audierat laudari: non apud eos in philitiis cenauiſſe: eique coquo mandaſſe vt dapem eam concinnaret, nulli ſumptu parcens. poſtea vero guſtato iure illo, expuiſſe. Eodem modo rem expoſuit, quicunque ille fuit, cuius teſtimonium citat Ioannes Stobaeus capite περὶ φιλοξενίας: auctoris namque nomen inde periit: inquit enim. Διονύσιος λακωνικὸν μάγειρον πριάμενος, ἐκέλευσεν αὐτὸν σκευάσαι τὸν λακωνικὸν ζωμόν. καὶ σκευάσαντος οὐκ ἤρεσε. & quae ſequuntur: totam enim rem accurate commemorat. Peregrinos ſane aliquando homines in cenas illas ſolitos admittere Lacedaemonios, indicat Athenaeus in xij. libro, dicens Sybaritam quoque, tenuitate illa victus cognita, immutaſſe iudicium de contemptu mortis, quem antea conſueſſet admirari in ea gente. ſed teneram hanc delicatamque eius vocem ſupra recitaui.

Vnde traxerit cognomen Ephorus auditor Iſocratis, qui δίφορος appellatus eſt.

CAP. XX.

EPHORVM Cumanum ab Iſocrate, ipſius doctore, δίφορον appellatum tradunt Graeci auctores: cuius cognominis cauſa haec eſt. quod cum ludo exiſſet, nondum percepta cognitaque dicendi arte: abſoluto tamen legitimo temporis ſpatio, a patre iterum Demophilo eodem miſſus eſt: iuſſuſque ludum illum frequentare propoſita eadem mercede, quam ſemel iam ſoluiſſet: rationem vero huius iuncti nominis hanc puto: verbumque translatum ab iis, a quibus duplicatum tributum exigeretur: φόρον namque tributum valere planum eſt: quod etiam geminari ſolitum, aut anguſtiis temporum, aut iniquitate dominorum conſtat. De quo etiam copioſe queſtus eſt apud M. Antonium Hybreas orator, diſertus atque acer, vt teſtatur Plutarchus in Antonio his verbis. πάλιν δὲ τὰς πόλεσι δεύτερον ἐπιβάλλοντος φόρον ἐτόλμησεν Ὑβρέας ὑπὲρ τῆς Ἀσίας λέγειν εἰπών. id autem ſuſpicari etiam poſſumus ſignificare vocem illam Iſocratis, qui aiebat ſe illi admonere calcaria: cum in Theopompo frenis vteretur. Peccatum tamen videtur eſſe ſcripturae apud Plutarchum in vita Iſocratis, qui hoc tradidit: ibi namque δίφρον perperam legitur. nam in Polluce, qui idem rettulit, recte legitur δίφορον.

Fanum Herculis μηνυτοῦ Athenis fuiſſe: eiuſque cognomenti ratio explicata.

CAP. XXI.

HESYCHIVS in lexico docet Athenis Herculem μηνυτὴν coli ſolitum: nec tamen eius cognominis originem cauſamque affert. illam autem diligenter expoſuit Cicero in primo libro de Diuinatione: cum enim ex aede Herculis patera aurea ſurrepta eſſet, viſus eſt deus ipſe in ſomnis Sophocli poëtae dicere, qui id feciſſet: quod ſemel ſomnium, iterumque cum neglexiſſet, non ceſſante ſpecie illa, aſcendit Sophocles in Arium pagum, ac detulit rem. Areopagitae comprehendi iuſſerunt eum, qui erat nominatus: qui quaeſtione habita, confeſſus eſt: pateramque retulit. quo facto fanum illud indicis Herculis nominatum eſt. Index autem manifeſto Latinis eſt qui μηνυτὴς Graecis.

Pictores inferioris aetatis aliter facere Herculem leonem interfeciſſe, quam veteres artifices pingere ſoliti ſint: qua licentia etiam vtantur in Cleopatra formanda, ſibi mortem afferente.

CAP. XXII.

CVM pictorum natio priſcis etiam temporibus ſibi omnia licere exiſtimarit, noſtrae adhuc aetatis artifices maiore licentia vtuntur: quod enim veteres plerumque ſeruabant, vt a re ipſa; eoque quod inſtitutum eſſet, non temere diſcederent, noſtri ſaepe negligunt. vt cum Herculem pingunt, Nemeaeum leonem necantem: neque enim diuulſis malis ipſe interfectus eſt a fortiſſimo viro: ſed faucium prelo ſtrangulatus: quod accurate narrat Apollodorus Athenienſis in bibliotheca; ceteris enim expoſitis, quae in hoc certamine anteceſſerunt, inquit. Καὶ περιθεὶς τὴν χεῖρα τῷ τραχήλῳ κατέχειν ἄγχων, ἕως ἔπνιξε. καὶ θέμενος ἐπὶ τῶν ὤμων ἐκόμιζεν εἰς μυκήνας. id tetigit etiam Euripides

in fabula, quam de illo inſano fecit, Inducens Lycum ita loquentem, cum criminaretur Herculem; fortiaque ipſius facta contereret. Ἢ τὴν νέμειον θῆρ', ὃν ἐν βρόχοις ἑλὼν, Βραχίονος φήσ' ἀγχόναισιν ἐξελεῖν. Sed Cicero quoque in ij. quaeſtione Tuſculana vbi vertit eiulationem illam Herculis e Trachinijs: inquit enim O lacertorum tori: Veſtro ne preſſu quondam Nemaeus leo Frendens efflauit grauiter extremum halitum? In nomiſmate praeterea argenteo imago eſt hominis leonem ſuffocantis, quem Herculem eſſe ex claua ante poſita intelligere licet: nec non ex pharetra. leguntur autem illic verba haec. C. POBLICI Q. F. In alia etiam celebri pictura labuntur, veſtigia maiorum: hiſtoriaeque veritatem, deſerentes. cum ſcilicet Cleopatram Aegypti reginam, captam cuſtoditamque ab Augusto, letum ſibi afferentem, faciunt vberi ſerpentem admouiſſe: neque enim illa pectori, ſed brachio aſpidem adegit. Propertius quoque aperte in elegia id docuit. Brachia ſpectaui ſacris admorſa colubris, caneos, vt Plutarchum omittam, narrantem, qui viderunt ipſam ita extinctam, tradidiſſe illic ictam fuiſſe a ſerpente, quamuis aſpis nuſquam reperta ſit: quod in brachio notae quaedam viſerentur.

Sublatum mendum ex epiſtola M. Ciceronis ad Q. fratrem: quod, praeter quam quod ſententiam corrumpebat, ſplendidiſſimum etiam lumen orationis extinguebat.

CAP. XXIII.

NON paruum vitium eſt (niſi fallor) in his ex epiſtola ad Q. Fratrem, verbis: cui cum mederi quondam auxilio veterum librorum nequiuerim, temptabo nunc an opinione poſſim ei medicinam facere: cum enim ita in ſcriptis exemplaribus legatur, atque excuſis etiam, vno excepto. Cum Gabinius quacunque veniebat, triumphum ſe poſtulare dixiſſet: ſubitoque bonus imperator, noctu in vrbem hoſtium plane inuaſiſſet, in Senatum ſe non committebat. quis non videat hic erratum aliquod culpamque ineſſe: quae enim commoda ſententia, dignaque ingenio Ciceronis inde elici poteſt? Quid igitur ſentiam de hac re libere enuntiabo: periculumque coniecturae ſubibo, deſiderio optimum ſcriptorem adiuuandi: arbitror enim legi debere. ſubitoque bonus imperator noctu in vrbem: noctu plane, inuaſiſſet. & quae ſequuntur. In ſuperiore epiſtola, cum idem narraret, inquit. Gabinius ad iiij. Kal. Octob. noctu in vrbem introiuit. idem autem nunc repetit. Sed tamen, cum id incredibile videretur, metueretque Cicero ne rem ad immenſum augere, atque ὑπερβολικῶς loqui, ob odium hominis putaretur, idem verbum iterat: affirmatque ſe omnino rem vt erat, exponere: neque enim veſpere aut appropinquantibus iam tenebris, ſed plane noctu, vera ac propria notione huius verbi, ipſum in vrbem irrupiſſe. Vſus autem eſt apte Cicero eo verbo inuaſiſſet, quamuis illo hic non hoſtilis vis oſtendatur, ſed tamen vis quaedam: cum enim antea prae ſe tuliſſet, dixiſſetque ſemper ſe triumphum poſtulare, repente abiecto illo conſilio, inexpectantibus omnibus, importuno tempore, cum ſuis omnibus in vrbem ſe contulit. qui autem cum imperio eſſent: decernique ſibi triumphum vellent, ad vrbem manere ſolitos, nec portam ingredi legibus potuiſſe, conſtat. indicauit autem hoc Cicero cum contemptu illius εἰρωνικῶς dicens, bonus imperator: ſuit enim id nullius imperatoris officium, ſed priuati hominis. Peccarunt autem qui inde particulam in ſuſtulerunt, atque ita ſe locum purgare falſo exiſtimarunt, cum veſtigia verae lectionis contaminarint. Confirmor autem cotidie magis vt quod infra legitur. in te haeſit, ſumma infrequentia, mendoſum putem: legique debere arbitror. irrepſit. de quo olim lectorem admonui: ſignificat enim Gabinium, cum antea noctu in vrbem introiſſet: neque auderet, conſcientia ſuorum ſcelerum, in Senatum ſe committere: lege tamen cogeretur id facere, nactum magnam infrequentiam illius ordinis, quaſi furtim eo veniſſe: hoc enim valere irrepſit certum eſt. Eodem modo alibi locutus eſt. vt pro Archia poëta cum inquit. Cum ceteri non modo poſt ciuitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerunt. & quae ſequuntur. Sed Demoſthenes quoque pro Cteſiphonte, cum de Philippo Macedone loquens: ipſiuſque aſtutis conſilia, inquit. ὅτι πρῶτον ἐκεῖνος εἰς τὴν Πελοπόννησον παρεδύετο, idem videtur intellexiſſe.

Locus M. Varronis Seſquiulyſſe apud Nonium, diuiſis eius partibus quaſi diſcerptus, rurſus componitur.

CAP. XXIIII.

NON male mihi opera poni videtur in ſententiis quibuſdam M. Varronis, quae apud antiquos grammaticos teſtimonij loco leguntur, a mendis purgandis, atque omni ratione inſtaurandis: is enim ſcriptor hic eſt, in quo maxima ex parte conſumpto, incredibilis

dibilis rerum R. iactura facta ſit. quae igitur hic cohaerentia ponam, quia puto hunc eorum ordinem apud auctorem fuiſſe, diuerſis locis citantur a Nonio. Itaque tum equum mordacem, calcitronem horridus miles ac vir non vitabat: nunc emunt troſſuli, nardo nitidi, vulgo Attico talento equum: prior enim pars, cum ambae ex eodem opere ſumptae ſint, ideſt Seſquiuiyſſe, in dictione calcitrones adducitur: poſterior vero in Troſſuli. ſed in ſuperiore apud Nonium peccatum eſt quod, tu mecum, illic mendoſe legitur: pro tum equum. niſi me coniectura feſellit. & horridum, accuſandi caſu perperam: neque enim id epitheton equi, ſed magis aptum militi. quomodo etiam Ennius carmine hoc locutus eſt. Spernitur orator bonus: horridus miles amatur. inferior, vt a me poſita eſt, ita apud eum grammaticum legitur. Multis autem modis perſpicitur continentia quondam haec verba fuiſſe. nam ſententia hoc pacto mirifice quadrat, & contraria contrariis opponuntur. Troſſuli vero qui ſint: & vnde nomen hoc nacti, docuit accurate Sex. Pompeius. Quem autem calcitronem equum Varro vocat, Graeci λακτιστὰν dicebant: hoc enim quoque Xenophon tetigit in iij. libro ἀπομνημονευμάτων, cum plura equorum vitia & ipſe exponeret, quae redderent eos minus idoneos ad rem militarem. Eſt autem locus vbi Socrates docet, quae ſint officia praefecti equitum: oſtenditque oportere ipſum etiam bene peritum eſſe harum rerum: quia nulla vtilitas capi poſſit in bello ex equis, his vitiis laborantibus. Appellat autem, quos tradit eſſe repudiandos, κακόποδας, κακοσκελεῖς, ἀσθενεῖς, ἀτρόφους, ἀναγώγους, λακτιστάς. Tres autem extremos affirmat improbandos, ſi modum non habeant vitia illa: remouendos enim primum cenſet e turma ἀτρόφους, ſi, quia cibum non ſentiant, ita tenues imbecillique ſint vt ceteros conſequi nequeant: eadem autem ratio eſt reliquorum duorum. Cum vero Beſſario reddiderit ἀτρόφους ſtrigoſos, illos verbo Graeco puto notari, quos patrio ſermone vocamus, ſegaligni: hi enim quamuis copioſe alantur, gracili tamen corporis habitu tenuique ſemper ſunt: eoſdem autem fortaſſe Latinum quoque verbum ſignificat: Cicero enim in Bruto ita videtur hoc verbum cepiſſe, cum de Lyſia: formaque eius dicendi, inquit. Verum eſt certe genere toto ſtrigoſior. Supra autem dixerat. Habet enim certos ſui ſtudioſos, qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates conſectentur. Liuius tamen ſic nominauit equos, nimio labore defatigatos: indeque macriores factos, non qui natura huiuſcemodi forent: cum in xxvij. libro inquit. Moram pugnae attulit, quod Aſdrubal prouectus ante ſigna cum paucis equitibus, ſcuta vetera hoſtium notauit, quae ante non viderat: & ſtrigoſiores equos. Quamuis autem confidam me non nihil opis attuliſſe verbis Varronis, ſuſpicor tamen adhuc aliquid maculae reſtare.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIO-NVM LIBER V.

Quid valeat apud Demoſthenem δεῖξαι δύναμιν: Latinoſque ac noſtros, eandem rem eodem modo dicere.

CAP. I.

VT GRAECI ſcriptores, res bellicas exponentes, δεῖξαι δύναμιν dicere conſueuerunt, cum aliquos prope hoſtes aduentaſſe, & ſe in conſpectum illis dediſſe ſignificare volunt: ita Latini rerum auctores oſtendere aciem dicunt. Modum etiam hunc loquendi nos patrio ſermone vſurpamus, re ipſa, (vt arbitror) docente, quae proprie apteque admodum hoc pacto declaratur. Demoſthenes pro Cteſiphonte de incurſione Philippi regis in Graeciam loquens: indicanſque, quo potiſsimum conſilio ille propinquum oppidum Attico agro, Elatiam ceperit, inquit. Τί οὖν βούλεται, καὶ τίνος εἵνεκα τὴν Ἐλάτειαν κατείληφε; πλησίον δύναμιν δεῖξαι, καὶ παραστήσας τὰ ὅπλα, τοὺς μὲν ἑαυτοῦ φίλους, θρασεῖς ποιῆσαι καὶ ἐπᾶραι: τοὺς δ' ἐναντιουμένους, καταπλῆξαι. T. autem Liuius vt aliis multis locis, ita in xxxiiij. libro ab vrbe condita. Is cum ſupercilio haud procul diſtantis tumuli ab vrbe inſtructam aciem oſtendiſſet. & quae ſequuntur. C. praeterea Caeſar in primo libro de bello ciuili hoc pacto locutus eſt. Equites ab eo miſſi flumen tranſeunt: & cum de tertia vigilia Petreius atque Afranius caſtra mouiſſent, repente ſeſe ad nouiſſimum agmen oſtendunt, & magna multitudine circumfuſa, morari atque iter impedire incipiunt. Nec non Salluſtius de bello Iugurthae. Modo ſe Metello: modo Mario oſtendere. ac nonnullis aliis itidem locis.

Verba quaedam Salluſtij, citata a Nonio, videri de Cn. Magno prolata fuiſſe: alterumque itidem exemplum eiuſdem ſcriptoris apud eundem grammaticum inuentum, in quo eundem imperatorem docetur aemulatorem fuiſſe Alexandri, & ipſius Magni.

CAP. II.

MAXIMOS honores a L. Sylla habitos Cn. Pompeio adoleſcenti, quod ſummae virtutis eſſet, ac partes ipſius ſtrenue iuuiſſet, memoriae proditum eſt. quare ſemper exiſtimaui Salluſtij verba haec, quae apud Nonium leguntur, teſtimonij loco citata, de illo ipſo prolata fuiſſe. Quibus de cauſis Syllam in victoria dictatorem ſibi equo deſcendere: ſurgere de ſella: caput aperire ſolitum: omnes enim hae rationes, modique ſunt, quempiam ornandi, qui hac quoque aetate in vſu apud nos ſunt. Et ſane res magnas geſſit Cn. Pompeius primis temporibus aetatis ſuae: vt non ſine cauſa ſperarit fore ſe ſimilem Alexandro Macedoni: quam ſpem aluerunt magnopere amici ipſius & in animos etiam aliorum inſeruerunt. hoc autem idem quoque rerum R. grauiſſimus ſcriptor in iij. libro hiſtoriarum diligenter narrarat, vt indicio eiuſdem grammatici perſpicitur, qui hoc exemplo vtitur. Sed Pompeius a prima adoleſcentia ſermone fautorum ſimilem fore ſe credens Alexandro regi, facta conſultaque eius quidem aemulatus erat. Plutarchus quoque de hac ſimilitudine inter ſummos imperatores diligenter diſputat, qui oſtendit voluiſſe etiam multos eos ſimiles vultu oculiſue extitiſſe. vnde inquit oblatum id nomen a multis, non repudiaſſe Pompeium. quod tamen inimici contemnebant: irridenteſque, ipſum Alexandrum vocabant.

Mos antiquus eorum, qui nouas ſedes quaerebant, indicatus. locuſque Virgilij illuſtratus, qui docet hoc etiam Helenum Troianum ſeruaſſe, cum oppidum in Epiro condidit.

CAP. III.

EXPRESSIT veterem ritum Graecorum Virgilius cum in iij. Aeneidos indicauit Helenum augurem, Priami filium, qui morte Pyrrhi, cui in ſeruitutem addictus fuerat, affinitateque heri, regnum in Epiro conſecutus eſt, atque vrbem condidit, plures vr-

bis

bis partes agrique, nominibus appellaſſe, quibus vocabantur patriae ipſius Ilij loca: apud Graecoa namque hoc vſitatum erat, vt qui in coloniam mitterentur, aut aliquo caſu patriam relinquere cogerentur, patria nouis ſedibus, hoc facerent, atque ita acrem illum amorem patriae conſolarentur: ſiue id dignitati natalis ſoli reuerentiaeque dabant. Accuratus igitur poëta, Graecorumque conſuetudinis guarus, hoc vidit, ac ſeruauit diligenter, primo inducens Aeneam ita loquentem. Solemnes tum forte dapes, & triſtia dona Ante vrbem in luco falſi Simoentis ad vndam Libabat cineri Andromache. deinde cum in vrbem ab Heleno duceretur. Procedo & paruam Troiam, ſimulataque magnis Pergama & arentem Xanthi cognomine riuum Agnoſco, ſcaeaeque amplector limina portae. Polybius, grauis Romanarum Graecarumque rerum auctor, hoc duobus locis aperte ſignificauit: in excerptis enim viij. libri, quae reſtant, illo quo defectio Tarenti commemoratur, moris huius mentio eſt: vbi Annibalem capta iam ciuitate: mutoque ab arce defenſa, ad Galeſum flumen caſtra poſuiſſe narrat. quem docet alio nomine etiam vocatum Eurotam, ab Eurota propinquo moenibus Lacedaemonis, cum Tarentum colonia Spartanorum eſſet. vt alia praeterea multa Tarentini agri, & vrbis ipſius loca. Verba haec ipſius ſunt. Nam T. Liuius, qui maniſeſto tenetur omnem illam expoſitionem rerum inde ſumpſiſſe, quod pertinebat ad vetus hoc inſtitutum tradendum, reliquit. κατεστρατοπέδευσε περὶ τετταράκοντα σταδίους ἀποσχὼν τῆς πόλεως παρὰ τὸν ποταμὸν, παρὰ μέν τισι, Γαλαῖσον: παρὰ δὲ τοῖς πλείοσι, προσαγορευόμενον Εὐρώταν; ὃς ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν αὐτὴν ἀπὸ τοῦ τοῦ παρὰ Λακεδαίμονα ῥέοντος Εὐρώτα; πολλὰ δὲ τοιαῦτα κατὰ τὴν χώραν καὶ κατὰ τὴν πόλιν ὑπάρχει τοῖς Ταραντίνοις διὰ τὸ καὶ τὴν ἀποικίαν καὶ τὴν συγγένειαν ὁμολογουμένην αὐτοῖς εἶναι πρὸς Λακεδαιμονίους: inquit enim tantum Latinus ſcriptor. Ipſe profectus cum ceteris copiis ad Galeſum flumen (quinque milia ab vrbe abeſt) poſuit caſtra. nec non in excerptis itidem noni libri: vbi Agrigenti, Siciliae vrbis nobiliſſimae, ſitum deſcribit: oſtendit enim in vertice collis, in quo arx aedificata erat, fuiſſe Mineruae templum & Iouis, cognomine Atabyrij vt apud Rhodios, cum illinc Agrigentini oriundi eſſent. vnde merito idem cognomen apud eos haberet. inquit igitur. ἐπὶ δὲ τῆς κορυφῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἔκτισται: καὶ Διὸς Ἀταβυρίου καθάπερ παρὰ Ῥοδίοις: τοῦ γὰρ Ἀκράγαντος ὑπὸ Ῥοδίων ἀπῳκισμένου, εἰκότως ὁ θεὸς οὗτος τὴν αὐτὴν ἔχει προσηγορίαν: ἣν καὶ παρὰ Ῥοδίοις.

Quae repugnant inter ſe voces miſerorum hominum apud poëtas, docentur idem ſpectare: atque ab eodem animo proficiſci.

CAP. IIII.

CONTRARIAS orationes Thyeſtis atque Oedipi, calamitoſorum hominum a tragicis poëtis alloqui ſpectatores inductorum, eodem referuntur: ambaeque ſaluti illorum ipſorum, diuerſa tamen ratione, proſpiciunt: Thyeſtes enim graui dolore oppreſſus: fractuſque atrocibus malis, iubebat omnes ſecedere: nec vt aliqui ſe tangerent, permittebat. carmen autem, quo tanta aegritudo animi ipſius declaratur apud Ciceronem legitur in iij. libro Tuſculanarum.

Nolite (inquit) hoſpites ad me adire: ilico iſtic
Ne contagio mea vobis, vmbraue obſit
Tanta vis ſceleris in corpore haeret.

Contra Oedipus apud Sophoclem circumfuſus plurimis miſeriis, iubet ad ſe adire Thebanos: nec metuere ne ſi ſe attrectanerint, ipſi quoque contagione violentur. cuius rei, quia erat id admirabile, ſtatim rationem hanc reddit: tanta enim vis eſt meorum malorum vt in neminem alium mortalem cadere poſſint. neque tamen officio illo fungi ipſos volebat vt leuarent miſeriam illam ſuam, ſed vt aut tegerent tamquam ſcelus aliquod, aut necarent, aut in mare abicerent, vnde amplius oculos ipſorum non contemeraret. verba poëtae haec ſunt.

Ἴτ', ἀξιώσατ' ἀνδρὸς ἀθλίου θιγεῖν.
Πείθεσθε. μὴ δείσητε; τἀμὰ γὰρ κακὰ
Οὐδεὶς οἷός τε πλὴν ἐμοῦ, φέρειν βροτῶν.

Studium agri colendi, quod tranquillos animos eorum, qui inde aluntur, videtur reddere, non carere ſuis quibuſdam ſollicitudinibus.

CAP. V.

QVAE magis remota ab omni periculo detrimentoque putatur vita agricolarum: in quaque ſecurius viui poſſe videtur, habet etiam ipſa ſua quaedam vlcera ac ſtimulos, qui pungunt animum atque omni ſtatu quietis deturbant. quod eleganter in ode

quadam

quadam cecinit Horatius, quo loco docet contentum rebus neceſſariis non perturbari vllis incommodis, quae ſtultos ſemper excruciant. Nec verberatae grandine vineae Fundusque mendax: arbore nunc aquas Culpante, nunc torrentia agros Sidera, nunc hyemes iniquas. Sed in epiſtola quoque ad Albinouanum, vbi ἀκηδίᾳ quadam ſe teneri oſtendit: ait enim ſe aegrum eſſe animi = haud quia grando Contuderit vites: oleamque momorderit aeſtus. Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris. Eadem autem ſtudij huius vulnera enumerantur etiam a Graeco poëta, cuius verba leguntur in ſermone de morte, qui vnus eſt ex adulterinis Platonis; falſoque quondam ipſius creditis: ita enim agit auctor eius diſputationis, ἀλλ' ἡ γεωργία γλυκὺ δῆλον, ἀλλ' οὐχ ὅλον, ὥς φασιν, ἕλκος ἀεὶ λύπης πρόφασιν εὑρισκόμενον: κλαίων νῦν μὲν, αὐχμὸν: νῦν δ', ἐπομβρίας: νῦν δ', ἐπίκαυσιν: νῦν δὲ, ἐρυσίβην: νῦν δὲ, θάλπος ἄκαιρον, ἢ κρύος.
Sed ex collatione etiam horum locorum, quomodo Graeci appellent morbos hos eorum, quae oriuntur e terra, perſpicitur.

Confirmata vetus lectio apud Ciceronem in libello de Senectute teſtimonijs & Latinorum & Graecorum auctorum.

CAP. VI.

NON debet quiſquam dubitare, quin locus hic e Catone Maiore, ita legi debeat vt in antiquis libris ſcriptus eſt, & a me quondam reſtitutus. Quo quidem me proficiſcentem haud ſane quis facile retraxerit: neue tamquam Peliam, recoxerit: in excuſis enim antea libris, qui melioris notae habentur, perperam erat. Neue tamquam pilam retorſerit: oſtendit enim ſe tanto deſiderio teneri ſedes mutandi: viroſque graues & ſapientes apud inferos conueniendi, vt ſi poſſit etiam ad firmiorem aetatem reuocari, nolit. quod ſi extet aliquis, qui ex eo itinere ſe retrahat: iuuenemque efficiat, vt Medea pollicita eſt Peliam ſe coquendo effecturam, beneficium id recuſet. Hoc etiam tetigit Plato in Euthydemo, cum Socratem ipſum ita inducit cum Cteſippo agentem: affirmantemque ſe paratum eſſe tradere ſe Dionyſodoro, poſtquam tam praeclaram rem ſe facturum profiteretur: ex improboque probum virum effecturum, quamuis ſine periculo aliquo id effici non poſſe videretur: omne enim ſe illud contempturum: inquit igitur. Καὶ παραδίδωμι ἐμαυτὸν Διονυσοδώρῳ τούτῳ, ὥσπερ τῇ Μηδείᾳ τῇ Κόλχῳ: ἀπολλύτω με, καὶ εἰ μὲν βούλεται, ἑψέτω: εἰ δ' ὅτι βούλεται, τοῦτο ποιείτω, μόνον χρηστὸν ἀποφηνάτω. Catullus quoque, quum in hendecaſyllabo: cuius pauci verſus remanſerunt, & ij quidem maculoſi, inquit. Si non omnia diſplicere vellem Tibi, & Suffecio, ſeni recocto: idem vt opinor, ſignificare voluit. ſenem illum ſtudio & artificio quodam ſenectam exuiſſe, & quaſi iterum iuuenem factum, exquiſito cultu corporis. Ad eandem fabulam reſpexerat M. Varro vt indicio Nonij perſpicitur, qui haec ipſius verba citat Marcipore: ponam enim illa ob auctoris dignitatem, quamuis valde corrupta. nam quod tuto corrigere potui, non metui emendare. Peliam me: & permiſiſſe, vt ſe vel viuum degluberet, dum madore puellum. nam Plautus in Pſeudolo totam rem ſimilis loco commemorauit, ita inducens coquum, cum Ballione lenone loquentem.

Quia ſorbitione faciam ego te hodie mea
Item vt Medea Peliam concoxit ſenem
Quem medicamento & ſuis venenis dicitur
Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum
Item te ego faciam.

Diſputatio de loco quodam Ciceronis in III. de Oratore, qui mendoſus, abundante verbo, videtur.

CAP. VII.

LOCVS hic M. Tullij e iij. de Oratore, quo Craſſus de via, quam errore quodam ducti, in Rep. tenuere Gracchi, queritur, ita legitur & in excuſis libris, & in iis, quos calamo exaratos vidi. Ac doleo quidem illos viros in eam fraudem in Rep. eſſe delapſos, quamquam ea tela texitur, & ea incitatur in ciuitate ratio viuendi, ac poſteritatis oſtenditur, vt eorum ciuium, quos patres noſtri non tulerunt, iam ſimiles habere cupiamus. Ipſe tamen illum mendoſum puto. quomodo autem corrigi poſſe; vndeque errorem hunc natum ſuſpicer, indicabo. litterati viri, an iudicium meum verum ſit, accurate perpendent: neque enim arbitror damnari merito poſſe illos, qui, quid ſentiant de huius aut illius loci fidelitate, coniecturis etiam quibuſdam moti, ſcriptis ſuis oſtendunt;

dunt: dummodo perunlgatam ſcripturam temere loco non moueant: proponuntur enim haec examinanda ac diligenter excutienda doctis viris. quare ſine periculo vllo vberes aliquando fructus ferunt. Opinor igitur vacare dictionem hanc iocitatur: tollique inde, vt ſuperuacaneam, officientemque ſenteotiae debere, quod ſi fiat, ſententia ſtatim aperta certaque erit: qood enim obſcure iam & ἀλληγορικῶς praedixerat Craſſus, nunc apertius exponit: oſtenditque ſe metuere ne interitus reip. appropioquet. quia ea in ciuitate ratio viuendi ac poſteritatis oſteoditur, vt optaodi ſint ciues, ſimiles Gracchis. quamuis maiores, ipſos, vt perturbatores otij, ſuſtulerint. Profectum autem vitium hoc inde puto, quod librarius dum exſcriberet, primum lapſus ſit, ac pro in ciuitata ſcripſerit incitatur: quem errorem ſtatim agnitum correxerit, nec tamen ſatis diligens in delenda voce, in qua peccarat, fuerit. Quod autem ἀλληγορικῶς Cicero telam texi dixit, cum viuendi rationem inſtitui intelligeret, elegantiſſimus quoque ſcriptor in Phaedone eodem pacto locutus eſt: ab eademque re ſimile duxit, cum de ſapientis animo diſſereret: qui implorato auxilio philoſophiae, beneficioque ipſius ſolutus e vinculis, nollet voluptatibus ſe aut aegritudinibus tradere, atque ita turſus implicari. idque agere quod exitum non haberet: perindeque eſſet ac Penelopes telam quandam tractare. verba Platonis haec ſunt, quae ad locum hunc faciunt. πάλιν αὖ ἐγκαταδεῖν καὶ ἀνήνυτον ἔργον πράττειν, πηνελόπης τινὰ ἐναντίως ἱστὸν μεταχειριζομένην.

Terentij locus ex Andria ponderatus: quaeſitumque an expreſſerit illic poëta verba Menandri, quae leguntur apud Athenaeum.

CAP. VIII.

CVM Dauus in Andria ſigna exponeret Pamphilo, quibus intelligi poſſet nuptias illas eſſe ſimulatas, in ipſis quoque hoc poſuit. Etiam puerum conueni Chremi inde abiens, olera Et piſciculos minutos ferre, emptos obolo, in cenam ſeni. Animaduertendum igitur an Terentius expreſſerit verba haec Menandri e Perinthia, quae apud Athenaeum leguntur in vij. libro δειπνοσοφιστῶν. Τὸ παιδίον δ' εἰσῆλθεν, ἐπερκὸν φέρον. ipſe namque Athenaeus tradit ἐπερκὸν, vnum quendam eſſe e minutis piſciculis, cuius etiam mentionem feciſſe docet plures comicos, quod ſi plura Menandri verba citaſſet, manifeſto id teneri potuit. quod autem in Perinthia locum illum eſſe oſtendit, haec autem Andria eſt, notum eſſe debet fabulam hanc Terentij e duabus Menandri conflatam eſſe. quod poëta ipſe in prologo confeſſus eſt, ac purgat. nam aduerſarij hoc ipſi vitio dabant, dicentes. Contaminari non decere fabulas: quod vero Terentius olera adiungit, ita coqui illum ſolitum declarat Eubulus comicus, cuius teſtimonium eodem loco citatur. e quo etiam percipitur (niſi fallor) vilem hunc piſcem fuiſſe, & paruo emi ſolitum, quod magnopere adiuuat ſuſpicionem hanc meam.

Ἀγαπῶν τι, κἂν ἐπερκὸν ἢ ταύτης σῦκ
Διὰ δυοῖν χαλκοῖν ἐώμενον ἀμίας ἔχει;

Loquitur enim de tenui homine: quique vitam aſperam viueret, contentum eum eſſe dicens, ſi huius generis piſciculum vnum, raro etiam, interpoſitoque ſpatio xij. dierum, in betis coctum, videat.

Gorgiae ſtatua, quae Delphis conſecrata erat, aurea ne fuerit an inaurata: ſimulque ſtatuerit ne ipſam Graecia, capta eruditione ipſius, an ipſemet ſibi erexerit.

CAP. IX.

HAEC verba in iij. libro de Oratore de Gorgia Leontino pronuntiata ſunt: exiſtimauit enim Catulus hoc quoque magnum eſſe teſtimonium virtutis ipſius: ideoque, cum quae dignitatem hominis augerent in medium afferret, hoc etiam retulit. Cui tantus honos habitus eſt a Graecia, ſoli vt ex omnibus, Delphis, non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur. cum autem hoc quoque memoriae proditum ſit a Graecis ſcriptoribus, diſſentiunt in hoc illi a Cicerone, quod ad honorem huius ſophiſtae minuendum magni intereſt: neque enim a Graecia poſitam ſtatuam, ſed ipſum ſibimet ipſi ſtatuiſſe ſuam propriamque imaginem tradunt. vnde adduor, obſcure carpentem ipſum, cum Athenas ſe contuliſſet, ſtatua iam hac conſecrata, Platonem, vt primum ei occurrit, dixiſſe. Ecce formoſum aureumque Gorgiam: cuius vocis aculeus non fefellit ingenioſum virum: reſpondit enim vt iidem aiunt, profecto Athenae pulchrum nouumque Archilocum tulerunt. verba ipſius Graeca haec fuere: vereor enim ne non exprimere potuerim.

ὁ καλὸς

ἦ καλόν γε αἱ Ἀθῆναι καὶ νέον τοῦτον Ἀρχίλοχον ἐνηνόχασι. totum hoc commemorarat Hermippus, qui de Gorgia hoc ipſo librum ſcripſit, vt in xj. libro δειπνοσοφιστῶν narrat Athenaeus. Nam ſtatuam & ipſe auream fuiſſe narrat. Pauſanias tamen, vt de inaurata loquitur, dicens. Ἐπίχρυσον δὲ εἰκὼν ἀνάθημα Γοργίου τοῦ Λεοντίνου. αὐτὸς Γοργίας ἐστὶν εἰκών. Plinio in hoc cum Cicerone conuenit: nam in altero cum Graecis ſcriptoribus facit: illius enim haec verba ſunt e xxxiij. libro. Hominum primus & auream ſtatuam & ſolidam Gorgias Leontinus Delphis in templo ſibi poſuit lxx. circiter Olympiade.

Quae forent cenae, vocatae a Graecis ὑποδεκτικὰ δεῖπνα: illuſtratuſque locus Ciceronis, quo inſtituta illius temporis exponit.

CAP. X.

CVM in iij. actione in Verrem, Lampſacenum crimen exponens, Cicero inquit. Quod vbi eſt Philodamo nuntiatum, tam & ſi non erat gnarus, quantum ſibi ac liberis ſuis iam tum mali constitueretur, tamen ad iſtum venit, oſtendit munus illud ſuum non eſſe: ſe cum ſuae partes eſſent hoſpitum recipiendorum, tum ipſos tantum Praetores & Coss. non legatorum aſſeclas recipere ſolere. & paulo poſt. Homo, qui ſemper hoſpitaliſſimus amiciſſimuſque noſtrorum hominum exiſtimatus eſſet, noluit videri ipſum illum Rubrium inuitus in domum ſuam recepiſſe. intellexit quas Graeci ὑποδοχὰς ξένων, & ὑποδεκτικὰ δεῖπνα vocabant: ita enim illi, Latino verbo expreſſo, appellabant. vt teſtatur Plutarchus in vj. libro συμποσιακῶν, vbi de vmbris appellatis, & quod initium res habuiſſet, quaerit: ait enim. ὕστερον μέντοι περὶ τὰς τῶν ξένων ὑποδοχάς, μάλιστα τῶν ἡγεμονικῶν, ἀναγκαῖον ἐγένετο τοῖς ἀγνοοῦσι τοὺς ἑπομένους καὶ τιμωμένους, ἀπὸ τοῦ ξένου ποιεῖσθαι τὴν κλῆσιν. quibus etiam verbis declaratur, quod infra Cicero tangit, dicens. Philodamum, vt liberaliorem adhuc ſe hac etiam ratione Rubrio praeberet, rogaſſe vt quos ei commodum eſſet, inuitaret: Plutarchus enim narrat poſterioribus temporibus coactos fuiſſe Graecos, cum reciperent aut Praetores aut Conſules: ignorarentque comites ipſorum, quique cari illis forent, in manu hoc ponere eorum: vt vocarent, quos ipſis viſum eſſet, ne parum acceptis vocatis, parum eos delectarent. Id quod etiam tangit Socrates quidam Rhodius in iij. libro de bello ciuili: cum enim exponeret regiam cenam, quam dedit Cleopatra M. Antonio in Cilicia, indicat hoc etiam illam iuris ipſius eſſe voluiſſe: ſignificauitque, vocato illo, vt ſecum duceret quot vellet, ne multitudinem conuiuarum videretur reformidare. Verba ipſius apud Athenaeum in iiij. δειπνοσοφιστῶν haec ſunt. καὶ δώδεκα τρίκλινα διαστρώσασα ἐκάλεσε τὸν Ἀντώνιον μεθ' ὧν ἐβούλετο, ἡ Κλεοπάτρα. Praeterea in viij. eiuſdem operis Plutarchus initio quaeſtionis de ſymbolis Pythagoricis inquit Σύλλας δὲ ὁ Καρχηδόνιος εἰς Ῥώμην ἀφιγμένῳ μοι διὰ χρόνου τὸ ὑποδεκτικὸν ὡς Ῥωμαῖοι καλοῦσι, κατήγγειλε δεῖπνον, ἄλλους τέ τινας τῶν ἑταίρων παρέλαβεν οὐ πολλούς, καὶ Μοδεράτου τινὰ τοῦ Πυθαγορικοῦ μαθητὴν ὄνομα Λεύκιον ἀπὸ Τυῤῥηνίας. Satis autem certam maculam e verbis Ciceronis ſupra poſitis deleni: cum enim in excuſis legatur. tam & ſi non erat ignarus, ſiquis accurate attendet, videbit profecto ita legi debere: narrat enim Philodamum, quamuis adhuc non intelligeret quantum mali ſibi ac toti familiae ſuae inde conflaretur, tamen ſtuduiſſe propter indignitatem id a ſe amoliri. quod ſi diuinare potuiſſet tam atrocem peſtem impendere, multo enixius operam daturum fuiſſe, vt ſe periculo illo liberaret. hic prorſus videtur ſenſus eſſe eius loci, cui manifeſto repugnat lectio illa. Sed etiam (niſi fallor) eodem modo in Oratione in L. Piſonem peccatum eſt: cum enim nunc illic ita legatur. Sed idem caſus illum ignarum quid profiteretur, cum philoſophum eſſe diceret, iſtius impuriſſimae atque intemperantiſſimae pecudis ceno & ſordibus inquinauit, ſcribi (vt opinor) debet, gnarum quid profiteretur: purgat enim Cicero Graecum illum; ac, quantum cauſa patitur, laudat. non igitur de nobili philoſopho ita locutus fuiſſet, nec dixiſſet eum ignorare quid profiteretur, ſed Piſonis culpa atque intemperantia factum docet. vt ille, perſonae ſuae oblitus, ad delicatos laſciuoſque verſus ſcribendos deſcenderet.

Vt diſcedere alicunde ſuperiorem aut inferiorem Cicero dixit, ita Graecos auctores ἀπαλλάξαι καλῶς aut κακῶς eodem ſenſu dicere.

CAP. XI.

QVOD M. Cicero multis locis de aliquo inquit, diſceſſiſſe illum alicunde, aut ſuperiorem, aut probatum, cum oſtendere vellet eum aut viciſſe aduerſarios in eo facto: aut iudiciis eorum qui adfuerunt, ſatisfeciſſe, in Attico etiam ſermone dicebatur. elegantiſſimus

tiſſimus certe modus loquendi eſt, & qui translationem in ſe habeat: neque enim diſcedunt e loco aliquo, ſedeſque mutant, qui ſe explicant ex aliquo negotio. Aeſchines igitur contra Cteſiphontem ex perſona Thebanorum, qui poſt acceptam grauem plagam a Philippo, confugerant Athenas, admonens ciues ſuos, ne vtantur Demoſthene in publica vlla cura, ſed caueant genium eius & fortunam, quae ipſi comitatur, peſsimam, hoc pacto locutus eſt. Οὐ γὰρ πόλις γε, οὔτ᾽ ἰδιώτης ἀνὴρ οὐδεὶς πώποτε καλῶς ἀπήλλαξε, Δημοσθένει συμβούλῳ χρησάμενος. Xenophon quoque in extremo primo libro ἀπομνημονευμάτων, vbi commemorat quanto ſtudio Socrates familiares ſuos ab inani laude, falſaque gloria deterreret: docetque nullam eſſe certiorem viam ad gloriam capeſſendam, quam ſi quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet, vitia demonſtrans contrariae rationis: idque etiam verum eſſe oſtendens in eo, qui bonus imperator aut nauis gubernator haberi velit, quum non ſit, inquit. Δῆλον γὰρ ὅτι κυβερνᾶν τε ἀποσταθεὶς, ὁ μὴ ἐπιστάμενος, ἢ στρατηγεῖν, ἀπολέσειεν ἂν οὓς ἥκιστα βούλοιτο, καὶ αὐτὸς αἰσχρῶς τε καὶ κακῶς ἀπαλλάξειεν. quibus verbis eadem ratio loquendi maniſeſto continetur: ἀπαλλάξειεν enim αἰσχρῶς καὶ κακῶς valet, cum dedecore & damno inde diſcederet. vt Cicero loquutus eſt in epiſtola ad Atticum, cum de minis Clodij periculiſque, quae ipſi ab eo intendebantur, ageret: ait enim. Spero nos aut certe cum ſumma gloria, aut etiam ſine moleſtia, diſceſſuros. Superiorem autem locum Xenophontis: vtilemque in primis vitae diſputationem, intellexiſſe Ciceronem in ij. libro de Officiis apertum eſt, cum ait. Quamquam praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſiquis id ageret, vt qualis haberi vellet, talia eſſet: initium enim ipſius hoc eſt apud Atticum illum ſcriptorem. Ἀεὶ γὰρ ἔλεγεν ὡς οὐκ εἴη καλλίων ὁδὸς ἐπ᾽ εὐδοξίαν ἢ δι᾽ ἧς ἄν τις ἀγαθὸς τοῦτο γένοιτο, ὃ καὶ δοκεῖν βούλοιτο. quamquam, cum viam proximam & quaſi compendiariam Cicero vocet, hic autem Xenophon καλλίονα ὁδὸν dicat, arbitror potius expreſſiſſe illum alterum locum, qui eſt in primo libro κύρου παιδείας, vbi eadem ſententia non valde diuerſis verbis exponitur: illic enim verba ſunt quibus latina magis reſpondent. ita namque exorſus eſt. Οὐκ ἔστιν ἔφη ὦ παῖ συντομωτέρα ὁδὸς περὶ ὧν ἂν βούλῃ δοκεῖν φρόνιμος εἶναι, ἢ τὸ γενέσθαι περὶ τούτων φρόνιμον.

Hiſtoria infrequentior, quam tetigit Cicero pro L. Flacco, expoſita: correctuſque locus Polybij, vbi peccatum erat in prouerbio, quod valet ad confirmandum iudicium docti viri, in emendando loco ex eadem oratione.

CAP. XII.

CICERO pro L. Flacco quod inquit. Longe omnino a Tyberi ad Caicum: quo in loco etiam Agamemnon cum exercitu erraſſet, niſi ducem Telephum inueniſſet. hiſtoriam innuit, cuius in Homeri poëmate aut mentio nulla, aut obſcura. ipſam autem, qui Homerum aetate conſecuti ſunt, Graeci poëtae: tragicique in primis explicarunt: aiunt enim. Graecos cum primum ad Ilium cum claſſe acceſſerunt, erraſſe in via: expoſitiſque copiis in terram, regionem quam non licebat, depopulatos eſſe: Myſia autem haec erat, vbi regnabat Thelephus. qui, videns agrum ſuum diripi, ſumptis armis & mali aliquid illis dedit, & contra ipſe accepit: accepit enim graue vulnus ab Achille, cum equus, quo vehebatur, ſarmento implicitus, cecidiſſet, voluntate Liberi patris: dedit autem, quia compulit in naues Graecos, re, quam aggreſſi fuerant, non perfecta: poſtquam autem impoſitum ipſi vulnus ſanari non poterat, conſulto oraculo, ille reſponſum accepit hoc peruagatum, ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. quod a nullo alio ſanari poſſet vulnus, niſi ab eo, qui inflixiſſet. quare cum ad Achillem nauigaſſet, vlcere ſanato, mercedem curationis ei dedit. quod ducem itineris illius ſe praebuit Graecis: eoſque ad Troiam ſaluos deduxit. Caicum autem amnem eſſe Myſiae conſtat. vt verſiculo etiam hoc ſignificatur. ἐπὶ Καΐκῳ. μύσοισιν ἐπήρξεν. In eadem autem oratione ſupra hunc ipſum, locus eſt erudite vereque (vt opinor) olim a docto viro emendatus, vbi crimina Aſiaticorum teſtium eleuat, declarata perſonarum ignobilitate. quae peruulgans etiam quibuſdam vocibus, de totis illis generibus Graecorum ferebatur: cum enim adhuc in excuſis legatur. Quid de Caria? non ne hoc veſtra voce vulgatum eſt: ſiquid cum periculo experiri velis, in Caria id potiſsimum eſſe faciundum. putauit ille, cuius ſententiae libenter accedo, corrigi oportere in Care. cum autem exemplis optimorum ſcriptorum docuerit, ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον, vulgo apud Graecos dici ſolitum, prouerbiumque id hanc vim habere in eo ſermone, adiungi poteſt reliquis auctoritatibus teſtimonium Polybij, qui eodem modo prouerbio hoc vſus eſt: prouerbium enim idem eſſe puto, quamuis extremum verbum immutatum ſit, ac pro τὸν κίνδυνον, quod hic tamen idem valet, τὴν πεῖραν poſitum. Apud eum verò erratum praeterea ſcripturae eſt, vt non facile agnoſci poſſit: in excerptis enim x. libri vbi narratur interitus Marcelli, caeſi in inſidiis ab Annibale, cum

le, cum de peccato illo ſummi imperatoris prudens ſcriptor diſputaret; diceretque oportere, ſi quando tempora cogunt huiuſcemodi aliquid ſingillatim experiri, ante quam malum appropinquet duci, multos antea comitum necari, confirmat id peruulgata hac voce. Ita autem in exemplari calamo exarato legitur optimi atque illuſtriſſimi antiſtitis Alexandri Farneſij, Τί γὰρ ἄφιλος ἀνομένης ὑπὸ στρατηγοῦ, μὴ διειληφότες διότι τὴν κατὰ μέρος κινδύνων, δὶς μὴ συμπλέκεσθαι τὰ ὅλα, πλῆθος ἀπέχειν δεῖ τὸν ἡγούμενον, τί δ' ἀγνοοῦντος ὅτι κἄν ποτε ἀναγκάζωσιν οἱ καιροὶ πράττειν τι τῶν κατὰ μέρος, πολλοὺς δεῖ πρότερον ἀποθανεῖν τῶν συνόντων, πρὶν ἢ τὸ δεινὸν ἐγγίσαι τοῖς προεστῶσι τῶν ὅλων; δεῖ γὰρ ἐν καρὶ τὴν πεῖραν ὡς ἡ παροιμία φησὶ, οὐκ ἐν τῷ στρατηγῷ γίγνεσθαι. cum excuſae formis, reliquiae praeclari ſcriptoris, habeant ἐν ἀκαρεῖ τὴν πεῖραν, quod manifeſto deprauatum eſt.

Variatum fuiſſe magnopere Latinum vocabulum: veſtigiaque, quae reſtant veteris lectionis non eſſe delenda.

CAP. XIII.

QVOD vere fideliterque factum eſt ab antiquis librariis in exſcribendo Ciceronis loco, reprehendi poſſet ab aliquo, vel potius damnatum & repudiatum iam fuit ab iis, qui veterem rationem eius vocabuli ſcribendi non tenebant: cum enim nunc ita hic locus legatur in primo libro de Oratore. Licet iſta ratione dicamus, pila bene, & xij. ſcrupis ludere, proprium eſſe iuris ciuilis, quoniam vtrumque eorum P. Mucius optime fecerit, in pluribus calamo exaratis libris legitur, xij. ſcriptis ludere. vt etiam nunc apud Nonium in exemplo hoc Ciceronis ex Hortenſio ſumpto, in quo eiuſdem ludi mentio eſt. Itaque tibi concedo, quod in xij. ſcriptis ſolemus, vt calculum reducas, ſi te alicuius dati poenitet. Accedit auctoritati horum librorum teſtimonium Chariſij, qui in primo libro inſtitutionum grammaticarum conſuetudinem mutatam in hoc nomine docet: haec enim eius verba ſunt. Scriptulum, quod nunc vulgus ſine r dicit; Varro in Plautorino dixit. Item in Annali nummum argenteum conflatum primum a Seruio Tullo dicunt: is quatuor ſcriptulis maior fuit quam nunc: ita enim arbitror legi debere, cum illic nunc legatur contra ſententiam auctoris, ſerupulis. Ludi autem huius meminit quoque Quintilianus in xj. libro, vbi de memoriae bono diſputat. apud quem tamen poſterioris aetatis vox poſita nunc eſt. An vero Scaeuola in luſu xij. ſcruporum, cum prior calculum promouiſſet: eſſetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet recordatus, rediit ad eum qui cum luſerat: iſque ita factum eſſe confeſſus eſt. Ipſius autem teſtimonio valde confirmatur iudicium meum, qui putem de eadem re agi, quamuis vocabula aliquantulum diuerſa ſint, & ab ipſo, & a Cicerone in Hortenſio, in vtroque namque exemplo dati mentio eſt, quod verbum proprium videtur eius ludi fuiſſe. liberaliter vero eum exerceri ſolitum apparet ex verbis Ciceronis, cum poteſtas fieret aduerſario reducendi calculum, quem iam dediſſet: quam liberalitatem, qui ea verba apud Ciceronem pronuntiat, oſtendit ſe imitari velle in diſputando, cum ſuo iure poſſet, quod ſemel datum: conceſſumque foret, tenere. Animaduertendum autem non ſolum ea parte variatum fuiſſe hoc verbum, quam indicaui, ſed etiam in prima ſyllaba immutationem litterae vocalis factam eſſe. Teſtimonium vero Ciceronis in Hortenſio citauit Nonius, vbi nunc mendoſe in excuſis ab Aldo eſt, ſcriptat cunctat eſſe tarum. quas maculas inde quidam deleri poſſe putarunt, ſi legeretur. Scripta conſtat eſſe tarum, qui tamen notionem eius verbi: ſtudiumque Nonij non viderunt.

Virgilium, vbi fecit Didonem ante quam ſibi manus afferret, flere caſum illum ſuum acerbum: nomineque appellare munera amatoris, videri imitatum eſſe Sophoclem, qui in Trachiniis & ipſe Deianirae ſimile tempus miſerabiliter expoſuit.

CAP. XIIII.

VIRGILIVS totum illum locum libri iiij. Aeneidos, vbi Didonem deplorantem fortunas ſuas inducit, poſtquam mori deliberauit, videtur tranſtuliſſe e Trachiniis Sophoclis: res enim ſimilis admodum eſt: cognito namque errore ſuo Deianira & quemadmodum coniugem, fortiſſimum virum, miſerabili leto peremiſſet, in vita & ipſa amplius manere noluit. quod igitur Graecus poëta ita rem narrantem inducit nutricem ἐξαίφνης σφ' ὁρῶ Τὸν ἡράκλειον θάλαμον εἰσορμωμένην, Latinus inquit Interiora domus irrumpit limina. praeterea quod tragicus ὁρῶ δὲ τὴν γυναῖκα δεμνίοις Τοῖς ἡρακλείοις στρωτὰ βάλλουσαν φάρη. Ὅπως δ' ἐτέλεσε τοῦτ', ἐπενθοροῦσ' ἄνω Καθέζετ' ἐν μέσοισιν εὐναστηρίοις;

Καὶ

Καὶ δακρύσασ᾽ ἔλεξεν θερμὰ νάματα Ἔλυσα ὦ λέχος καὶ νυμφίῳ ἐμῷ Τὸ λοιπὸν ἤδη χαῖρε, ὡς ἐμ᾽ ὤλεσας Δέξαι δ᾽ ἔτ᾽ ἐν κοίταισι τήνδ᾽ εὐνέτριαν. epicus noſter. Hic poſtquam Iliacas veſtes, notumque cubile, Conſpexit, paulum lacrimis & mente morata, Incubuitque toro, dixitque nouiſsima verba, Dulces exuuiae, dum fata, deuſque ſinebant, Accipite hanc animam, meque his exoluite curis. & quae ſequuntur: neque enim tantum adumbrauit: ſententiaſque, quae conueniebant, inde accepit, ſed verba quoque expreſſit. nam ἰχε-ν᾽ ἄια, reddit illis verbis aptiſſime. Incubuit toro.

Hiſtoria tradita a Plinio, collata cum eo, quod memoriae prodiderunt de eadem re, Graeci ſcriptores: duoque in quibus diſſentiunt, indicata,

CAP. XV.

PLINIVS xxxv. libro vbi opera Niciae, pictoris eximij, enumerat, inquit. Athenis necyomantia Homeri. hanc vendere noluit Attalo regi talentis lx. potiuſque patriae ſuae donauit, abundans opibus. eiuſdem tabulae meminit Plutarchus in commentario, quo declarare conatur vitam ab Epicuro inſtitutam, ne iucundam quidem eſſe: oſtendere enim volens mirificas voluptates capere geometras, & peritos ſiderum: alioſque itidem ingenua aliqua ſcientia praeditos, e ſubtilibus illis cogitationibus, probauit hoc exemplo minorum artificum, quos liquido intelligitur ingenti laetitia affici, cum vident opera ſua celebrari, atque in pretio eſſe. in hac igitur ſententia commemorat Niciam hunc tantopere ſtudio illo ſuo delectatum, vt dum Necyam pingeret, ſaepe interrogarit ſeruos, an pranderit. nam quantopere etiam, abſoluta tabula illa, ſibi placuerit artifex perſpicitur, quod miſſis ad eum a Ptolemaeo rege vt eam traderet, lx. talentis, accipere noluit. In eadem igitur re, a diuerſis auctoribus expoſita, duo ſunt animaduertenda, quae inter ſe diſcrepant: quod enim eſt apud Plinium necyomantia, numero multitudinis (quomodo ſane idem verbum Cicero in primo libro Tuſculanarum vſurpauit) apud Plutarchum eſt νεκυία. quae lectio ſine dubio integra eſt. ita namque vocatur pars illa Odyſſeae, qua fingitur Vlyſſes ad inferos acceſſiſſe: vmbraſque allocutus fuiſſe: quum enim Plinius nomen poëtae ponat, quin illam pinxerit Nicias dubitare non poſſumus. Cicero quoque ita vocauit eodem illo loco, cuius nunc mentionem feci: inquit enim, vt exempla vtriuſque nominis ſimul ponam. Inde Homeri tota νεκυία: inde ea, quam meus amicus Appius, νεκυομαντεῖα faciebat. alterum diſcrimen eſt nomen regis, qui nobilitate eius captus tam grandi pretio parare voluit: nec eam obtinere potuit. vter autem horum lapſus memoria ſit, non affirmarim: vnus certe ille fuit.

Verba, quibus in paradoxo explicando Cicero definiit libertatem, oſtenduntur expreſſa eſſe e Zenonis definitione: qui primus illam rem illo modo euoluit.

CAP. XVI.

IN quinta illa ſententis incredibili explicanda Cicero, qua, vſus rationibus Stoicorum, docuit ſolum ſapientem liberum eſſe, & omnem ſtultum ſeruum: definitione libertatis propoſitum ſuum confirmare volens: erroremque imperitorum refellere, inquit: Quid eſt enim libertas? poteſtas viuendi vt velis. interpretatus igitur eſt definitionem Zenonis, & in euoluenda vi, naturaque libertatis iudicium ipſius ſecutus. ille namque, vt memoriae prodidit Laërtius, his verbis ipſam expreſſerat, dixeratque, ἐλευθερίαν εἶναι ἐξουσίαν αὐτοπραγίας. poteſtatem inquam gerendi in vita, quae volueris. quod (vt accurate copioſeque oſtendit Cicero) qui libidinibus diſtrahuntur praeſtare nullo modo poſſunt: coguntur enim, victi acrioribus illis deſideriis, multa omittere, quae facto opus eſſent: tradereque ſe iis rebus efficiendis, quas nullo modo probant, neque ſibi honeſtas atque accommodatas eſſe ducunt.

Vetus lectio Catulliani loci confirmata, explicata tota illius rei, de qua agitur, ratione.

CAP. XVII.

ITA legendus eſt locus hic Catulli e noto Hendecaſyllabo. vt ſane ſcriptus eſt in calamo exaratis libris, & nonnullis excuſis. Vos conuiuia lauta ſumptuoſe, De die facitis: mei ſodales Quaerunt in triuio vocationes: qui enim poſtea vorationes, eiecta vera voce,

impreſſere, non mediocriter peccarunt; dumque ſe corrigere erratum putant, integram lectionem deprauarunt. Vocare enim imminutum eſt: & quamuia non addatur, ad cenam prandium ve, intelligitur, vt vſurpauit etiam hoc verbum Cicero pro L. Muraena. cum, de tenuibus hominibus loquens, inquit. Ipſi denique (vt ſolent loqui) non dicere pro nobis, non ſpondere, non vocare domum ſuam poſſunt, quamuia infra plenum ponat, dicens, & ad prandia vulgo vocati. Graeci quoque verbo, quod huic reſpondet, ſaepe eodem pacto vtuntur, vt veteres etiam grammatici teſtantur: auctoritateque hac Demoſthenis comprobant. Κληθέντα γὰρ ἔτει πρὸς ἑσπέραν, τὸν υἱὸν τοῦ Φαιδίμου: intelligitur enim manifeſto ἐπὶ δεῖπνον. & κλήσεις ab ipſis huiuſcemodi inuitationes appellatae. Plutarchus in viij. libro συμποσιακῶν lepidam vocem ſcurrae cuiuſdam commemorans, qui ſero ad cenam venientes, expectatoſque diu, [illegible], quod contrarium videbatur, appellabat, ita locutus eſt: eius enim nominis rationem hanc reddebat, quod licet occupati ob auiditatem harum cenarum non poſſent vocationes abnuere, quaerere autem vocationes in triuiis (quod eorum qui domi paratum non habeant, ac mendicorum eſt) ſignificat loca illa valde frequentata, inſidere: captareque tranſeuntium benignitatem, qui ad prandium inuitent. quo miſeriae perductos eſſe ob iniquitatem auaritiamque Praetoris, ſodales ſuos, probos & honeſtos viros, poëta ſtomachatur.

Edolare de opere ingenij dictum, non manuum, quo vſus eſt Cicero in epiſtola quadam, declaratur acceptum eſſe ab Ennio: qui primus eleganter hoc verbum ad aliud tranſtulit.

CAP. XVIII.

QVOD Cicero in epiſtola quadam ad Atticum, vetuſto eleganter aliunde verbo, inquit. Omiſi ea, quae in manibus habebam, abieci: quod iuſſeras, edolaui. non ab eo primum dictum eſt. ante ipſum namque vetus poëta Ennius ad eandem rem a materia propter ſimilitudinem verbum hoc tranſtulerat: vt enim fabri materiarij lignum inſtrumento eius artis, ita ſcriptores argumentum aliquod expoliunt ingenio atque ornant. manifeſto autem illic M. Cicero de libello, operene aliquo, loquitur: quod, vt morem gereret Pomponio, poſthabita omni cura ceterarum ſcriptionum, repente arripuerat. auctorem autem fuiſſe venuſtae huius, mitificeque appoſitae tranſlationis, priſcum illum poëtam indicio M. Varronis cognoſcitur: qui cum & ipſe, ea delectatus, in ſermone illam vſurpaſſet, a quo accepiſſet, confeſſus eſt. quod non fecit M. Tullius: verba enim haec ipſius Bimargo, teſtimonij loco citantur a Nonio, cum hoc ipſum doceret. Cum tot comoedias ſine vlla fecerimus, ego vnum libellum non edolem, vt ait Ennius. Sed idem doctiſsimus vir ad aliud etiam idem verbum tranſtulit, quod tamen inanime non eſt, nec ingenij opus, ſed corporis: dixit enim edolari infantem in vtero matris, pro fingi ac formari. Idem grammaticus, quo loco de varijs notionibus huius nominis ſpiſſum diſputat, oſtendens valere etiam tardum, hoc Varronis exemplum ponit Myſteriis. Naſcimur enim ſpiſſius quam emorimur. vix duo homines x. menſibus edolatum vnum reddunt puerum, contra vna peſtilentia, hoſtica acies, puncto temporis immanes aceruos facit.

Reſpondere Latinae voci, Non putaui: qua nonnulli ſe purgant, qui propter imprudentiam peccarint, quod Graeci dicunt, οὐκ ἂν ᾤμην.

CAP. XIX.

QVOD purgat facile adoleſcentes: multumque valet ad eos paena liberandos, oſtendere ipſos non putaſſe: nec talem exitum illius rei expectaſſe, non eam vim habet, vt culpam minuat grauium virorum, & quibus aliquae partes Reip. commiſſae ſunt: venia enim datur aetati: nec mirum videri debet, eos qui magnum vſum rerum non habent, in aliquo negotio falli. praecipue autem in duce: cuique bellicae res mandatae ſunt, verbum illud ferri non poſſe teſtatus eſt Polybius in x. libro hiſtoriae, vt ex excerptis intelligitur: cum accuſaret Marcellum, quod ſe collegamque temere in inſidias conieciſſet, nimia cupiditate dimicandi cum Annibale: peccato enim ipſius expoſito, vnde paene interitus rerum R. natus eſt: cum itidem antea docuiſſet in vilioribus hominibus periculum illatum rerum ſubeundum eſſe, non in perſona imperatoris, addidit certiſſimam notam eſſe imperitiae ducis ac tarditatis, dicere. Non putaui. Quis vmquam ſperaſſet hoc futurum. quare non poſſe vllo modo ita defendi. Verba ipſius haec ſunt. Τὸ μὲν γὰρ λέγειν ὡς οὐκ ἂν ᾤμην· τίς γὰρ ἂν ἤλπισε

ἐκπέσῃ τῶν γνώμης, μέγιστον εἶναι καὶ δεινὸν σημεῖον ἀπειρίας στρατηγικῆς καὶ ἀρχιτέκτονος: Latini homi-nes, cum idem ſignificare velleut, verbum illud vſurpabant, quo ipſe ſupra vſus ſum. vt Cicero pro Ligario, omnem vna rationem colligens parem huic, aptam ad veniam impetrandam: culpaque confeſſa paenam euitandam. Numquam hoc modo. Ignoſcite iudices: errauit: lapſus eſt: non putauit: ſi vmquam poſthac. ad parentem ſic agi ſolet. Simonem etiam Terentianum eodem conſilio exiſtimauit eruditus interpres idem verbum protuliſſe, cum errorem animi ſui indicauit: falſoque ſe ſenſiſſe de moribus officiiſque filij confeſſus eſt: ſic enim ait. Haec ego eſſe putabam omnia humaui ingenij: manſuetique animi officia: ita enim locum hunc Donatus declarauit. Putare eſt eius, qui ſimplicitate pectoris aberrauit. quam autem non conueniat ſummo duci ſimplicitas animi nemo non intelligit. Vnde T. Liuius quoque Marcelli erratum his verbis reprehendit, atque exagitauit. Mors Marcelli, cum alioqui miſerabilis fuit, tum quod nec pro aetate (maior iam enim lx. annis erat) neque pro veteris prudentia ducis tam improuide iſſet: collegamque & prope totam Remp. in praecepa dederat. Demoſthenes quoque in iij. Philippica ſtultitiam illius vocis declarauit: nec dignos eſſe quibus ignoſceretur oſtendit eos, qui, cum errore magno animi in graue malum incidiſſent, ita ſe excuſarent, ait igitur. καὶ μὴν ἐκεῖνό γε αἰσχρὸν, ὕστερόν ποτ' εἰπεῖν συμβάντος τινὸς. τίς γὰρ ἂν ᾤετο ταῦτα γενέσθαι. Sed etiam Plutarchus in libro de tranquillitate animi, cum antea docuiſſet habitum illum animi Anaxagorae, qui audita morte filij, dixit. Sciebam me genuiſſe mortalem non eſſe ſolum laudandum, ſed etiam imitandum: illo enim modo nihil nouum & inexpectatum accidere poſſe, addidit. οἱ γὰρ τοιαῦτα παρεσκευασμένοι καὶ ἀλγεινὰ, ἐάν τι συμβῇ τῶν ἀβουλήτων μὲν, οὐκ ἀπροσδοκήτων δὲ, μὴ λέγωσι τὸ, οὐκ ἂν ᾤμην, καὶ πολλὰ ἤλπιζον, καὶ τὸ, ταῦτα οὐ προσεδόκων. ἃ τὸν πήδημα τῆς καρδίας καὶ σφυγμοὺς, ἀφαιροῦσι, collegit enim omnia, quae cum inſperatum aliquid contigiſſet, parum prudentes homines: & qui numquam condicionem rerum humanarum meditati fuerant, dicere conſueuerant.

Quam blande ſalutet apud Menandrum, qui diu aſpectu eius caruerat, quidam agellum ſuum: honeſtatque illius appellationis ratio diligenter reddita.

CAP. XX.

ELEGANS Menandri carmen legitur in commentariis Graecorum, quo inducitur quidam, e peregrinatione domum reuerſus, agrum ſuum ſalutare: ipſumque deum vocare: cuius etiam tam honeſtae appellationis rationem reddit, oſtendens ſe merito id facere, cum inde alatur: neque enim tam praeclaro nomine vocare ſe omnem terram, ſed eam ſolum, vnde tantum beneficij accipiat. Verſiculi dulciſſimi poëtae: quique vitam ac mores hominum diuinitus expreſſit, hi ſunt.

Χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν,
Ἀσπάζομαι: τουτὶ γὰρ οὐ πᾶσαν ποιῶ
Τὴν γῆν: ὅταν δὲ τοὐμὸν ἐσίδω χωρίον:
Τὸ γὰρ τρέφον με τοῦτ' ἐγὼ κρίνω θεόν,

Terentianus Phormio, impurus homo & qui ſine labore, ventris ac gutturis deſideria explere quaereret, exiſtimauit eum, qui copioſe ea praeberet, loco dei habendum: inquit enim, enumeratis commodis illius vitae, quae ipſe magni aeſtimabat. Haec cum rationem ineas quam ſint ſuauia, & quam cara ſint. Ea qui praebeat, non tu hunc habeas plane praeſentem deum? Apud Alexidem quoque comicum improbe vocatus eſt a nequiſſimo ſeruo venter pater & mater. quod illo nobis nihil ſuauius ſit: eique in primis nos deceat ſeruire. verſus ipſius hos citat Athenaeus in libro δειπνοσοφιστῶν ἐν ἀσωτοδιδασκάλῳ.

Αὕτη πατήρ σοι καὶ πάλιν μήτηρ μόνη.
Ἀρεταὶ δὲ, πρεσβεῖαι τε, καὶ στρατηγίαι
Κόμποι κενοὶ ψοφοῦσιν ἀντ' ὀνειράτων.

Cum autem eiuſdem poëtae elegans itidem ſuaueque carmen, quod habet idem argumentum, legatur apud Athenaeum in iiij. libro δειπνοσοφιστῶν (nam ſuperius illud inueni apud Stobaeum, quo loco colligit ſententias, quae tradunt ſtudium agri colendi iucundum bonumque eſſe) quis ſcit, an apud Menandrum in eadem fabula poſitae ambae hae ſententiae fuerint: ab eademque perſona, eodem loco, pronuntiatae? vt fortaſſe, quod nunc addam, cum eo coniunctum fuerit: haeſeritque ſtatim illi; indicatur enim quoque poſteriore hoc, quam eximium bonum ſit cultus ager ab aliquo poſſeſſus: nouaque paena excogitatur in eos, qui fundum a patre relictum, vendiderint, vt ventri ſeruiant. eſt autem lepidum commentum: reque ipſa maius malum quam videatur, vt teſtatur qui praeclare intelligebat: reque expertus ſaepe fuerat ſaeuitiam maris ac procellarum, naucleros: is enim apud eum poëtam id edit: ergo

igitur dignos eſſe ait, qui vſque ad extremum vitae nauigent: nec vnquam exeant e mari: ita enim ſenſuros, cui bono, accepto a maioribus, ſtulte non pepercerint. carmen quoque ipſum hic ponam, dignum propter ſuauitatem, quod vbique legatur. Ὦ φιλτάτη γῆ μῆτερ, ὡς σεμνὸν σφόδρ' εἶ Τοῖς νοῦν ἔχουσι κτῆμα, πολλοῦ τ' ἄξιον. Ὡς δ' ἔτ' ἐχρῆν, ὅτις πατρῷαν παραλαβὼν Γῆν καταφάγοι, πλεῖν τοῦτον ἤδη διὰ τέλους Καὶ μηδ' ἐπιβαίνειν γῆς, ἵν' οὕτως εὖ εἰδῇ Οἷον παραλαβὼν ἀγαθὸν, οὐκ ἐφείσατο.

Duo loci M. Varronis e V. libro de lingua Latina emendati auxilio optimi exemplaris.

CAP. XXI.

Cvm plurimum damni factum ſit ex interitu tot tamque vtilium M. Varronis operum, dolendum etiam eſt quae reſtiterunt, vix elapſa ex acerbitate ſuperiorum temporum, corrupta admodum diuulſaque eſſe praeſertimque confecta multis vulneribus, quae de lingua Latina ad Ciceronem ſcripſit. eorum autem vulnerum non nulla ſedulitate mea: auxilioque vetuſtiſſimi exemplaris curare conabor, quod adhuc, Langobardis litteris exaratum, cuſtoditur in bibliotheca diui Marci apud nos. In v. igitur libro, vt illic ſcriptum offenditur, qui tamen nunc quartus eſt in excuſis, quod legitur vulgo. Niſi potius quod Aeoles dicebant, vt πομμὰν, ſic potura a potu: non vt nunc, deſideratur poſt haec verba Graeca vox φρέαρ, cuius veſtigium illic apparet. ita namque ibi legitur. Non vt nunc ΦΡΕ. defecit igitur in eo ſyllaba. gratia tamen habenda quod tantum eius vocis ſeruauit, vt nullo negotio reliquum intelligi & adponi poſſit. ſententia etiam verborum manifeſto ita emendari debere declarat. Non multo etiam poſt hunc, alter locus eſt, in quo verbum itidem Graecum deſideratur, quamuis aliquid etiam maculae in eo Latinum verbum habeat. reſtituitur autem illud ope eiuſdem libri, in quo integrum conſeruatum eſt. cum igitur ita nunc in excuſis legatur. Stagnum a Graeco, quod nomen habet primam. hinc ad villas rutundas ſtagna, quod rutundum facillime continet: anguli maxime laborant. emendari debet. Stagnum a Graeco στεγνὸν. quod nomen habet primam. hinc ad villas rutunda ſtagna. & quae ſequuntur. ſtagna enim rutunda eſſe dicit, non villas. Sex. quoque Pompeius in extremo xvij. libro hanc emedationem adiuuat: dicerem ipſum omne dubium tollere, ſi forte aliquod hic reſtat, ſi locus ille eius grammatici integer eſſet. ita namque apud eum in excuſis libris legitur. duas autem nominis huius rationes affert. quarum prior, a Latino: poſterior, a Graeco ſermone manauit. Stagnum quidam dici putant, quod in eo aqua perpetuo ſtet. alij, quod is locus a Graecis [illegible] dicitur, quia bene continet aquam. arbitror igitur legendum. quod is locus a Graecis στεγνὸς dicitur, qui bene continet aquam. Reſtitutae Graecae vocis auctorem habeo calamo ſcriptum librum. in quo paene illo modo legitur. valere vero στέγει continere, nec pati e labi ac diffluere, certum eſt.

Quid valeat apud Terentium, in ore ſerui poſitum, defugere auctoritatem.

CAP. XXII.

Defvgere auctoritatem, antiquus eſt atque elegans modus loquendi, ductus (vt opinor) ex foro: propriuſque veterum iuriſconſultorum, quorum plures huiuſcemodi locutiones hodie ignorantur, amiſſis eorum ſcriptis. illo autem vſus eſt Terentius in Eunucho, cum callidum ſeruum Parmenonem, incenſo prius adoleſcente: coactoque herili iure ſibi imperare vt rem periculoſam temptaret, ſecurum iam atque omni metu vacuum, induxit ita loquentem. Numquam defugiam auctoritatem. ſequere. Aelius Donatus ſic locum declarauit. Non inquit recuſabo facere, dum tu tamen auctor ſis facti. quod ſane fuit conſilium Parmenonis. non tamen ille fontem huius ſermonis aperuit: neque penitus erudite interpretatus eſt. Plautus autem in Poenulo eodem modo locutus eſt: quamuis locus nunc apud eum deprauatus ſit: cum enim amans herus multum poteſtatis in ſe ſeruo dediſſet his verbis. Si tibi lubido eſt, aut voluptati, ſino: Suſpende, vinci, verbera. auctor ſum, ſino. reſpondet ille, intelligens ipſum amore inflammatum tempori ſeruire, ac poſſe cum velit id factum inficiari. Si auctoritatem poſtea defugeris Vbi diſſolutus tu ſies, ego pendeam: ita enim prorſus videtur legendum eſſe, non defungeris vt eſt in excuſis libris. Praeterea Cicero pro P. Sylla idem μεταφορικῶς vſurpauit, hoc pacto. Itaque attende iam Torquate quam ego non defugiam auctoritatem conſulatus mei. maxima vo-

ce, vt omnes exaudire poſſint, dico: ſemperque dicam. & quae ſequuntur. Significat autem, ſe non deſugere dicens auctoritatem ſui conſulatus, ſe cuncta illa, quae tunc geſſit confiteri ac prae ſe ferre recte & ordine geſta eſſe, paratumque illa defendere, ac quaecumque quaſi iuſſerit ille ac mandarit, non recuſaturum facere.

Sententia vtilis magnopere ad vitam, a duobus poëtis celebrata: qui, vt diuerſa lingua ſcripſerunt, ita etiam aliam ſcenam coluerunt.

CAP. XXIII.

GRAVEM ſententiam: e mediaque philoſophia ſumptam: graui perſonae, quales raro in ſcenam illam prodeunt, tribuit Plautus in Amphitryone Ioui, laudanti Alcmenam, quod, ſatisfieri ſibi paſſa eſſet: atque omnem iram ex animo eieciſſet: huiuſcemodi enim eſſe noſtram condicionem, vt nihil ſtabile perpetuumque apud nos eſſe poſſit: tempuſque multa ſecum ferat, quae numquam antea putaſſemus. quare ſapientis eſſe, ac probi viri ſequi naturam rerum humanarum, quae variantur omnibus momentis: nec quicquam huiuſcemodi fixum in animo habere: aut poſſe euenire non arbitrari. Verba comici haec ſunt. Bene facis. Nam in hominum aetate multa eueniunt huiuſmodi. Capiunt voluptates: mox rurſum miſeriae, Irae interueniunt: redeunt rurſum in gratiam. Idem etiam in ore prudentiſſimi viri: eiuſdem tamen, iniquitate fortunae, multis malis conflictati, poſuit Sophocles: cum enim Oedipus in ſermone Theſeo indicaſſet futurum tempus, quo Thebani in bello grauem plagam acciperent ab Athenienſibus: miratuſque id eſſet rex ille Athenarum, cum mutuo amore videret illos populos flagrare, dixit Oedipus erudite ac ſubtiliter. Solas diuinas ac caeleſtes res non conſeneſcere: neque interire vmquam. alia vero cuncta permiſcere & extinguere tempus, totoque loco diligenter copioſeque explicato, cum in multis rebus hoc euenire oſtenderet, ac nihil ſemper florere docuerit, redit ad id, quod dixerat, tempore diſſipatum iri coniunctionem illam animorum ac gratiam, quae tunc vigebat inter Athenienſes ac Thebanos, ac bella ipſos inter ſe geſturos. Sed totum locum, quia eſt grauiſſimus, & ſumma induſtria poëtae perpolitus, hic ponam: ait enim, admonens Theſeum miſer ille ſenex, & qui id in ſeipſo verum eſſe expertus fuerat: cum e rege factus foret extorris ac mendicus Ὦ φίλτατ' Αἰγέως παῖ. μόνοις οὐ γίγνεται Θεοῖσι γῆρας: οὐδὲ κατθανεῖν ποτε. Τὰ δ' ἄλλα συγχεῖ πάνθ' ὁ παγκρατὴς χρόνος. Φθίνει μὲν ἰσχὺς γῆς. φθίνει δὲ σώματος Θνήσκει δὲ πίστις: βλαστάνει δ' ἀπιστία. Καὶ πνεῦμα ταυτὸν οὔποτ' ἐν ἀνδράσι Φίλοις βέβηκεν: οὔτε πρὸς πόλιν πόλει Τοῖς μὲν γὰρ ἤδη: τοῖς δ' ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ Τὰ τερπνὰ πικρὰ γίγνεται, καὖθις φίλα: hucuſque enim in vniuerſum de rebus locutus eſt, ſtatim autem affirmat id in parte quoque illa locum habiturum.

Deleta macula e verſu illo Ciceronis, qui vt arrogantiae plenus, valde reprehenſus eſt ab inimicis: abalienauitque ab ipſo animum ſummi imperatoris.

CAP. XXIIII.

VERSVS ille Ciceronis, tantopere exagitatus a maleuolis, vt non ceſſarent ipſi eum obiicere, mendoſe legitur poſteriore ſui parte in oratione in L. Piſonem: cum enim priorem ſententiam, quae eſt, Cedant arma togae, iam defendiſſet, ac vitio vacare declaraſſet, quod more poëtarum locutus, intelligi voluerit bellum ac tumultum paci otioque conceſſurum, illic nunc legitur. At in illo altero inquit haeres: concedat laurea laudi. immo me hercule habeo tibi gratiam: haererem enim niſi tu me expediſſes. & quae ſequuntur. cum ſcribi debeat, linguae in extremo verſu pro laudi. vt ſane apud Quintilianum legitur in xj. libro, quo loco Ciceronem tuetur ab huiuſcemodi non nullis rebus, quae vitio illi dabantur. nec non in oratione quae Salluſtij nomine legitur in Ciceronem, in qua haec verba ſunt. Egeris oro te Cicero: perfeceris quodlibet: ſatis eſt perpeſſos eſſe: etiam ne aures noſtras onerabis tuo odio? etiam ne moleſtiſsimis verbis inſectabere? Cedant arma togae. concedat laurea linguae. vſum autem Ciceronem eodem lumine orationis, accipi voluiſſe artem imperatoris eloquentiae facultatique dicendi conceſſuram, patet. Macula autem haec, ſcripturaeque varietas nata eſt, vt nullo negotio intelligere licet, quia Cicero ſtatim, maledictum in illum retorquens, inquit. Nam cum tu timidus, ac tremens, tuis ipſe furaciſsimis manibus detractam cruentis faſcibus lauream, ad portam Eſquilinam abieciſti; indicaſti non modo ampliſſimae, ſed etiam minimae laudi lauream conceſſiſſe.

neque

neque tamen hoc vim vllam habet ad lectionem illam labefactandam: verioremque hanc eſſe docendam. nam laudem vocat dignitatem, quae ex aliquo ſtudio capitur: ampliſſimam autem, quae ex oratorum arte obtinetur. Significat igitur L. Piſonem, facto illo, confirmaſſe ſententiam ſuam: ac ſi quid ſcrupuli illic erat, euelliſſe. cum ipſemet ſuo iudicio videatur ſpreuiſſe virtutem imperatoriam, cuius inſigne eſt laurea. Plutarchi quoque teſtimonium opinionem meam confirmat de ſinceritate lectionis: ita enim expoſuit vocem hanc Ciceronis, cum modum nullum ipſum habuiſſe dixiſſet in rebus ſuis celebrandis. ὡς τὰ ὅπλα εἶξε τῇ τηβέννῳ, καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπεῖκεν δάφνην. Quod vero ad ſententiam pertinet, vocemque hanc contumaciorem, Aeſchines quoque in cauſa Cteſiphontis exprobrauit Demoſtheni in tantum arrogantiae illum veniſſe, fretum opibus Thebanorum: ſocietateque, quam cum eorum magiſtratibus occulte coierat, vt omnia ex voluntate ſua in rep. gereret. Quod ſi quis inquit eorum, qui exercitus ducunt, contra aliquid aliquando diceret, ſeruitute opprimere volens magiſtratus: paulatimque aſſuefacere, ne vlla in re ſibi aduerſarentur, affirmat minaturque ſe facturum vt ſuggeſtum, vnde verba faciunt oratores, ſcribat dicam praetorio: in iudiciumque ipſum vocet, quod maiora beneficia a ſe acceperint Athenienſes ex eo loco, quam a belli ducibus ex altero illo, in quo ipſi manebant. Hoc autem idem pene valet, quod pars illa Ciceroniani verſus. Aeſchinis verba ſunt haec: quae interpretatus etiam eſt Budaeus, in illis ſuis, eleganti doctrina refertis, Graecae linguae commentariis. εἰ δέ τις αὐτῷ τῶν στρατηγῶν ἀντεῖποι, καταδουλούμενος τοὺς ἄρχοντας, καὶ συνεθίζων μηδὲν αὐτῷ ἀντιλέγειν, διαδικασίαν ἔφη γράψειν τῷ βήματι πρὸς τὸ στρατήγιον: πλείω γὰρ ὑμᾶς ἀγαθὰ ὑφ' ἑαυτοῦ ἔφη ἀπὸ τοῦ βήματος πεπονθέναι, ἢ ὑπὸ τῶν στρατηγῶν ἐκ τοῦ στρατηγίου.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER VI.

Quomodo accipi debeat Salluſtij ſententia: quae videtur res honeſtas ac laude dignas vituperare.

CAP. I.

SAEPE miratus ſum, qua mente Salluſtius in prooemio de bello Catilinae tantopere ſtudium agri colendi, atque venandi contempſerit, vt non veritus ſit ſeruilia officia appellare. cum ceteri ſcriptores ac ſapientes viri magnopere illa laudarint: grauiſsimique atque honeſtiſsimi homines: nec non ſummi reges, ipſa coluerint. hoc autem tam apertum eſt, vt non oporteat exempla confirmare, quorum magna copia omnibus temporibus ſuppeteret. conſtat enim ex vtroque ſtudio magnas vtilitates capi, & ad valetudinem tuendam, & ad vires corporis confirmandas. nam venationem rei militaris meditationem eſſe, multaque inde transferri ad bellum adminiſtrandum nemo ignorat, atque ipſemet Criſpus teſtatur, qui cum inſtituta Iugurthae adoleſcentis exponeret: quibuſque in rebus ſe exercere conſueſſet oſtenderet, inquit, laudi hoc ipſi dans. "Ad hoc pleraque tempora in venando agere: leonem atque alias feras primus, aut in primis, ferire." Quanquam autem politiſſimus omnium philoſophorum: cunctiſque honeſtis artibus ornatiſsimus, Xenophon venandi ſtudium probarit, nemo dubitare poteſt, cum laudationem eius confecerit: plurimaque inde bona capi ſignificarit. Quid igitur impulerit Romanum auctorem, vt hoc memoriae mandarit: neque ab aliorum iudicio tantum, ſed a ſemetipſo quoque tantopere diſcreparit, quaerendum. certe ita eo loco eſt locutus, cum rationem ſuae vitae conſiliique redderet. "Neque vero agrum colendo, aut venando, ſeruilibus officiis, intentum aetatem agere." An culpa liberatur, quod inquit, intentum aetatem agere. quaſi haec non reprehenderit, ſi modice temporeque fiant. ſed nimium illorum ſtudium accuſarit. & ſane ingenuis artibus praediti, induſtriique viri, qui in alterutro ſtudio vitam contererent, nec altiores vllas cogitationes vnquam ſuſciperent, merito poſſent damnari: nec ſine cauſa in ſeruilioribus cu- ria dici voluntari.

Conatus Lucilij locum emendandi, citatum a Nonio.

CAP. II.

NONIVS, cum vim verbi tranſmittere declararet, quam vult eſſe, tradere & derelinquere, deprompſit exemplum e libro xxviij. Lucilij: id autem (vt opinor) valde illic deprauatum legitur. quare libuit videre, an coniectura corrigi poſsit. praeſertim cum illis verbis narretur, quod ad hiſtoriam pertinet. vt tamen de re incerta loquor: conſtat enim quod quantiſque mendis referta ſint haec teſtimonia veterum ſcriptorum, apud eum grammaticum. In excuſis igitur ſic eſt. "Polemon & amauit mortem, & huic tranſmiſit ſuam ſtolam quam ducunt." Ipſe vero, rem ipſam ſpectans, & quod memoriae proditum eſt ab auctoribus: nec valde diſcedens ab his veſtigiis, quae reſtant, verae lectionis, emendarem. "Polemon & amauit Cratem, & huic tranſmiſit ſuam ſcholam, quam dicunt." an omnino falſus ſim, a vero que aberrarim, nunc politi ingenij viri iudicabunt. Laërtius certe tradit, quod ex hac, ita concinnata a me, lectione elicitur: cuius haec verba ſunt in vita Cratetis, de illo ipſo loquentis. "καὶ ἐραστὴς ἅμα καὶ ἐρώμενος Πολέμωνος, ἀλλὰ καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν αὐτοῦ." Id ipſum autem valere tranſmittere, quod affirmauit Nonius, oſtenditur etiam teſtimonio Pacuuij, citato ab eodem grammatico. vbi docet a bonis auctoribus vſurpari etiam potior cum accuſandi caſu:

di caſu: pluribus enim exemplis huius locutionis poſitis. addit. Pacuuius Atalanta. Regi vt m:morabis nunc regnum potitur tranſmiſſu patris. Hoc autem libentius teſtatus ſum, quia non defuerunt, qui locum hunc attemptare auſi ſint: atque improbe pro tranſmiſſu, quod verum eſt, promiſſu facere.

Locus Ciceronis e primo libro de Diuinatione, qui manifeſto vitio laborat: ſiue peccatum id librariorum: ſiue auctoris fuerit, diligenter examinatus.

CAP. III.

HAEC verba Ciceronis e primo libro de Diuinatione diu multumque mente reuolui, vt viderem ſi poſſem ſententiam illorum tueri, ac quo conſilio ab auctore prolata forent, oſtendere: ſuſpenſo enim animo & aliis cogitationibus impedito, edita videntur: ſunt autem haec. Quid Ariſtolochia ad morſus ſerpentium poſſit: quae nomen ex inuentore reppetit: rem ipſam inuentor ex ſomnio. multa autem ſunt, quae hic me perturbant: & aliena ab his, quae de hac herba a peritis huius rei tradita ſunt, veritateque ipſa videntur: neque enim nomen illa ex inuentore adepta: nec vtilitatem ipſius inuentor ex ſomnio. non impoſitum autem ipſi nomen ab inuentore conſtat. etymon namque Ariſtolochiae eſt, quod optima ſit: proſitque mirifice puerperis. id autem teſtatur quoque Plinius. cuius haec verba ſunt. Inter nobiliſſimas Ariſtolochiae nomen dediſſe grauidae videntur. quoniam eſſet ἀρίστη λοχευομέναις. & ſi errauit in eo, quod grauidae, inquit; neque enim illa grauidis opitulatur, ſed poſtquam pepererint: λοχεία enim diligentia curaque eſt, quae adhibetur in partu. valere hoc autem ipſam conſenſu omnium ſcriptorum traditum eſt. Neque praeterea vſquam lectum vtilitatem hanc Ariſtolochiae ex ſomnio cognitam. quare cogitaui aliquando an vitium ſcripturae hic ſit: vel potius (in antiquis enim quoque libris, eodem modo legitur) an effugerit memoria Ciceronem: atque in hac herba peccarit. Non ſine cauſa tamen putare aliquis poſſet, cum ſupra Scamoneam appellarit, nomen tertiae cuiuſdam herbae deſiderari, relictum negligenter a librariis: quae herba morſibus ſerpentium opituletur: illi autem nomen inuentor dederit (nihil enim certi in tam obſcura re) Cicero ſane ipſe in ij. de Diuinatione commemorat huiuſcemodi herbae vtilitatem vidiſſe Alexandrum in ſomno: eius tamen nomen non dicit. Totum autem hic locum ponam, vt commode quilibet conferre ipſum poſſit cum eo, quod de eadem re eodem modo memoriae prodidit Diodorus Siculus in xvij. libro. Quale etiam de Alexandro, qui, cum Ptolemaeus familiaris eius in proelio telo venenato ictus eſſet: eoque vulnere ſummo cum dolore moreretur, Alexander aſſidens ſomno eſt conſopitus: tum ſecundum quietem viſus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & ſimul dicere, quo illa loci naſceretur: neque is longe aberat ab eo loco: eius autem eſſe vim tantam, vt Ptolemaeum facile ſanaret. Cum Alexander experrectus, narraſſet amicis ſomnium, miſiſſe, qui illam radiculam quaererent, qua inuenta & Ptolemaeus ſanatus dicitur, & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. Verba Graeci ſcriptoris haec ſunt, cum multa iam de vi medicati eius teli veneníque diſſeruiſſet. Τοιαύτῃ δ' ἀπωλείᾳ τῶν τετρωμένων ἀπολλυμένων, ἐπὶ μὲν τοῖς ἄλλοις οὐχ οὕτως ὁ βασιλεὺς ἐλυπεῖτο. ἐπὶ δὲ Πτολεμαίῳ, ὕστερον μὲν βασιλεύσαντι, τότε δὲ ἀγαπωμένῳ, μεγάλως ἠχθέσθη. ἴδιον γάρ τι καὶ παράδοξον συνέβη γενέσθαι περὶ τὸν Πτολεμαῖον, ὅ, τινὲς εἰς θείαν πρόνοιαν ἀνέπεμπον: ἀγαπώμενος γὰρ ὑφ' ἁπάντων διά τε τὴν ἀρετὴν καὶ ὑπερβολὴν τῆς εἰς πάντας εὐεργεσίας, οἰκείας τῆς φιλανθρώπου βοηθείας ἔτυχεν: ὁ γὰρ βασιλεὺς εἶδεν ὄψιν κατὰ τὸν ὕπνον, καθ' ἣν ἔδοξεν ὁρᾶν δράκοντα, βοτάνην ἐν τῷ στόματι κρατοῦντα, καὶ δεῖξαι ταύτης τὴν φύσιν καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὸν τόπον, ἐν ᾧ φύεται. ἐξεγερθεὶς οὖν Ἀλέξανδρος, καὶ τὴν βοτάνην ἀναζητήσας, καὶ τρίψας, τό, τε σῶμα τοῦ Πτολεμαίου κατέπλασε, καὶ πιεῖν δοὺς, ὑγιῆ κατέστησε. γνωσθείσης δὲ τῆς εὐχρηστίας, καὶ οἱ λοιποὶ τυχόντες τῆς ὁμοίας θεραπείας, διεσώθησαν. Libet narrare, quid ſenſerit de hac admiranda re Strabo, qui cum quod ſupra a me commemoratum eſt, & ipſe expoſuiſſet in xv. libro inquit, veriſimile eſſe, quempiam peritum eius herbae virium, indicaſſe regi vim eius, ac poteſtatem; quod autem, inſtar fabulae eſt, additum fuiſſe ab iis, qui aſſentarentur Alexandro, quales multos ille ſecum habuit, ſcriptores rerum ſuarum. Factum autem id fuiſſe dicit apud Oritas.

Argumenti,

Argumenti, quo ſe purgat Creon Oedipo apud Sophoclem: diluitque conatur crimen affectati regni, vitium patefactum. Diſtinctioque illa inter regem eſſe, & vt regem ſe gerere, confirmata auctoritate optimi viri ac maximi imperatoris.

CAP. IIII.

QVVM apud Sophoclem in Oedipo tyranno Creon dilueret crimen, quod obiectum ei fuerat ab Oedipo: inſimularat enim ipſum rex inſidiarum ſibi paratarum: aſtutiſque conſiliis dixerat eum ſe conari eiicere e ciuitate, iecit hoc fundamentum ſuae defenſionis. quod vtile ſibi illud futurum non fuerit, eum fruatur priuatus omnibus commodis, quae capi poſſent e regno: careatque malis, ac periculis inſtantibus illi, qui ſummum locum in ciuitate teneat, addiditque, quod vehementer faciebat ad ſententiam ſuam confirmandam, atque id quod contra dici poſſet, refellendum, ſe non eſſe ex eo genere hominum, qui ſplendore iſto ac titulis capiuntur, ſed potius ita a natura factum, vt tacitus magis gaudeat rebus ipſis ſine inuidia, quam ſpecioſis nominibus, plenis tamen iiſdem periculorum: in extrema hac igitur ſententia exprimenda inquit. Ἐγὼ μὲν οὖν οὔτ᾽ αὐτὸς ἱμείρων ἔφυν Τύραννος εἶναι μᾶλλον, ἢ τύραννα δρᾶν. Diſtinxit enim poëta res has: aliudque eſſe voluit regnare: aliud poſſe, quae faciunt reges atque opulenti viri, praeſtare. nam gratia & auctoritate, qua apud ipſum Oedipum ac reginam ſororem ſuam, valebat, videri voluit eadem efficere poſſe, quae illi ipſi, Creon, intelligit autem adiuuare amicos, ſalutem multis dare, vlciſci inimicos. atque huiuſcemodi multa moliri quae propria regum ſunt, ac fortunatorum hominum. niſi autem praua ambitio peruerſos homines ageret, fuiſſet illud prorſus verum: Cicero enim quoque pro Q. Ligario idem protulit, cum de indulgentia C. Caeſaris in ſuos diſputaret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, vt mihi beatiores illi eſſe videantur, qui tua liberalitate fruuntur, quam tu ipſe, qui illis tam multa concedis. Vt autem Creon apud ſummum tragicum, in optima fabula, ſeparauit res illas, ita P. Scipio in ſecundis ſuis rebus ac victoria magna, cum ab ingenti manu Hiſpanorum rex ſalutatus eſſet, conceſſit illis, vt regium animum virtuteſque altiſſimae illius fortunae, ſe dicerent habere: ei namque rei ſemper ſe toto animo ſtuduiſſe dixit: regis appellatione in reliquum ſibi temperarent. Polybius in x. hiſtoriarum libro id retulerat, qui omnis locus in excerptis, quae nuper in lucem prodiere legitur. quod ad hunc locum facit huiuſcemodi eſt. μετὰ δὲ τὴν μάχην ἁπάντων βασιλέα προσφωνούντων αὐτὸν ἐπὶ τοσοῦτον ἄρας τὴν πόλιν τὸ μεγαλεῖον. Διὸ καὶ συναθροίσας τοὺς Ἴβηρας, βασιλικὸς μὲν ἔφη βούλεσθαι καὶ λέγεσθαι παρὰ πᾶσι καὶ ταῖς ἀληθείαις ὑπάρχειν: βασιλεύς γε μὴν οὔτ᾽ εἶναι θέλειν, οὔτε λέγεσθαι παρ᾽ οὐδενί: ταῦτα δ᾽ εἰπὼν παρήγγειλε στρατηγὸν αὐτὸν προσφωνεῖν. T. autem Liuius idem his verbis narrauit. Circumfuſa inde omnis multitudo Hiſpanorum & ante deditorum & pridie captorum, regem eum ingenti conſenſu, appellauit. Tum Scipio, ſilentio per praeconem facto, ſibi maximum nomen imperatoris eſſe dixit, quo ſe milites ſui appellaſſent: regium nomen alibi, magnum, Romae, intolerabile eſſe. regalem animum in ſe eſſe, ſi id in hominis ingenio ampliſſimum ducerent, tacite iudicarent: vocis vſurpatione, abſtinerent.

Diſſenſio indicata inter Ariſtotelem, Ciceronemque de iudicio Ariopagi.

CAP. V.

DISSENTIT ab Ariſtotele Cicero, in eo quod tradit de conſilio Ariopagi: cum enim iudicium hoc, conſtitutum a Solone velit, non conſtituiſſe ipſum Ariſtoteles ſapientem hunc virum, legumque ſcriptorem narrat, ſed antiquius multo, ab alioque ante conſtitutum, retinuiſſe ac conſeruaſſe ipſum Solonem affirmat: nec, vt alia quaedam priſca inſtituta Athenienſium, diſſoluiſſe. hoc igitur cum ad veterem memoriam pertineat: nec paruı ponderis ſit, adnotare volui. M. Tullij namque verba ſunt in primo libro de Officijs. Citetur Salamis, clariſsimae teſtis victoriae, quae anteponatur conſilio Solonis ei, quo primum conſtituit Areopagitas. & infra. Eſt enim bellum geſtum conſilio Senatus eius, qui a Solone erat conſtitutus. Hoc autem, quod Latinis verbis exponam, ſcriptum ab Ariſtotele eſt in ſecundo libro πολιτικῶν. Conſilium ſcilicet, quod cogitur in Ariopago accommodatum eſſe dominationi paucorum: magiſtratus autem ſuffragiis creari proprium eſſe ſtatus optimatium. iudicia vero inſtitutum populare. videtur autem Solon illa, quae iam manebant, non diſieciſſe. intelligo inquam Senatum: magiſtratuumque optionem. multitudinis autem ſtatum, populumque, conſtituiſſe, cum in iudicia venire omnes voluerit.

Locus ex epiſtola quadam ad Q. fratrem, qui videtur mendoſus, praecipue Graeco verbo deprauato, diligenter ponderatus.

CAP. VI.

ET lepida & erudita epiſtola eſt illa M. Ciceronis ad Q. fratrem, cuius initium eſt. Tu metuis ne me interpelles: eadem tamen pluribus maculis aſperſa, quae ſuauitatem ipſius corrumpunt, ac non paruam moram afferunt legenti. Conabor igitur ſi potero, aliquam e multis delere. Primum igitur cum verear ne vitium in hoc loco ſit, exiſtimaui aliquando illud ita vt oſtendam, corrigi poſſe: verba enim prius, vt nunc in excuſis leguntur, ponam. Sed mea factum eſt inſuſa verecundia, vt te proficiſcens non tollerem. oppoſuiſti ſemel ἀντίλεκτον cauſam, Ciceronis noſtri valetudinem. verbum igitur primum Graecum arbitror deprauatum: neque enim vim illius vllam ſententiamque hic aptam perſpicio. quod ſi in medio littera addatur, efficiaturque ἀντιλέκτως ratio ipſius extabit: quomodoque conformatum ſit liquido apparebit, ac fortaſſe hoc pacto locus purgatus, & ab omni labe vacuus erit. quod aliqua ratione occurri poſſit, excuſatioque illa confutari. Si cui tamen durum videatur ponere Ciceronem valetudinem Ciceronis filij in his cauſis, quae tolli poſſunt: exiſtimetque ſententiam requirere vt, ἀναντιλέκτως potius legatur, non valde repugno. Non mirum enim videri poteſt Graecum verbum hic ita contaminatum, cum multis locis Latina in hac epiſtola miſerum in modum ſint diſſipata. Praeterea non omnino exploratum habeo, an verbum hoc, inſuſa, vitio vacet. cum optimus liber hic quoque incertus ſit: nec me fallit in alijs excuſis legi, inuiſa. contra tamen eiuſdem exemplaris auctoritatem, quod ſi legeretur inſulſa, magis (vt opinor) quadraret, vt inſulſam verecundiam hic vocarit, quemadmodum in epiſtola ad Lucceium, pudorem ſubruſticum. nec diſpliceret etiam, inſita. ſententia totius loci haec eſt. Queritur Marcus Q. Ciceronem fratrem vna non eſſe, & accuſat ſeipſum, quod ſecum eum, Roma exiens, non duxerit: purgat tamen eam rem diligenter. nam in epiſtola ſua Quintus vt ex verbis hic infra poſitis perſpicitur, dixerat ſe, ni veritus eſſet, ne moleſtus foret, vna futurum fuiſſe, vt etiam tunc timebat ne epiſtolis ipſum interpellaret, oſtendit igitur Marcus ſe id commiſiſſe, quia cum antequam diſcederet Roma, tetigiſſet aliquid in ſermone de peregrinatione illa: rogaſſetque vt vna ſecum iret, recuſarat Quintus; docens ſe diſcedere non poſſe, quia oportebat curare valetudinem filij: contra quod aut dici aliquid, aut nihil poterat. id enim pendet ex verbo illo Graeco, vtro modo legatur. nam res ipſae penitus cognitae nobis eſſe non poſſunt, & quae ſtatim ſequuntur verba obſcura ſunt, & (vt arbitror) corrupta. videtur tamen potius cauſa illa, vt curaret, iuſta fuiſſe. quare oſtendit ſe conticuiſſe. cumque id iterum tentaſſet, iuſtiore adhuc cauſa manendi accepta, tum penitus ſe quieuiſſe, vt haec omnia valeant ad ſui purgationem. Laërtius in Ariſtotele, cum opera ipſius ad quadringenta perueniſſe dixiſſet, addidit. τὰ ὄντα γε ἀναντίλεκτα: alia namque etiam illius nomine circunferebantur, quae dubia & incerta erant.

Locus alius eiuſdem epiſtolae, in quo perſpicuum mendum erat, opinione correctus. Similéque illi erratum in VI. libro M. Varronis, eodem pacto ſublatum.

CAP. VII.

HAec quoque in eadem epiſtola verba manifeſto corrupta ſunt: ac multis modis deprauata. Hoc vero mihi peculiare fuerit hic etiam iſto frui. nam illorum praediorum ſcito mihi vicinum Marium, lumen eſſe apud Anitium videbimus, vt paratum ſit, nos enim ita philologi ſumus, vt vel cum fabris habitare poſſimus. vt autem, cum ope fidelis exemplaris deſtitutus ſim, coniecturis quaeram quomodo reſtitui locus poſſit, ſuſpicor vacare verbum lumen: tollique omnino debere: illud enim in primis officere ſententiae arbitror, importune huc inculcatum. vel potius hic natum: conflatum enim ipſum puto e poſtrema ſyllaba antecedentis vocis, & prima conſequentis: prima tamen vltimaque ob ſimili tudinem aliquantulum immutatis. hoc autem ſublato verbo, nullum negotium eſt recte: ſuiſque locis, orationem interpungere: quae nunc confuſis partibus, confuſa & ipſa mirum in modum eſt. quare meo iudicio ita omnis locus legendus. Hoc vero mihi peculiare fuerit, hic etiam iſto frui: nam illorum praediorum ſcito mihi vicinum Marium. Apud Anitium videbimus vt paratum ſit: nos enim, & quae ſequuntur. quem Marium autem intelligat, conſtat: cum infirmum hominem, & natura imbecilliorem, appellet: illum ſcilicet ad quem elegantem epiſtolam ſcripſit de ludis Cn. Pompeij, quos ille, valetudine impeditus, non ſpectauerat. ſententia vero poſterioris partis aperta eſt. Inquit

enim, ſi venerit Quintus, ne ipſum in villa aperta adhuc: impeditaque tumultu aedificantium, accipiat: quam moleſtiam ille, quia delectaretur ſermone quatumuis perſonarum, aequo animo ferebat, curatorum vt apud Anitium paratum ſit. familiarem autem hunc fuiſſe Q. Ciceronis ex prima epiſtola tertij libri cognoſcitur. quod autem ſoleret Marcus cum fabris architectiſque multum temporis tunc conſumere: familiariterque cum ipſis loqui, vt qui totum animum in eorum ſtudio occupatum haberet, intelligitur ex his verbis epiſtolae ſuperioris.
» Si te haberem, paulſper fabris locum darem: valent enim illi, (niſi fallor) dimitterem illos: a
meque remouerem. Hic quoque M. Varronis locus in vj. libro de lingua Latina, cum eodem vitio laboret: coalitoque in medio ipſo negligentia librarij, verbo deformatus ſit, eodem remedio videtur poſſe ſanari. Ita autem in excuſis ſcriptiſque exemplaribus nunc paſſim legitur.
» Sic elicij Iouis viſa ara in Auentino ab eliciendo. Ipſe vero arbitror legi debere. Sic elicij Iouis ara in Auentino ab eliciendo. ſublata inde voce illa viſa, quae conflata & ipſa eſt ex vltima prioris, & prima conſequentis vocis ſyllaba.

Quiddam, quod prouerbij vim habet in patrio ſermone, declaratum apud Graecos etiam dici ſolitum: necnon a magno Latino auctore vſurpatum.

CAP. VIII.

QVOD vulgo nos dicere conſueuimus, cum de iniuriis opulentorum hominum querimur: ſignificamuſque nouum non eſſe, quod tenuiores exuantur patrimonio a potentioribus. grandes piſces comedere paruulos, a Graecis etiam hominibus, prouerbij loco iactabatur. vt teſtimonio Polybij percipimus qui in xv. libro hiſtoriarum, cum improbitatem ſceluſque duorum maximorum regum, Philippi Macedonis, Antiochique accuſaret, id commemorauit: illi namque mortuo Ptolemaeo Aegypti rege: relicto infante puero, regnum ipſius inter ſe diuiſerunt: atque ipſum puerum tollere ſtuduerunt. cum tamen ſanguine coniuncti cum eo forent: tuerique dignitatem illius ſalutemque deberent. docet igitur eos in hoc nefario conſilio ſe adeo impudenter crudeliterque geſſiſſe, vt affines forent illi culpae, quae piſcium vitae propria foret: vulgoque ferebatur: piſces enim eiuſdem generis piſcibus veſci conſuerunt, vt internecio minoris maioris paſtio eſcaque ſit. Haec autem grauis ſcriptoris verba ſunt, cum ſtomacho quodam turpiſſimum id factum commemorantis, ac libere etiam reprehendentis, ex excerptis,
» quae conſeruata ſunt, eius libri. Οὐδ' ἂν, καθάπερ οἱ τύραννοι, βραχεῖαν δέ τινα προβαλλόμενοι
» τῆς αἰσχύνης πρόφασιν, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς ἀναιδῶς καὶ θηριωδῶς οὕτως, ὥστε προσοφλεῖν τὸν λεγόμενον τῶν ἰχ-
» θύων βίον. οἷς δή φασιν, ὁμοφύλοις οὖσι, τὴν τοῦ μείονος ἀπώλειαν τῷ μείζονι τροφὴν γίνεσθαι καὶ βίον.
Simile igitur hoc mirifice aptum eſt ad oſtendendam, atque ante oculos ponendam, ſaeuitiam diritatemque quorundam hominum: ſumptum ab animante immani, atque experte omnis humanitatis. vt autem in noſtra gente certum eſt crebro id vſurpari: & apud Graecos etiam iudicio clari ſcriptoris in vſu fuiſſe intelligitur, ita a magno Latino auctore illud tactum inueni: M. enim Varronis haec verba ſunt apud Nonium Margopoli περὶ ἀρχῶν. Nam
» humanis omnia ſunt paria. qui te plus vrget, piſcis vt ſaepe minutos magnus comeſt, vt aues
» enecat accipiter.

Locus Platonis, quem expreſſit Cicero, indicatus: illo autem exponitur ſomnium Socratis, nuntius ipſius interitus.

CAP. IX.

M. CICERO, cum in primo de Diuinatione inquit: Eſt apud Platonem So-
» cratem, quum eſſet in cuſtodia publica, dicens Critoni ſuo familiari ſibi poſt
» tertium diem eſſe moriendum: vidiſſe ſe in ſomnis pulchritudine eximia femi-
» nam, quae ſe nomine appellans, diceret Homericum quendam eiuſmodi verſum. Ter-
tia te Phthiae tempeſtas laeta locabit, Intellexit manifeſto hunc locum e ſermone, qui Cri-
» ton vocatur: illic enim optimus ac ſapientiſſimus ſenex ita loquitur cum Critone. τῇ γάρ που
» ὑστεραίᾳ δεῖ με ἀποθνήσκειν: paucisque interpoſitis verbis, quae reliquit Cicero. τεκμαίρομαι δὲ
» ἔκ τινος ἐνυπνίου, ὃ ἑώρακα ὀλίγον πρότερον ταύτης τῆς νυκτός. cum autem quaeſiſſet Criton, quod
» nam potiſſimum ſomnium illud fuiſſet, omnem rem narrans Socrates, ait. ἐδόκει τίς μοι γυνὴ
» προσελθοῦσα, καλὴ καὶ εὐειδὴς, λευκὰ ἱμάτια ἔχουσα, καλέσαι με καὶ εἰπεῖν. ὦ Σώκρατες. ἤματί κεν τριτάτῳ
» Φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο. omiſit autem Cicero, quod ad ornatum corporis: coloremque veſtimen-

torum, pertinebat feminae illius. verſum vero Homeri eſſe e ix. libro Iliados notum eſt, pronuntiaturque illic ab Achille, reſpondente Vlyſsis orationi, vnius trium illorum legatorum, quos miſerat ad ſe Agamemnon, vt ſibi eum placarent; libere enim tum eo, & aperte egit, ſignificauitque ſe compulſum iniuriis eius, & quia in exercitu illo nec praemium, nec honos vllus erat virtuti, ſtatuiſſe domum reuerti, non procul remotam, & ad quam, ſi nactus eſſet felicem nauigationem, ſpatio trium dierum peruenturus eſſet: In vertendo praeterea Homerico verſu Cicero non expreſſit epitheton inſulae, quo ornarat Phthiam poëta, ſed de ſuo aliud addit tempeſtati: ita enim vocauit, quam Homerus ἦμαρ idest lucem ac diem. Volo etiam indicare Laërtium in vita Socratis aliter rem expoſuiſſe, & a Platone, non vna tantum fortaſſe in re diſſenſiſſe; poſt dicta enim quaedam Socratis commemorata, hoc etiam ponit; Viſum ibi eſſe τινὰ, ſiue vir, ſiue femina fuerit, in ſomnis ad ſe dicere verſum illum; quare conuerſus ad Aeſchinem inquit, tertia ab hac die moriar: diſſidet igitur a Platone in nomine.

Indicatur locus pro Rabirio Poſthumo expreſſus e Sophocle: quo fertur omnem ſui poteſtatem amittere eos, qui poteſtati regiae ſe committunt.

CAP. X.

M. Cicero pro C. Rabirio dicens, quod inficiari non poterat, fuiſſe illum Alexandriae: habuiſſeque non Romani hominis inſignia, maluit confiteri: purgauit tamen, in tempus neceſſitatemque quandam, culpam conferens, ac docens cuncta ab vno errore profecta: cui tamen alij quoque maiore ſapientia praediti affines aliquando fuerint. intelligit autem quod ad regem ierit, quo cum veniſſet, neceſſario fuit ei obtemperandum. Reſpexit igitur, cum hoc inquit Cicero, ad peruulgatam ſententiam: verſuſque Sophocleos, quos etiam videtur interpretatus fuiſſe, vt locus ille, tempuſque patiebatur. illi autem, & a Plutarcho in Pompeio adducuntur, & ab eodem in libro etiam, quo inſtruit adoleſcentes ad lectionem poëtarum, celebrantur. Primum Ciceronis verba hic: deinde Graecos verſus
„ ponam. Quarum omnium rerum vna reprehenſio eſt, quod regnum intrarit: quod poteſta-
„ ti ſe regis commiſerit. verum ſi quaerimus, ſtulte. quid enim ſtultius quam equitem R. ex
„ hac vrbe: huius inquam Reip. ciuem: quae eſt vna maxime, & fuit ſemper libera, venire in
„ eum locum, vbi parendum alteri & ſeruiendum ſit. Senarij Sophoclis hi ſunt. eius vero poë-
tae eſſe intelligitur indicio eiuſdem ſcriptoris, qui ipſos citat: neque enim in iis fabulis le-
„ guntur, quae in manibus nunc eruditorum ſunt. ὅστις δὲ πρὸς τὸν τύραννον ἐμπορεύεται Κείνου
„ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μολῇ. Pronuntiaſſe enim illos traditus eſt Pompeius, cum poſtea ex fuga
in idem regnum confugit. intelligebat enim quid faceret. quamuis periculoſum illud conſilium, victus malis, declinare non poſſet.

Quae vocata ſit a philoſophis εὔλογος ἐξαγωγή: intellexiſſeque migrationem hanc ipſam e vita ratione tractatam Ciceronem, cum de exitu Catonis praeclaro, in prima Tuſculana diſputauit.

CAP. XI.

INcidunt aliquando mortales in tempora, adeo miſera: plenaque maximarum aerumnarum, vt, veterum etiam ſapientum conceſſu, videantur poſſe vitae huntium remittere. quia perdurare in tot grauibus malis nec honeſtum ipſis, nec iucundum ſit. Quod tamen non temere faciendum eſſe: nec a quouis homine declarauit Plato, qui de hoc copioſe ſubtiliterque diſputauit: vocabant autem tempus illud Graeci, cum afferre ſibi manus ſine reprehenſione quis poſſet, εὔλογον ἐξαγωγήν: quod valet adeptum eſſe cauſam iuſtam mortem ſibi conſciſcendi: ἐξάγειν enim ἑαυτὸν ſignificat educere ſe ex hac vita, tamquam e cuſtodia: vt Plato quoque locutus eſt in Phaedone,
„ cum ait: ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ δεῖ αὑτὸν ἐκ ταύτης ἐξάγειν, οὐδὲ ἀποδιδράσκειν:
necnon (vt arbitror) Varro, qui librum ſuum inſcripſit περὶ ἐξαγωγῆς: praeſertim cum inde haec
„ ipſa a Nonio verba citentur: quibus manifeſto de hoc agit. Et quaerit ibidem ab Annibale,
„ cur biberit medicamentum: quia Romanis, inquit, me Pruſiades tradere volebat. Miror autem eruditiſsimum diligentiſsimumque virum Budaeum cum hoc ipſum poſſe ἐξάγειν ἑαυτὸν tradidiſſet:

tradidiſſet: atque id exemplo Syneſij confirmaſſet, addere. Nuſquam tamen legere alibi memini. Sed non poſſumus omnia, dum legimus, notare: nec quaecumque etiam aliquando notauimus, firmiter recordari. Cicero igitur cum in primo libro Tuſculanarum inquit. Cato autem ſic abiit e vita, vt cauſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet: vetat enim, dominans ille in nobis Deus, iniuſſu hinc nos ſuo demigrare: cum vero cauſam iuſtam Deus ipſe dederit, vt tunc Socrati: nunc Catoni, ſaepe multis, nae ille medius fidius vir ſapiens laetus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit. Alexander Aphrodiſienſis in ij. librum Topicorum, quo loco multis exemplis poſitis declarat, quomodo tractari debeat locus a conſequentibus, docet hoc etiam argumento, inde ducto, poſſe confutari ſententiam illam admirabilem Stoicorum, qui volebant virtutem ſolam poſſe efficere hominem beatum: cum enim ſequatur, poſito eam vim habere virtutem, non dari vmquam iuſtam cauſam ſapienti vitam abrumpendi, ſi tenetur ἐξαγωγὴ illa: iuſtaque cauſa deſerendi ſponte lucem datur, non praeſtat deſtituta aliis bonis virtus vitam beatam. Quomodo enim qui beatus eſſet, fugere vitam recte poſſet? Illi autem ἐξαγωγὴν hanc concedebant: nec videbant aduerſari ipſam ſententiae illi ſuae magnificae, qua magnopere delectabantur: & propter quam ſe praeſtare ceteris philoſophis arbitrabantur. Hoc etiam eruditus hic politusque interpres vberius atque accuratius expoſuit in extremo longae illius diſputationis, quam habuit contra grauem eam ſententiam Stoicorum. Legitur autem nunc illa in ij. libro, quem ſcripſit de Animo: indexque eius eſt. ὅτι οὐκ αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. Animaduertendum vero quemadmodum acutus vir in primis Alexander ſuſtulerit illic, quod obiici potuiſſet. ſapientem tunc relinquere recte vitam, praecipiente hoc virtute: quia ſatis ſatiſque vixerit: non enim inquit vt ceterarum rerum, ſic vitae beatae ſatietas nos capit: nec ἅλις ipſius, quod fertur de alia re, vmquam eſt: Ita enim ſine dubio legi debet, non ἄλλος, vt in excuſis nunc eſt. Totus locus eſt. πῶς γὰρ ἄλογον τὴν ἀρετὴν τοῦ ὑποβάλλειν τῷ σοφῷ· οὐδὲ γὰρ ὥσπερ τῶν τῆς ἄλλων τινός, οὕτως δὲ καὶ τῆς εὐδαιμονίας εὔλογον ἅλις ἔχειν· οὐδεὶς γὰρ κόρος εὐδαιμονίας καὶ ἀρετῆς. Quare Lucretius, qui hoc etiam argumento fingit vti naturam, cum perſuadere velit, vt aequo animo ſenex moriatur, in ſeuera illa triſtique obiurgatione accipi debet, non de ſapiente viro beatoque locutus, ſed de idiota homine. Inquit enim in illo qui bene iucundeque vixit accuſando, ſi mortem idem timeat, Cur non vt plenus vitae conuiua recedis, Aequo animoque capis ſecuram ſtulte quietem: cum tamen illic de morte, quae a natura, non a vi affertur, loquatur poëta. Conceſſiſſe quoque Epicurum: cuius ratio mollis & eneruata videbatur, conſentaneam hanc ἐξαγωγὴν: ſuaſiſſeque illis, qui doloribus grauibus: iiſdemque diuturnis premerentur, vt hoc pacto illos fugerent, verbis his Ciceronis intelligitur in i. libro de Finibus a L. Torquato prolatis: vbi de fortitudine diſſerit. Ad dolores ita paratus eſt, vt meminerit maximos morte finiri: paruos multa habere interualla requietis: mediocrium nos eſſe dominos, vt ſi tolerabiles ſint, feramus: ſin minus, aequo animo e vita tamquam e theatro exeamus. Nec non verſibus his Lucretianis, quo loco ventoſos homines, inaniſque gloriae cupidos exagitat: ait enim. Extorres iidem patria, longeque fugati Conſpectu ex hominum, foedati crimine turpi Omnibus aerumnis affecti denique, viuunt: & quae ſequuntur, declarantia eos, quos refellit falſo ſibi ea tribuere: nec vt videri volebant, mortem contemnere. Hoc vero vt annotarem admonuit me nuper Angelus Borghinus, quem ob plurimas animi dotes: doctrinamque ſingularem, vehementer amo: cum enim olim quaeſtionem hanc ei explicaſſem: delectatuſque ille magnopere fuiſſet animaduerſione hac mea non vulgari, oportere illam in his libris intexi, vt prodeſſet ſtudioſis, iudicauit.

Quod irriſit Catullus in Egnatio, ob candidulos dentes inſaniente, docetur etiam a poëta comico in mulieribus reprehenſum, quae & ipſae plerumque tam tenue bonum non ſine faſtidio ceterorum oſtentant.

CAP. XII.

MORBO, quem exagitat Catullus in Egnatio, Alexis comicus poëta, mulieres etiam teneri docuit, quae idem quod ille, bonum a natura artene obtinuiſſent. cum enim Egnatius candidos haberet dentes, conſuerat quocumque venerat, renidere, vt hoc etiam ſaepe inepte atque importune faceret, locis illis quibus magis fletus lacrimaeque quam riſus conueniebat: eadem autem origo erat huius inſulſi moris ac vitij in vtriſque, oſtentatio ſcilicet minutae corporis partis elegantioris, quae tamen, illuſtri loco poſita, multum adiuuat pulchritudinem. Iambus Catulli notus eſt, quo copioſe ille irridetur. vetus alter poëta paucioribus rem perſecutus eſt: ad alios enim ipſarum huiuſcemodi morbos: faſtidiique plenos mores oſtendendos properabat. longius autem carmen illud in tertio libro Paedagogi contexuit Clemens Alexandrinus: verba vero quae huc

» pertinent, haec ſunt. ὀργῆς ὀδόντας ἴσχω, ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν. ἵνα θαλφθῶσι οἱ παρ' ἐμοῦ τὸ στό-
» μα. ὡς ὅτι κομψὸν φησί. ἐὰν δὲ μὴ χαίρῃ, πλάνα διαπλᾶν τὴν ἡμέραν ξυλάσιν μυρρίνας ἔχοντα ἀρ-
» πὴν σὺ τοῖς χείλεσιν ὥσπερ τῷ χρόνῳ σίτου, ἄττα βούλετ', ἄττα μή. augebatur autem ſtultitia Egna-
tij, quod bonum illud, cuicuimodi erat, intelligebatur ſtudio curaque paratum, & quod peius adhuc eſt, auxilio rei ſpurciſſimae, praeterquam quod minus in viro quam muliere huiuſce-modi deliciae ferendae. Animaduertendus vero elegans modus loquendi: corrigendique aliquem, labentem in aliqua re, quo vtitur Catullus: expoſito enim iam errore animi ipſius, cum vitium quod ille habebat oſtendere vellet, orationem ad eum dirigit, inquitque. Quare mo-
» nendus es mi bone Egnati. Cicero quoque caſtigationem quandam iiſdem verbis exorſus
» eſt in Oratore: nulla tamen eſt apud eum ἀπεοροφά: inquit enim. Itaque nobis monendi
» ſunt ij, quorum ſermo imperitos increbuit, & quae ſequuntur.

Idem quod apud Latinos ludus ac iocus valet, poſſe in Graeco ſermone ὕθλον καὶ φλυαρίαν.

CAP. XIII.

IDem vere Latinus poëta, ſi puritatem ſermonis, non patriam ſpectamus, cum
» in Hendecaſyllabo inquit. Iocum me putat eſſe moecha turpis. iocum intelle-
» xit rem abiectam ac parui pretij, quae merito contemni ac ludibrio haberi poſ-
ſit, vt Terentius quoque, cum Parmenonem ita induxit loquentem. Hic vero
» eſt, qui ſi amare occoeperit, ludum iocumque dices fuiſſe illum alterum. Nec-
non Cicero pro L. Flacco, cum fidem auctoritatemque eriperet teſtimoniis Graecorum, vſus
» collatione Romanorum hominum, ait enim. Num illos idem putatis? quibus iuſiurandum,
» iocus eſt: teſtimonium, ludus: exiſtimatio veſtra, tenebrae. T. praeterea Liuius Fabium Max.
hoc modo dicendi facit vtentem, in oratione aduerſus P. Scipionem, cum res ipſius geſtas in
» Hiſpania contereret atque eleuaret. Nae tibi P. Corneli, quum ex alto Africam conſpexeris,
» ludus & iocus fuiſſe Hiſpaniae tuae videbuntur. Demoſthenes vero, cum idem (vt arbitror)
ſignificare vellet in oratione, quae inſcripta eſt πρὸς τὴν λακρίτου παραγραφὴν, inquit, ὕθλον καὶ φλυαρίαν. docet enim in ea maxime aduerſarios declaraſſe contumeliam improbitatemque ſuam, quod floccifecerunt quidquid in ſyngrapha ſcriptum fuit: remque tanti ponderis, quanti pactum illud conuentumque foret, locum nugaſque fuiſſe exiſtimauerunt. Quod autem Latini ſcriptores ludum addiderunt, Aeſchylus quoque, in Prometheo vincto eodem ſenſu παιδιὰν dixit. cum apud eum Oceanus Prometheo ſuaderet, vt linguae moderaretur, metu maioris poenae: inquit enim. ὥστε σοι τὸν νῦν χόλον Παρόντα μόχθων παιδιὰν εἶναι δοκεῖν.

Delectatum fuiſſe magnopere Ciceronem locutionibus Terentianis: viderique modos quoſdam loquendi inde ſumptos, in orationibus etiam intexiſſe.

CAP. XIIII.

M. Cicero quum pro Milone, oſtendens hoc quoque argumento reum non eo con-
» ſilio Roma profectum, vt inſidiaretur in via Clodio, inquit. Tum caſu pueros ſym
» phoniacos vxoris ducebat, & ancillarum greges, exiſtimari non ſtulte poteſt (vt ar-
bitror) alluſiſſe ad locum Terentij illum, cum in Heautontimorumeno induxit Syrum ita lo-
» quentem. Minime mirum, adeo impeditae ſunt. ancillarum gregem ducunt ſecum: Libenter enim in orationibus quoque: ſeriiſque ſermonibus vtebatur locis quibuſdam bonis poëtae & propter puritatem ſermonis, & quia vim quaſi prouerbiorum habebant. de quo etiam alibi in his libris diſputaui, exempliſque poſitis id confirmaui. Appellauit autem (niſi fallor) Terentius gregem, quod Graeci εἴλην vocant. vt Sophocles in Trachiniis cum ait. προσεῖδόν τ' ἀθρόαν σὺν πολλῷ εἴλῃ. quamuis grandius id verbum eſſe videatur. Illud autem leuiter immutatum: idem tamen penitus valens, in patrium noſtrum ſermonem radices egit: vocamus enim nos quoque mulierum & auium, quae cateruatim volant, vt aliarum quoque rerum, ſtuolo, cum gregem multitudinemque infinitam ſignificare volumus. M. Varro, cum idem oſtendere vellet, multitudinem ſcilicet hominum, & ipſe verbo tranſlato vſus eſt: aliunde tamen ducto id-
» eſt a militia. Inquit enim. Cohortia coquorum atque hamiotarum, aucupumque: haec enim ipſius verba citantur a Nonio Bimargo. quod vero pertinet ad reliqua Terentij verba, ad idque, quod infra idem ſeruus dicit. Portant quid rerum. eodem pacto locutus eſt Plautus in
» Epidico. Tum captiuorum quid ducunt ſecum. Poteſt ſuperioris animaduerſionis exemplum
» quoque (niſi fallor) eſſe. quod, quum in oratione pro domo ſua Cicero dixerit. Pecuniae au-
» tem tantae ſunt, vt eas nimium multi egentes, ſumptuoſi, nobiles concupiſcant. Clitipho in
» eadem fabula ait, Mea eſt potens, procax, ſumptuoſa, nobilis.

Sententia

Sententia Demoſthenis cum M. Varronis ſententia collata: emendatuſque Salluſtij locus in oratione C. Marij, qui correctorum audacia deprauatus fuerat: idemque facere cum ſententia illa Demoſthenis, indicatus.

CAP. XV.

ACCVSAT Demoſthenes ciues ſuos in iij. Olynthiaca, quod ſententias oratorum diligenter attenderent, ac quod publice diceretur, non negligerent: cum iidem tamen vt res efficerentur, quae vtiles reip. diſputatione illorum demonſtratae erant, non curarent. vt autem excitaret illos ac quantopere peccarent, oſtenderet, ita cum illis egit: docuitque, rem gerere, quamuis tempore conſequatur ſententiarum dictionem, ordineque poſterius ſit, prius tamen vi & poteſtate eſſe, ac validius multo quam illud. vnde percipiebatur, Athenienſes meliore in re, maioriſque ponderis ad ſalutem reip. negligentes eſſe. Duas igitur actiones hominum tangit: quarum altera eſt dicere: altera vero facere: verba grauis oratoris haec ſunt. τὸ γὰρ πράττειν τοῦ λέγειν καὶ χειροτονεῖν, ὕστερον ὂν τῇ τάξει, πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ἐστι. M. Varro in vj. lib. de lingua latina, tertiam quandam actionem eſſe inquit cogitationem, quae temporis ordine ambas has praecedit. illa autem a Demoſthene relicta eſt: vel potius in ſecunda incluſa. locus eruditiſsimi ſcriptoris hic eſt. Actionum trium primus agitatus, mentis: quod primum ea, quae ſumus acturi, cogitare debemus: deinde tum dicere, ac facere. De his tribus minime putat vulgus eſſe actionem, cogitationem: tertium, in quo quid facimus, id maximum. conuenit igitur M. Varroni cum Demoſthene: ambo enim primas tertio dant: & in faciendo plurimum ponderis eſſe putant, quod cum vulgus etiam intelligeret, vt teſtatur Latinus ſcriptor, Athenienſes tamen ignauia occecati non videbant: aut ſi videbant, otium amplexati, agere negligebant. Accurate autem animaduertendum, an alluſerit ad hunc Demoſthenis locum Salluſtius (vt puto) cum in oratione, quam facit habitam a Mario ad Quirites inquit. Nam gerere quam fieri conſul, tempore poſterius, re atque vſu prius eſt: videtur enim ſententia valde ſimilis. quamuis apud Graecum oratorem diſſerere de republica, non magiſtratum gerere ſit: eadem tamen videtur ratio vtriuſque rei eſſe. Cum autem immutata ſit lectio apud Salluſtium, vel deprauata potius: in nonnullis enim excuſis nuper libris legitur. Nam legere quam fieri, tempore poſterius, quam frigida ſententia haec ſit, & tanto ſcriptore indigna, arbitror intelligi. Ab Aldo olim excuſus regere pro gerere habet, vnde creſcente audacia, facilius poſt legere ab imperito factum eſt. in antiquis ſane, ac ſuperiore quoque memoria impreſsis omnibus, illo modo ſcriptum eſt. non tantum autem pro gerere, quod rectum eſt, improbe aliquis legere poſuit, ſed integrum etiam inde verbum ſuſtulit, quia ſupra de lectione Latinorum & Graecorum commentariorum mentio facta fuerat: dixerat enim Marius. At ego ſcio Quirites, qui poſtquam conſules facti ſunt, acta maiorum & Graecorum militaria praecepta legere coeperunt: praepoſteri homines. nam gerere. & quae ſequuntur. deceptus tamen eſt qui hoc temptauit: nec acutum reconditumque ſenſum erudiui ſcriptoris vidit. accuſat enim nobiles homines Marius, quod non antequam imperium peterent, ſe praeparaſſent ad munera illa obeunda, ſi honorem enim adepti eſſent, vt oportebat, & natura earum rerum, bene cognita, requirebat.

Defenſa peruulgata lectio in II. libro de finibus: quae ſine cauſa temptata a quibuſdam eſt.

CAP. XVI.

VERBA haec Ciceronis ſunt e ij. libro de Finibus: vbi de amicitia, contra Epicuri decreta, diſſerit: qui vtilitatis cauſa dicebat ipſam expetendam. Num igitur vtiliorem tibi hunc Triarium putas eſſe poſſe, quam ſi tua ſint, Puteolis gramina: mendo autem illa carent, quamuis non defuerint, qui corruptum locum putantes, pro gramina ſcribendum praedia cenſerunt. intelligit autem Cicero verbo illo fructum pratorum, qui maximus eſt: neque enim tantum gramen certam herbam valet, quam ἄγρωστιν Graeci vocant, ſed alias etiam oſtendit: vt hic, ex quibus foenum cogitur. Virgilius quoque in ſecundo Aeneidos hoc verbum accepit, pro quauis herba, cum in collatione, quam expreſſit a xxij. libro Iliadis, inquit. Qualis vbi in lucem coluber mala gramina paſtus. & quae ſequuntur: ita enim reddidit, quod Homerus dixerat. Ως δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα. locus etiam a ſecundo libro de Natura deorum, in quo de eadem re diſputatur, declarat lectionem hanc veram eſſe, ac loco moueri non debere: Prata, & arua, & pecudum greges, diliguntur iſto modo, quod fructus ex his capiuntur.

Quaeſtio de quodam loco Ennij, verſo ex Euripidis Medea.

CAP. XVII.

VERBA haec Ennij e fabola Medea, citata a Nonio, affirmare non auſim expreſſa oe ſint e Medea Euripidis, quae in manibus eſt, ao ex altera Medea, ab eodem poëta ſcripta, iniuria vero temporum amiſſa. " Salnete optima corpora, cette ma- " nus veſtras, meaſque accipite. exiſtimari quidem non ſine caoſa poſſent interpretano eſſe hoius loci, quo Medea ipſa filios alloqoitur, & inoe mirifice conuenit haec oratio illi tempori, cum apud Graecum poëtam erodelis mater: ſaeoaque conſilia a- " nimo verſans, non tamen omnino ſe matrem eſſe oblita, inquit, προσειπεῖν βούλομαι. δότ᾽ ὦ τέ- " κνα δότ᾽ ἀσπάσασθαι μητρὶ δεξιὰν χέρα. neque tamen penitos reddunt: nulla enim hic Medeae ſalutatio, qualis in Ennianis verbis: neque vt iubet porrigere manus, ita ſuas praebet Medea; quod apud Eonium facit. Qui tamen in Latinum ſermonem Graecas ſabulas vertebant, non ſingulas ſemper ſenteotias reddebant, vt aliquando etiam aliquid de ſuo addebant: licentiaque ooo parua vtebantur.

Quo tempore acta ſit cauſa pro L. Muraena: & quae videatur ſua propriaque ipſius ſedes.

CAP. XVIII.

QVI Ciceronis orationes, antea confuſas & temere collocatas, in eum ordioem quo dictae ſuot, digeſſere, bene operam ſuam poſuerunt ac multum luminis lectioni ipſarum attulerunt, lapſi tamen illi videntor quod L. Muraenae, conſulis deſignati, defenſionem poſt omnes in Catilinam habitas orationes poſuerunt, cum videatur cauſa illa in foro acta eſſe ante patefactam coniurationem: comprehenſoſque Catilinae ſocios, qui Romae ad incendendam vrbem: tumultomque excitaodum reſtitetant. contionem aotem habuit Cicero ſtatim iodicibus, conioratiſque captis: cunctaque diligenter, quae facta eſſent, Quiritibus expoſuit. vt etiam poſtea in Senatu de poena coniuratorum orationem habuit: quare puto ſi temporis ordinem ſequi volomus, orationem pro L. Muraena collocandam io medio Catilinarum. actam autem cauſam hanc tunc fuiſſe, & e prooemio illius orationis intelligitur, & e peroratione: planiſſime autem ex illo loco, quum pauorem iniecit iudicibus, ne orbata reſp. altero conſule, facilius opprimi poſſet a " coniuratis, qui domi remanſerant: qui eſt hic: Audite audite conſulem iodices, nihil dicam " arrogantius, tantum dicam, totos dies atqoe noctes de rep. cogitantem. Vſque eo L. Cati- " lina remp. deſpexit atque contempſit, vt ea copia, quam ſecum eduxit, ſe hanc ciuitatem op- " preſſurum arbitraretur: latius patet eius ſceleris contagio, quam quiſquam putat: ad plures " pertinet. intus intus inquam eſt equus Troianus, a quo numquam me conſule, dormientes opprimemini: & quae longius ſequontur in eam ſententiam: illis enim manifeſto perſpicitur non dum detectam coniurationem fuiſſe. illi tamen fortaſſe noluerunt huius rei, quae ad Catilinam pertinebat, ſeriem cootinuationemque io terrumpere, cauſa alia loogeque diuerſa inter illas interiecta atque inculcata: quod ſi ipſos mouit, diſceſſerunt manifeſto a ſuperiore propoſito: conſilioque continuandi orationes Ciceronis, habita ratione ſolum temporis, quo habitae illae, ſiue in foro: ſiue in contione: ſiue in Senatu eſſent.

Vetus ſcriptura indicata verſus Horatiani: quae ſi vera eſt, ſuperiorum morem eo loco ſecutus poëta intelligitur.

CAP. XIX.

SI fidem ſequimur antiquorum exemplariorum, Horatius veterem conſuetudinem amauit in ode, qua criminatur allium: ſic enim in ipſis ſcriptum eſt. Edit cicu- " tis allium nocentius. non edat: priſci enim edo, es, eſt, dicebant. vnde modo illo, quem nonc ſubiunctiuum vocant, edim, edis, edit. ita autem M. quoque Cato locutus eſt in libro de re ruſtica: quod olim admonui, cum multas maculas auxilio vetuſtorum librorum inde eluiſſem, ac nitidiorem priſcum illum ſcriptorem formis excudendum curaui: hoc enim ille ſemper ſeruauit, vt cum laudes braſſicae explicans, inquit, " Quod volet ſibi poſtea edit, ſed ſi poterit, ſolum braſſicam eſſe, edit. item multis aliis locis. " Cicero quoque in epiſtola ad Paetum eodem pacto locutus eſt, cum ait, Ne ego te iacente bo-

na tua

na tus comedim: ſic enim ſcriptum eſt in optimo & antiquiſſimo libro: nam apud Plautum in Bacchidibus excuſi etiam ita habent. Quod dem ſcortis: quodque in luſtris comedim, & congraecem patet. Haec autem magna ex parte antiqui ſermonis veſtigia, nonnulli ſuperioribus temporibus peruerſi correctores immutarant: & ad vſum moremque loquendi inferioris aetatis redegerant. peſſimo omnino conſilio vſi: eſt enim conſeruandus vnicuique aetati ſuus ſermo. ſed aliquando etiam ſcriptores vetera quaedam libenter vſurpabant, contra quorum ſtudium pugnandum non eſt.

Indicati qui fuerint athletae, qui tanto deſiderio coronae flagrarint, vt nuntium remiſerint omnibus corporis voluptatibus, vt honore illo potirentur.

CAP. XX.

IN epiſtola, qua multa collegit praecepta ad eximium poëma condendum accommodata, Horatius, exemplo aliorum artificum, poëtas ad exercitationem laboremque impellens, inquit. Qui ſtudet optatam curſu contingere metam
„ Multa tulit, fecitque puer: ſudauit & alſit Abſtinuit Venere & vino. & quae ſequuntur. qui autem athletae tanto ſtudio: fugaque corporis voluptatum coronam ſibi parauerint, expoſuit eruditiſſimus ſcriptor Plato in viij. libro de Legibus, exemplo continentiae illorum ad vtiliorem rem, multoque magis in vita profuturam, quam ara poëtarum faciat, adoleſcentes exhortans. oſtendit enim, ſi illi minoris laudis obtinendae cauſa ſibi ab his voluptatibus temperabant, quanto magis id facere oporteret pro vero decore ac dignitate comparanda. Appellat autem Iccum in primis Tarentinum, qui vt ex Olympia: aliiſque certaminibus Graeciae victoriam reportaret, mulierem nullam attigerat: ſeque ab omni Venere abſtinuerat, durante tempore illo: quo ſe ad ſtudium ludicrum praeparabat: tum Criſſonem quendam & Aſtyllum & Diopompum. alioſque etiam referri poſſe affirmat, qui deſiderio eiuſdem gloriae conſequendae, eiecerant a ſe omnem libidinem: caſtitatemque amplexati fuerant: verba ipſius haec ſunt. ἆρ' ἦν οὐκ ἴσμεν τὸν ταραντῖνον ἴκκον ἀκοῇ διὰ τὸν ὀλυμπίασί τε ἀγῶνα καὶ τοὺς τε ἄλλους, ὃν διὰ φιλονικίαν καὶ τέχνην καὶ τὸ μετὰ τοῦ σώφρονος ἀνδρεῖον ἐν τῇ ψυχῇ κεκτημένος ὡς λόγος, οὔτε τινὸς πώποτε γυναικὸς ἥψατο: οὐδ' αὖ παιδὸς ἐν ὅλῃ τῇ τῆς ἀσκήσεως ἀκμῇ. & quae ſequuntur.

Emendatus locus Ciceronis in III. de Oratore, qui valde corruptus in omnibus libris eſt: totaque ipſius vis diligenter explicata.

CAP. XXI.

CICERO in iij. libro de Oratore, cum exemplis confirmare vellet, quod dixerat: omnes artes aliter ab iis tractari, qui eas ad vſum transferunt: aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vita ſunt aliud acturi, inquit, vt in excuſis libris: ſcriptiſque, quos vidi, nunc legitur. Magiſter hic Samnitium ſumma iam ſenectute eſt, & cotidie commentatur, atque velocius puer addidicerat, ſed quod erat aptus ad illud, totumque cognorat, fuit vt eſt apud Lucilium, quamuis bonus ipſe, Samnis, in ludo, ac rudibus, cui vis ſatis aſper, ſed plus operae foro tribuebat, amicis, rei familiari. mendum autem ſatis manifeſtum eſt in illis verbis, atque velocius, atque id valde moleſtum & quod omnem ſententiam huius loci ita perturbat, vt ſenſus inde nullus elici queat. legi igitur debet (vt ſuſpicor) at Q. Velocius. vt ſcilicet poſt particulam, quae aduerſatur, praenomen ſit: ſtatimque nomen. quamuis de nomine comperti nihil habeam: nam aliquid maculae in hoc reſtare poteſt. nomen familiae prorſus eſſe debet. imperiti autem librarij ſaepe in hoc peccabant, ac pro Q. quod Quintus ſine vlla dubitatione valet, que, perperam ſcribebant: hoc autem & ipſe alias admonui, & qui in conferendis antiquis exemplaribus verſati ſunt, crebro obſeruare potuerunt. primum igitur id verum eſſe probat exemplo magiſtri cuiuſdam Samnitium, cuius nomen non poſuit: erat enim nota perſona: ab officio autem muneréque quod ſuſtinebat, illum deſcribit. Samnites autem genus gladiatorum fuiſſe conſtat. hic igitur quamuis ſenex, cotidie commentabatur aliquid, quod ad ſtudium illud pertineret. contra autem hic ipſe, cuius nomen tenebris obrutum, in lucem vt potui, reuocaui, puer addidicerat: parumque temporis in ea arte percipienda conſumpſerat, quia erat a natura factus ad illud, nec totus in eo ſtudio occupari volebat. ſed plus operae tribuebat foro, amicis, patrimonio: vt Cicero narrat. Hoc autem expoſito, accedit ad muſicos cantoreſque atque inquit. Valerius cotidie cantabat: erat enim ſcenicus. quid faceret aliud? at N. Furius, noſter familiaris, cum eſt commodum, cantat: eſt enim pater familias: eſt eques R. puer didicit, quod diſcendum, quibus verbis manifeſto

manifeſto

niſeſto perſpicitur ita vt iudicaui, ſupra legendum. ait enim hic quoque. at N. Futius, ſed in tertio quoque exemplo maioris honeſtioriſque artis, quum eaſdem perſonas contendat inter ſe, eandem rationem ſeruat. quamuis nomen non ponat eius, qui tantum philoſophiae acceperat, quantum ad vſum ſatis eſſet: inquit enim. At eius auunculum vix intelligeres id agere, eum ageret tamen. cum igitur ſemper duas perſonas comparet inter ſe. & eam, quae arte aliqua delectata, totam aetatem in ea contereret: & eam, quae ipſam ad vſum transferret: & earum nomina aut ponat aut ita deſcribat, vt liquido intelligantur, manifeſto cognoſcitur ſupra nomen ponendum: legendumque, vt docui.

Mos antiquorum Graecorum declaratus, qui conſuerant comam alere alicui Deo: in illiſque inſtitutum proprium Ambraciotarum expoſitum, conſecrantium primum capillum Apollini.

CAP. XXII.

MOREM veteres Graeci habebant comam alicui deo conſecrandi, a temporibus vſque heroum. hoc enim quoque Homerus oſtendit, vt cum in xxiij. libro Iliadis de Achille cecinit. Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην, τήν ῥα σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν. Pauſanias etiam conſuetudinis huius meminit in Arcadicis, vbi Leucippi regis, Oenomai filij, hiſtoriam narrat: qui cum amore Daphnes arderet, nec ſperaret ſe poſſe illam vxorem obtinere: abhorrebat namque virgo a marium conſuetudine, ad dolum animum conuertit: auxilioque comae productioris, quam Alpheo alebat: ſumpta iiſdem veſte muliebri, ſe virginem ſimulauit. verba ipſius ſunt, quae huc pertinent. ἔτρεφεν ὁ Λεύκιππος κόμην τῷ Ἀλφειῷ. perdurauit autem illa ad inferiorem aetatem: nam Diphilus comicus, maledicens improbo cuidam, qui piſces Athenis vendebat, affirmat ipſum hoc pacto texiſſe ignominiam ſuam: cum enim compunctus eſſet notis Threiciis, ne notae illae, fronti inuſtae, viderentur, habebat caeſariem tamquam integumentum quoddam. verſus eius poëtae hi ſunt. quamuis plures apud Athenaeum legantur. qui teſtem illum citat odij, quo flagrabant piſcium venditores. Κόμην τρέφων μὲν πρῶτον ἱερὰν τοῦ θεοῦ, Ὡς φησιν, οὐ διὰ τοῦτό γ', ἀλλ' ἐστιγμένος Πρὸ τοῦ μετώπου παραπέτασμ' αὐτὴν ἔχει. verbo autem illum vti ducto e theatro, planum eſt: παραπετάσματα enim vela vocabantur, ipſe integumentum dixi: duobus namque locis Cicero de eadem perſona loquens, idemque quod Diphilus intelligens, hoc verbum vſurpauit. vt in L. Piſonem illum ipſum ſignificans. Vereor, ne qui ſit, qui iſtius inſignem nequitiam frontis, inuolutam integumentis, nondum cernat. & poſt reditum in ſenatu. Vt cum illius re ſimilis fuiſſes, frontis tibi integumento ad occultanda tanta flagitia diutius vti non liceret. M. quoque Varro gentis cuiuſdam Graecorum, quondam nobilis, inſtitutum rettulit, non diſſimile huic, in Cato, vel de liberis educandis. Haec namque ipſius verba leguntur apud Nonium. Itaque Ambraciae primum capillum puerilem demptum: item cirros, ad Apollinem ponere ſolent.

Cur Cicero in oratione quadam de Phormione, vt de nigro homine loquatur: paraſitoſque omnes atros videri fingi ſolitos, ſi attendantur Alexidis verba, qui hoc ſcripſit.

CAP. XXIII.

VIDETVR M. Cicero putaſſe Phormionem, paraſitum Terentianum, atri coloris fuiſſe: propriumque hoc eius paraſiti extitiſſe, quod ad eum colorem pertinet, non commune omnium eius generis hominum: quia in oratione pro A. Caecina inquit. Et Argentarius Sex. Clodius, cui nomen eſt Phormio. nec minus niger: nec minus confidens, quam ille Terentianus eſt Phormio. Nihil tamen apud comicum, quod indicet huius aut illius coloris eum fuiſſe. Alexis vero, qui eam ſcenam magna cum laude coluit, oſtendere videtur ſolitos comicos poëtas inducere paraſitos omnes atro colore tinctos: plures enim verſus ipſius apud Athenaeum in vj. libro leguntur, ab eius ſtudij homine (vt apparet) pronuntiati, differente de natura paraſitorum. eorum autem initium hoc eſt. Δύ' ἐστὶ Νάννιον παρασίτων γένη· Ἓν μὲν, τὸ κοινὸν καὶ κεκωμῳδημένον Οἱ μέλανες ἡμεῖς· θάτερον ζητῶ γένος. & quae ſequuntur. cum igitur ita loquatur paraſitus, tradatque alterum ipſorum genus, peruulgatum ſcilicet illud, atque in comoediis frequentatum eſſe, addens cuiuſmodi nos ſumus, atri coloris, intelligitur inde (niſi fallor) quod dixi, ac fortaſſe Cicero, quod commune omnium eſſe intelligebat, vni tunc aſſignauit. Apertius autem hoc, quod admonui, tradit

Pollux,

Pollux, qui cum de veſte, ornatuque comicorum aſſentatorum, paraſitorumque loqueretur, inquit. eos vti ſolitos in ſcena, atra, ſiue ſuſca veſte, quod itidem commemorat de perſonis eorundem, quae & ipſae eiuſdem coloris erant: itaque ſemper ipſos venire ſolitos in ſcena.

Antiquus mos explicatus Siculorum in re diuina Nymphis facienda, quem tetigit eruditus poëta in Bucolicis: improbiſſimumque facinus Damoclis aſſentatoris commemoratum.

CAP. XXIIII.

NON temere Virgilius in v. Ecloga induxit Menalcam ita loquentem, cum tempora oſtenderet, quibus paſtores tamquam Deum veneraturi eſſent, Daphnidem: memoriamque illius pie celebraturi. Haec tibi ſemper erunt, & cum ſolemnia vota Reddemus nymphis, & cum luſtrabimus agros. poſterius tempus apertum, quo imolabant hoſtias pro frugibus: prioris ratio haec eſt. Mos erat in Sicilia, vt ſingulis annis in priuatis domibus rem diuinam facerent Nymphis: temulentique ante ipſarum ſimulachra ſaltarent. quae omnia iam Menalcas ſupra expoſuerat. Quia autem origo paſtoralis carminis inde fluxit, ideo inſtituta eius regionis in eo perſequitur noſter poëta. Moris vero huius meminerat Timaeus in xxij. libro hiſtoriarum: omnemque eam rem diligenter narrauerat, cum impudentem flagitioſamque aſſentationem Damoclis adulatoris Dionyſij iunioris, Syracuſarum tyranni, referret: qui eo tempore, quo ceteri morem cum colerent, atque inſtitutum ſeruarent, valere iubens nymphas: dicenſque non oportere curare deos expertes animi, ad tyrannum ſe contulit: illique ea fecit, quae reliqui omnes deabus illis, vetere inſtituto, faciebant. Teſtimonium Timaei, quod ab Athenaeo in vj. libro δειπνοσοφιστῶν, recitatur, hoc eſt. τίμαιος δ' ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ εἰκοστῇ τῶν ἱστοριῶν Δημοκλέα φησί, τὸν Διονυσίου τοῦ νεωτέρου κόλακα, ἔθους ὄντος κατὰ Σικελίαν θυσίας ποιεῖσθαι κατὰ τὰς οἰκίας ταῖς νύμφαις, καὶ περὶ τὰ ἀγάλματα παννυχίζειν μεθυσκομένους, ὀρχεῖσθαί τε περὶ τὰς θεάς, ὁ Δημοκλῆς ἐάσας τὰς νύμφας, καὶ εἰπὼν οὐδὲν προσέχειν ἀψύχοις θεοῖς, ἐλθὼν ὠρχεῖτο πρὸς τὸν Διονύσιον. Hic autem eſt impurus ille Damocles, cuius meminit Cicero in quinta quaeſtione Tuſculana. vbi copioſe narrat quomodo Dionyſius eum confutauit, cum praedicaret illum beatum. coëgitque ipſum confiteri, ſe ita beatum eſſe nolle.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER VII.

Locus M. Varronis de lingua Latina, valde in excuſis libris deprauatus, diligentia & ope antiquiſsimi libri, magna ex parte, correctus.

CAP. I.

LOCVM M. Varrònis, atrocem in modum laniatum, libet indicare, vuoque tempore, ſi uou omuia ipſius, maiorem ſaltem partem vulnerum ſanare: hiue autem perſpicietur qnam male habitus ille doctiſſimus ſcriptor ſit, & cum quot quantiſque mouſtris cotidie confligendum ſit illis, qni diligenter libros veterum auctorum legunt. Iu vij. igitur libro de lingua Latina ita uunc vulgo in excuſis legitur. Apud Plautum. Quia ego ante hac te amaui. valet conſtitui. Itaque heres, cum conſtituit ſe heredem eſſe, dicitur canere, & cum id fecerit, creuiſſe. Sed antequam cetera vulnera aperiam, hia ſanandis operam dabo. Primum autem ſciendum eſt initium Plautinae fabulae, quae Ciſtellaria vocatur, ipſum intelligere, in quo Silenium meretrix ita cum Gymnaſio, einſdem ordiuis muliere & lena loquitur. Cum ante hac te amaui, & mihi amicam eſſe creui mea Gymnaſium: paterque declarare M. Varronem vim eius verbi, creui, ſiue integer verſus illic ſcribi debnit, qui culpa librariotum vix dimidiatus ſcriptus ſit: ſiue ſatis auctori fuit locum indicare, quia quod ſequeretur notum omnibus tunc foret, quod aliis etiam locis mihi videtur feciſſe. quod ſi nunc pro canere legatur cernere, quam veram certamque huius loci lectiouem eſſe puto, locus omnis meo iudicio reſtitutus erit, quamuis in vetuſtiſſimo exemplari ſit, fecit, in quo tantum illud a ſuperiore ſcriptura diſcrepat: quae autem ſequuntur verba magia adhuc corrupta ſunt, aegriuſque inde maculae deleri poſſunt. ita namque vulgo legitur. Apud euudem. Quo de ſiuu freqnentem operam dediſtis, valet aſſiduam. Itaque qui adeſt aſſiduus ferre: qnem oportet. his frequens opponi ſolet. apparet autem ipſum intelligere locum hunc Planti, qui tribus interiectis verſibus, ſuperiorem ſequitur. Ita omnibus relictia mihi frequentem operam dediſtis. in antiquiſſimo libro hoc tantum diſcriminis quod in illo eſt. Quod e ſimi freqnentem, & intra pro ferre addita in extremo littera, ferret. Reſtat tertius locus comici ad confirmationem ſententiae poſterioris adductus, qui eius declaratio eſt. ait enim. Itaque illud eaedem mulierculae dicunt qnidem, uos pretio tanti eſt frequentare, ita in praudio nos lepide ac nitide accepiſti, apparet dicere facile eſt vt curare vt adſim, cum iam bene uos accipias. ſignificant autem verba haec Planti, qnibus Gymnaſium Silenio reſpondet, blande & ipſa ſuauiterque. Pol iſtoc quidem nos pretio facile eſt frequentare tibi, vti viſque habere. ita lepide uitideque in prandio accepiſti apud te. teliquit autem (vt opinor) Varro verba haec, quae iu medio collocata ſunt, quia augent tantum confirmantqne quod dixerat, uihilque noui addunt: hoc enim moris erat antiquorum ſcriptorum. annquus liber varietatis hoc habet. quod principium Plautinorum verborum magis accedit ad lectionem eius poëtae. explicatio autem ita illic eſt. Apparet dicere, facile eſt te curare vt adſimus, cum tam bene uos accipias, verius manifeſto atque emendatius.

Locus Plauti e Ciſtellaria mancus, inuentis, quae deſiderabantur apud M. Varronem, reſtitutus.

CAP. II.

VT Plauti ſaepe poëtae auxilio Varronis locus valde corruptus, magna ex parte corrigitur atque emendatur, ita contra M. Varronis auctoritate teſtimonioque Plautinna verſus imminutus mancuſque reſtituitur, atque integer redditur: quod enim paulo poſt illic a lena dicitur, laudante & ipſa ſplendorem elegantiamque Sileuij, ita nunc vulgo legitur

gitur in excuſis libris. Quod ille dixit, qui ſecundo vectus eſt mari, ventum gaudeo ad te ecastor, ita hodie hic acceptae ſumus: cum tamen verſum illum integrum citet Varro in v. libro de lingua Latina hoc pacto. Veneli a veniendo, ac vento illo, quem Plautus dicit. Quod ibi dixit, qui ſecundo vento vectus eſt tranquillo mari, Ventum gaudeo. Sed nonnullos etiam vidi Plautinos libros calamo ſcriptos, in quibus verſus ille, vt a doctiſsimo viro adducitur, nulla immutatione legatur. nam gaudeo in vetuſtiſſimo illo Varronis exemplari, prima, non tertia perſona, vt in excuſis eſt, habetur. ſemper enim ipſum, ſi non omnino purgatum eſt, ſpecimen aliquod dat ſuae probitatis.

Quintiliani locus declaratus, vbi tropi μεταλήψεως vocati, Graecum exemplum ponit.

CAP. III.

LOcvs hic Quintiliani ex octauo libro, quia obſcurior eſt, a me illuſtrabitur, & loco poëtae, quem intelligit, indicato: & teſtimonio grauis eruditique ſcriptoris, qui idem tradens, eodem exemplo vtitur, citato. Quintilianus igitur inquit. Supereſt ex iis, quae aliter ſignificant, μετάληψις idest tranſumptio: quae ex alio in aliud velut viam praeſtat, tropus vt rariſſimus, etiam improprij vſus: Graecis tamen frequentior, qui Centaurum Chitona & νήσους θοὰς, ὀξείας dicunt. Homerus autem inſulas θοὰς, cum acutae formae ſignificare vellet, vocauit hoc verſu e xv. libro Odyſſeae Ἔνθεν δ' αὖ νήσοισιν ἐπιπροέηκε θοῇσιν. hanc autem rationem ſecutus ille nomina immutauit, alterumque pro altero capit, quod θοὸν & ὀξὺ ſunt συνώνυμα: ὀξὺ autem Graecis non tantum oſtendit, quod velox eſt in motu, verum etiam, quod forma in tenuitatem acutumque porrectum eſt: quare quod eſt huic συνώνυμον tamquam & ipſum idem penitus ſignificaret, loco alterius poſuit. Hoc Plutarchus in vita Homeri docet, vbi & ipſe de lumine hoc orationis diſputat. vtitur autem eiuſdem Homerici verſus exemplo, ſcribens: Ἔστι τρόπος ἔτι ὁ καλούμενος μετάληψις κατὰ συνωνυμίαν σημαίνουσα πρᾶγμα ἀλλ' ἕτερον δηλοῦν. Ἔνθεν δ' αὖ νήσοισιν & quae ſequuntur. Sed etiam Strabo in viij. παρεχομένην eiuſdem Homerici verbi affert eandem declarationem. poſito namque verſu illo, cum id, quod ad ſtudium ſuum pertinebat, quaereret, addidit. θοὰς δὲ εἴρηκε τὰς ὀξείας.

Loci duo duorum, ſummi vtriuſque in ſua lingua, oratorum, inter ſe, propter ſimilitudinem, collati.

CAP. IIII.

MITHRIDATEM deum, illum patrem, illum conſeruatorem Aſiae, illum Dionyſum, Bacchum, Liberum nominabant. Par ſimiliſque locus hic eſt Ciceronis pro L. Flacco, quo effudiſſe omnes honores verborum Trallianos in Mithridatem ſignificat, illi loco Demoſthenis in oratione pro Cteſiphonte, quo declarat Theſſalos Thebanoſque, alteros prauitate quadam animi: alteros vero ſtultitia impulſos, decretis ſuis ornaſſe mirifice Philippum Macedonem, Alexandri patrem: omniaque accepta illi rettuliſſe, quae a mortali homine mortalibus tribui poſſunt. nam Aſiatici illi in caelum Ponti regem tulerunt, ipſum dei nomine appellantes. Demoſthenis verba haec ſunt. οἱ μὲν κατάπτυστοι Θετταλοὶ, καὶ ἀναίσθητοι Θηβαῖοι, φίλον, εὐεργέτην, σωτῆρα τὸν Φίλιππον ἡγοῦντο, πάντ' ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς. Athenaeus quoque in quinto δειπνοσοφιστῶν, vbi Athenionis illius, improbiſſimi hominis meminit, qui e legatione ad Mithridatem rediens, turbulentiſſima oratione populum Athenienſem concitauit, oſtendit regem illum Deum appellatum, neque tamen magis Liberum patrem, quam alium vllum e numero ipſorum, cum ſignificet hic Cicero praecipue affectaſſe illum Liberi patris nomen ac gloriam. Athaenei verba, ore ſeditioſiſſimi viri prolata, haec ſunt. Πᾶσα δὲ πόλις ταῖς ὑπὲρ ἄνθρωπον τιμαῖς ὑπαντῶσα, κατακαλοῦσι τὸν θεὸν βασιλέα. Hoc etiam animaduertendum eſt in quibuſdam libris pro Dionyſum, duo nomina eſſe, quibus tamen idem Deus intelligitur. habent enim Euchium, Nyſium, quod teſtatum eſſe volui. Vt autem ſimiles inter ſe magnopere ſuperiores loci ſunt, ita hi quoque ipſi eorundem ſummorum oratorum multum ſimilitudinis retinent. cum enim Cicero Quiritibus ſuaderet, vt eligerent ducem Cn. Pompeium contra piratas, incendereque vellet eorum animos, incommoda a piratis accepta recitauit, ac paene ipſis ante oculos poſuit: quae res inurebat turpiſſimam notam populo Romano victori, omnium gentium, ita egit. Quid aut Colophonem aut Samum, nobiliſſimas vrbes, innumerabileſque alias, captas eſſe commemorem, cum veſtros portus, atque eos portus,

rus, quibus vitam & ſpiritum ducitis, in praedonum fuiſſe poteſtate ſciatis? an vero ignoratis portum Caietae, celeberrimum atque pleniſſimum nauium, inſpectante praetore a praedonibus eſſe direptum? Ex Miſeno autem eius ipſius liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum geſſerat, a praedonibus eſſe ſublatos? Nam quid ego Hoſtienſe incommodum, atque illam labem atque ignominiam Reip. querar, cum prope inſpectantibus vobis, claſſis ea, cui conſul populi Romani praepoſitus eſſet, a praedonibus capta atque oppreſſa eſt. Simili autem tempore Demoſthenes, cum vtilitatem ſuae rationis confirmaret, ac quot quamque magni fructus ex conſilio ſuo capi poſſent, oſtenderet, praeterita damna iniuriaſque Philippi commemorauit; quibus malis illi, imparati, remedium nullum adhibere potuerant: ita igitur eum locum tractauit, affirmans, nihil poſtea huiuſcemodi, ſi ſequi ſe voluerint, factum iri. οὐχ ἅπαξ τὸν παρελθόντα χρόνον εἰς Λῆμνον, καὶ Ἴμβρον ἐμβαλὼν, αἰχμαλώτους πολίτας ὑμετέρους ᾤχετ' ἄγων, καὶ πρὸς τῷ Γεραιστῷ τὰ πλοῖα συλλαβὼν, ἀμύθητα χρήματα ἐξέλεξε: Τὰ τελευταῖα δ' εἰς Μαραθῶνα ἀπέβη καὶ τὴν ἱερὰν ἀπὸ τῆς χώρας ᾤχετ' ἔχων τριήρη: ὑμεῖς δ' οὔτε ταῦτα δύνασθε κωλύειν: οὔτ' εἰς τοὺς χρόνους, οὓς ἂν προέλησθε, βοηθεῖν. Locus autem eſt in prima, vt nunc inſcribitur, Philippica.

Deleta macula ex oratione Ciceronis, qua Catilinam emiſit: declaratumque idem valere apud illum dare mentem & iniicere mentem, quod apud Graecos ἐμβαλεῖν, ſiue ἐμποιεῖν νοῦν.

CAP. V.

IN oratione, quam habuit Cicero in Catilinam praeſentem, macula ſcripturae (niſi fallor) haeſit: cum enim in pluribus excuſis legatur. Vtinam tibi iſtam mentem dij immortales donarent, extrema voce aliquantulum immutata (darent) vt arbitror, legi debet. ſic certe ipſe pro Milone locutus eſt, cum idem omnino ſignificare vellet. Hic dij immortales (vt ſupra dixi) mentem dederunt illi perdito ac furioſo, vt huic faceret inſidias. ſupra tamen, quem locum intelligit, dixerat, mentem iniecit. ſignificat autem mentem dare vel iniicere, excitare deſiderium in pectore alicuius: ſubitoque ad aliquid gerendum impellere. Virgilius quoque in iij. libro γεωργικῶν eodem pacto locutus eſt, de furore equarum agens. Et mentem Venus ipſa dedit. Sed etiam T. Liuius in vj. libro, vbi Manlium, plebis animos contra patres inflammantem inducit. Dij prohibeant haec: ſed numquam propter me de caelo deſcendent, vobis dent mentem oportet vt prohibeatis, ſicuti mihi dederunt armato, togatoque, vt vos a barbaris hoſtibus, a ſuperbis defenderem ciuibus. Conſtat igitur tot exemplis optimorum auctorum ita legi debere. Sed adſunt etiam teſtes huius lectionis libri ſcripti. Animadertendum vero Ciceronem cum inquit pro Milone. Ea vis igitur ipſa, quae ſaepe incredibiles huic vrbi felicitates, atque opes attulit: quae illam perniciem extinxit ac ſuſtulit, huic primum mentem iniecit vt vi irritare, ferroque laceſſere fortiſſimum virum auderet, & quae ſequuntur, videri imitatum eſſe Demoſthenem, qui & ipſe de Philippo Macedone huiuſcemodi quiddam mente concepit, cum quaeſiſſe illum ſtudio ſuo, nimiaque cupidine augendi imperij interitum rerum ſuarum vaticinaretur, impulſum a diis immortalibus, dignitatem Athenienſium procurantibus. In prima Philippica. Δοκεῖ δέ μοι θεῶν τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς γιγνομένοις ὑπὲρ τῆς πόλεως αἰσχυνόμενος, τὴν φιλοπραγμοσύνην ταύτην ἐμβαλεῖν Φιλίππῳ. Ἐμβαλεῖν enim dixit (vt opinor) quod Cicero poſtea iniicere: quod enim mentem non inquit, ſed aliam rem, Cicero itidem infra iniicere amentiam ait. Iſocrates vero, elegantiſſimus ſcripitor vt videtur, ἐμποιεῖν ἔννοιαν inquit, cum idem & ipſe oſtendere vellet. haec enim ipſius verba ſunt in libro, quem miſit ad Philippum Macedonem. οἶμαι δέ σ' οὐκ ἀγνοεῖν, ὃν τρόπον οἱ θεοὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων διοικοῦσιν: οὐ γὰρ αὐτόχειρες, οὔτε μετὰ τῶν ἀγαθῶν, οὔτε τῶν κακῶν γίγνονται τῶν συμβαινόντων αὐτοῖς. ἀλλ' ἑκάστοις τοιαύτην ἔννοιαν ἐμποιοῦσιν, ὥστε δι' ἀλλήλων ἡμῖν ἑκάτερα παραγίγνεσθαι τούτων.

Virgilius indicatus accepiſſe totum illum locum, quo de furore equarum in III. libro Georgicorum agit, ab Ariſtotele: diligenſque de ſententiis illis diputatio.

CAP. VI.

QVIA modo vius ſum exemplo Virgilij e libro de re pecuaria, rediit mihi in mentem id, quod iam obſeruaram, poëtam totum eum locum, qui ſequitur ſumpſiſſe ab Ariſtotele: ille enim in vj. libro de hiſtoria animantium, vbi naturam equarum moreique pertractat, omne illud exponit, quod Virgilius xiij. his continentibus verſibus tradit. Continuoque, auidis vbi ſubdita flamma medullis, vere magis (quia vere calor redit oſſibus)

illae

» illae Ore omnes verſae in zephyrum ſtant rupibus altis: Exceptantque leues auras: & ſaepe ſi-
» ne vllis Coniugiis, vento grauidae (mirabile dictu) Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas con-
» ualles, Diffugiunt, non eure tuos, neque ſolis ad ortus In boream, caurumque, aut vnde ni-
» gerrimus auſter Naſcitur, & pluuio contriſtat frigore caelum. Hinc demum hippomanes, ve-
» ro quod nomine dicunt Paſtores, lentum diſtillat ab inguine virus: Hippomanes, quod
» ſaepe malae legere nouercae, Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba. Ariſtotelis
verba haec ſunt, ordinem etiam eundem ſequentis. λέγονται δὲ καὶ ἐξανεμοῦσθαι περὶ τὸν καιρὸν
τοῦτον. Διὸ ἐν Κρήτῃ οὐκ ἐξαιροῦσι τὰ ὀχεῖα ἐκ τῶν θηλειῶν. Poſtremum autem hoc reliquit Vir-
gilius, quia extra rem eſt: nec facit ad morbum ipſorum, inſaniamque indicandam. ὅταν δὲ
» τοῦτο πάθωσι, θέουσιν ἐκ τῶν ἄλλων ἵππων: θέουσι δὲ οὔτε πρὸς ἕω: οὔτε πρὸς δυσμάς, ἀλλὰ πρὸς ἄρ-
» κτον ἢ νότον. τότε δὲ ἐκβάλλουσί τι: καλοῦσι δὲ τοῦτο ὥσπερ ἐπὶ τῶν τικτομένων, ἱππομανές: ἐν δὲ ταῖς
» καθάρσεσι καὶ ζητοῦσι τοῦτο μάλιστα πάντων αἱ περὶ τὰς φαρμακείας: ἐκρεῖ δὲ αὐταῖς ἐκ τοῦ αἰδοίου, ὅμοιον γο-
» νῇ, λεπτότερον δὲ πολὺ ἢ τὸ τοῦ ἄρρενος. καὶ καλοῦσι τοῦτο τινὲς ἱππομανές, ἀλλ' οὐ τὸ ἐπὶ τοῖς πώλοις ἐπιφυό-
μενον. quod igitur philoſophus inquit λέγονται ἐξανεμοῦσθαι περὶ καιρὸν τοῦτον, poëta pluribus per-
ſecutus eſt, nam duos verſus conſumpſit in tempore deſcribendo, quo potiſſimum inſaniunt:
tres vero in vi eius verbi exprimenda. quod autem addit θέουσιν ἐκ τῶν ἄλλων ἵππων, vertit ille, or-
natu adhibito. Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas conualles Diffugiunt. Praeterea illa. θέουσι
δὲ οὔτε πρὸς ἕω: οὔτε πρὸς δυσμάς, ἀλλὰ πρὸς ἄρκτον ἢ νότον. conſequentibus verbis, lumine orationis
importato, conuerſoque primum ſermone ad ventum flantem ab ortu: non eure tuos: neque
ſolis ad ortus. In boream caurumque aut vnde nigerrimus auſter Naſcitur, & pluuio con-
triſtat frigore caelum: nam ſeptentrionem indicauit nomine ventorum, qui inde flant. Adiun-
git Ariſtoteles ea, quae ſupra poſui: illa autem Virgilius exprimit quatuor, qui reſtant verſibus.
quod enim eſt αἱ περὶ φαρμακείας in Graeco, noſter ad nouercas, veneficaſque tranſtulit. neque
tamen quod Virgilius vero hoc nomine vocari hippomanes dicit, diſtinxit illud ab herba, quae
& ipſa idem nomen habet, vt falſo putarunt interpretes, ſed a carne, quae naſcitur in fronte e-
qui: hoc enim manifeſto docet philoſophus his verbis: ἀλλ' οὐ τὸ ἐπὶ τοῖς πώλοις ἐπιφυόμενον. ne-
que tamen negarim oriri etiam e terra, quod hippomanes vocatur: id enim aperte tradit Theo
» critus in ij. Idillio canens. ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' ἀρκάσι. tres igitur res longe diuerſae, quia i-
dem valebant, ac veneficij vim habebant, eodem nomine vocabantur.

Oſtenditur Graecum etiam ſcriptorem ſimili eodem vſum, quo Cicero in declaranda calliditate eorum, qui alienis ſententiis pro ſuis vtuntur: ſtudiumque ſuum prauum occulere volunt.

CAP. VII.

M. Cicero in v. libro de finibus, cum induxiſſet M. Piſonem peripateticam diſci-
plinam explicantem, eamque ſummis laudibus ornantem, in extremo ſermone i-
pſius, vbi dicit ceteros philoſophos ex ea particula arrepta, ſuam ſingulos videri vo-
luiſſe afferri ſententiam, auctore ipſarum caelato, iamque id in pluribus vſu veniſſe oſtendiſſet,
» inquit. Stoici reſtant, hi quidem non vnam aliquam, aut alteram a nobis, ſed totam ad ſe
» noſtram philoſophiam tranſtulerunt: atque vt reliqui fures, earum rerum, quas ceperunt, ſi-
» gna commutant, ſic illi vt noſtris ſententiis pro ſuis vterentur, nomina tamquam rerum no-
» tas, mutauerunt. Simili igitur ad improbitatem illorum malitiamque oſtendendam valde a-
pto Cicero vſus eſt. quod idem Themiſtius arripuit, cum Epicuri furtum detegeret, aſtute
ab illo, ne deprehenderetur, notis variatis occultatum: Epicurus enim quoque, clam ſumpta
Ariſtotelis ratione, pro ſua vſus eſt, ac ne furtum cognoſceretur, reliquos fures imitatus, eodem
pacto occuluit. Ita igitur in tertium librum naturalis auſcultationis dilucidus ille ſcriptor ait.
» Καίτοι τὸν λόγον τοῦτον ἁρπάσας ἅπας ἐπίκουρος, ὥστε, παλαιότερον ὄντα, εἰσποιήσασθαι καὶ ὑποβάλλεσ-
» θαι μικρᾷ τινι καὶ φαύλως προσθήκῃ, καθάπερ οἱ τὰ φώρια μετασχηματίζοντες ὑπὲρ τοῦ λανθάνειν.
quae vero ratio illa fuerit, quam ſibi adoptauit ſuppoſuitque Epicurus, quidque de ſuo
addiderit, ne aliena eſſe intelligeretur, tempus nunc non eſt declarandi, occaſioque melior
huius rei dabitur: nunc enim ſatis habeo indicaſſe: in eadem re illuſtranda, ambos hos elegan-
tes ſcriptores idem ſimile attuliſſe, vel potius ab aliquo prius Graeco, magni nominis aucto-
re, excogitatum, ac ſaepe dictum, vtroſque ſumpſiſſe. quae namque Cicero de philoſo-
phia ſcribebat, e Graecis doctoribus accepta, ex illoque in hunc ſermonem, vt ipſemet
confeſſus eſt, tralata erant:

Exemplis clariſſimorum virorum comprobatur, oportere fugere voluptates: abigereque a ſe illas ſummo ſtudio, qui aliquid magna laude gloriaque dignum gerere volunt.

CAP. VIII.

QVI aliquid praeclarum in vita, ſiue domi, ſiue militiae efficere volunt, nuntium remittant oportet corporis voluptatibus: illaſque, vt omnium honeſtorum factorum acerrimas aduerſarias, magnopere caueant. Graecarum rerum auctores quomodo Alexander Macedo, paruo temporis ſpatio, quo vixit, tot tantaſque res efficere potuerit, ac paene vniuerſum orbem armis peragrare oſtendentes, hoc afferunt: ipſumque docent nullis huiuſcemodi oblectationibus, quae ceteros mortales retardare ſolent, impeditum fuiſſe: neque, cum tempus rei gerendae venerat, aut vino, aut ſomno, aut ludo aliquo, aut libidine, aut ſpectaculis auocari inde potuiſſe. idem autem, de cupido eiuſdem gloriae, magnoque imitatore ipſius, Cn. Pompeio memoriae mandatum eſt. Nam Cicero cum pro lege Manilia illum ornauit, hoc etiam accurate expoſuit dicens. Vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem curſum inuentum putatis: non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quaedam gubernandi, aut venti aliqui noui, tam celeriter in vltimas terras pertulerunt. Sed hae res, quae ceteros remorari ſolent, non retardarunt. & quae ſequuntur, diligenter omnem rem explicantis. Xenophon quoque, cum ſemper inſtructum paratumque Diphridam, Laconum ducem diceret: ceteroſque omnes illius ordinis in eo ſuperare, cauſam eius eſſe voluit, quod non pareret corporis voluptatibus, ſemperque illi ipſi rei, quae vrgebat, toto pectore incumberet. Haec ſunt politi illius ſcriptoris verba e quarto libro de rebus Graecorum. Ἦν δ' οὗτος ὁ ἀνὴρ εὔχαρίς τε οὐχ ἧττον τοῦ Θίμβρωνος: μᾶλλόν τε συντεταγμένος καὶ ἐγχειρητικώτερος στρατηγός: οὐ γὰρ ἐκράτουν αὐτοῦ αἱ τοῦ σώματος ἡδοναὶ, ἀλλ' ἀεὶ πρὸς ᾧ εἴη ἔργῳ, τοῦτο ἔπραττε. Cicero quoque pro Archia poëta, cum ſe commodis ciuium omni aetate ſedulo ſeruiſſe oſtenderet, quare concedi ſibi debere, vt ſi quid temporis vacaret, conſumeret in artibus ingenuis tractandis, parem ſe ambobus ſtudiis fuiſſe commemorat, quia non ſit vmquam voluptatum illecebris delinitus: eaſdem igitur & ipſe res appellat, quae fortes viros corruperunt, magnaque ipſis impedimenta attulerunt. inquit enim. Qui tot annos ita viuo iudices, vt a nullius vmquam me tempore aut commodo, aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas auocarit, aut denique ſomnus retardarit.

Non facta, ſed voluntatem in iudicando ſpectari oportere, auctoritate magnorum virorum conſtituitur: oſtenditurque M. Ciceronem a Graecis ſcriptoribus, nonnihil diſſentire in admirabili hiſtoria tradenda.

CAP. IX.

HYLLVS frementi Herculi apud Sophoclem in Trachiniis, vlciſcique dolorem ſuum cupienti, reſpondit. ſi totam rem ille vt ipſe, cognitam haberet, futurum eſſe, vt animus ipſius flecteretur, placareturque vxori, quae, bonas cogitationes animo verſans, in fraudem inciderit: quod tamen filij obſcurum dictum grauiter reprehenſum eſt a patre, vim eius nondum intelligente: vnde ſtatim Hyllus aperte rem exponit, dicens. Deianiram, cum putaſſet corpori ipſius iniecturam, quod conciliandi amorem vim haberet, abalienatumque ipſius animum reuocandi: peccaſſe, errore quodam, non voluntate. vere igitur Hyllus ſenſit in huiuſcemodi rebus in primis conſilium mentemque ſpectandam: ignouiſſe vero vxori fortiſſimum virum, hoc accepto, intelligitur, quod cum prius malediceret illi ſingulis verbis, nihil poſtea contumeliarum in eam iecit: Narrat autem Ariſtoteles in libris de Moribus, qui ἠθικὰ μεγάλα vocantur, cum idem, quod Deianirae, feminae alij contigiſſet: quod enim poculum amatori dedit, interemit hominem: in iudiciumque Ariopagi vocata illa eſſet, elapſam ſeueritatem iudicum, nulla alia de cauſa, niſi quod planum factum eſſet, ipſam eo maleficio ἐκ προνοίας non viam: dederat enim philtrum amoris cauſa, quamuis fine ſuo excidiſſet: vnde intelligi poterat non eſſe id ſponte factum: nec enim obeſſe voluit, ſed prodeſſe. Cicero quoque in iij. libro de natura Deorum hoc tetigit his verbis. Nec enim Herculi nocere Deianira voluit, quum ei tunicam, ſanguine Centauri tinctam, dedit: nec prodeſſe Phereo Iaſoni, is qui gladio vomicam eius aperuit, quam ſanare medici non potuerant: multi enim & cum obeſſe vellent, profuerunt: & cum prodeſſe, obfuerunt. Animaduertendum autem quod ad poſterius exemplum pertinet, cum idem memoriae prodiderint Graeci ſcriptores, in tyranni nomine ipſos a M. Cicerone diſcrepare:

diſcrepâte: nec enim hoc Iaſoni, ſed Prometheo cuidam vſu veniſſe commemorant: res autem adeo incredibilis eſt, vt vni in omni tempore homini contigiſſe id mirum ſit, nedum duobus eiuſdem condicionis accidiſſe, facile credi poſſit. Quare vereor ne peccatum memoriae cauſa fuerit huius diſſenſionis, quod peccatum, cui haereat, affirmare non auſim, quamuis habeam ſuſpiciones nonnullas, quae, vt Latini auctoris culpa magis id commiſſum putem, perſuadere conantur. Plutarchus igitur in libro, quo docet quid interſit inter aſſentatorem & amicum, ait. ὥσπερ γὰρ ὁ τὸν Θεσσαλὸν τραγῳδίαν ποιήσας Ἰάσονα; ἐπελθὼν τῷ ξίφει τὸ φῦμα καὶ διέλων ἄνευ σῶσαι τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἀπηλλάξεν, τοῦ φύματος ῥαγέντος. οὕτω & quae ſequuntur. Praeterea Simplicius in ij. librum φυσικῆς ἀκροάσεως, explicatis iam verbis, quibus Ariſtoteles oſtendit diſcrimina, quae ſunt inter id quod ſponte ſua fit, ac fortunam, in quaeſtione quadam, quam affert, exponenda, inquit ὥσπερ ὁ τὸν τύραννον τραγῳδίᾳ πλήξας μὲν ὑπὸ τῷ ἀνελεῖν: διανοίξας δὲ τὸ φῦμα καὶ ἰασάμενος.

Docetur idem, quod Iſocrates de vi orationis dixit, tribuere etiam ipſi ſolitos ſophiſtas: poſſe ſcilicet ipſam res admirabiles ac paene contrarias,

CAP. X.

ISOCRATES, nobilis magiſter dicendi, in libro, quem Panegyricum vocanit, cum vim naturamque orationis explicaret, huiuſcemodi illam eſſe affirmauit, vt facultatem nobis praeberet, de iiſdem rebus multis modis, contrariiſque inter ſe, dicendi: nec non, quae ampla forent extenuandi, humiliaque efficiendi: & puſillis magnitudinem adiungendi; vt vetuſta etiam nouo modo exponendi: de iiſque, quae modo facta ſunt, vetere more dicendi. Plato quoque in Phaedro idem omnino de illa protulit, ac paene iiſdem verbis vſus eſt, niſi quod reprehendit Sophiſtas, qui hoc ſedulo agerent, ac ſe praeſtare poſſe prae ſe ferrent: quare qui in rebus aſtuta hac ratione commutandis ſtudium ponerent, dicit dimittendos. ore autem Socratis illa pronuntiat. Verba Platonis ipſius ponam, non vt Iſocratis feci, tantum adumbrabo. τισίαν τε καὶ γοργίαν ἐάσομεν εὕδειν. οἳ πρὸ τῶν ἀληθῶν τὰ εἰκότα εἶδον ὡς τιμητέα μᾶλλον. τά τε αὖ μικρὰ, μεγάλα: καὶ τὰ μεγάλα, σμικρὰ φαίνεσθαι ποιοῦσι διὰ ῥώμην λόγου. καινά τ' ἀρχαίως: τά τ' ἐναντία καινῶς. συντομίαν τε λόγων καὶ ἄπειρα μήκη περὶ πάντων ἀνεῦρον. Animaduertendum autem quod elegantiſsimus ſcriptor inquit, cum contemptu quodam, ἐάσομεν εὕδειν, quaſi quieſcere ſinemus: εὕδειν, enim, quod eſt dormire, μεταφορικῶς hic prolatum eſt. quo modo ſaepe politi ſcriptores loquuntur. nam Xenophon quoque primo ἀναβάσεως, in poſteriore Clearchi oratione, quam habuit ad milites, quos ducebat inquit. ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ οὐχ ὥρα εἶναι ἡμῖν καθεύδειν: οὐδ' ἀμελεῖν ἡμῶν αὐτῶν, cum ceſſandum non eſſe ſignificare vellet, vt ipſe met ſtatim teſtatur, quomodo etiam nos patrio ſermone ſaepe loquimur.

Quam apte traducantur verba ab officiis nautarum ad munera Remp. regentium: eleganterque in primis id feciſſe Aeſchylum, declaratum, initio tragoediae cuiuſdam, quae adhuc in manibus eſt. cum duobus verbis inde translatis, eodem loco vſus ſit,

CAP. XI.

ET oratores ſaepe, & alij ſcriptores, non poëtae ſolum: qui tamen liberius hoc faciunt, cum loquuntur de Rep. eiuſque rectione, verbis iis vtuntur, quae propria nauium ſunt, ipſarumque gubernatorum, vt ſedere in puppi: clauum tenere: gubernaculum abiicere, aliaque huiuſcemodi non pauca. id autem fit ob ingentem ſimilitudinem, quae inter has res exiſtit, vt audacter poſſint: ſineque vllo metu verba illinc huc traduci: Aeſchylus autem initio Tragoediae, quam inſcripſit ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, cum induceret Eteoclem, regnantem tunc Thebis, de condicione eorum, qui ciuitates regerent, diſputantem, verba & ipſe inde ſumpſit. vt autem a Graecis & Latinis auctoribus memoriae proditum eſt, non poëta ſolum Aeſchylus, ſed etiam philoſophus fuit, atque is quidem Pythagoreus, quod ex grauitate quoque ſententiarum, ſubtilique diſputatione multarum rerum, qua vſus eſt in fabulis ſuis, cognoſci nullo negotio potuit. Laudatur quoque is multis locis ab Athenaeo. caeleſtiſque ac diuinus appellatur. primi igitur verſiculi fabulae illius hi ſunt. Κάδμου πολῖται χρὴ λέγειν τὰ καίρια Ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως Οἴακα νωμῶν, βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ: intellexitque hunc locum Plato in ſermone, quem Euthy-

demum vocauit, ita Socratem loquentem inducens, Σκεψὰς οὖν ἐθέλω αὐτὸ αὐτῷ ὄντι, ἐφ' ἑπτὰ-
μος, καὶ ὁ αἴτιος τοῦ ὀρθῶς κρατεῖν ἐν τῇ πόλει, καὶ ὁ ἐπιχειρῶν κατὰ τὸ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον μόνος ἐν τῇ πρύμνῃ καθῆ-
σθαι τῆς πόλεως, πάντα κυβερνῶντα, καὶ πάντων ἄρχοντα, καὶ πάντα χρήσιμα κρινῶν. Animaduertendum
praeterea, quod in primo ſenario Aeſchylus inquit, λέγειν καίρια, valere ſententias viiles ſapien
teſque edere: illae namque opportunae ſunt, ac tempori aptae. modo autem hoc loquendi
pluribus locis vſus eſt hic poëta, vt infra hac ipſa in fabula: cum eadem perſona regia de Am-
„ phiarao augure ita loquitur. Φιλεῖ δὲ σιγᾶν, ἢ λέγειν τὰ καίρια: nec non in Choëphoris.
„ Ὑμῖν δ' ἐπαινῶ γλῶσσαν εὔφημον φέρειν Σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν τὰ καίρια.

Quod in Eunucho dictum eſt a coquo, qui aegre e culina fuerat abſtractus, oſtenditur in Graeca etiam quadam fabula prolatum.

CAP. XII.

QVod apud Terentium in Eunucho Sanga, admonitus a Gnathone, vt domi
„ ſocique viciſſim meminiſſet, reſpondit. iam dudum eſt animus in patinis:
„ ſeruiuit mirifice poëta perſonae coqui, qui inuitus in proelium abductus fue-
rat: mente enim in culina reſtiterat, vbi artificium ipſius valebat. idem autem
apud Alexin comicum prolatum fuerat ab eo, qui incommoda, quae pateren-
tur, ante tempus in conuiuio accumbentes, afferebat: in aliis namque hoc etiam poſuit, quod
iactura tunc fieret omnium, quae dicerentur a conuiuis, quia animus eo tempore alienus
eſſet ab auditione omni, occupatus in alia cogitatione, vel potius menſae ipſi haerens. qua-
„ tuor autem hi ipſius ienarij leguntur apud Athenaeum in epitome primi libri. Ὡς ἐπὶ κακο-
„ κείσθαι πρὸ δείπνου συμφορά: Οὔτε γὰρ ὕπνος ἀπέρχεται αἰὲν ἂν λάβοι Οὐδ' ἂν λόγου τις οὐδαμῶς μά-
„ θοιμι ἄν: Ὁ νοῦς γάρ ἐν τοῖς τραπέζαις πλανάει.

Locus Ciceronis e primo libro de Officiis emendatus.

CAP. XIII.

M. Cicero in primo libro de Officiis, vbi ſententiam verſus illius ſui, valde irriſi
„ atque exagitati ab inimicis, conſtituit ac laudat, inquit. Vt enim alios omittam,
„ nobis remp. gubernantibus, togae arma ceſſere: neque enim in rep. periculum fuit
„ grauius vmquam, nec maius odium: ita enim legitur in excuſis libris: mendoſe tamen (niſi
fallor) nam ſcripti nonnulli, & ij quidem ſatis vetuſti, vna tantum littera immutata, pro odi-
um, habent otium, quam lectionem veram puto: oſtendit enim ſe rem illam geſſiſſe, magnam
ac reip. ſalutarem, paruo motu, trepidatione que ciuitatis, vel potius nullo: ingens autem laus
eſt depellere a rep. graue aliquod malum, ſine tumultu atque armis. quae ſequuntur verba de-
clarant ita legi debere: docet enim Cicero illis, mira quadam breuitate temporis, perculſos de-
letoſque fuiſſe hoſtes reip. ipſamque omni metu liberatam. praecipue autem locus hic e ſecun
da contione aduerſus L. Catilinam, in quo idem verbum, idem omnino valens, poſitum eſt,
„ id liquido demonſtrat. Neque nos vmquam, dum ille in vrbe hoſtis fuiſſet, tantis periculis
„ remp. tanta pace, tanto otio, tanto ſilentio liberaſſemus. nam quod in prima itidem ad Qui-
„ rites inquit, valde hanc lectionem adiuuat, quamuis verbo hoc ipſo vius non ſit. Atque
„ haec omnia ſic agentur Quirites, vt res maximae, minimo motu: pericula ſumma, nullo tu-
„ multu: bellum inteſtinum, ac domeſticum, poſt hominum memoriam crudeliſſimum & ma-
ximum, me vno togato duce & imperatore ſedetur. Gloriae autem hoc in primis ſibi duxiſſe
Ciceronem, indicatur etiam bis ipſius verbis ex oratione pro P. Sylla. Meis conſiliis, meis
„ laboribus, meis capitis periculis: ſine tumultu, ſine delectu, ſine armis, ſine exercitu, quin-
„ que hominibus comprehenſis atque confeſſis: incenſione vrbem, internicione ciues, vaſtitate
„ Italiam, interitu Remp. liberaui. Odium autem (vt vulgo nunc legitur) quem locum illic
habeat, non video.

Sententiae nonnullae Salluſtij oſtenduntur e Graeco ſermone expreſſae.

CAP. XIIII.

SALLVSTIVS de bello Catilinae, vbi de corruptis moribus populi Romani diſpu-
„ tans, inquit. Aliud clauium in pectore: aliud in lingua promptum habere. videtur
„ expreſſiſſe Homericum verſum. in viiij. enim libro Iliadis Achilles, orationi Vlyſſis
reſpondens,

reſpondens, oſtendit ſe ferre non poſſe huiuſcemodi ingenium; quod aliud animo occulit: aliud autem dicit: nec minus hunc hominem odiſſe quam mortem: erat enim generoſi animi
„ iuuenis, ac quod ſentiebat, libere loquebatur. Locus poëtae, verbaque haec ſunt. Ἐχθρὸς γάρ μοι
„ κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν, Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει. erat autem ſtudioſus Graecarum litterarum Salluſtius: pluresque ſententias eius linguae auctorum, in Latinum verſas,
„ in hiſtoriis quas ſcripſit incluſit. nam cum, M. Catonis virtutibus explicatis, addidit. Eſſe quam videri bonus malebat. manifeſto interpretatus eſt ſenarium hunc Aeſchyli, qui Am-
„ phiarai auguris naturam probitatemque laudans, inquit. Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Animaduertendum praeterea, an cum narrat ita Metellum regi Boccho ſuaſiſſe. Quam-
„ quam opibus ſuis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare: reſpexerit (vt puto) ad ſententiam verſus Heſiodi, valde celebratam. inquit enim ſapiens ille poëta. Νήπιος,
„ ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει. In bello etiam Catilinae videtur eandem adumbraſſe, de
„ Allobrogibus loquens, diuerſa conſilia animo voluentibus. inquit enim. Pro incerta ſpe,
„ certa praemia. Plautus autem apertius illam vertit, cum Pſeudolum, callidum ſeruum,
„ ſecum philoſophantem induxit: in aliiſque multis dicentem. Stulti haud ſcimus fruſtra vt
„ ſimus, quam quod cupienter dari, Petimus nobis, quaſi quid in rem ſit poſſimus noſcere.
„ Certa amittimus, dum incerta petimus, atque hoc euenit. In labore atque in dolore. Nolo etiam omittere quin teſtificer, locum illum Salluſtij de bello Iugurthae me inueniſſe in antiquo libro aliter ſcriptum. in quodam enim Langobardis litteris exarato, legitur. Tamen
„ non debere certa pro incertis mutare. vtroque autem modo locutos bonos auctores conſtat: vſoſque verbo mutare, pro in commutatione ſumere: & pro relinquere. vt Horatius cum ce-
„ cinit. Velox amoenum ſaepe Lucretilem, Mutat Lycaeo Faunus: & in alia ode contra: Cum
„ tu coëmptos vndique nobiles Libros Panaeti, Socraticam & domum Mutare loricis Hiberis,
„ Pollicitus meliora, tendis.

Sententias duas, quae a pluribus poëtis tractatae ſint, ponderatas fuiſſe oſtenditur a bono harum rerum exiſtimatore.

CAP. XV.

F RANCISCVS Medices, acerrimi iudicij vir fuit: & reconditae atque elegantis doctrinae: vtinam vita ipſi longior fuiſſet: quod ego ſaepe de ingenio illius eruditioneque verbis teſtatus ſum, re ipſe ſcriptiſque ſuis comprobaſſet: meque hoc labore, qui mihi tamen iucundiſſimus eſt, leuaſſet. Ille igitur cum alios multos Lucretij poëtae locos mirifice laudabat: erat enim vehemens amator eius poëtae: tum in hoc artificium ipſius, candoremque celebrabat: quod cum veterem ſententiam verteret, cuiuſque auctor fuiſſet non valde probatus, neque Graecis ſuis, neque Latinis ſcriptoribus, poëta Choerilus, grauiter ac magnifice illam expreſſit, longeque auctorem ipſius elegantia ſuperauit: cum alius Latinus poëta eandem transferens, inferior adhuc Choerilo fuerit: humiliterque atque abiecte illam pronuntiarit. ſed vt verſus
„ ipſorum, ordinem temporum ſecutus, ponam, Graecus ille inquit. Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς
„ ὕδατος ἐνδελεχείῃ (Verſum autem hunc citat Simplicius in commentario ſuo, in viij. librum naturalis auſcultationis) Lucretius autem idem his verbis protulit.

„ Non ne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
„ Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

„ Ouidius vero paucis, & omni ornatu carentibus verbis. Gutta cauat lapidem. Contentio igitur horum locorum, quod ille animaduertit, manifeſto Lucretij granditatem facundiamque declarat, qui in tenui re exponenda, dignitatem carmini acquiſiuit, & vt paene nos rem ipſam oculis cerneremus, effecit. Cum autem in huiuſcemodi contentionibus facile virtus poëtarum facultaſque appareat, ac qui de ipſis recte exiſtimare velit, hoc praecipue diligenter attendat oporteat, alium etiam hunc optimi omnium Graecorum poëtarum, a Latinis duobus primae claſſis expreſſum, accurate ponderauit: atque eidem cui ſuperioris, ita poſterioris huius,
„ palmam dedit. Cum enim ſententiam hanc Homeri e vj. libro Iliadis Γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ
„ Lucretius redderet, ſuauiter admodum inquit. & tacita pectus dulcedine tangunt. Virgilius quoque, praeter quam quod illum in vertendo ſecutus eſt: ingenioque ipſius fuit adiutus, mi-
„ nus tamen poëtice. Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus.

Cenam ſine ſanguine vocatam eſſe a Graeco poëta, quam Plautus terreſtrem appellauit: ambo autem tenuem pauperemque menſam intellexerunt.

CAP. XVI.

CENAM ſine ſanguine paraſitus, apud Diphilum comicum, vocauit tenuem ac vilibus dapibus inſtructam: ob quam ſcilicet ornandam nullae caeſae forent animantes: inducitur autem impurus ille homo ab eleganti facetoque poëta, ita loquens: narrat enim ſe diſſentire ab ingenio multorum, qui, cum vocati ſunt ad cenam a diuite aliquo, fortunatoque homine, ſtatim, dum introeuntes, laudant triglypha: tecta laqueata: Corinthiaque vaſa, coniectis in huiuſcemodi ornamenta aedium oculis: ſe namque, his rebus ſpretis, intentis oculis reſpicere fumum culinae: quod ſi ille impetu quodam directo latus ſit, ſe laetari ac prae gaudio exultare: contra autem ſi obliquus se tenuis, ilico cognoſcere cenam, quod ei vehementer dolebat, ſanguinem non habituram. a ſigno igitur ille iudicat ſe male acceptum iri: neque enim huiuſcemodi cena ipſum delectabat. Carmen ipſum Diphili, quod apud Athenaeum in vj. libro legitur, hic ponam.

Ὅταν με καλέσῃ πλούσιος, δεῖπνον ποιῶν,
Οὐ κατανοῶ τρίγλυφ᾽: οὐδὲ τὰς στέγας,
Οὐδὲ δοκιμάζω τοὺς κορινθίους κάδους:
Ἀτενὲς δὲ τηρῶ τοῦ μαγείρου τὸν καπνόν.
Κἂν μὲν σφοδρὸς φερόμενος, εἰς ὀρθὸν τρέχῃ,
Γέγηθα, καὶ χαίρω, καὶ πτερύσσομαι:
Ἐὰν δὲ πλάγιος, καὶ λεπτὸς, εὐθέως νοῶ
Ὅτι τοῦτό μοι τὸ δεῖπνον, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ αἷμ᾽ ἔχει.

Plautinus contra ſenex in Captiuis paraſitum ludit, oſtendens ſe huiuſcemodi cenam ei daturum. Aſper meus victus ſane eſt. cui ille: Sentis ne eſitas? ſequitur Aegio. Terreſtris cena eſt. Par. ſus terreſtris beſtia eſt. Aeg. Multis oleribus. Par. Curato aegrotos domi. Nihil autem inimicius eſſe oleribus paraſito, & hic declarauit, & apud eundem Graecum comicum in Mercatore, quidam qui accuſat alium, & piſces, & aues, & omnes demum delicatiores eſcas coëmentem: inquit enim ſumptibus & voracitate illius fieri, vt & ipſe, & vniuerſa ciuitas, neceſſario ad olera redigatur: ac pugnent ſaepe contendantque inter ſe de apiis, vt Iſthmiis fieri ſolebat: quorum certaminum corona, victoriae praemium, erat ex apio. nam iocatus in hoc lepide eſt. Inquit igitur. Οὐκ ἔστιν ἰχθυηρὸν ὑπὸ τοῦ μιγακλοῦ. Σωπᾶτε ὑμῶν εἰς τὰ λάχανα τὴν πόλιν. Περὶ τῶν σελίνων μαχόμεθ᾽ ὥσπερ Ἰσθμίοις. Plures tamen verſus leguntur apud Athenaeum eodem, quo ſuperiores, libro. Eadem autem ſententia Alexidis comici fuit, qui in fabula Demetrio accuſans Phayllum quendam, vt in piſcibus emendis perditum, affirmauit ipſum tertiam quandam tempeſtatem additum eſſe: prius namque flante aquilone, aut auſtro vehementiore: mariſque fluctibus commotis, nemini piſcem comedere licuiſſe: poſtea vero accedente illo in forum, atque omnes inde piſces euerrente, tamquam procella quadam ac turbine, ad eandem penuriam omnes compelli. Quare inquit reſtat vt concertemus inter nos de oleribus. carmen quoque ipſius, quia elegantiſſimum eſt, hic ponam Πρότερον μὲν εἰ πνεύσειε βορέας, ἢ νότος Ἐν τῇ θαλάττῃ λαμπρὸς, ἰχθὺς οὐκ ἐνῆν Οὐδενὶ φαγεῖν: νυνὶ δὲ πρὸς τοῖς πνεύμασι Τούτοις Φάυλλος προσγέγονε χειμὼν τρίτος Ἐπὰν γὰρ ἐμπεσὼν καταιγίσας τύχῃ Εἰς τὴν ἀγορὰν τούτους πριάμενος, οἴχεται Φέρων ἅπαντα τὸ λοιπόν. ὥστε γίγνεται Ἐν τοῖς λαχάνοις τὸ λοιπὸν ἡμῖν ἡ μάχη. leguntur autem apud Nonium verba quaedam Turpilij, quae videntur e principio poſterioris huius exempli expreſſa. Ante hac ſi flabat aquilo aut auſter, inopia erat piſcati. Quod vero terreſtrem cenam ſuam eſſe Aegio dixit, addiditque copiam illic tantum olerum eſſe. Cicero quoque teſtatus eſt in epiſtola ad Gallum, lege ſumptuaria C. Caeſaris terra nata excepta fuiſſe: vt cum aliarum epularum definitus numerus eſſet, herbarum ac ceterarum rerum, quae oriuntur e terra, propter vilitatem copia concederetur. In quibus etiam condiendis lautos homines tantum ſtudij ponere ſolitos oſtendit, vt illae etiam ſua ſponte viles iniucundaeque res, ſuauiſſimae fierent. Animaduertendum etiam quam acute ſubtiliterque paraſitus ſpem non amiſerit ſumptuoſae cenae, quamuis audiſſet illam terreſtrem futuram: aliter enim cepit vocem eam terreſtrem, quam ille vſurparat: terreſtres enim quoque animantes vocantur, quae in terris viuunt, vt diſtinguantur ab iis, quae in aquis aut aëre vitam degunt: & ſane M. Cicero, in vertendo Timaeo, quod eſt apud Platonem: πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον τέταρτον, terreſtre quartum reddidit. Earum autem nonnullae iucundae ſunt, in conuiuiiſque apponuntur. Putauit igitur ſine piſcibus auibuſque, poſſe opiparum apparari conuiuium.

Qui vocarentur balnearij fures, declaratum: ſimulque illos legibus ſeuerius puniri ſolitos, vt ceteros, qui e publicis locis aliquid ſurriperent, indicatum.

CAP. XVII.

BALNEARII fures vocabantur, qui veſtimenta eorum qui lauatum ierant, ſurripiebant: a loco enim vbi potiſſimum ſtudium illud ſuum prauum exercebant, appellabantur. Catullus quoque eum malediceret Vibennio, hoc vitium ipſi exprobrauit: his verbis. O, furum optime balneariorum, Vibenni pater. illos autem maiore paena affici ſolitos, vt eos etiam qui e palaeſtra, aut foro, aut huiuſcemodi aliquo publico loco, quam qui e priuata domo aliquid tollerent, commemorat Ariſtoteles in xxix. ſegmento Problematum, cauſamque huius rei quaerit. hi namque, re ſurrepta aeſtimata, dupli condemnabantur: illi vero morte plectebantur. Demoſthenes quoque contra Timocratem idem ſignificauit: morte ſcilicet puniri ſolitos Athenis, qui e Gymnaſiis, portubus, publiciſque aliis locis, res etiam viliſſimas, furarentur, cuius verba ponam. καὶ εἴ τις ἐκ λυκείου, ἢ ἐξ ἀκαδημείας, ἢ ἐκ κυνοσάργους, ἢ λυκύθιον, ἢ ἄλλο τι φαυλότατον, ἢ τῶν σκευῶν τι τῶν ἐκ τῶν γυμνασίων, ὑφέλοιτο, ἢ ἐκ τῶν λιμένων ὑπὲρ δέκα δραχμὰς καὶ τούτοις θάνατον ἐνομοθέτησεν εἶναι τὴν ζημίαν. Plautus autem quam difficile foret balneariorum furum inſidiis reſiſtere oſtendit in Rudente his verbis. etiam qui it lauatum In Balineas, ibi quum ſedulo ſua veſtimenta ſeruat, tamen ſurripiuntur. Quod vero Catullus infra inquit. quandoquidem patris rapinae Notae ſunt populo: in aliis argumentis quibus putat Ariſtoteles perſuaderi potuiſſe latores eius legis, vt grauius animaduerterent in eius generis fures, hoc etiam eſt, quod qui manifeſto illic deprehenſi ſunt, ab omnibus fures eſſe ſtatim intelliguntur: vnde ſi euaſere, non amplius ſtudent, ne fructus quidem quaeſtuſque ſui cauſa, probi homines videri: ſciunt enim omnem operam, quam ponerent in ſtudio illo ſuo diſſimulando: perſonaque probi viri induenda, irritam fore: cui rei incumbunt toto animo reliqui fures. vt deploratiores igitur: omnibuſque partibus inquinatiores, merito inquit grauius puniuntur.

Quod Cicero dixit librorum ab Ariſtotele ſcriptorum fuiſſe limatius genus illud, quod reliquit in commentariis, diſcrepat magnopere a iudicio Alexandri.

CAP. XVIII.

DILIGENTER animaduertenda ſunt haec verba Ciceronis e v. libro de Finibus bonorum & malorum, quibus de Peripateticorum inſtitutis: principeque ipſorum Ariſtotele, loquitur. De ſummo autem bono, quia duo genera librorum ſunt: vnum populariter ſcriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant: alterum, limatius, quod in commentariis reliquerunt, non ſemper idem dicere videntur, Neque enim in commentariis Ariſtoteles, ſi hoc verbo intelligimus, quae Graeci ὑπομνήματα vocant, reliquit veras ſuas exquiſitaſque ſententias: ne dum enim limata eſſent ipſius ὑπομνήματα: ſcriptaque accurate, nullius erant ponderis apud veteres Graecos ipſius interpretes: nec quicquam valere exiſtimabantur ad iudicium ſummi doctoris mentemque indicandam de qualibet re. Teſtatur hoc Simplicius, in Categorias: vbi ſcripta Ariſtotelis examinat: confirmatque praeterea id auctoritate Alexandri, qui & ipſe parum aut nihil tribuebat ſententiis, quae illic editae forent, & monimenta illis traditae. Putarem M. Tullium συντάγματα intellexiſſe: verum ita quoque appellabantur libri ἐξωτερικοὶ: nam ſententiae etiam illae communes & populares erant, mandatae litterarum monimentis, vt ipſemet Cicero, hic teſtatur. videtur igitur ſignificaſſe, quos Graeci ἀκροαματικοὺς vocabant: commentarioſque dixiſſe libros illos.

Quomodo accipi debeat ſententia quaedam Ciceronis, ne videatur ignoraſſe, quod ſit poëtae officium, fabulam aliquam argumentumque ſcribentis.

CAP. XIX.

M. CICERO in iij. libro de officiis inquit. Vtile videbatur Vlyſſi, vt quidam poëtae Tragici prodiderunt. nam apud Homerum, optimum auctorem, talia de Vlyſſe nulla ſuſpicio eſt, ſed inſimulant eum Tragoediae, ſimulatione inſaniae militiam ſubterfugere voluiſſe. Videtur igitur cognitum non habuiſſe Cicero officium poëtae Heroici, qui non omnia commemorare debet, quae alicui in vita vſu venerunt, ſed ea tantum, quae ſunt partes eius fabulae, quam ſcribit: neque enim hoc tantum, verum alia quoque multa

Vlyſſis facta omiſit Homerus. Ariſtoteles in primo libro de arte Poëtarum hoc docet. ὀδυσσείαν γὰρ ποιῶν, οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα, ὅσα αὐτῷ συνέβη, οἷον πληγῆναι μὲν ἐν τῷ παρνασσῷ, μανῆναι δὲ προσποιήσασθαι ἐν τῷ ἀγερμῷ. An ita Cicero a culpa, iuſtaque reprehenſione, in quam aliqui incidiſſet, defendi poteſt, vt miratus poëtam accipiatur, ſi id factum fuiſſet, non aliquando id ἐν παρόδῳ tetigiſſe. vt ab apro in Parnaſſo ictus Vlyſſes in eo poëmate indicatur, & ſi tota res copioſe non exponitur, nam verba etiam ipſius hoc ſignificare videntur, cum dixerit nullam ſuſpicionem eſſe illic de hac re. quod vero poëtas quoſdam Tragicos hoc explanaſſe inquit, ſignificat vt puto, Sophoclem, qui fabulam hoc titulo docuit, vt Graeci veteres Grammatici teſtantur. ὀδυσσεὺς μαινόμενος. Ab Ariſtotele autem, qui inquit ἐν ἀγερμῷ Vlyſſem hoc callidum conſilium cepiſſe, ſignificatur, quod poëta etiam ille affirmarat, cuius verſus expreſſi apud Ciceronem infra leguntur. Furere aſſimulauit, ne coiret inſtitit.

Omnibus in rebus aegre ferre mortales, immutari de ſua virtute iudicia reliquorum: ſtudereque illos partam exiſtimationem tueri.

CAP. XX.

Qvi multum ſe poſſe aliqua in re, ſtudione putant, atque id aliquando factis viuque antea demonſtrarunt, cauent quicquam facere quod a parta iam laude degeneret: ita enim intelligunt ſe exiſtimationem perdituros, ac quod ſummis laboribus periculiſque decus acquiſiuerint, ſubito amiſſuros. oſtendit hoc Euripides in Hippolyto coronato, in magna re, atque illuſtri perſona: inducit enim Theſeum, fictum crimen filij verum putantem, hac etiam de cauſa dicere ſe grauiter ac pro magnitudine ſceleris in eum animaduerſurum: ſi namque tam atrocem iniuriam diſſimularem inquit, non crederet fortia illa facta praeclaraque feciſſe quae, feci: nec ſaeuos latrones necaſſe: aut eſſe denique acerrimus hoſtis improborum. verba poëtae haec ſunt. Εἰ γὰρ παθών γε σοῦ τάδ᾽ ἡσσηθήσομαι Οὐ μαρτυρήσει μ᾽ ἴσθμιος Σίνις ποτὲ Κτανεῖν ἑαυτόν, ἀλλὰ κομπάζειν μάτην: & quae ſequuntur, eodem attinentia. Plautus autem in re leui ac nugatoria idem oſtendit: inducit enim in Menaechmis paraſitum, impurum ac callidum hominem, qui iniquo animo ferebat ſibi impoſitum eſſe, ita loquentem. Non hercle is ſum, qui ſum, ni hanc iniuriam, Meque vltus pulchre fuero: ipſe enim quoque, qui aliis imponere conſuerat, cum in eundem laqueum ſe incidiſſe putaret, videbatur ſibi omnem gloriam amiſiſſe, nec viuere deinſus poſſe.

Vti ſaepe oratores, cum de natura multitudinis loquuntur, quae facile concitatur, ſimilitudine maris ac procellarum.

CAP. XXI.

Qvam crebro vſurpari ſoleret ſimile hoc ab oratoribus, quo docebatur, vt mare ſua vi tranquillum, commouetur ventis ac tempeſtatibus, ita rempublicam, ſua ſponte quietam, agitari ſtimulis vocibuſque improborum ac turbulentorum ciuium, indicarunt magni Latini ſcriptores M. Tullius, ac T. Liuius: Cum enim Ciceroni, pro A. Cluentio dicenti, commodum eſſet collatione vti: valdeque peruagatam eam eſſe intelligeret, id ſignificauit hoc pacto. Ex quo intelligi potuit, id quod ſaepe dictum eſt, vt mare, quod ſua natura tranquillum ſit, ventorum vi agitari atque turbari, ſic & populum Romanum ſua ſponte eſſe placatum: hominum ſeditioſorum vocibus, vt violentiſſimis tempeſtatibus, concitari. Auctor autem rerum Romanarum in xxxviij. libro ab Vrbe condita & ipſe narrans Graecum oratorem in ſenatu R. pro Aetolis dicentem, Leonem quendam illa viſum, idem tetigit. haec Liuij verba ſunt. Athenienſis legatus Leon, Iceſiae filius, eloquentia etiam dicitur mouiſſe, qui vulgata ſimilitudine, mari tranquillo, quod ventis concitaretur, aequiparando multitudinem Aetolorum vſus, quum in fide Romanae ſocietatis manſiſſent, inſita gentis tranquillitate quieſſe eos aiebat. Poſtquam flare ab Aſia Thoas, & Dicaearchus: ab Europa Meneſtas & Democritus coepiſſent, tum illam tempeſtatem coortam, quae eos apud Antiochum, ſicuti ad ſcopulum, intuliſſet.

Inſtitutum

Inſtitutum Athenienſium indicatum, apud quos inquilini ſine auctore, in iudicio non audiebantur: ſimulque comprobata ſuae editionis lectio in III. libro politicorum.

CAP. XXII.

CVM Oedipus apud Sophoclem multa conuicia iecisſet in Tireſiam augurem: in aliiſque maledictis, ei obiecisſet, ipſum, corruptum a Creonte, regno ſuo inſidiari, inſolens contumeliae ſenex ille ac fortis, reſpondit, oportere par pro pari reddere, quamuis Oedipus ſit Rex: licere enim ſibi hoc facere, cum in Apollinis praeſidio viuat, non Oedipi ipſiua ſeruus ac mancipium ſit: adiunxitque οὐ Κρέοντος προστάτου γεγράψομαι, reſpiciens ad legem, quae erat Athenis, & in aliis non nullis oppidis Graeciae, qua vetabatur inquilinum etiam in iudicio verſari, ac cauſam orare, niſi auctorem vindicemque adbibuiſſet, vocatum ab illis προστάτην. ſignificauit igitur illis verbis Tireſias, ſi opus ſit vindice, & auctore aliquo, ſe adbibiturum Apollinem, non mortalem aliquem: nec ſe, vt ille inſimularat, inſeruire Creonti, vt eius patrocinio in huiuſcemodi temporibus vtatur. Scholion Graecum verum ſenſum eius loci non vidit. Sed Heſychius in voce προστάτης declaranda, inſtituti huius mentionem fecit, atque ita accipi debere hunc locum ſignificauit. cum tradat etiam ἀπροστασίου iudicij genus fuiſſe aduerſus inquilinos, qui aliquid Athenis ſine auctore hoc adminiſtraſſent. Harpocration etiam in Lexico inſtituti huius mentionem fecit, dicens. Προστάται vocabantur Athenis, qui praeſidebant inquilinis: cogebantur enim legibus ſinguli inquilini ciuem aliquem Athenienſem aſſignare praeſidem & auctorem. hoc autem apud eos dicebatur, νέμειν προστάτην. vt Harpocration ipſe quoque, non ſolum Heſychius loquitur. vnde fidentius reſtitui locum in iij. libro Ariſtotelis de Rep. qui defecerat in Graecia exemplaribus, cum ſententia ſimplicitate illa, qua vtitur, expreſſa eſſet a vetere tralatione. Lapſus autem eſt (vt apparet) librarius Graecus, quia idem verbum μετέχουσι paruo interuallo bis poſitum fuerat. quare imprudenter omiſit omne illud, quod in medio interiectum erat. cum quod ſequebatur poſterius ſcripſerit, relictis ſuperioribus: eſt autem vbi docet quomodo ciuis capiendus ſit: nec enim locus efficit ciuem vt oſtendit: nam & inquilini & ſerui hoc pacto ciues forent, cum vrbem nobiſcum ſimul incolant. nec etiam hi, qui publici iuris tantum communicant nobiſcum, vt vocati in iudicium, cauſam ſuam defendere queant, & alios etiam ipſi vocare: hoc enim quoque inquit datum eſt his, qui aliquid ſimul pacto contraxerunt. Addidit autem multis in locis, ne horum quidem penitus participes fieri inquilinos, verum neceſſe illis eſſe auctorem praeſidemque aſſignare. vnde inquit aliquo modo imperfecte participes ſunt huius communionis. Prius libri excuſi habebant, manca ſine dubio & mutilata ſententia. πολλαχοῦ μὲν γὰρ οὐδὲ τούτου τελέως οἱ μέτοικοι μετέχουσι τῆς τοιαύτης κοινωνίας: ipſe veritatem ſequutus, & fidem priſcae tralationis. addidi, ἀλλ᾽ ἀνάγκη νέμειν προστάτην. διὸ ἀτελῶς πως μετέχουσι.

Explicata ſententia M. Varronis, apud Nonium reperta, de vini quodam genere abortum gignentis.

CAP. XXIII.

VERBA haec ſunt M. Varronis e libro, quem ſcripſit de Admirandis rebus, in teſtimonium vocata a Nonio. Vinum, quod ibi natum ſit in quodam loco, ſi praegnans biberit, fieri vt abortiatur. intelligit autem, ibi dicens, Achaiam regionem, quam ſupra, vt ſuſpicari licet, appellarat. locum vero eius terrae certum Caryniam vocatum. Hoc autem manifeſto tenetur auctoritate Theophraſti, qui id memoriae prodiderat: vndeque doctiſſimum Latinorum hominum, ſumpſiſſe arbitrari poſſumus. Sed Plinius quoque idem narrat, totum Graeci ſcriptoris locum ita in Latinum vertens, in xiiij. libro, vbi de prodigiis vini diſſerit. At in Achaia, maxime circa Caryniam, abigi partum vino: atque etiam ſi vuam edant grauidae: cum differentia in guſtatu non ſit. Theophraſti verba haec ſunt e libro ix. de iis, quae oriuntur e terra. περὶ δὲ τὴν Ἀχαΐαν, καὶ μάλιστα περὶ Καρυνείαν, ἄμπελόν τι γένος εἶναι, ἀφ᾽ οὗ ὁ οἶνος ἐξαμβλοῦν ποιεῖ τὰς γυναῖκας, ἐγκύμονας οὔσας. κἂν αἱ κύνες φάγωσι τῶν βοτρύων, ἐξαμβλοῦσι καὶ αὗται: κατὰ δὲ τὴν γεῦσιν, οὐδ᾽ ἰδιότητος οὐδεμίας αἰσθάνεσθαι ποιεῖ παρὰ τοὺς ἄλλους οὐδ᾽ ὁ οἶνος. Animaduertendum autem totum id, quod pertinet ad canes, traditum a Theophraſto, reliquiſſe Plinium, vt Athenaeus quoque fecit, cuius haec verba ſunt, locum ipſius citantis. περὶ δὲ Κερυνείαν τῆς Ἀχαΐας ἀμπέλου τι γένος εἶναι ἀφ᾽ ἧς τὸν οἶνον ἐξαμβλοῦν ποιεῖν τὰς γυναῖκας τὰς ἐγκύμονας, κἂν τῶν βοτρύων δὲ φασὶ φάγωσιν ἐξαμβλοῦσι.

Reſtat

Reſtat paruus ſcrupulus in nomine loci, vbi naſceretur id vinum: omnibus enim fere locis, quibus mentio ipſius fit a diuerſis ſcriptoribus variatum eſt, quod adnotarat etiam Hermolaus. Ariſtoteles, qui & ipſe libellum confecit de admirandis: (ita enim Latini verterunt, quod apud eum eſt περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων: & ſi in quodam exemplari, ſatis fideli, magiſque pleno index eius eſt περὶ παραδόξων ἀκουσμάτων) huius admirandae in primis rei mentionem nullam fecit: quod miror, cum ſodali ipſius Theophraſto cognitum hoc fuerit.

Locus Virgilij e X. Aeneidos collatus cum eo, quod Graeci poëtae, Homerus Euripideſque, de eadem re dixerunt.

CAP. XXIIII.

HIs verbis allocutus eſt fortis amator apud Virgilium amores ac delicias ſuas: cum praeclarum conſilium ſuum, ac quid ipſi repente in mentem, gloriae cupido, veniſſet, illi aperire coepit. Dij ne hunc ardorem mentibus addunt, Euryale? an ſua cuique deus fit dira cupido. Aut pugnam, aut aliquid iam dudum inuadere magnum Mens agitat mihi: nec placida contenta quiete eſt. videtur autem poëta Homerum imitatus: ipſe enim quoque in x. libro Iliadis Dolonem illum Troianum, qui exploratorem Hectori ſe obtulit in rebus aduerſis Graecorum, non bene vires animi ſui ponderans, ita fecit cum imperatore ſuo loquentem Ἕκτορ, ἔμ' ὀτρύνει κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ, Νηῶν ἀντιπέρην χεδὸν ἰσδίμω: ἔιτε πυθέσθαι. Euripides quoque in fabula non nimis ſeuera, quam Cyclopem inſcripſit, ita induxit verſutum callidumque virum, Vlyſſem loquentem. cum oſtendit veniſſe ſibi in mentem facinus, quo poſſet miſerabiliter necatos ſocios ſuos a Polyphemo vlciſci; ſeque periculo liberare. id autem erat vini plenum illum: temulentumque factum, ſopire. Inquit enim εἰσῆλθέ μοι θεῖον: diuinum enim conſilium illud, quaſi a Deo immiſſum, appellauit. Quod ſi diligenter attendimus, Virgilius vtramque Graecorum poëtarum ſententiam complexus eſt: Homerus enim videtur innuere huiuſcemodi omnes cogitationes excitari ab animo: cupiditateque aliqua: Euripides autem caelitus dimitti. ambo tamen ſingulis ſententiis contenti fuerunt, nec de veritate rei tunc ſubtiliter quaeſiuerunt: neque enim tempus illud accuratam de his rebus diſputationem requirebat. Vnde non ſine cauſa fortaſſe quaereret aliquis, an conueniat illi tempori ac perſonae, grauis illa acutaque quaeſtio, quam propoſuit Virgilius.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER VIII.

Sublationem ſuperciliorum notam exiſtimatam eſſe & irati animi, & maerentis, a diuerſis poëtis.

CAP. I.

SVPERCILIA tollere ſignum eſſe voluit Catullus irati hominis, & qui malum alicui minaretur: his enim indiciis vultus animi ſenſus aperiuntur. In extremo igitur carmine, quo ianuam allocutus eſt, eamque reſpondentem ſibi induxit, ita illam loqui finxit. Praeterea addebat quendam, quem dicere nolo Nomine, ne tollat rubra ſupercilia. Diphilus vero Comicus eadem hac nota vſus eſt, cum triſtem hominem, mœroriſque plenum, ſignificare vellet. Vini namque ſuauitatem celebrans, & quantopere eos, qui large bibant, immutet in melius, oſtendens, inquit. ὦ πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέστατε Διόνυσε, καὶ σοφώτατε, ὡς ἡδύς τις εἶ Ὅτι ταπεινὸν, μέγα φρονεῖν ποιεῖς μόνος: Τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾶν: Τόν δ' ἀσθενῆ, τολμᾶν τι: τὸν δειλὸν, θρασύν. Cum igitur dicat vinum impellere vt rideat, eum qui antea ſuſtuliſſet ſupercilia, a contrario quod dixi, oſtendere voluit. Auctor etiam laſciui illius carminis, quod poſitum eſt initio luſuum in cuſtodem hortorum, contractum ſupercilium iocans, ſeueritatis indicium eſſe putauit.

Vocabulum, quo vocamus loca vbi condimus corpora mortuorum & Graecum eſſe, & in conſuetudine veterum fuiſſe, quamuis aliam rem tunc ſignificarit.

CAP. II.

QVOD in patrium noſtrum ſermonem irrepſit κοιμητήριον, Graecum vocabulum eſſe conſtat: non in vſu autem ſolum illud inferioris aetatis Graecorum fuit: nec a ſcriptoribus tantum noſtris ſacris initiatis, vnde nunc profectum huc videtur, verum etiam a priſcis auctoribus vſurpatum eſt. Hoc autem teſtimonio Doſiadis e quarto libro τῶν κρητικῶν verum eſſe cognoſcitur: Cuius multa ad cenas eius gentis publicas pertinentia apud Athenaeum in iiij. itidem libro leguntur. In illis autem haec. εἰσὶ δὲ πανταχοῦ κατὰ τὴν κρήτην οἶκοι δύο τοῖς συσσιτίοις: ὧν τὸν μὲν, καλοῦσιν ἀνδρεῖον: Τὸν δ' ἄλλον, οὗ τοὺς ξένους κοιμίζουσι, κοιμητήριον προσαγορεύουσι. Tradit igitur, cum in omnibus oppidis Cretae aedes duae publicae ſint, in quibus communes illae cenae darentur, alterum eorum aedificiorum ἀνδρεῖον vocatum: alterum vero, quod peregrinis, vt quietem ibi caperent dormirentque, aſſignabant, κοιμητήριον appellatum. Loquutus autem eſt ille de vero ſomno: cum Chriſtiani homines pro loco, in quo μεταφορικῶς ſomnus capitur, acceperint: perpetuum enim ſoporem ob ſimilitudinem, mortemque, conterendae rei cauſa, ſomnum vocabant: eoſque qui ſepulti forent, dormire dicebant. Vnde poſtea loca mortuis dicata, & vbi humi corpora ſepeliuntur, κοιμητήρια vocarunt.

Aliter capere T. Liuium hoc vocabulum concubium, quam M. Varro: veteriſque ſcriptores faciant, demonſtratum.

CAP. III.

M. VARRO concubium videtur accepiſſe mediam noctem, aut certe partem ipſius valde remotam a veſpere, cum omnes fere mortales requieſcunt ac cubant: inde enim appellatum vult. In vj. libro de lingua Latina. Inter veſperuginem & iubar dicta nox intempeſta, vt in Bruto Accij, quod dicebat Lucretia. Nocte intempeſta noſtram de-

ucnit

uenit domum. Intempeſtam Accius dicebat, cum tempus agendi eſt nullum: quod alij conticinium appellarunt, quod omnes ferè tunc cubarent. Praeterea in vij. In Trinummo: Concubium ſit noctis prius quam poſtremum perueneris, Concubium a concubitu, dormiendi cauſa dictum. Tu vero Liuius concubiam noctem vocauit, vt opinor, cum contenebrauit. In xxv. enim libro ab Vrbe condita, vbi quomodo Tarentum in Annibalis poteſtatem venerit, narrat, inquit. Annibal concubia nocte mouit: dux Philomenes erat, cum ſolito captae venationis onere. Nam ita illum cepiſſe hoc nomen, declarat Polybij locus, qui legitur in excerptis octaui libri hiſtoriarum. Accurate autem in primis ac ſubtiliter prudens ille ſcriptor hanc defectionem Tarentinorum commemorauit: quae tota illic conſeruata eſt. Nam quod huc facit, eſt. Ταῦτ' εἰπὼν, καὶ διχῆ τοὺς ὁρμήσας, ἄρτι λήγοντος τῆς πρωτοπορείας, κρύψας τε ἄρτι νενημένον, σπουδάζων συνάψαι τῷ τείχει περὶ μέσας νύκτας, καθηγεμόνα τὸν Φιλήμενον ἔχων, καὶ παρεσκευασμένος σὺν ἄγριον αὐτῷ πρὸς τὴν διαπράξασθαι χρείαν. Cum igitur Annibal cum proditoribus conſtitutum habuiſſet, ſe media nocte moenibus vrbis appropinquaturum, Tarentoque abeſſet xv. ferme milium ſpatio (ita enim Liuius reddidit, quod apud Graecum eſt interuallum loci ἱκανὸν εἴκοσι σταδίους) feſtinaris neceſſe eſt: non multoque poſt occaſum Solis, vt occultum agmen eſſet, mouerit. verbum autem, quo vſus eſt Graecus auctor, veſperuginem ſignificat: quod & vi nominis explicata, & teſtimoniis veterum, intelligitur: dictum enim κνέφας grammatici volunt, quod luce careat terra. Homerus quoque in primo Iliadis hoc oſtendit ita canens. ἦμος δ' ἠέλιος κατέδυ καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθε: & in extremo etiam eiuſdem operis. Δὴ τότε καὶ ἐπὶ κνέφας ἤλυθε γαῖαν.

Terentij locus examinatus, quo ſerui ebrietas accuſatur: ſimiliſque illi ſententia a Demoſthene prolata oſtenditur.

CAP. IIII.

Apvd Terentium in Adelphis triſtis ſenex Demea his verbis increpat Syrum temulentum: multiſque modis culpam ipſius auget. In ipſa turba, atque in peccato maximo, Quod vix ſedatum ſatis eſt, potaſti, ſcelus: Quaſi re bene geſta. Cum enim ſeruo homini flagitium ſit vino indulgere, in ſecundis tamen dominorum rebus conceditur illis quoque vt largius bibant: tali autem tempore, & cum domus in qua ſeruiunt, aliquo infortunio laborat, non poteſt ferri tanta ipſorum licentia. Vera igitur eſt haec omnis caſtigatio: niſi quod ad ebrium directa, inanis eſſe intelligitur. quare potius conuenit ſtomacho dicentis, qui eo modo, quo potuit, indignitatem rei exagitauit, quam fructum vllum ferre potuerit, aut corrigere mores peccantis. In oratione autem Demoſthenis in Xenothemin, improbitas illius ipſius eodem modo oſtenditur, qui in malis rebus, procellaque ingenti rerum ſuarum, ſe vino ingurgitarat: vnde nullum ſupplicium excogitari poſſe affirmat, quod ſuperet peccatum ipſius. Verba oratoris haec ſunt. ὁ γὰρ ἐν κακοῖς καὶ χειμῶνι τοσούτῳ οἶνον ἐμπίνων, ἀεὶ ὅμοιον ποιεῖ μανίᾳ, τί οὐκ ἄξιος ἂν παθεῖν; Vim autem ingentem vini, quam abſumpſerat, declarare volens Demoſthenes, addit illum, non inſanum tantum inde factum eſſe, ſed inſaniae ipſi, furorique, ſimilem.

Cum ſubtiliter Cicero vocem Apollinis interpretatus ſit, ac contraria quam ceteri ratione, declaratur eodem ſenſu illam cepiſſe Xenophontem.

CAP. V.

M. Cicero in puſilla epiſtola, qua Q. fratrem hortatus eſt ad tragoedias ſcribendas, cognita facultate ipſius, grande illud poëma pangendi, Pythij Apollinis vocem ſubtiliter interpretatus eſt, qua praecepit, vt mortales ſe ipſos cognoſcerent. Cum enim putaretur ad ſpiritus frangendos, erroremque multorum diſcutiendum id dictum eſſe, maiora onera ſuſcipientium quam ferre poſſent, docuit etiam id valere ad animum nobis addendum: ſuadendumque ne viribus noſtris diffidamus. Verba ipſius haec ſunt. Cellatorem eſſe noli: & illud γνῶθι σαυτόν, noli putare ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum: verum etiam, vt bona noſtra norimus. Sumpſiſſe autem videtur hoc Cicero a Xenophonte: nam ipſe quoque eodem modo accepit, cum in iij. libro ἀπομνημονευμάτων diſputationem accuratam Socratis cum Charmide commemorauit. Cum enim Charmides, Glauconis filius, vir eſſet magni pretij: multoque magis factus ad remp. adminiſtrandam, quam qui tunc illi incumbebant: timeret autem in concionem aſcendere, aliquodque publicum negotium attingere, poſt longum accuratumque ſermonem, quo illi perſuadere conatus eſt, vt

accederet ad rempublicam, conſilioque ciues iuuaret, eadem illa ratione vſus eſt: ſuaſitque, vt ſe ipſum vireſque ſuas, quae firmae validaeque erant, cognoſceret: illis enim exploratis futurum, vt pulſo metu illo capeſſeret remp. atque ita vniuerſae ciuitati prodeſſet. nec tamen illic Socrates verba ipſa Apollinis poſuit: ſed manifeſto ad oraculum illud reſpexit. Totus locus Xenophontis hic eſt, ὦ ἀγαθὲ μὴ ἀγνόει σεαυτόν: μηδὲ ἁμάρτανε, ἃ οἱ πλεῖστοι ἁμαρτάνουσιν: οἱ γὰρ πολλοὶ ὡρμηκότες ἐπὶ τὸ σκοπεῖν τὰ τῶν ἄλλων πράγματα, οὐ τρέπονται ἐπὶ τὸ ἑαυτοὺς ἐξετάζειν. μὴ οὖν ἀποῤῥαθύμει τούτου, ἀλλὰ διατείνου μᾶλλον πρὸς τὸ σαυτῷ προσέχειν. Nam hoc ipſum, μὴ ἀποῤῥαθύμει, videtur eleganter expreſſiſſe Cicero, cum inquit. ceſſator eſſe noli.

Quod Latini optimi auctores, fricare frontem dixerunt, Graecos τρίψαι μέτωπον appellaſſe: idemque geſtum vtramque nota hac indicari exiſtimaſſe.

CAP. VI.

QVOD Licinius Caluus in Vatinium inquit, omni impetu orationis ſuae in eum conuerſo, Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui Praetor fieres, quam Catonem (locus autem adductus eſt a Quintiliano in ix. libro) & Cicero in iij. Tuſculanarum quaeſtionum. Quid tergiuerſamur Epicure: nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuiſti, ſoles dicere, e Graecorum ſermone acceptum videtur: illi enim τρίψαι μέτωπον dicere ſolent, cum abiicere verecundiam, & omnem partem pudoris conterere, ſignificare volunt, vt Athenaeus in v. libro de impuro & conſcelerato viro Athenione loquens: qui e philoſopho tyrannus euaſit, ac plebis fauore regnum Athenis occupauit. Μικρὸν δ' ἐπισχὼν ἐπὶ τούτοις, καὶ ἐάσας τοὺς πολλοὺς συλλαλῆσαι περὶ τῶν παραδόξως παρηγγελμένων, τρίψας τὸ μέτωπον, τί οὖν εἴπω & quae ſequuntur. quamuis enim antea quoque falſo nonnulla dixiſſet, nondum tamen omnem impudentiam effuderat. & Strabo in xiij. libro παραγραφομένων, cum licentiam quorundam accuſaret in Homeri loco immutando, audacterque interpretando: inquit enim. ἐχρῆν γὰρ καὶ τοῦτο πλάσαι, παρατετριμμένους τὸ μέτωπον, καὶ μὴ χωλὸν ἐᾶν, ἕτοιμον πρὸς ἔλεγχον, ἅπαξ ἤδη ἀποτετολμηκότας. in eandem paene ſententiam incurrens, quam Cicero ad Lucceium protulit: quaſi oporteat eos, qui ſemel verecundiae fines tranſierint, bene & nauiter eſſe impudentes. Eius autem loci mentionem fecit Euſtathius: qui etiam ortum huius ſermonis interpretari voluit: nec tamen explicare vere, niſi fallor, potuit: ſed in eius fonte inueſtigando magnopere aberrauit, & ſi elegantiam vrbanitatemque Strabonis cognouit. Inquit enim. Ταῦτα πάντα ὁ τῷ παραγράφῳ κεῖται. ὃς καὶ ἀντιλέγει γενναίως πρὸς αὐτά. καὶ ποῦ ἀστεϊζόμενος ὡς δῆθεν ἦν ἕν, καὶ ἀλλότι συμπλασθῆναι ὑπὸ τῶν ψευδοϊστορούντων λέγει ὡς ἐχρῆν καὶ τόδε συμπλάσαι, παρατετριμμένους τὸ μέτωπον, οὓς ἅπαξ ἤδη ἀποτετολμηκότας. τοῦτο δὲ εἶπε, διὰ τὸ εἰώθεναι τοὺς ψευδομένους ἄτε χρηματίζοντας τὰ πολλὰ ὡς δῆθεν περικαλυπτομένους αἰδουμένως. Cum autem declaratum his exemplis ſit, Latinorum, & Graecorum auctorum, valere fricare frontem, ſiue os, impudenter ſe gerere in aliquo negotio, videtur caput fricare longe aliud oſtendere: neque enim pudor illic manet; vt exiſtimatur habere ſuam propriamque ſedem, frontem ipſam: caput enim potius fricamus cum haeremus animo in aliqua re: dubitamuſque quid faciendum nobis ſit. quomodo ſane videtur locutus Cicero in nobili illa προσωποποιΐᾳ, qua inducit L. Piſonem reprehendentem C. Caeſarem generum, cupidum triumphi: ad extremum enim inquit. Quas rationes ſi cognotis, intelliges nemini plus quam mihi litteras profuiſſe: ita enim ſunt perſcriptae ſcite & litterate, vt ſcriba ad aerarium qui eas rettulit, perſcriptis rationibus, ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans, commurmuratus ſit. Hoc enim geſtu corporis, quo Piſo narrat ſcribam vſum, videtur iudicari perturbatum illum vehementer: incertique animi fuiſſe. Quare videndum accurate an idem Aeſchines ſignificare voluerit in oratione, qua inſimulauit eos, qui ſe in legatione ad Philippum improbe geſſerant, & migrauerant officium legatorum, περὶ παραπρεσβείας Graeci id iudicium vocant: ait igitur. ἐφ' ἅπασι δ' ὑμῖν ἀνίσταται τελευταῖος Δημοσθένης, καὶ περιτετραμμένος, ὥσπερ εἰώθει, τῷ σχήματι, καὶ τρίψας τὴν κεφαλήν, ὁρῶν ἐπισεσημασμένον τὸν δῆμον, καὶ ἀποδεγμένον τοὺς παρ' ἐμοῦ λόγους, ἀμφοτέρων ἔφη θαυμάζειν, καὶ τῶν ἀκουσάντων, καὶ τῶν πρεσβευσάντων, & quae ſequuntur: hic enim quoque videtur ſollicitudinem animi, moleſtiamque nota hac indicare,

Militiam requirere valde dura corpora: tolerandiſque laboribus, atque omnibus iniuriis caeli, exercitata.

CAP. VII.

QVAM dura vetus militia fuerit, expouit elegans carmen, quod nunc, Virgilij nomine excuſum, legitur poſt luſus in cuſtodem hortorum. nam corpus firmum ad labores, iniuriaſque caeli tolerandas, habere milites oportere, cecinit quicumque auctor fuit eius fractae diuulſaeque elegiae, his verbis. „ Immoderata pati nunc „ frigora: nuncque calores Sternere vel dura poſſe ſuper ſilice. Aſper autem homo, idemque ſummus imperator, apud Salluſtium idem de ſe magnifice praedicauit in contione ad „ Quirites: haec enim verba illic a Mario eduntur. Hiemem & aeſtatem iuxta pati: humi „ requieſcere. quae ſententia eſt nulla. diſcrepans, duorum horum verſuum. Eodem etiam loco poſitum eſt vetus aliud carmen, maledictorum plenum. quod vt iracundiae laxat habenas: effunditque omne virus in aduerſarium, qui prius laeſerat, ita elegans eo in genere eſt: oletque ingenuam eruditionem. In eius initio, abrupto ac concitato, eadem ſententia eſt: incipit enim,

„ Iacere me, quod alta non poſſim putas,
„ Vt ante, vectari freta;
„ Nec ferre durum frigus, aut aeſtum pati,
„ Nec arma victoris ſequi.

Plato in iij. libro de Rep. cum durari ad labores corpora perfectae illius Reſp. defenſorum velit, hanc eius rei cauſam attulit, quod cum tempus veniſſet belli gerendi, haec incommoda neceſſario ferenda ſint: inexercitati autem & molles illis tolerandis pares non forent. Verba di„ uiniſſimi ſcriptoris haec ſunt. Καὶ πολλὰς μεταβολὰς ἐν ταῖς στρατιαῖς μεταβάλλοντας: ὑδάτων τε „ καὶ τῶν ἄλλων σίτων, καὶ εἱλήσεων καὶ χειμώνων, μὴ ἀκροσφαλεῖς εἶναι πρὸς ὑγίειαν,

Videri Sophoclem in Trachiniis Herculi tribuere haſtam quoque, non arcum modo ac clauam, vt ceteri poëtae faciunt.

CAP. VIII.

IN Trachiniis Sophocles, non arcum modo & clauam, propria ſuaque ipſius arma, Herculi tribuit, ſed armare etiam ipſum videtur lancea: quod ab aliis ſcriptoribus, quod ſciam, memoriae proditum non eſt. Homerus enim cum in xj. libro Odyſſeae de vmbra ipſius apud inferos cognita ab Vlyſſe, loquitur, „ inquit. Ὁ δ' ἐρεμνῇ νυκτὶ ἐοικὼς Γυμνὸν τόξον ἔχων, καὶ ἐπὶ νευρῆφιν ὀϊστὸν Δεινὸν παπ„ταίνων, αἰεὶ βαλέοντι ἐοικώς. Verba vero haec tragici poëtae ipſius ſunt, pronuntiata il„ lic a choro, ὁ δὲ Βακχίας ἄπο ἦλθε παλίντονα Θήβας τόξα, καὶ λόγχας, ῥόπαλόν τε τινάσσων, παῖς Διός. quibus appellantur & arcus & ſpicula & claua. Suſpicari tamen poſſet aliquis vocatas eo loco a Sophocle λόγχας ſagittas ipſas, quas ὀϊστοὺς plerumque poëtae ſermone illo vocare conſuerunt: praeſertim cum eo nomine videantur pro alio etiam genere armorum aliquando vſi, vt pro gladio.

Inſtitutum veterum illorum declaratum, qui pueros in dorſum arietum imponebant: vt illic ſine periculo rudimenta equeſtris artis perdiſcerent.

CAP. IX.

NOBILES ac fortunati pueri, priſcis temporibus, impoſiti arietibus primum equitare diſcebant, vt artem neceſſariam ſibi: quae tamen periculi multum rudibus afferret, ſi in equis tractaretur, illo pacto attingerent ac deguſtarent. Id autem veteres grammatici putarant ſignificare etiam potuiſſe Homerum, cum ἐπιβώτορι μήλων, cecinit in xiij. libro Odyſſeae. nam aliae quoque declarationes eius nominis afferuntur. Locus autem eſt cum Vlyſſi, in Ithacam depoſito ab Phaeacibus, apparuit Minerua, quae ipſum regeret: vt erat illi ſemper praeſto in maximis periculis ac malis. ſpeciem enim corporis, veſtitumque ipſius deſcribens poëta, teneroque puero ſimilem faciens: quales regum filij, opulentorumque hominum eſſe conſuerunt, id protu„ lit: ſed plenam ſententiam hic ponam. σχεδόθεν δέ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη Ἀνδρὶ δέμας ἐϊκυῖα νέῳ ἐπιβώ„τορι μήλων Παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν. Euſtathius autem idem vidit. nam paſtorem ouium

ouium accipit, docens heroum aetate ſolitos eſſe regios liberos greges paſcere: Apud Heſychium autem id legitur: qui cum & ipſe oſtendiſſet, paſtorem magiſtrumque pecoris poſſe illo verbo intelligi, hoc quoque addidit, dicens. ὁ ἰσχνοπασάγει ἡ εἰ γῆ τὴν βασιλείαν καὶ πρῶτον τὴν κριῶν ἐπιτελεῖν ἐμάνθανον.

Valere in Graeco ſermone, περιβόητον εἶναι, qui peruenit in ora vulgi qualibet de cauſa: ſiue ob honeſta facta: ſiue ob turpia. Viderique Veronenſem poëtam id intellexiſſe, cum minatur riuali.

CAP. X.

CATVLLVS riualem cupiens abſterrere a ſuis amoribus: armis illis ſe vſurum contra ipſum minatur, quae tractare in primis ac vibrare ſciebat: illa autem erant iambi, improborum ſceleribus notandis, ac per omnium ora diſſeminandis, inuentum carmen. Oſtendit igitur ſe illum infamia obruturum, atque inquit. An vt peruenias in ora vulgi? Quid via, qualibet eſſe notus optas. Quibus verbis videtur id intellexiſſe, quod περιβόητος Graeci ſaepe dicunt. Nam puriſſimi ſermonis amator Lyſias ita locutus eſt, cum manifeſto id oſtendere vellet: in apologia enim aduerſus Simonem, cui oratio ſcripta eſt, ſignificat ſe verberibus caeſum, tantaque iniuria accepta ſiluiſſe: nec iudicio expertum de ipſa eſſe, ne perueniret in ora vulgi: tantaque ipſius turpitudo palam fieret: haec autem ipſius verba. καὶ τότε μὲν ἄρα, ἵνα μὴ περιβόητος ὤν, αἰσχυνόμην. Et poſt, qui locus magis ſimilis eſt Catulliano huic. ἐπειδὴ δὲ χρόνος ἐγένετο πάλιν ὡς οὗτός φησιν, ἐπιλήμψομαι περιβόητος γενέσθαι. Demoſthenes quoque pro Cteſiphonte Graecum hoc verbum in deteriorem partem accipit: loquens enim de turpi & peruulgata coitione multorum perditorum hominum in ſingulis paene Graeciae ciuitatibus inquit. Ταύτης τοίνυν, τῆς οὕτως αἰσχρᾶς καὶ περιβοήτου συστάσεως καὶ κακίας, & quae ſequuntur. eſt igitur τῶν μέσων hoc vocabulum: ita enim Graeci, quae nunc laudem: nunc vitium oſtendunt, verba vocare conſuerunt: vt nobilis.

Idem valere fingere vultum, quod πλάττεσθαι τρόπον, teſtimoniis optimorum auctorum confirmatur.

CAP. XI.

QVOD fingere vultum, aut inceſſum, aut mores, Cicero inquit, Graeci auctores & ipſi πλάττεσθαι dicere conſuerunt. Valet autem id in vtroque ſermone, ſua illa re propriaque non vti, ſed alienam induere, & ad tempus ſibi accommodare. Elegans in primis ſcriptor, atque Attici ſermonis tamquam norma quaedam Lyſias in oratione ſuper Ariſtophanis pecunia πρὸς δημόσιον, ſic locutus eſt. ἐνθυμεῖσθαι δὲ ὅτι ἐνῆν μὲν χείρω φύντα ἀντιπλάσασθαι τρόπον τὸν αὑτοῦ· οὐ ἑβδομήκοντα δὲ ἔτεσιν οὐδ᾽ ἂν εἷς λάθοι, ἀμήχανον. non diuturnam eſſe poſſe affirmans hanc alienae perſonae ſimulationem. Cicero manifeſto hoc intellexit, cum pro Coelio dicens, de ingenio Catilinae & quanto artificio ille captaret voluntates hominum, diſputauit: ait enim. Verſare ſuam naturam, & regere ad tempus, atque huc & illuc torquere & flectere. cum triſtibus, ſeuere: cum remiſſis, iucunde: cum ſenibus, grauiter: cum iuuentute, comiter: cum facinoroſis, audacter: cum libidinoſis, luxurioſe viuere. Nam propius adhuc acceſſit ad ſententiam Lyſiae cum in ij. libro epiſtolarum ad Atticum exclamauit. Quam non eſt facilis virtus: quam vero difficilis eius diuturna ſimulatio. Quaeſiuit autem Ariſtoteles in poſteriore eorum librorum, qui ἠθικὰ μεγάλα vocantur, an id, quod Cicero tribuit Catilinae: in congreſſibus ſcilicet par vnicuique reddere, ac quibus moribus quiſque praeditus ſit, tali ſe in colloquio illo congreſſuque conformato, obſequi ſtudiis illius, ſit officium boni viri: ſtatim tamen id diſſoluit, atque omnem hunc ſcrupulum euellit: affirmans id eſſe proprium aſſentatoris, & eius qui placere omnibus, quauis ratione ſtudeat, quem Graeci ἄρεσκον appellant.

Qui vocati ſint comici ſtulti ſenes a Caecilio: locique duo emendati Ciceronis; alter, in Catone maiore: alter, in Laelio.

CAP. XII.

IN verbis his Ciceronis ex Catone maiore. Nam quos ait Caecilius comicus ſtultos ſenes, hos ſignificat credulos, obliuioſos, videtur eſſe mendum. Si namque ſtultos tantum ſenes dixit Caecilius, quid opus fuit declaratione? inanis praeterea & ſuper-

uacanea eſſet vox, quae ſtudium Caecilij indicat: apertum enim tunc ſatis erat omnibus, Caecilium poëtam comicum eſſe: nec ita Cicero loqui conſueuit vt dicat, Terentius comicus, aut Afranius comicus, ſiue Pacuuius tragicus, cum teſtimonia eorum citat. Arbitror igitur, vna tantum littera immutata, quae immutatio caſum ſolum variat, comicos legi debere: quos comicos ſtultos ſenea interpretatus Cicero eſt, & quales accipi debeant, docuit. Comicos ipſe opinor valere, quales a comicis in fabulis inducuntur: ſtultos vero, quia fingi etiam poſſunt ſapientes. In comoediis autem ſaepe ita ſtolidi finguntur, vt exemplum ſtultitiae ſint: qualis eſt Nicobulus ille Plautinus in Bacchidibus, confirmat autem opinionem meam, atque omnem ſcrupulum euellit, locus ipſe Caecilij, qui integer, non vt hic mancus, ponitur a Cicerone in Laelio: haec enim verba illic leguntur, Quid autem turpius quam illudi? quod ne accidat, magis cauendum eſt, vt in Epicureo. Hodie me ante omnes comicos ſtultos ſenea Vetlaris, atque luſeris lautiſſime. Quod enim illic in excuſis libris coamicos legitur, manifeſto corruptum eſt: nec enim verbum illud Latinum eſt: neque ſenſus eius, ſi in conſuetudine fuiſſet, illic quadrat. Vidi quoque calamo ſcriptos libros in quibus comicos recte legeretur. Videndum autem accurate eſt, an κωμικὸς μάρτυς, quod dictum eſt a Cicerone in epiſtola ad M. Caelium, idem valeat. ideſt qualis in comoedia inducitur, ideſt ſubitus atque opportunus; tales enim illic inducuntur, vt cum res poſtulat alicuius teſtimonium, repente ipſe appareat, praeſtoque ſit tempori illi. Eadem quoque ratione videntur ſerui comici vocati a Plauto in Captiuis, cum Ergaſilum paraſitum ita induxit loquentem: Nunc certa res eſt: eodem pacto vt comici ſerui ſolent Coniiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem vt audiat. Nec non a Pomponio in Praecone poſteriore: haec enim ipſius verba, inde ſumpta, exempli loco ponuntur a Nonio. Si ſciam quid velis, quaſi ſerui comici commictilis. Afranius etiam, cuius teſtimonium ab eodem grammatico citatur, videtur idem ſecutus: a locoque, in quo fabulae ipſae ſpectantur, formato nomine, appellaſſe mulieres ſcenicas. Inquit enim. Quam beatae ſcenicae videntur mihi mulieres, Quae iurgio & beneuolentia terrent deſubito viros.

Quae vis ſit huius verbi Circulari: quo vſus eſt C. Caeſar in Commentariis: declaratumque κύκλους etiam, Graecos appellare ſolitos, hominum quaſdam coagmentationes.

CAP: XIII.

CIRCVLARI quid valeat C. Caeſari in primo commentario de bello ciuili diligenter animaduertendum. inquit autem. Totis vero caſtris milites circulari, & dolere hoſtem ex manibus dimitti: bellum neceſſario longius duci. Haec enim vera integraque lectio eſt huius loci: in ſcriptis namque omnibus & excuſis multis inuenitur: neque tamen defuerunt, qui verbum hoc inde extruſerint: proque illo conturbari, poſuerint: improbe ſane atque audacter. Ipſe igitur arbitror ſignificare circulos quoſdam efficere, vt re aliqua noua viſa aut audita, homines facere conſuerunt, ac multitudo ipſa: paucorum enim congreſſui aliquis ſemper, audiendi cupidi, ſe adplicant: atque ita inter ſe coagmentantur, vt circuli faciem praebeant. ita autem nos quoque patrio noſtro ſermone, ex re ipſa ducto nomine, loquimur, cum huiuſmodi coagmentationes hominum ſignificamus. aliquando tamen ὑποκυκλικῶς verbo, quo circulum vocamus, vtimur, cum minores ſcilicet crebrioreſque circulos illos intelligimus. Idem autem apud Euripidem in Andromacha κύκλοις valet: quo loco nuntius Peleo exponit Oreſtis dolum, inſidiaſque, Delphis Neoptolemo factas, iterum ad oraculum Apollinis profecto: narrat enim reditum ipſius ſtatim ſuſpectum fuiſſe incolis eius loci: coepiſſeque illos inter ſe loqui de hac re & circulari: additis autem doloſis rumoribus, quos inſenſus Neoptolemo Oreſtes: interitumque ipſius procurans, diſſeminauit, nullum negotium fuiſſe populum concitare, & ad necem innocentis iuuenis impellere. verba poëtae haec ſunt. εἰς δὲ συστάσεις κύκλους τ' ἐχώρει λαὸς οἰκήτωρ θεοῦ. Cicero quoque in Bruto cum inquit. Videt oſcitantem iudicem: loquentem cum altero: nonnumquam etiam circulantem, vt eodem verbo vſus eſt, ita etiam hoc ipſum, quod oſtendi, videtur ſignificaſſe. declaratur enim omnibus illis rebus negligentia iudicis: nam cum attente audiunt, nihil eorum faciunt. extremum autem non vnius, aut alterius auerſum animum ab oratore indicat, ſed plurium. Reſtat videre (nihil enim praetermittere volo, quod poſſit ſtudioſos politioris huius doctrinae adiuuare) quem iudiciorum morem, ferendique ſententias rationem oſtendant haec verba Ciceronis in epiſtola ad Q. fratrem: in vocabulo enim vnde ſuperius verbum conformatum eſt, tota res poſita eſt. Quid plura de iudicibus? duo praetorij ſederunt, Domitius Caluinus. is aperte abſoluit, vt omnes viderent: & Cato, is diribitis tabellis de circulo ſe ſubduxit, & Pompeio primus nuntiauit. Nam illo ipſo ſenſu, quo docui,

quandoque

» quandoque eum cepiſſe, declaratur verbis his ex epiſtola ad Atticum. Sermo in circulis dun» taxat & in conuiuiis eſt liberior.

Valere καταπιττοῦν nunc pice illita pilos e corpore euellere: nunc torquere, ac quaeſtionem de aliquo habere, exemplis confirmatur: eadem materia valde diuerſis rebus accommodata.

CAP. XIIII.

ΠΙΤΤΟΥΝ Graecis aliquando artificium quoddam turpe ſignificat improborum hominum, qui pice illita pilos detergebant e partibus corporis, quas natura veſtitas eſſe voluit: a materia enim, qua vterentur in foedo miniſterio ſtudium illorum appellatur. Vſus eſt ſaepe Clemens Alexandrinus hoc verbo in iij. libro Paedagogi, vbi tam molle delicatumque inſtitutum accuſat: queriturque de moribus ſui temporis, quibus nefaria haec Venus flagraret: inueniretur que tanta copia cinaedorum, vt extarent, qui hoc vnum ſtudium haberent. Inquit enim capite iij. quo increpat viros cultui corporis ſtudentes. » διὰ τούτους χεῖν πλήρεις αἱ πόλεις πιττούντων, ξυρούντων, παρατιλλόντων τοὺς θηλυδρίας τούτους. diuerſis namque rationibus ac viis idem, vt his verbis oſtenditur, efficiebatur. Paulo item poſt, οἱ » σφᾶς καταπιττοῦσιν καὶ τὰς τρίχας τὰς ἀναγκαίας πάντα τρόπον παρατίλλουσιν. Alibi quoque inquit. ἄνδρας » ἰτέρας ἰδεῖν κινοῦντας ἐνθάδε πολλοὺς ἐν ἄστει πεπιττωμένους. Quibus omnibus locis, aliiſque eiuſdem operis, idem ſignificatur. Animaduertendum tamen veteres Graecos auctores eodem verbo longe alio intellectu ſaepe vſos: pice enim quoque torquebant corpora hominum. vnde καταπιττοῦν valebat cruciatu illo & ſupplicio afficere. id etiam intellexit Lucretius cum paenas » mortalium, tormentaque breui exponens, inquit. Verbera, carnifices, robur, pix, lumina, tedae. Nec non Plautus in Captiuis, cum induxit Ariſtophontem, refellentem aſtutam vocem » ſerui, qui dixerat in eum: Atra bilis agitat hominem: ait enim; At pol te, ſi hic ſapiat ſenex, Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat. Plato igitur in Gorgia, cum Polum ſophiſtam induceret contra incredibilem illam ſententiam Socratis diſputantem, qui affirmabat praeſtare te aliqua iniuſta commiſſa paenas luere quam euitare: inquit enim. Κἂν ἀδί» κως ἄνθρωπος ληφθῇ τυραννίδι ἐπιβουλεύων, καὶ ληφθεὶς στρεβλῶται, καὶ ἐκτέμνηται. καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκάη» ται, καὶ ἄλλας πολλὰς καὶ μεγάλας καὶ παντοδαπὰς λώβας αὐτός τε λωβηθεὶς, καὶ τοὺς αὐτοῦ ἐπιδὼν παῖδάς τε » καὶ γυναῖκα, τὸ ἔσχατον ἀνασταυρωθῇ ἢ καταπιττωθῇ, οὗτος εὐδαίμων ἔσται. Heraclides item Ponticus, cum de diſcordiis Mileſiorum, inteſtiniſque malis eius ciuitatis loqueretur, ita locutus eſt. Narrans enim quam male diuites tractaſſent plebem, vt vlciſcerentur dolorem ſuum, victo» riam adepti de illa, inquit. Τοῦ μὲν τοι πάλιν οἱ πλούσιοι κρατήσαντες, ἅπαντας, ὧν κύριοι κατέστησαν, » μετὰ τῶν τέκνων κατεπίττωσαν. ἐν κωμῳδίαις φασὶν ἄλλα τε πολλὰ ποιοῦντας πέρατα: & quae ſequuntur: » & Ariſtophanes in fabula, quam vocauit ἐκκλησιαζούσας. κἀνθάδε κατεχρίσατο τὰς ἄνω δαφνίδας. Ὅτι » δ' ἦν ἀνασεσυρμένους ἐφαίνετο. Ὁ δ' ἐξ Κέρινθος καὶ τὸ πρᾶγμ' οὐκ ᾔσθετο. Ῥᾶον καταπίττη τὰς ἄνω δαφνίδας: Luſit enim a diuerſa materia conformato verbo: longeque contrarios vſus praebente. Iterum etiam poſt in eadem comoedia illo vſus eſt.

Duae ſententiae Aeneidis e Graeco expreſſae oſtenduntur.

CAP. XV.

QVOD Maro in primo Aeneidos cecinit, cum ſeditionem deſcriberet: motumque il» lum populi turbulentiſſimum ante oculos eorum, qui audiunt, poneret. » Furor ar» ma miniſtrat. & ipſum e Graeco ſermone fluxit: haec enim verba a vetere ſcriptore » prolata, leguntur apud interpretem Homeri Euſtathium pluribus locis. τὸ παρατυχὸν ὅπλον » ἐστὶν ἀχθομένου θυμοῦ. Verum etiam idem in tragoedia verbis aliis dictum fuerat, vt Baſilius, pius auctor, teſtatur: qui tamen ſimpliciter hoc prolatum non probat: ac correctione putat indigere. id autem niſi primus pes deeſſet, integro ſenario editum foret. Abſoluta autem ſententia its illic pronuntiata fuerat. » ἐπ' ἐχθροῖς θυμὸς ὅπλον χερί. Nam quod in ij. » a Coroebo pronuntiari fecit » dolus an virtus quis in hoſte requirat, non diſſimile eſt ab eo, quod praecipit Pindarus in iiij. ode Iſthmiorum: nulli enim rei parcere nos oportere dicit, vt conteramus hoſtem, gloriamque eius extinguamus. verba eius poëtae haec ſunt. χρὴ δὲ » πᾶν ἔρδοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν.

Exemplum obſcurius Ariſtotelis illuſtratum in primo libro de arte poëtarum: quo loco, quae ſint ſigna innata, declarat.

CAP. XVI.

IN primo libro de arte poëtarum Ariſtoteles, quo loco quomodo agnoſcantur perſonae, quae diu nos feſellerint, tradit: pluraque genera cognitionum harum eſſe docet, cum primam rationem huius rei eſſe dicat: eandem tamen maxime expertem artis, quae ſignis quibuſdam conſtat: ac ſigna ipſa partiatur, affirmans quaſdam notas innatas eſſe nobis: inſitaſque in corpore ſtatim ab ortu: alias vero aſſumptas, priorum illarum exempla ponens, inquit. „ οἷον λόγχην, ἣν φοροῦσι γηγενεῖς: ἢ ἀστέρας, οἵας „ ἐν Θυέστῃ Καρκίνος. quod ad prius igitur pertinet, ſignificauit, γηγενεῖς dicens, terra natos, qui dentibus ſerpentis, a Cadmo diſſeminatis, e tellure procreati ſunt: in eorum enim corpore lanceae nota erat: cuius etiam formam, qui in illa familia poſtea nati ſunt, corpore retinuere: perdurante multa ſecula nota illa eius ſtirpis. Teſtatur hoc Plutarchus in libro, in quo diſputauit de his, qui ſera lentaque poena afficiuntur a diis immortalibus. Cum enim oſtendere vellet mores aliquos: mutuaque animorum, tectos atque extinctos in filiis, longo poſtea interuallo in nepotibus poſteriſque, remotis multum ab illis, quandoque reuiuiſcere, vſus eſt ſimilibus notarum corporis: in quibus id vſu venire vt multis exemplis conſtituit, manifeſtum eſt. In illis autem narrat quendam e filiis Pythonis Niſibei, qui dicebatur ſanguine coniunctus cum Spartis (σπαρτοὺς enim ipſe vocat, quos Ariſtoteles γηγενεῖς) habuiſſe lanceae formam in corpore. tanto tempore poſt erumpente & emergente quaſi e profundo ſimilitudine ad eam familiam. Aeſchylus quoque in fabula ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, σπαρτὸν γένος, gentem eam appellauit, cum de eo itidem, qui inde natus eſſet, loqueretur: hic enim grauis eius „ poëtae verſus eſt. Μιχαρῶς κρείττονος σπέρμα τοῦ σπαρτοῦ γένους. Non tantum autem Plutarchus eo loco exemplum hoc poſuit, ſed etiam alia plura: quibus omnibus docentur hae notae, adfixae in corpore: nobiſcumque ſimul naſcentes, cum tempore aliquo non apparuerint, in poſteris poſtea repente extitiſſe: ceteris tamen relictis verba tantum hic ponam, quibus hoc, de „ quo agimus, explicauit. Τῶν δὲ Πύθωνος τοῦ νισιβέως παίδων, ὃς σύγγενος πέφυκε, λεγομένου τοῖς „ σπαρτοῖς προσήκειν, ἐξενέγκαι λόγχης τύπον ἐν τῷ σώματι. διὰ χρόνων τοσούτων ἀναχθέντας καὶ ἀνα„ δύντας ὥσπερ ἐκ βυθοῦ, τῆς πρὸς τὸ γένος ὁμοιότητος. Idem praeterea Dion Pruſienſis, qui cognomen ab eloquentia inuenit, Chryſoſtomuſque vocatus eſt, accurate exponit in iiij. ſermone de regno, quem fingit Alexandrum eum Diogene habuiſſe: cuius haec ſunt verba. Ἀλλὰ „ τοὺς μὲν ἐν Θήβαις, σπαρτοὺς ποτὲ λεγομένους, σημεῖον λέγεται εἶναι τοῦ γένους, λόγχην τινὰ ἐπὶ τοῦ σώμα„ τος: ὃς δὲ τοῦτο τὸ σημεῖον μὴ ἔχῃ, οὐ δοκεῖ σπαρτὸν εἶναι.

Strabonem reprehendere populos, qui ducibus exercituum peregrinis vtuntur: iiſque vtilitates ſuas ac libertatem mandant. Iudicium itidem Iſocratis de militibus, mercede conductis.

CAP. XVII.

ET grauis & eruditus ſcriptor Strabo magnopere peccare putat populos, qui externis ducibus vtantur in bello: copiaſque ſuas ac totam Remp. fidei eorum committant: vitium namque huius rei iam tum magno cum damno florentiſſimarum nonnullarum ciuitatum cognitum fuerat. Id tamen nunc cotidianum eſt: ab iiſquè etiam rebus publicis fit, quae bene inſtitutae ſunt, ac ſummo conſilio regi exiſtimantur. Graecus igitur ille, cum in vj. libro Geographiae Tarentinos non rexiſſe ciuitatem ſuam ſapienter doceret, affirmauit ſatis etiam certam notam eius eſſe, quod ſcilicet bonis legibus ornatam ciuitatem non habuiſſent, quod vſi fuerant exercituum ſuorum ductoribus, peregrinis viris: quorum etiam partim enumerat, Alexandrum Moloſſum acciuiſſe illos oſtendens contra Meſſapios & Lucanos: & ſuperioribus etiam temporibus Archidamum, Ageſilai filium: poſteaque Cleonymum, & Agathoclem: deinde Pyrrhum, cum ſuſceperunt bellum contra Romanos. Iſocrates quoque ſubtiliter diſputat in libro, quem ſcripſit de Pace, aduerſus milites mercenarios: vitiaque eius militiae monſtrat: qua tamen nunc, non Italiae tantum ciuitates, ſed opulenti reges vtuntur. tantus error occupauit animos principum, ſiue quae alia cauſa ipſos mouet. Vnde maiore laude digni ſunt, qui veterem Graecorum ac Romanorum hominum morem renouare conantur: ſuoſque homines inſtituunt, & in tam praeclaro ſtudio exercent. Cenſet autem oportere ſuos ciues politus ille ſcriptor, & auctor ſatis bonus, arma in primis capere contra externos hos, & qui mercede conducuntur

milites,

milites, cum ſua aetate contra ipſos alerent & multis commodis afficerent: quorum inquit partim ſunt ciuitate orbati: partim transfugae: partim autem, qui ſimilitudine vitiorum in vnum confluxerint. Nam addit etiam, quod multum valet ad eos inſimulandos: ac verum eſſe nimis ſaepe expertum eſt, ſiquis pretium auxerit, maioremque mercedem ipſis dederit, eos ſocios ſe ſtatim illi praebituros contra eum, quem antea auxilio ſuo tegebant.

Vtilem auaritiae refellendae rationem, qua vſus eſt in epiſtola, videri Horatium ſumpſiſſe ab Ariſtippo, qui illo modo auarorum hominum ſtultitiam declarabat: deletaque macula e loco Plutarchi: quo ſententiam Ariſtippi celebrauit.

CAP. XVIII.

QVo vtitur argumento Horatius in epiſtola longiore ad Iulium Florum contra auaritiam, acceptum eſt a Graeco philoſopho: Ariſtippus enim Cyrenaicus id excogitauit: multumque valere merito putauit ad eiiciendum e pectoribus noſtris hunc morbum. Verſus poëtae hi ſunt. Si tibi nulla ſitim finiret copia lymphae, Narrares medicis: quod quanto plura paraſti Tanto plura cupis, nulli ne faterier audes? Vſum autem fuiſſe hac ratione Socraticum illum philoſophum memoriae prodidit Plutarchus in libello περὶ φιλοπλουτίας his verbis. Τοὺς δὲ μηδὲν ἀποβάλλοντας: ἔχοντας δὲ πολλὰ: πλειόνων δὲ ἀεὶ δεομένους, ἔτι μᾶλλον ἐθαυμάσειεν ἄν τις Ἀρίστιππον μεμνημένος: ἐκεῖνος γὰρ εἰώθει λέγειν, ὅτι πολλὰ μὲν ἐσθίων: πολλὰ δὲ πίνων: πληρούμενος δὲ μηδέποτε, πρὸς τοὺς ἰατροὺς βαδίζει καὶ πυνθάνεται τί τὸ πάθος, καὶ τίς ἡ διάθεσις, καὶ πῶς ἂν ἀπαλλαγείη: εἰ δέ τις ἔχων πέντε κλίνας, δέκα ζητεῖ καὶ κεκτημένος δέκα τραπέζας, ἑτέρας συνωνεῖται τοσαύτας; καὶ χωρίων πολλῶν παρόντων καὶ ἀργυρίου, οὐ γίνεται μεστὸς, ἀλλ' ἐπ' ἄλλα συντείνεται, καὶ ἀγρυπνεῖ, καὶ ἀπλήρωτός ἐστι πάντων, οὗτος οὐκ οἴεται δεῖσθαι τοῦ θεραπεύσοντος, καὶ δείξοντος ὑφ' ἧς αἰτίας ταῦτα πέπονθε. Non reticere autem volo videri mendum eſſe initio loci huius Plutarchi: arbitror enim legi debere, τοὺς δὲ μηδὲν ἀπολαύοντας. ſententia ſatis aperta: inſimulat enim manifeſto eos, qui fructum nullum voluptatemque capiunt ex iis, quae iam poſſident: vnde maximi capi ab ipſis poſſent: ſemperque plura quaerunt. Eſt igitur valde accommodatum hoc verbum: illud vero, niſi fallor, alienum. Similitudo autem fraudi fuit librariis: nam aliis etiam in locis inueni ipſa inter ſe temere commutata. Ariſtippum vero ipſum, quamuis aliquando inſimulatus ſit huius vitij, quia coleret fortunatos homines, indicat habuiſſe vacuum animum hac peſte, quod vt hic idem poëta narrat, ſeruos proiicere aurum In media iuſſit Lybia, quia tardius irent: Propter onus ſegnes. Hoc autem ipſum de illo rettulit etiam Laërtius, auctorem ſecutus Bionem, qui ἐν ταῖς διατριβαῖς id ſcripſerat. Eius autem verba ſunt. Τοῦ θεράποντος ἐν ὁδῷ βαστάζοντος ἀργύριον καὶ βαρυνομένου, ἀπόχεε ἔφη τὸ πλέον, καὶ ὅσον δύνασαι, βάσταζε. Diſcrepat tamen, vt apparet, teſtimonium Bionis nonnullis in rebus ab eo, quod Flaccus tradidit: neque enim aurum fuiſſe, ſed argentum pecuniamve Graecus ille inquit: neque iuſſiſſe vt omne onus abiiceret, ſed quantum ferre poſſet gereret: de vno namque ſeruo loquitur, non de pluribus vt Horatius. In Africa praeterea id vſu veniſſe non docet, verum ſimpliciter in itinere contigiſſe.

Declarati plures elegantes modi loquendi, qui a Graecis ſcriptoribus vſurpantur: emendatuſque locus Polyby, vbi de calamitoſo exitu Aſdrubalis, ſummi imp. agit.

CAP. XIX.

ΠΟΛΕΜΕΙ͂Ν χρόνῳ, quo modo loquendi, ſumpto a lyrico poëta, vtitur Plutarchus in vita Theſei, valet veteri opinioni repugnare, & ab eo quod diu creditum eſt, libere diſſentire. Id autem ipſe feciſſe illic docet Megarenſes ſcriptores, qui de Scirone rem longe aliter commemorarant, quam reliqui antiqui auctores, ac praeterita denique omnis aetas. Inquit enim. οἱ δὲ Μεγαρόθεν συγγραφεῖς ὁμόσε τῇ φήμῃ βαδίζοντες, καὶ τῷ πολλῷ χρόνῳ κατὰ Σιμωνίδην πολεμοῦντες, οὔτε λῃστὴν, οὔτε ὑβριστὴν, γεγονέναι τὸν Σκίρωνά φασιν, ἀλλὰ λῃστῶν μὲν κολαστὴν: ἀγαθῶν δὲ καὶ δικαίων οἰκεῖον καὶ φίλον. Eundem etiam in libro de Iſide & Oſiride, citato illic quoque poëtae eiuſdem nomine, vnde fluxiſſet, vſurpauit Plutarchus: cum enim aduerſari vellet receptae opinioni, ac reconditis litteris Aegyptiorum: intelligeretque id difficile ac periculoſum eſſe, inquit. Ὀκνῶ δὲ μὴ τοῦτο ᾖ τὰ ἀκίνητα κινεῖν, καὶ πολεμεῖν, οὐ τῷ πολλῷ χρόνῳ κατὰ Σιμωνίδην μόνον: πολλοῖς δὲ ἀνθρώπων ἔθνεσι καὶ γένεσι & quae ſequuntur. Suſpicor autem aliquando etiam dictum eſſe πολεμεῖν φήμῃ eodem ſenſu, atque id ex contrario:

inueni

inueni namque apud eundem βοηθεῖν φήμῃ, quod valet peruulgatam opinionem adiuuare, auxilioque illi eſſe. in vij. quaeſtione quinti libri συμποσιακῶν, vbi diſputatur de faſcinatione, ſic locutus eſt. ὁ δὲ ἰδὼν ὑμᾶς μέτριος φανεὶς ἔφη τὰ μὲν γινόμενα τῇ φήμῃ θαυμαστῶς βοηθεῖν: τῷ δὲ αἰτίαν ἀπορεῖν, ἀπιστεῖν τὴν ἱστορίαν οὐ δικαίως. Rem igitur hanc admirabilem reiici, explodique ille non oportere aiebat, quamuis cauſam ipſius afferre non poſſemus, quum ea, quae cotidie fierent, traditum nobis a maioribus ſermonem, famamque, confirmarent. ὁμόσε vero βαδίζειν, quod inquit in Theſei vita, ante quam modo illo loquendi vteretur, profectum eſſe a rebus bellicis: & huc inde translatum, conſtat. ſignificat autem comminus congredi cum hoſtibus & concurrere, non e longinquo teliſque pugnare. idem etiam ſignificare volentes dicebant, ὁμόσε χωρεῖν, vt locutus eſt Plutarchus in libro περὶ ἀδολεσχίας, oſtendens Antipatrum comminus pugnare cum Carneade noluiſſe: concertareque cum eo verbis, ſed in ſcriptis libriſque illi aduerſarium eſſe: ait enim. ὁ μὲν γὰρ στωικὸς ἀντίπατρος ὡς ἔοικε, μὴ δυνάμενος, μηδὲ βουλόμενος, ὁμόσε χωρεῖν τῷ καρνεάδῃ, μετὰ πολλοῦ ῥεύματος εἰς τὴν στοὰν φερομένῳ & quae ſequuntur. Vnde perſpicitur locum Polybij, vbi de interitu Aſdrubalis, victi in proelio, diſſerit, in excuſis libris mendoſum eſſe. Legitur autem omnis illa pugna in excerptis xj. libri: cum enim ſcriptum illic ſit. ἐπεὶ δὲ, πάσας ἀφῃρημένη τὰς εἰς τὸ μέλλον ἐλπίδας ἡ τύχη, συνέκλεισε πρὸς τὸν ἔσχατον καιρὸν, οὐδὲν παραλιπὼν, οὔτε περὶ τὴν παρασκευὴν, οὔτε κατὰ τὸν κίνδυνον πρὸς τὸ νικᾶν, οὐχ ἧττον πρόνοιαν ἔσχε. καίτοι σφαλεὶς τοῖς ὅλοις, ὅμως ἐχώρησε τοῖς παροῦσι, καὶ μηδὲν ὑπομεῖναι τῶν προβεβιωμένων ἀνάξιον, legi debet, vt eſt in calamo exarato libro Alexandri Farneſij, ſummi antiſtitis, ὁμόσε χωρῆσαι τοῖς παροῦσι. Nam praeter auctoritatem eius libri ſententia manifeſto declarat hoc modo legi oportere: narrat enim grauis ſcriptor conſtanter ſe geſſiſſe, maximoque animo, imperatorem illum eo tempore: nec aduerſae fortunae ſuccubiſſe. Significat autem ὁμόσε χωρῆσαι τοῖς παροῦσι, non eſſe perterrefactum eum rebus aduerſis, ſed auſum reſiſtere iniquitati fortunae: mortique demum ſe obieciſſe, cum in confertiſſimos hoſtes incurriſſet. ex lectione autem peruulgata, etſi repugnat, & iis quae ante dicta erant, & conſequentibus, contrarius ſenſus elicitur. T. Liuium etiam celebraſſe fortitudinem Aſdrubalis: praeſentiamque animi, extremo illo tempore declaratam, notum eſt. Nam quod reſpondet ſuperioribus verbis, apud eum eſt. Poſtremo, quum haud dubia fortuna hoſtium eſſet, ne ſupereſſet tanto exercitui, nomen ſuum ſecuto, concitato equo ſe in cohortem Romanam immiſit. Ibi, vt patre Amilcare, & Annibale fratre, dignum erat, pugnans cecidit.

Quid valeat in mundo apud Plautum: locuſque eius poëtae correctus, ea voce, quae inde temere ſublata erat, reſtituta.

CAP. XX.

VICINAE duae maculae locum Plauti elegantem inquinarunt in Pſeudolo: cum enim modus loquendi, familiaris hominibus eius temporis, illic eſſet, contaminatus (vt puto) fuit, ab iis, qui omnia conſuerunt, quaecumque non intelligunt, mendoſa putare: &, quod multo peius eſt, non metuunt immutare. Vbi enim ſeruus, a quo fabulae nomen impoſitum eſt, ſe purgat maiori ero, Si moui, ita nunc in excuſis libris legitur. Animum aduerte nunc iam Quapropter expertem amoris nati te habuerim: Piſtrinum ineundum ſcibam, ſi id faxim, mihi: cum in ſcripto quodam inuenerim (quae prorſus vera lectio eſt) Piſtrinum in mundo ſcibam. In mundo enim dicebant antiqui, vt his ipſis verbis teſtatus eſt Sex. Pompeius, cum aliquid in promptu eſſe intelligi volebant. quamuis exempla illic poſita non ſint: iniuria eius, qui eruditum auctorem, ac mirum in modum vtilem Latino ſermoni, concidit. Cum tamen Flauius Soſipater mentionem fecerit huius aduerbij: aduerbij enim vim ipſum habere videtur exiſtimare, vt Caecilij Enniique auctoritate, quid valeat, confirmat, ita etiam hoc ipſo Plautino loco: licet comoediae nomen apud eum deſideretur, cum multis locis lacer mutiluſque hic grammaticus ſit. Inquit igitur. in mundo pro palam & in expedito ac cito. Plautus in   Quia ſciebam inquit mihi piſtrinum in mundo fore. Caecilius quoque, & quae ſequuntur. In Poenulo praeterea Plautus eodem modo locutus eſt, cum aduocatos malum, quod leno ipſis precatus fuerat, paratum ei eſſe induxit dicentes: qui locus in excuſis etiam a mendo vacuus eſt. Cum igitur leno dixiſſet, Ve veſtrae aetati, illi reſponderunt. id quidem in mundo nunc eſt tuae. Sed alia quoque in fabulis: quibus tamen exemplis, re iam perſpicua certaque, ſuperſedebo. Siquis autem quaerat, quae ſit origo huius ſermonis, vt in mundo valeat in promptu, fortaſſe a mundo muliebri id ductum eſt: mulieres enim, quae ad cultum corporis faciunt, in promptu habent: conduntque omnia in arcula diligenter, vt praeſto, cum vti velint, ſemper ſint:

hoc

hoc enim placere video eruditis & ingenioſis viris. Siue in mundo dicebant, ſignificantes paenam illam aut malum extare, vt illi conſcij ſibi ſuae vitae, in ſe cadere facile id poſſe intelligerent: obſcure, vt mos eſt minantium, quod volebant indicantes: vt ſi furem improbum ve aliquem hominem verbis perterreſacere volentes, diceremus. Non ne tu ſcis inueniri carcerem, compedes, carnificem? In verſu etiam, qui conſequitur in Pſeudulo eſt idem erratum: nam Simo reſpondit, repetens verba ſerui. Non a me ſcibas piſtrinum in mundo tibi: non ineundum tibi, vt eſt in excuſis.

Illuſtrem Platonis ſententiam, quam manifeſto Cicero expreſſit, demonſtratum Salluſtium etiam expreſſiſſe.

CAP. XXI.

PLATONIS locum, quem Cicero in epiſtola ad P. Lentulum intellexit, cum inquit. Id enim iubet idem ille Plato, quem ego vehementer auctorem ſequor: Tantum contendere in republica, quantum probare tuis ciuibus poſſis: vim neque parenti, nec patriae, afferre oportere, & quae ſequuntur. adumbrauit etiam C. Salluſtius in prooemio de bello Iugurthino his verbis. Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam & poſſis, & delicta corrigas, tamen importunum eſt: cum praeſertim omnes rerum mutationes caedem, fugam: aliaque hoſtilia portendant. Fruſtra autem niti: neque aliud ſe fatigando, niſi odium quaerere, extremae dementiae eſt. Politiſſimus vero ille atque eruditiſsimus ſcriptor ſic ait, in longa epiſtola ad Dionis propinquos ac ſodales. βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν, ὅταν ἄνευ φυγῶν, καὶ σφαγῆς ἀνδρῶν μὴ δυνατὸν ᾖ γίγνεσθαι τὴν ἀρίστην. Nam quod ad parentes pertinet, antea explicarat, vbi id protulit quod Criſpus extremum poſuit. id eſt, μὴ ἀπεχθάνεσθαι, μάτην νουθετοῦντα.

Verba, quibus Cicero narrat, quid ſuaſerit Socrates Xenophonti, conſulenti ipſum de profectione ad Cyrum iuniorem, collata cum verbis Xenophontis ipſius, qui rem illam diligenter in ea hiſtoria narrauit.

CAP. XXII.

QVOD Cicero in primo de Diuinatione de Socratis iudicio narrat, & quemadmodum auctor fuerit Xenophonti, deliberanti de magna re, vt Apollinem Delphicum conſuleret, expoſitum a Xenophonte ipſo eſt in principio iij. libri ἀναβάσεως. Verba M. Tullij ſunt. Xenophonti conſulenti, ſequeretur ne Cyrum, poſteaquam expoſuit, quae ſibi videbantur: & noſtrum quidem inquit humanum eſt conſilium, ſed de rebus & obſcuris, & incertis, ad Apollinem cenſeo referendum: ad quem etiam Athenienſes publice de maioribus rebus ſaepe retulerunt. Xenophontis vero haec: qui de ſe, tamquam de alio quodam, quod narrandum erat, exponit. ὁ μέντοι Ξενοφῶν ἀναγνοὺς τὴν ἐπιστολὴν, ἀνακοινοῦται Σωκράτει τῷ ἀθηναίῳ περὶ τῆς πορείας, καὶ ὁ Σωκράτης, ὑποπτεύσας μή τι πρὸς τῆς πόλεως οἱ ὑπαίτιον εἴη, Κύρῳ φίλον γενέσθαι, ὅτι ἐδόκει ὁ Κῦρος προθύμως τοῖς λακεδαιμονίοις ἐπὶ τὰς ἀθήνας συμπολεμῆσαι, συμβουλεύει τῷ Ξενοφῶντι, ἐλθόντι εἰς δελφοὺς, ἀνακοινῶσαι τῷ θεῷ περὶ τῆς πορείας. Cicero igitur oſtendit aperuiſſe conſilium ſuum de ea re Socratem Xenophonti: neque tamen cenſuiſſe ſtare illum ipſo oportere: quod Xenophon ipſe ſuo ſcripto non declarat, ſed potius timorem indicat, qui ſapientem illum virum inualerat, ſi per litteras ab amico euocatus Xenophon, eo acceſſiſſet, ne ſcilicet offenderet apud ſuos ciues, quod amicitiam Cyri quaereret, qui auxiliis adiuuerat antea ſtrenue Lacedaemonios contra Athenienſes. Quare cum haereret animo quid optimum eſſet, ſuaſiſſe vt diuinum conſilium, ſuo relicto, de ea re quaereret.

Declaratus Catulli locus: Marcique Varronis alter locus emendatus, quem turpis macula inquinarat.

CAP. XXIII.

APPOSITE vt ſemper, eleganterque locutus eſt Catullus in Hendecaſyllabo ad Cornificium, cum queſtus cum eo eſt, quod amici officio functus non eſſet, in malis ſuis rebus, amoreque aduerſo: videbatur enim ille debuiſſe conſolari hominem: aegritudinemque animi, apta illi tempori oratione, leuire: praeſertim cum id ſine damno laboreque vllo facere poſſet, quo magis accuſandus erat, Inquit igitur, negligentiam ipſius increpans

» pans. Quem tu, quod minimum facillimumque eſt, Qua ſolatus es allocutione? Alloqui
enim quempiam dicebantur, qui ad eum moerentem accedebant; verbiſque dolorem illius mi
nuebant. Hoc autem planum fit teſtimonio M. Varronis, qui in vj. libro de lingua Latina,
» cum ea, quae dicuntur a loquor, explicaret, in illis inquit. Hinc adlocutum mulieres ire
» aiunt, cum eunt ad aliquam locutum, conſolandi cauſa. Ita enim prorſus legendum eſt, non
vt in excuſis libris, conſulendi cauſa, auctore etiam vetuſto exemplari: quamuis in illo ſit con-
ſulandi, quod anſam praebuit errandi imperitis, parumque videntibus correctoribus: ſaepe e-
nim in antiquo ſermone litterae o & u inter ſe immutabantur, vt rutundum pro rotundum.
cuius conſuetudinis plura exempla extant in antiquiſſimo eo libro.

*Correctus M. Varronis locus de lingua Latina, vbi mentio eſt veteris illius modi lo-
quendi, Dicis cauſa: de illoque aliquantulum diſputatum.*

CAP. XXIIII.

QVID valeat antiquum illud, Dicis cauſa, quod obſcurum in primis erat, & a pleriſque
eruditis etiam viris, ignorabatur, collatis multis locis diuerſorum auctorum: diligen-
terque examinatis, docuit Laelius Taurellius, magnus Latinitatis obſeruator: ſum-
muſque iuriſconſultus in commentario ſuo, quem ſcripſit de Militiis ex caſu: acceptumque id
poſtea ab ipſo, amicus illi homo, doctrinaeque ipſius admirator, Antonius Auguſtinus copio-
ſius explanauit in ſuis emendationum & opinionum eruditiſſimis libris, miro ſtudio curaque
ab ipſo confectis. Ipſe igitur, cum cauſam diſſentiendi ab eo non habeam: cuius iudicium e-
ruditionemque valde probo: beneuolentiam autem in priuatis meis rebus ſaepe expertus ſum:
nec quicquam addere explicationi illi queam, locum tamen indicabo apud optimum aucto-
rem, in quo vetus haec locutio eſt, qui accuratum virum tunc latuit, quia valde in excuſis li-
bris ille deprauatus eſt, atque ita deformatus, vt ſine ope meliorum codicum agnoſci non poſ-
ſit: nam alterum eiuſdem ſcriptoris, in quo nulla ſcripturae labes, vidit, ac teſtimonio etiam
illo vſus eſt. Is autem eſt M. Varro, qui in vj. libro de lingua Latina prope extremum, cum
de vetere vocabulo Inlicium diſputaret: ac priſcum morem referret, inquit, vt in optimo fide-
» liſſimoque libro legitur. Hoc nunc aliter fit atque olim, quod augur conſuli adeſt, tum cum
» exercitus imperatur: ac praeit, quid eum dicere oporteat: conſul auguri imperare ſolet vt in-
» licium vocet, non accenſo aut praeconi. Id incoeptum credo, cum non adeſſet accenſus: &
» nihil intereſt, cui imperaret: & dicis cauſa fiebant quaedam: neque item ſacta, neque item
» dicta In excuſis namque omnibus eſt. Et dicimus cum fiebat. Cum autem edito iam libro
ipſius, doctiſſimo viro quid inueniſſem in vetuſtiſſimo exemplari oſtendiſſem, ille & fidem e-
ius probauit, & confirmare exemplum hoc etiam ſententiam ſuam mihi declarauit. Addidit
praeterea ſe putare locum hunc Plinij in xxviij. libro itidem mendoſum, purgari illo modo o-
» portere. Et ſunt condita auguria quid loquenti, cogitanti ve id acciderit: inter execratiſſima
» ſi pontifici accidat dicis cauſa epulanti: in menſa vtique id reponi, adoleriſque ad larem piatio
» eſt. vt legatur, dicis cauſa epulanti. Quia autem Modeſtinus ὁσίας, vel ἀφοσιώσεως χάριν
interpretatus eſt, quod a Latinis dicis cauſa dicebatur, apud nullum alium Graecum aucto-
rem id inueni praeterquam Dionem, qui in xxxvij. libro hiſtoriarum, vbi de iudicio C. Ra-
birij, perduellionis rei, agit: priſcumque morem exponit, vſque ad eum diem ſeruatum, idem
ὁσίας ἕνεκα, niſi fallor, vocauit: neque enim temporibus illis metus erat, ne caperetur Ianicu-
lus collis ab hoſtibus, vt antiquitus, cum adhuc finitimi populi bellum gerebant cum Roma-
nis: & tamen antiquum inſtitutum cuſtodiebatur, vt nihil ratum eſſet, quod a populo fieret,
niſi vexillum illic erectum eſſet: quo aſtute ſublato a Metello Celere, ereptus eſt irato popu-
lo Rabirius. Quod ad rationem huius ſermonis facit, Flauius Soſipater in primo libro inſti-
tutionum grammaticarum videtur indicare dicis patrium caſum eſſe: cum enim doceret quae-
dam nomina vnius tantum caſus eſſe, exemplaque eorum proferret, in illis etiam Dicis ergo
poſuit. Arnobius quoque in prooemio quarti libri contra gentes eodem ſenſu id vſurpauit:
» haec autem eius verba ſunt. An ita (vt aſſolet) dicis cauſa: ex eo, quod optamus & volumus
» bona iſta nobis contingere, ſuperiorum retuleritis in cenſum? ita enim in excuſo Romae legi-
tur. cum qui poſtea pium hunc auctorem Baſileae impreſſerunt, falſo mendoſum locum pu-
tantes: corrigereque volentes, deprauarint: ſic enim excuſerunt, An ita, vt aſſolet dici cau-
ſa: & quae ſequuntur.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER IX.

Locus Ariſtotelis explicatus e IIII. libro de hiſtoria animalium: in quo vertendo Plinius, vt videtur, lapſus eſt.

CAP. I.

ARISTOTELIS haec verba ſunt e iiij. libro de natura animantium: quo loco olfactu praeditos eſſe piſces ſignis quibuſdam probat: eorum autem ſignorum tertium hoc eſt. ἔτι δὲ πολλοὶ τῶν ἰχθύων διατρίβουσιν ἐν σπηλαίοις: οὓς ἐπειδὰν βούλωνται προσκαλέσασθαι εἰς ἄγραν οἱ ἁλιεῖς, τὸ στόμα τοῦ σπηλαίου περιαλείφουσι ταριχηρῶν ὀσμαῖς: πρὸς ἃς ἐξέρχονται ταχέως. Plinius autem in x. libro ſententiam, quam credidit eſſe Ariſtotelis, exprimere volens, inquit. Quoſdam & ſpeluncis latentes, ſalſamento illitis faucibus ſcopuli, piſcator expellit: velut ſui cadaveris agnitionem fugientes. Qui (niſi fallor) verum ſenſum auctoris aſſecutus non eſt: neque enim ratione illa dixit Ariſtoteles piſces e ſpeluncis expelli, ſed inde euocari, captus odoribus ipſorum, ad ſalſamenta voranda. quod duobus verbis maniſeſto tradi videtur, προσκαλέσασθαι & ἐξέρχονται: ſignificatur enim his potius allici ipſos ad ea, exireque libenter, quam fugari. Quod vero in extremo addidit Plinius, tamquam declarationem quandam, velut ſui cadaueris agnitionem fugientes, a ſuperiore lapſu pendet: cum enim rem veriſimilem facere ſtuderet, atque eius rationem afferret, hoc excogitauit, quod inane eſſe puto: neque tantum a ſenſu menteque philoſophi diſcrepare, verum etiam rei ipſi repugnare: quam bene cognitam, ac perceptam multis multorum animaduerſionibus vſuque habuit Ariſtoteles.

Confirmatum teſtimonio veterum illorum, quod Cicero in Liciniana dixit, tenuibus hominibus Graecos, in media etiam Graecia, ius ciuitatis dilargiri ſolitos.

CAP. II.

QVOD M. Cicero pro Archia inquit, Mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte praeditis, gratuito ciuitatem in Graecia homines impartiri ſolitos, quamuis rem quantum poteſt augeat, verum eſſe intelligitur teſtimonio Alexidis comici: cuius hi verſus leguntur apud Athenaeum in iij. libro δειπνοσοφιστῶν, vbi de ſalſamentis diſſerit, ac quanto in pretio apud Athenienſes fuerint, declarat. Narrat enim Athenaeus ipſos Chaerephili ſalſamentarij filiis ciuitatem dediſſe, quod eorum pater magnam vim ſalſamentorum Athenas comportaſſet, atque id auctoritate huius poëtae confirmat: cuius hi verſus ſunt e fabula, quam Epidaurum inſcripſerat. Τοὺς Χαιρεφίλου δ' υἱεῖς ἀθηναίους, ὅτι Εἰσήγαγε τάριχος: οὓς καὶ τιμοκλῆς Ἰδὼν ἂν τῶν ἱππέων, δύο σκόμβρους ἔφη Ἐν τοῖς σατύροις εἶναι. Quod vero ad imaginem hanc Timoclis facit, qui viſis Chaerephili filiis dixerat ſcombros eos eſſe, Satyris inſidentes, in viij. quoque libro Athenaeus carmen Nicoclis comici ponit, in quo mentio ipſorum vt Pythionices meretricis amatorum, fit. Sed ibidem etiam iidem duo ſcombri vocantur.

Qui fuerint Tarentini in vetere militia: receptaque lectio confirmata epiſtolae cuiuſdam ad Atticum. Praeterea, Bene eueniat, dicere ſolitos olim, qui recte ominabantur: exitumque alicuius rei ſecundum optabant, declaratum.

CAP. III.

" QVAE de Tarentinis in militia laborani, ea tibi grata eſſe gaudeo. Haec verba Ciceronis ſunt ex epiſtola quadam v. libri ad Atticum: quae, cum nulla egeant emendatione, quidam tamen coniecturea emendare conati, quantum in ipſis fuit, corrupeeunt: fecerunt enim illi e Tarentinis, parietinis: exiſtimaruntque intelligere M. Tullium id, de quo in epiſtola ad C. Memmium eum illo egit, ne vellet ſcilicet aedificatione ſua occupare ſedem, ac domicilium Epicuri, ac reliquorum eius familiae ſummorum virorum. Nam quod illo ipſo verbo in ea epiſtola vtitur, hoc nullum argumentum eſt: rem enim minuere volens, vtque facilius id concederet Memmius, illo modo recte illic locutus eſt: locus vero hic contra poſtulabat vt rem ipſam, vt erat, exponeret: ſi augere nollet, ad eum ſcribens, cuius precibus motus, id contenderat a Memmio. Tarentini vero vocabantur genus quoddam equitum: quorum meminit etiam T. Liuius in xxxv. ab vrbe condita, vbi de ſollertia
" Philopoemenis Achaei, ſummi ducis, diligenter locutus, addidit. Et tum omnium primum
" agmen conſtituit: dein Cretenſes auxiliarea, & quos Tarentinos vocabant: equites binos ſe-
" cum trahentes equos, ad prima ſigna miſit. & infra. Luce orta Cretenſium leuis armatura,
" & Tarentini equites ſuper torrentem proelium commiſerunt. Sed etiam Plutarchus mentionem horum fecit, & in Philopoemenis huius vita.. & in Agidis ac Cleomenis: nec non Polybius in excerptis xj libri. Aelianus autem non longe a principio libri de inſtruendis aciebus, accurate totam rem docet, oſtendens duo eſſe genera Tarentinorum quorum alij longius iaculentur, & ob eam rem equites iaculatores dicuntur: alij vero, cum ſemel, aut bis iaculum miſerint, quo leuiore vtuntur, manus de cetero cum aduerſario conſerant, & comminus pugnare incipiant, qui leues nominati ſoliti ſint, amiſſo ſuperiore nomine. Praeterea, quod ſupra in hac epiſtola mentio eſt Patronis Epicurei & ceterorum condiſcipulorum Attici, quorum id intererat: vt enim eorum voluntatibus, ſtudiiſque ſeruiret, rogarat id Cicero accurate a Memmio: hoc enim inducere illos potuit, magnopereque aptum eſt ad fallendum, qui tamen diligenter attendit ſententiam ſuperiorem: cognouitque Epicuri decretum, quod aduerſatur ſententiae illi, facile perſpiciet verba illa eo referri debere, atque inde pendere. Vt autem verum eſſe intelligatur, quod dixi, conferendus cum hoc eſt locus alter e vij. horum li-
" brorum, in quo eadem explicatius traduntur. hic inquam. Filiola tua te delectari laetor: &
" probati tibi, φυσικὴν eſſe τὴν πρὸς τὰ τέκνα. Etenim ſi haec non eſt, nulla poteſt homini
" eſſe ad hominem naturae adiunctio: qua ſublata, vitae ſocietas tollitur. Bene eueniat in-
" quit Carneades, ſpurce: ſed tamen prudentius quam Lucius noſter, & Patron, qui cum o-
" mnia ad ſe referant, quicquam alterius cauſa fieri putent? & quae ſequuntur: ſubtiliter enim diſputauit de ratione hac. Cum igitur hic quoque iidem appellentur, manifeſtum eſt in priore loco cum ſuperiore ſententia illa connecti debere. Quod autem Pomponius, quae ſummo ſtudio ſuo Cicero in militia geſſerat de Tarentinis, probauit: gratumque ei id officium ipſius fuit, multis de cauſis contingere potuit: quas coniecturis augurari non poſſumus. Quod enim in militia inquit, ideſt in bellicis rebus, confirmat hoc mirifice lectionem hanc. Epicuri vero decreti huius, quamuis olim in explicationibus mearum caſtigationum de eo non nihil diſputarim, meminit quoque Plutarchus in libro aduerſus Colotem Epicureum,
" ſummo ſtudio omnes illius familiae ſententias exagitans: inquit enim in aliis. Τί δέ, φύ-
" σιν περιέχουσι τὰ παιδία τὴν γονεῦσιν, οὐχί, πᾶσι φαινόμενον, ἀναιροῦσι; Vt autem hoc quoque, ſatis longae, diſputationi addam, in poſteriore loco, quem citaui, bene eueniat, legi debet, vt in meo libro eſt; & in aliis etiam, qui prius excuſi fuerant: a qua tamen, vera prorſus, & antiquorum monimentorum fide confirmata lectione, nonnulli ſine cauſa diſceſſerunt, legentes, conueniant: praeterquam enim, quod hoc egregiae ſententiae quadrat, eſt elegans ſermo, & in vſu veterum ſcriptorum. Haec enim Pomponij comici verba leguntur
" apud Nonium. Bene eueniat. Ita ſit: & tibi bene ſit, qui recte ominaris. Cum igitur bene eueniat dici ſolitum eſſet ab iis, qui recte ominarentur, vere Cicero inquit Carneadem, qui id pronuntiarat, quamuis ſpurce ſentiret, tamen prudentius reſpondiſſe, quam Epicureos, qui cum omnia ad ſe referant: vtilitateſque proprias ſequantur, nihil alterius cauſa fieri a nobis in vita debere aſſeuerabant: ille enim quaſi dolebat ita ſe rem habere: deoſque propitios eſſe optabat. Reſtat paruus ſcrupulus in verbis, quae antecedunt ea, quae ſupra

a me

a me poſits ſunt: quomodo ſcilicet legi illa debeant: nam macula aliqua illic eſt: excuſum eſt enim in mea editione. Etiam, atque etiam vale. de Pattone, & tuis condiſcipulis: optimus vero liber habet. Etiam, atque etiam valde. Patrone, & tuis condiſcipulis: non ſine mendo, & ipſe.

Vt plura Graeca vocabula in Tuſcum noſtrum ſermonem penetrarunt, ita modos quoſdam loquendi, quibus vulgo vtimur, videri inde profectos.

CAP. IIII.

NON tantum in patrio noſtro ſermone pluribus Graecis verbis vtimur (nam multas voces ex ea lingua in noſtram manaſſe conſtat: quae, & notionem ſuam conſeruarunt, & ne litteta quidem immutata ſunt) ſed nonnulli etiam modi loquendi, qui elegantis eius, copioſique ſermonis proprij ſunt, huc radices egiſſe videntur: conuenit certe his, tantopere diſcrepantibus linguis, in vſu harum vocum mitifice, vt quod Herodotus in ſecundo libro hiſtoriae inquit. ἔρχομαι φράσων, vel λέξων, translatum ad nos videtur: quod exemplo etiam ingenioſi, politique in primis noſtri poëtae intelligitur, qui in ode quadam inquit. Con queſte alzato, vengo a dire hor coſe. Exempla Herodoti ſunt haec. Αἰγύπτου δὲ οὐ πρόσω κόλπος θαλάσσης, ἐσέχων ἐκ τῆς ἐρυθρῆς καλεομένης, μακρὸς οὕτω δή τι, καὶ στεινὸς ὡς ἔρχομαι φράσων. Idem autem Graecus ſcriptor, ſuauis in primis, atque ornatus, aliter etiam aliquando variauit poſterius verbum: vt cum in eodem libro inquit. ἔρχομαι δὲ περὶ Αἰγύπτου μηκυνέων τὸν λόγον. Nec multo poſt. καὶ μεγίστην οἱ ὀργὴν ἀνήγεοι, ταύτην ἔρχομαι ἐρέων. Sed etiam Xenophon in Ageſilao καὶ νῦν τοῦτο λέξων ἔρχομαι. Plutarchus quoque in libro de inſtitutione puerorum, Herodotum imitatus. Τὸ δὲ πάντων μέγιστον, καὶ κυριώτατον τῶν εἰρημένων, ἔρχομαι φράσων. Neque tamen ſolum ita loquebantur, cum dicturi expoſituri ve aliquid erant, ſed alia etiam facturi: vt Plato in epiſtola illa graui, ac plena optimarum ſententiarum, ad Dionis propinquos: ait enim. ἐὰν δὲ μὴ ξυμβουλεύητέ μοι τὸ παράπαν, ἢ ξυμβουλεύητε δοῦλος ὁ μηδαμῇ πειθόμενος, αὐτόκλητος ἐπὶ τὸν τοιοῦτον οὐκ ἔρχομαι συμβουλεύσων. Quod enim translato verbo vulgo dicimus eos, qui in aduerſis rebus ſiti, pendent ab inani aliqua longinquaque ſpe, paſcerſi di ſperanza, id etiam in Graeco ſermone vſitatum erat, ac prouerbij locum obtinebat: vt teſtimoniis optimorum ſcriptorum intelligimus. Euripides enim in Phoeniſſis, vbi Iocaſtam cum Polynice filio de exilio diſputantem inducit, ita facit illam loquentem. αἱ δ᾽ ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος. Aeſchylus praeterea in Agamemnone fingit hoc pronunciari ab Aegiſtho, contemnente, quod chorus minabatur, reditum Oreſtis: impetumque eius in ſe, ac Clytemneſtram vxorem. οἶδ᾽ ἐγὼ φεύγοντας ἄνδρας ἐλπίδας σιτουμένους. immutato ſane verbo: pro illo tamen poſito, quod idem valet. Nam ſuperior tragicus in Bacchis idem illud vſurpauit de Pentheo: qui cum, quae effici non poſſet, temptaret: irritaque atque inani ſpe teneretur. Apud eum enim ita Liber pater loquitur cum choro, narrans quemadmodum eluſerit ſtultos conatus ipſius, vincire ſe volentis. Ταῦτα καὶ καθύβρισ᾽ αὐτόν, ὅτι με δεσμεύειν δοκῶν Οὔτ᾽ ἔθιγεν, οὔθ᾽ ἥψαθ᾽ ἡμῶν: ἐλπίσιν δ᾽ ἐβόσκετο. Latini cum hoc ſignificare vellent, vt videtur, ali ſpe aiebant. Tibullus enim inquit. Spes alit agricolas.

Artificium Platonis iam ſenis, in expoliendis ſuis ſermonibus, a Dionyſio celebratum oſtenditur: ſimulque ab eadem re tranſtuliſſe nomen, cum & ipſe de ornatu librorum loqueretur, Cicero indicatur.

CAP. V.

LAVDAT mirum in modum Dionyſius Halicarnaſſeus diligentiam Platonis, qua vtebatur in componendis verbis: probatque ſtudium ipſius, qui cum pectus haberet refertum plurimis ſcientiis: iamque ad octogeſimum aetatis annum perueniſſet, non ceſſaret tamen expolire ſermones illos ſuos: praecipue autem recta conſtructione verborum ipſos ornaret. In hac autem re exponenda, ſtudioque doctiſſimi viri indicando, verbis translatis ab ornatu muliebris comae vſus eſt: inquit enim, huic artificio collocandorum apte verborum auctoritatem afferre volens philoſophi illius grauitate. Ὁ δὲ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους κτενίζων, καὶ βοστρυχίζων, καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων, οὐ διέλιπεν, ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη. Quod autem ipſe βοστρυχίζειν ſit, videtur Cicero exprimere voluiſſe, cum in Bruto, de C. Caeſaris commentariis agens, inquit. Sed dum voluit alios

I habere

habere parata, vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris inurere, & quae ſequuntur. Nam calamiſtrum inſtrumentum fuiſſe ad cincinnos formandos, apertum eſt: vel hoc ipſo teſtimonio Varronis e v. libro de lingua Latina ad Ciceronem. Calamiſtrum, quod his calfactis in cinere, capillus ornatur: qui ea miniſtrabat, a cinere cinerarius eſt appellatus. Adminiſtrum autem ipſius hoc ipſo nomine vocauit Catullus, in epithalamio ita canens. Sordebant tibi vilicae Concubine hodie, atque heri Nunc tuum cinerarius Tondet os, miſer ah miſer.

Vetus prouerbium e tenebris erutum, quo affirmatur, indicio orationis, quales homines ſint facile perſpici.

CAP. VI.

VETVS ſententia erat, qua tradebatur, cuius notae foret homo, atque naturae, ex oratione qua vteretur, intelligi. Illa vero his verbis pronuntiabatur. ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται. Vocatur autem a Graecis χαρακτὴρ deſcriptio, ac forma: primumque, vt exiſtimare licet, ita appellata eſt nota, quae inureretur corpori beluarum, ad genus indicandum: deinde tranſlato nomine, quae declararet ingenium, ac mores virorum: vnde a Latinis etiam vocantur melioris, & deterioris notae homines. Credi autem facile poteſt Terentius ad hanc ſententiam reſpexiſſe, vel potius haec ipſa verba expreſſiſſe, cum in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ ita induxit Bacchidem cum Antiphila loquentem. Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio. Vnde in antiquiſſimo libro, qui fuit Petri Bembi, honeſtiſſimi, atque ampliſſimi viri, is ipſe Graecus verſus ſcriptus eſt contra poëtae verba, quae indicaui: vt perſpexi ex Politiani libro, cum illo ipſo diligenter olim collato: quamuis illic non nihil deſiderari videatur, deletis propter vetuſtatem literis. Inueni autem ipſum quoque inter ſententias Graecas variorum poëtarum. Nam poſt hunc verſum, interiecta copula, initium alterius Graecae ſententiae poſitum eſt, quae eodem faceret. Significabatur etiam idem pene a Graecis hac quoque voce, quae itidem prouerbij vim habet: vulgoque ferri ſolita erat. οἷος ὁ τρόπος τοιοῦτον εἶναι, καὶ τὸν λόγον. Legitur autem apud Ariſtidem ſophiſten in ij. oratione contra ſermonem Platonis, quem inſcripſit Gorgiam: vt indicauit etiam vir valde doctus in Prouerbiis: qui tamen ſuperioris ſententiae, idem valentis, non meminit: quia (vt opinor) apud nullum Graecum ſcriptorem inuenerat. In Graeco vero verſu eleganter γνωρίζεται dictum eſt: valetque id verbum, nota quadam, & tamquam indicio cognoſcitur: Vnde γνωρίσματα quoque Graeci in fabulis vocabant monimenta, vt vtar vocabulo Terentiano: & cuncta denique illa quorum auxilio perſona aliqua, diu ignota, cognoſceretur. Ariſtoteles appellauit σημεῖα in libro, qui reſtat, de arte poëtarum. Superiore autem verbo, vt alij, ita quoque idem, cuius paulo antea teſtimonium citaui, ſophiſtes vſus eſt in oratione ὑπὲρ τῶν τεττάρων. Ita enim inquit, ad Platonem conuerſa oratione. ἀλλ' εἰ μηδὲν ἠγνοήκας, ἀλλ' ἐν τούτοις ἴσως, πῶς τις ἂν ἄλλως ἐκ τῶν εἰρημένων τὸν χαρακτῆρα, ὥσπερ τοὺς ἀπὸ τῶν γνωρισμάτων ἐν τοῖς δράμασιν.

Deletae multae maculae M. Varronis: exemplis priſcorum poëtarum, quibus ille vſus erat, illuſtratis.

CAP. VII.

HIc M. Varronis locus e vij. libro de lingua Latina corruptus eſt, & ea potiſſimum parte mendum inſedit, qua deformata, exemplum, quod profert, irritum eſt: ſic enim in excuſis libris legitur. Multa ab animalium vocibus tralata in homines: partim quae ſunt aperta: partim obſcura. Perſpicua, vt Ennij: animus cum pectore lactat. In poſtremis autem verbis ſane nihil eſt, quod ductum ſit a voce animalis, vnde exiſtimari poteſt vitium hic eſſe. Exemplar vero illud vetuſtiſſimum, merito ſaepe a me laudatum, integrum hac parte eſt: latrat enim habet, non lactat: quod verbum valde accommodatum eſt huic loco: confirmatque id, quod hic oſtenditur a doctiſſimo ſcriptore. Sed praeter fidem eius libri, teſtimonio etiam Sex. Pompeij non parum adiuuatur haec lectio: qui inquit, quamuis exemplum ipſum poëtae non ponat. Latrare Ennius pro poſcere poſuit. Lucretium autem eodem pacto vſum hoc verbo, & a cane, cuius proprium eſt, ad aliam rem, & quaſi feminam tranſtuliſſe, perſpicuum eſt, cum cecinit, αὐτόφωνος extollens, nonne videmus Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi vtque Corpore ſeiunctus

dolor

dolor abſit, & quae ſequuntur. Graeci quoque poëtae verbum, quod huic reſpondet, eodem transferunt: vt Sophocles in Electra, cum virginem hanc ipſam, vnde fabula vocata eſt, inducit narrantem, quemadmodum mater ſe male verbis acciperet, cum Oreſtis metus aliquis ipſam inuadit: omni namque viro acerbitatis ipſius expoſito, addit. τοιαῦθ' ὑλακτεῖ, ſumpto a canum voce verbo, apte importunam ipſius vociferationem appellans. Sed Aeſchylus etiam in Agamemnone fecit Aegiſthum ipſum, impurum hominem, illo vti: cum chorum accuſaret, Clytemneſtrae maledicentem: ὑλάγματα enim ideſt latratus, conuicia ipſius vocauit. Infra quoque in exemplo Caecilij erratum habet, ſuperiori par, Aldi liber, & alij poſtea excuſi: quod abeſt ab eodem antiquiſſimo exemplari, & quibuſdam etiam ſuperiore aetate impreſſis: cum enim illic ſit. Tantum rem dilabare, vt pro nihilo habuerit. legi debet, vt in melioribus eſt. Tantam rem dibalare pro nilo, vt habuerit; a balatu enim ouium videtur nomen ductum: vt ipſe quoque M. Varro in ij. de re ruſtica μηκασμοὺς inquit. Quoniam ſatis balaſti o Fauſtule noſter. & quae ſequuntur. Sed primum etiam exemplum, quo vtitur, Lucilij, mendoſum in extremo eſt: cum enim illic ſit. Lucilij. Haec inquam rudet ex roſtris militabat. Legi videtur debere, iiſdem libris auctoribus, atque heiulitabit. Sed hic quoque verſus Lucilij e Satyrarum libro vj. citatur a Nonio cum altero, qui ipſum conſequitur, in quiritare. Ita autem apud eum eſt. Haec inquam rudet e roſtris, atque heiulitauit, Concurſans veluti barenarius: lateque quiritans. Totus igitur hic Varronis locus, niſi ſubeſt adhuc aliquod occultum vulnus, videtur ſic eſſe legendus. Multa ab animalium vocibus tralata in homines: partim, quae ſunt aperta: partim, obſcura. Perſpicua, vt Ennij Animus cum pectore latrat. Plauti, Gannit odioſus omni totae familiae: Caecilij, Tantam rem dibalare pro nilo, vt habuerit. Lucilij, Haec inquam rudet ex roſtris atque heilitabit. Eiuſdem, Quantum hinnitum, atque equitatum minus aperiant. Reliquae parti curandae, quae & ipſa maculis reſperſa eſt, alias operam dabo.

Locus Ariſtotelis emendatus in primo de arte poëtarum: qui cum valde corruptus eſſet in omnibus libris, tamquam anſam dedit interpretibus peccandi.

CAP. VIII.

QVOMODO corrigi debeat locus deprauatus in libro, qui reſtat Ariſtotelis de arte poëtarum, oſtendere libet: quo enim loco de vocabulis diſſerit, in quibus poëtae licentia aliqua vſi ſunt: a conſuetudineque ſermonis, addentes, aut dementes inde aliquid, diſceſſerunt: ſiue aliqua huiuſcemodi noua ratione vtentes, exemplis declarans cuiuſmodi ſit ἀφῃρημένον: cum antea docuiſſet in quo vis eius maneat (ita autem ille appellat nomen, a quo aliquid in extremo abſciſſum ſit: grammatici vero ἀποκοπὴν immutationem hanc vocant) inquit: ἀφῃρημένον δὲ, οἷον τὸ κρῖ, καὶ τὸ δῶ. quae verba adhuc integra ſunt, ac vitio carent, cum in his, quae ſequuntur, foeda macula ſit: καὶ μία γίνεται ἀμφοτέρων ἦς. vnde recte in libro, ab Aldo excuſo, nota appoſita fuit, quae vitium indicaret. Quamuis autem in aliis calamo exaratis libris aliter legatur, vt ὅις ὄις: ſiue ἴης ἦς: nulli tamen veram lectionem retinuerunt: ſed contaminata illa eſt (vt opinor) ab his, qui omnia temptarunt, vt locum reſtituerent: nec tamen conſequi, quod conati ſunt, vllo pacto potuere. Apparet autem quomodo legendum ſit ex Strabone: omniſque hic locus auxilio diligentis illius, & eruditi ſcriptoris explicatur: neque enim verba illa. καὶ μία γίνεται ἀμφοτέρων, ſunt Ariſtotelis, aliquantulum diuerſam a ſuperiore rationem alteram eius licentiae tradentis, vt quidam acceperunt, ſed poëtae: vnde ſumptum exemplum eſt. Is autem Empedocles fuit, vt Strabo indicat, qui cecinit in parte quadam poëmatis ſui: cum (vt arbitror) doceret e duobus oculis vnam fieri viſionem, amborum vi congregata. καὶ μία γίνεται ἀμφοτέρων ὄψ, pro ὄψις. quare manifeſto intelligitur vſus eadem, qua ceteri, ratione. Cum enim Strabo in viij. libro exiſtimaſſe nonnullos poſitam eſſe in catalogo ab Homero Μέσσην pro Μεσσήνην, dixiſſet (nam illo nomine oppidum nullum Peloponneſi vocabatur) exempla etiam poëtarum poſuit: quibus auctores huius ſententiae, ſedulo a ſe collectis, idem quod illic ab Homero vſurpatum putabant, ab aliis etiam aliquando factum declarabant: in quibus eſt hoc etiam Empedoclis. Verba Strabonis, quae auxilij aliquid ferunt Ariſtotelis ſententiae: ſiquis contentus auctoritatibus ipſius non fuiſſet, haec ſunt. Ἔνιοι δὲ κατὰ ἀποκοπὴν δέχονται τὴν μεσσήνην: ὑγ.... ὅτι, καὶ αὐτὴ μέρος ἦν τῆς λακωνικῆς: παραδείγμασι δὲ χρῶνται τῷ μὲν ποιητοῦ, τὸ κρῖ, καὶ δῶ, καὶ μάψ. καὶ ἔτι ἥρως αὐτομέδων τε, καὶ ἄλκιμος. ἀντὶ τοῦ ἀλκιμέδοντος: ἡσιόδου δὲ, ὅτι τὸ βριθὺ, καὶ τὸ βριαρὸν, βρῖ λέγει. Σοφοκλέους δὲ, καὶ ἴωνος τὸ ῥάδιον ῥᾶ, ἐπιχάρμου δὲ, τὸ λίαν, λῖ: συρακοὺ δὲ τὰς συρακούσας. παρ' ἐμπεδοκλεῖ δὲ, μία γίνεται ἀμφοτέρων ὄψ, ἡ ὄψις, καὶ παρ' ἀντιμάχῳ, δημήτρός τοι ἐλευσινίης ἱερὴ ὄψ. καὶ τὸ ἄλφιτον ἄλφι, εὐφορίων δὲ, καὶ τὸν ἧλον, λέγει ἧλ.

„ περὶ σιδόττα δὲ, ὅμως δ' εἰς πελάγους λευκὸν ἄκμην ἔνι, ... δὲ τὰ πόδα, τὰ πολύλια ἔρεισμα
„ φοοῖ. αὐτὰ δὲ τὴν ἀφάνειαν, συνοικίας. Euſtathius, cum locum eum Homeri interpretaretur, in quo exoritur haec quaeſtio: eſt autem verſus hic catalogi nauium. Φάριν τε, Σπάρτην τε, πολυτρήρωνά τε Μέσσην: opinionisque illius meminisſet: nam citat teſtimonium Strabonis, quem vnum in his rebus maxime durem ſequitur, in teſtimoniis aliorum poëtarum citandis, paucioribus contentus, non peruenit ad hoc Empedoclis exemplum. Hoc autem primus vidit eruditiſſimus iuuenis Antonius Angelius, quem ego ſemper magnopere dilexi, & propter animi probitatem, & propter egregiam doctrinam: commendatus vero ille his dotibus, ſummae ſpei admotus eſt, ut ſtudium omne ſuum operamque nunc conſumit in principis liberis erudiendis, atque omni ingenua arte expoliendis. Eum igitur, quem mea etiam laude libenter ornarem, ſua, ingenioque ipſius parta nolui fraudare.

Eleganter ocellos dictas ab optimis auctoribus res, quae tantum reliquis eiuſdem generis praeſtarent, quantum lumina ceteris corporis animantium partibus.

CAP. IX.

QVAM apte lepideque Catullus Sirmionem, villulam ſuam, quam laudare volebat, ab animalium fronte tranſlato verbo, ocellum peninſularum inſularumque appellarit, omnes facile intelligunt: neque enim tantus ornatus verbi: ſplendorque quempiam poteſt latere. Eſt autem metaphora e genere illarum, quae in primis probantur, atque ingens lumen afferunt: vocataeque ſunt ab eruditiſſimo viro, optimoque harum etiam minorum rerum magiſtro, ἐκ τοῦ ἀνάλογον. Cicero quoque in epiſtola quadam ad Atticum eodem pacto locutus eſt: cum diſceſſum ſuum ex Italia, peregrinationemque, quam ſuſceperat, deploraret; iniquo animo ferens ſe, iniuria aduerſariorum, improborumque ciuium, haec vitae commoda, quibus praecipue illa aetas egebat,
„ relinquere cogi: ac tam honeſtis oblectationibus ſpoliari. Inquit igitur. Cur ego tecum non
„ ſum: cur ocellos Italiae, villulas meas, non video. Praeterea in iij libro de natura Deorum eodem lumine vſus eſt, cum ſuſpirio quodam & dolore, dicens, Critolaus inquam euertit
„ Corinthum: Carthaginem Aſdrubal. Hi duo illos oculos orae maritimae effoderunt. Pin-
„ darus in ode ij. Olympiorum, qua Theronem Agrigentinum ornauit, elegantiam huius tranſlationis perſpexit, & maiores ipſius intelligens: ſummiſque laudibus in caelum ferens, reci-
„ nit. Καμόντες οἳ πολλὰ θυμῷ ἱερὸν ἔσχον οἴκημα ποταμοῦ: Σικελίας τ' ἔσαν ὀφθαλμός. Vnde etiam optimus noſtri temporis poëta: quique veſtigiis, & Latini, & Graeci, ſupra a me appellati, poëtae, premit Flaminius: ſiue illos imitatus, ſiue ingenij acumine, quo neutri eorum valde ceſſit, idem perſpiciens & ipſe in hendecaſyllabo de laudibus Mantuae non minus ap-
„ poſite cecinit. Felix Mantua, ciuitatum ocelle.

Quid valeat Graecum verbum, ἀμηχανία in epiſtola ad Atticum: locique plures veterum auctorum, in quibus idem nomen eſt, explicati.

CAP. X.

M. CICERO cum in epiſtola quadam ad Atticum inquit. Bruti ad te epiſtolam miſi:
„ dij boni, quanta ἀμηχανία: cognoſces cum legeris, videtur ἀμηχανίαν appellaſſe animi Bruti difficultatem, in epiſtula illa expreſſam, qui ſuas rationes explicare non poſſet: haec enim notio eſt Graeci illius verbi: valetque ἀμηχανία vacuitas, ac penuria conſilij: cum aliquis quomodo nodum quempiam diſſoluat non videt: nec viam inuenit, vt inde honeſte exeat. Xenophon de paranda tuendaque re familiari illo vſus eſt, vt aliis in locis, ita etiam in hoc, cum Iſchomachum, de vxore ita loquentem, induxit: quae laetata vehementer
„ fuerat praeceptis ipſius de recto ordine vtenſilium, καὶ φανερὰ ἦν ἡσθεῖσα ἰσχυρῶς, ὥσπερ ἐξ ἀμη-
„ χανίας εὐπορίαν τινὰ εὑροῦσα. Euripides quoque in primo choro Hippolyti coronati, vbi induxit chorum ipſum ſecum verſantem quid nam morbi innaſcerit repente Phaedram, aut quis tantus animi dolor oppreſſerit, vt inedia vitam finire velit, vſus eſt hoc verbo: vocauitque ἀμηχανίαν (niſi fallor) vitium mulierum, quae malarum ſuarum rerum remedium inuenire nequeunt: neque artificio vllo ſe inde explicare quaerunt, ſed tradunt ſe totas aegritudini. Locus ſane obſcurus eſt, & cuius ſenſum minime Graecae declaratiunculae aperiunt: quae hic vt
„ plurimis aliis in locis, frigidae nimis & inſulſae ſunt. Verba poëtae. Φιλεῖ δὲ τᾷ δυστρόπῳ γυναι-
„ κῶν ἁρμονίᾳ κακὰ, δύστανος ἀμηχανία συνοικεῖν. quaſi dicat: huiuſcemodi eſt temperamentum

mentum animi mulierum, atque ita durum: quodque vix flecti queat, aut temporibus ſe accommodare, vt plerumque ſociam habeat hanc ἀμηχανίαν, importunam ſane, ac miſeram. φιλεῖ namque valet hic (vt opinor) conſueuit: quod ſcilicet hoc delectetur, & enixe cupiat. vt ſane Latino verbo, quod huic reſpondet, vſus eſt etiam Horatius in iij. Odarum libro, ita canens. Aurum per medios ire ſatellites Et perrumpere amat ſaxa. In eadem fabula poſt, vbi inducit Hippolytum criminantem mulieres, incredibilemque ſententiam edentem, qua affirmauit praeſtare imbecilli conſilij vxorem domum ducere, quam acuti ſapientiſque: in reddenda ratione ſui iudicij, tantopere ab aliis diſcrepantis, ait: Τὸ γὰρ κακοῦργον μᾶλλον ἐντίκτει Κύπρις Ἐν ταῖς σοφαῖσιν: ἡ δ' ἀμήχανος γυνὴ Γνώμῃ βραχείᾳ μωρίαν ἀφῃρέθη. Vbi maniſeſto valet ἀμήχανος, ſtulta, & quae neſciat ſe expedire e ſuis cogitationibus: nec viam exitumque rerum inuenire. Eſt etiam idem verbum in tetraſticho hoc, quod Aſchines, vt alia non nulla, recitat in accuſatione Cteſiphontis: inſculptumque fuiſſe docet Athenis in primo Mercuriorum, in portícu ab ipſis vocata collocatorum.

Ἦν ἄρα κἀκεῖνοι ταλακάρδιοι, οἵ ποτε Μήδων
 Παισὶν ἐπ' Ἠιόνι, Στρυμόνος ἀμφὶ ῥοάς,
Λιμόν τ' αἴθωνα, κρατερόν τ' ἐπάγοντες Ἄρηα,
 Πρῶτοι δυσμενέων εὗρον ἀμηχανίην.

Laudans enim fortes illos viros, qui ita ornati a rep. fuerant, dicit eos primos fregiſſe conſilia hoſtium: omneſque eorum machinas conatuſque repreſſiſſe.

Argumenti vis examinata, quo in aliis multis, vtitur apud Euripidem Hippolytus, in muliebri genere exagitando.

CAP. XI.

IN eadem oratione Hippolyti, acerbaque inſectatione muliebrium morum, quod inquit, valde inſenius ipſis adoleſcens: inde etiam liquido intelligi poſſe, quam ingens malum femina ſit: quod parens, qui procreauit, qui aluit, bonam magnamque partem patrimonij, cum filiam alicui collocat, vna cum ipſa dilargitur, vt liberet ſe eo malo, videtur argumentum eſſe ductum ex eo loco, quem Ariſtoteles in ij. libro de arte dicendi pluribus verbis indicauit: atque ita denique inſcripſit. τὸ ὡς αἴτιον ὄν, εἰ μὴ γίνεται, τούτου αἴτιον φάναι εἶναι, ὃ μὴ γίνεται: certum enim eſt hoc ea de cauſa non fieri: neque parentem ſpoliare ſe aequo animo parte rei familiaris, vt e domo filiam extrudat, ſed vt commodis ipſius conſulat: neque enim decet filias expertes eſſe paternorum bonorum: & tamen videri poteſt ea de cauſa factum. res certe nonnullas moleſtas, & odioſas ita a nobis eiicimus: ac damnum omne quod facimus, negligimus. Verba poëtae haec ſunt: Τούτῳ δὲ δῆλον, ὡς γυνὴ κακὸν μέγα· Προσθεὶς γὰρ ὁ σπείρας τε, καὶ θρέψας πατὴρ Φερνὰς, ἀπῴκισ', ὡς ἀπαλλαχθῇ κακοῦ.

Craterum medicum, cuius magnum nomen Romae fuit, aetate Ciceronis floruiſſe.

CAP. XII.

CRATERI, ſummi medici, meminit Cicero in epiſtola quadam ad Atticum, de Attica, tunc aegrota, loquens. Commouet me Attica: etſi aſſentior Cratero. Nec multo poſt iterum, totidem verbis, in alia epiſtola. De Attica doleo: credo tamen Cratero. Praeterea Horatius in Satyra iij. ſecundi libri. Non eſt cardiacus, Craterum dixiſſe putato, Hic aeger. Sed & Perſius, Sed quid opus Cratero magnos promittere montes. Hic autem Craterus ille videtur, cuius ſeruus in nouum inauditumque morbum incidit: idemque admirabili quadam curatione ſanatus eſt, vt memoriae prodidit Porphyrius Tyrius in primo libro περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Κρατεροῦ τοῦ ἰατροῦ οἰκέτης ξένῳ περιέπεσε νοσήματι, τῶν σαρκῶν ἀποτηκομένων ἐκ τῶν ὀστῶν, τοῖς μὲν φαρμάκοις ὠφέλητο οὐδέν: ἰχθύος δὲ τρόπῳ ἔχιδνα σκευασθεῖσα, καὶ βρωθεῖσα ἰάσατο, τῆς σαρκὸς συγκολληθείσης. Cum igitur caro diſceſſiſſet oſſibus: nec medicamentis quicquam profici potuiſſet, narrat vipera, piſcis in morem conformata, deuorataque ab eo, liberatum ipſum eo morbo: ita namque carnem oſſibus haerere coepiſſe, ac conglutinatam eſſe.

Idem poſſe inſculpere in animo, quod γράφειν ἐν φρεσί: contraque ſignificare paene idem, in vento & aqua ſcribere, quod ἐς τέφραν γράφειν.

CAP. XIII.

QVOD Cicero in mente inſculpere dixit pluribus locis, Graeci boni poëtae γράφειν ἐν φρεσὶ dixerunt, ideſt condere in animo quippiam, atque illic firmiter collocare, vt ea, quae litteris conſignamus. Aeſchylus in Prometheo vincto. ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν. Pindarus quoque, cum ſignificare vellet, ita ſe quempiam in animo inſculptum habere, vt inde non poſſet deleri: nec vllum futurum tempus, quo penitus memoria eius extingueretur, quamuis tunc oblitus foret, ita locutus eſt initio x. odae Olympiorum, mandans Muſis, quae id ſciebant, vt legerent. Τὸν ὀλυμπιονίκαν ἀνάγνωτέ μοι Ἀρχεστράτου παῖδα πόθι φρενὸς, ἐμᾶς γέγραπται. Expreſſiſſe autem hoc quoque Terentium in Andria his verbis, apparet. Etiam nunc mihi ſcripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis. Contra Catullus in vento & aqua ſcribere dixit, de rebus quae ſubito diſſipantur: nec ſtabilitatis aliquid, aut conſtantiae habent: quod Graeci homines peruulgata voce: quaeque vim prouerbij optineret, intelligentes, aiebant ἐς τέφραν γράφειν: cinis enim quoque ipſe leui vento impellitur: nec quod impreſſum in eo fuerit, diu retinet.

Tubarum ſonus Romae adhibitus in funeribus honeſtorum hominum: reſque admiranda de docilitate picae, quam litteris mandauit grauis auctor.

CAP. XIIII.

ROMAE nobiles, ac fortunati homines efferebantur cum tubarum ſono, quod obſcure ſignificauit Propertius, cum in elegia inquit. Tibia, funeſta triſtior illa tuba. Et poſt
„ eodem libro canens. Nec mea tunc longa ſpatietur imagine pompa, Nec tuba ſit fati
„ vana querela mei. Plutarchus autem aperte in libro, quo diſputauit accurate, vtrae animantes prudentiores ſint, illae ne quae in terris, an quae in aquis vitam degunt: narrat enim Romae tonſorem quendam, cuius officina prope Graecoſtaſin erat, picam aluiſſe: quae non tantum humana verba, ceterarumque animantium voces, ſed muſicorum inſtrumentorum ſonos redderet, nullo cogente, ſed ipſam ſemetipſam exercentem, ſtudentemque nihil a ſe non expreſſum effictumque relinquere. Cum autem forte illac funus diuitis hominis duceretur, in quo multae tubae canebant; & vt moris erat, eo in loco reſtitiſſet, tubicines illos probatos a multitudine: iuſſoſque canere, non parum temporis ibi conſumpſiſſe. Poſt illum autem diem picam ita ſermone omni, ſonoque caruiſſe, vt ne vocem quidem ſuam propriamque ederet, ad motus animi indicandos ipſi a natura datam: quod ſilentium ipſius admirationem non paruam attulit illis, qui antea, illac tranſeuntes, ſuſpicere ſoliti erant loquacitatem eius auis. diuerſique (vt ait) cauſam eius quaerentes varia afferebant: partim enim ſuſpicabantur aemulos medicamentis quibuſdam id feciſſe: partim autem, quae maior pars erat, arbitrabantur tubarum clangorem audiendi ſenſum corrupiſſe, vnaque vocem etiam extinctam eſſe. in quo tamen vtroſque falſos deceptoſque fuiſſe conſtitit: neque enim alterutrum eorum fuerat, ſed meditatio vt intelligi potuit, & tamquam receſſus quidam, reditusque in ſe ipſam, partis animae, quae imitatur. Illa namque tamquam inſtrumentum quoddam, inſtruebat vocem, ac praeparabat. Repente enim venit, ac refulſit, vt inquit, nullam conſuetarum vetuſtarumque illarum imitationum, ſed tubarum cantus iiſdem circuitibus quibus artifices illi vſi fuerant, edens, vt perſequeretur etiam immutationes, atque omnes muſicorum ictuum numeros percurreret. Ex hac autem longa narratione & Inſtitutum veterum, quod e tenebris eruere volui, declaratur. & lepida incredibiliſque res exponitur. Sed moris huius ipſius mentionem quoque fecit Hyginus in fabularum libro, capite CCLXXIIII. quo commemorat
„ quis quid inuenerit, his verbis. Quod exemplum hodie Romani ſeruant, & cum aliquis
„ deceſſit tibicines cantant: & amici conuocantur, teſtandi gratia eum, neque veneno, ne-
„ que ferro interiiſſe.

Graeca Menandri verba, quae Terentius duobus locis expreſſit, adpoſita.

CAP. XV.

NISI calamitate temporum ſuperiorum, aut errore quodam nimis ſeuerorum hominum, qui omnes vndique delicias, & animi remiſſiones multitudini eripere voluerunt, fabulae Menandri, Philemonis, Apollodori, & aliorum eius generis comicorum interiiſſent,

riliſſent, praeter alios multos fructus, qui inde maiores capi potuiſſent, haec etiam non mediocris vulitas inde ſumpta foret, quod Latinae linguae ſtudioſi; candoriſque ipſius amatores, veram rationem in Latinum vertendi Graecorum ſcripta didiciſſent: cum plures Latinas comoedias, & a Plauto, & a Terentio ex illis poëtis verſas, habeamus. Sed quoniam tanto huic malo remedium adhiberi non poteſt, ſi quae illorum ſuauiſſimorum ingeniorum reliquiae vſquam inueniuntur, quae hoc praeſtare queant, illas ſedulo tueri: & ne omnino extinguantur operam dare: cui rei ipſe diligenter incumbam. Cum igitur domi habeam Terentium collatum ab Angelo Politiano annis ab hinc lviiij. cum vetuſto exemplari Petri Bembi, nobilis ac magnae etiam tum ſpei adoleſcentis, & in eius margine verſus nonnulli Graeci expreſſi a Terentio legantur (neque enim contentus fuit eruditiſſimus ille, atque in primis antiquitatis ſtudioſus vir, collatione ipſa poëtae, ſed declarationes etiam, quae in eo leguntur, deſcripſit) libet illos hic ponere, vt ab omnibus cognoſci, ac legi poſſint. In Heauton timorumeno igitur contra verſum hunc, Texentem telam ſtudioſe ipſam offendimus. adnotatum eſt. ἐξ ἱστίου τῷ ἱστίματι φιλοπόνως πάνυ, qui manifeſto verſus eſt Menandri illic expreſſus. In quo etiam animaduertendum Graecum poëtam indicaſſe priſcam rationem texendi, dicendo ipſam aptam fuiſſe, ac pependiſſe ex ipſa tela, quam etiam oſtendendae adhuc magis tenuitatis Antiphilae cauſa imminuto nomine appellat. Praeterea non multo poſt ibidem adnotatum eſt, καὶ θεραπαινὶς ἦν μία Αὕτη συνύφαινε, ῥυπαρῶς ἠμελημένη. quae interpretatio eſt huius loci, praeterea vna ancillula Erat: ea texebat vna: pannis obſita, Neglecta, immunda inluuie. Menandri autem ipſius Eunucho verba, quibus deſcripſit ingenia & mores meretricum: ediditque quod Terentius ita expreſſit. Quae dum foris ſunt, nihil videtur mundius, Nec magis compoſitum quicquam: nec magis elegans Quae cum amatore ſuo cum cenant, ligurriunt Harum videre ingluuiem, ſordes, inopiam Quam inhoneſtae ſolae ſint domi, atque auidae cibi: Quo pacto ex iure externo panem atrum vorent, non ſane inueni, verum cum in eandem ſententiam ab eleganti ſcriptore Graeco prolatam inciderim, hoc quoque adnotare: duoſque hos locos inter ſe conferre, non inutile putaui. Aelianus igitur in epiſtola, quam fingit Chremetem, agreſtem hominem, mittere ad Parmenonem, inſimulans, & ipſe ſtudium, artemque meretricum, inquit. καὶ λάθρα μὲν ἀλφίτων πάρτα, καὶ κατεπίνοντο, ὑπὸ τῶν ἐρασμίων, τῶν ἐν ἀγορᾷ: παρόντων δὲ ὑμῶν, βρωμίζονται. Quod autem panem atrum, vilem ſignificare volens, Latinus comicus inquit, veriſimile eſt apud Graecum ἄρτων μέλανα extitiſſe: hocque verbum ex verbo expreſſum fuiſſe: commemoratur enim acuta lepidaque vox Philoxeni paraſiti ab Athenaeo in vj. libro vbi plures condicionis hominum ſales exponit: in qua haec ipſa verba ſunt. Cum enim qui vocaſſet eum ad cenam, atros panes adpoſuiſſet, admonuit ne multos eius generis adponeret, ne tenebras induceret.

Sublata macula ex oratione Demoſthenis, quae nata fuerat ex corrupta pronuntiandi ratione: illa autem totius illius loci ſententiam peruertebat.

CAP. XVI.

ERRATVM librarij eſt in quarta Philippica Demoſthenis, vt veteres ipſam vocare conſueuerunt: quae tamen nunc prima inſcribitur. Vbi enim quid conſilij afferat ad reſiſtendum Philippo exponere voluit, metuens ne repudiaretur, quia modicam claſſem putabat ornandam, antea ſibi viam muniuit, vtilitatem illius ſententiae diligenter explicans: docenſque non eos, qui magnas, ac ſubitas copias decernant, videre quid tempus illud requirat: cuius etiam rei rationem reddit hoc pacto: non enim quae iam facta ſunt, auxiliis nunc eo miſſis, vbi incommoda accepta ſunt, prohibere poſſumus: ſed qui oſtenderit, qui apparatus belli: quantuſque, & vnde comparatus, permanere poſſit, donec aut honeſtis condicionibus bellum finierimus, aut ſuperiores in eo hoſtibus fuerimus. Initio igitur huius προθεραπείας: ita enim Graeci, magiſtri dicendi, huiuſcemodi locos appellant, cum oratores, timentes ne explodatur, quod dicturi ſunt, praeparant animos eorum qui audiunt, ita legitur in excuſis libris, ac nonnullis etiam ſcriptis. Δεηθεὶς ὑμῶν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοσοῦτον: ἐπειδὰν ἅπαντα ἀκούσητε, κρίνατε καὶ μὴ πρότερον προλαμβάνετε. μὴ δ᾽ ἂν ἐξ ἀρχῆς δοκῶ τινι καινὴν παρασκευὴν λέγειν, ἀναβάλλειν με τὰ πράγματα ἡγείσθω. cum videatur omnino κενὴν legi debere, longe diuerſa notione huius nominis, quamuis parua immutatione facta, ſonoque tantum vocis variato: qui ſimplex nunc eſt, cum antea mixtus ex duabus litteris foret. Locum autem hic non eſſe illi lectioni inde etiam perſpicitur, quia noua conſilia & antea non audita, attentiorem per ſe faciunt auditorem: ac veterum malorum finem in ſe habitura putantur: cum praeteritae rationes, vſitataque conſilia, ab exitu ipſo, inutilia iudicentur. Auctor quoque declarationum, quae in primam partem eius orationis excuſae ſunt,

ſae ſunt, manifeſto ſic legit, cum ita interpretetur verba illa αὐτὸ παραυτίκα: quamuis apud eum quoque idem verbum corruptum ſit. ſententiam autem exprimam. Quantum ad exiſtimationem Athenienſium, qui magnas copias decerni volebant: Demoſthenes vero, intelligens quo loci fortunae ciuitatis ſint, paruas. Nam infra etiam Demoſthenes contemnit illos, qui maximas copias cenſebant armandas, cum eorum nihil poſtea fieret. Vnde, via iam conficiendae pecuniae indicata, adiunxit, excitans illos ad ea, quae plebiſcitis complexi eſ-
„ ſent, peragenda. ἵνα μὴ μόνον ἐν τοῖς ψηφίσμασι, καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς πολεμῆτε Φιλίππῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς
„ ἔργοις. Quod etiam in eorum moribus notauit Liuius, cum aduerſus alium Philippum ple-
biſcitis ſaeuirent, ac facti eſſent, creſcente ſemper deſidia, ignauiores. In xxxj. enim libro
„ inquit. Athenienſes quidem litteris verbiſque, quibus ſolis valent, bellum aduerſus Philip-
„ pum gerebant. Omnino tota hac oratione ciuibus ſuis perſuadere conatur Demoſthenes, ne mittendo auxilia putent ſe poſſe Remp. tueri, ſed manum ſemper inſtructam, ac paratam habeant, quae omni occaſione bene gerendae rei vtatur, nec vnquam ceſſet ei moleſtiae
„ aliquid detrimentique importare. Vnde, cum infra dixerit. Δεῖ τοίνυν ὑμᾶς ταῦτα ἐνθυμου-
„ μένους, μὴ βοηθείαις πολεμεῖν: ὑστεριοῦμεν γὰρ ἁπάντων, flagitium illius magis intelligi poteſt, qui pro βοηθείαις, ſcribi oportere cenſuit χρονίαις.

Facere videri interdum abundare in Latino ſermone, cum tamen, ſi non ſententiam, ornatum ſaltem verborum adiuuet.

CAP. XVII.

SVNT certi quidam modi loquendi, ſingularum linguarum proprij, qui ſuſpecti hominibus non eiuſdem nationis ſunt: ſaepeque corrupti exiſtimantur: & tamen non ſolum omni macula carent: nihilque in ipſis aut abundat, aut deeſt, ſed plane elegantes ac venuſti ſunt. Huiuſmodi autem eſt, quod Cicero in v. li-
„ bro Tuſculanarum inquit. An Scythes Anacharſis potuit pro nihilo pecuniam
„ ducere, noſtrates philoſophi facere non potuerunt? Quod enim videtur otioſum hic, facere, nullo modo vacat; neque tolli debet: ſed ita Latini homines loquebantur: vt Lucretius etiam, vbi de furore amoris diſſerit: oſtenditque voluptatem, qua in rebus Venereis fruuntur, ea
„ perturbatione inflammati, liquidam ſinceramque non eſſe: ait enim. Quoniam nil inde
„ abradere poſſunt Nec penetrare, & abire in corpus corpore toto. Nam facere interdum velle, & certare videntur. Hic enim quoque ſine illo verbo, indefinito tempore poſito, ſententia conſtaret: venuſtatis tamen non parum elegantiaeque id verbum ſecum apportat. Budaeus quoque, ſummi iudicij vir, reconditaeque doctrinae, hoc Latinum verbum ſaepe παρέλκον adoptauit. Nos etiam patrio ſermone hoc retinuimus, ac ſaepe ita loquimur.

Sapphonis carmen cum Horatij carmine collatum, propter ſententiae ſimilitudinem.

CAP. XVIII.

CVM ea vis ſit amoris, vt e pectore eorum, quos occupauit, eiiciat reliquas omnes curas, exturbaſſe ipſum ex animo Neobules muliebria cuncta ſtudia, & inſtrumenta lanificij eleganti hoc carmine cecinit Horatius. Tibi
„ qualum Cythereae puer ales, Tibi telas: operoſaeque Mineruae ſtudium au-
„ fert Neobule Liparaei nitor Hebri. Suauiſſimum autem carmen Sapphonis apud Hephestionem, qui ſcripſit de metris, legitur: quo virgo, blande ipſam appellans, mira quadam ſimplicitate animi confitetur matri, ſe ictam vulnere amoris, deſiderioque a-
„ doleſcentis captam, non poſſe telam texere. Illud igitur hic ponam Γλυκεῖα μᾶτερ, οὔ-
„ τι δύναμαι κρέκην τὸν ἱστόν, πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς βραδίναν δι᾽ Ἀφροδίταν. Qualum autem vas eſſe lanificiis aptum, qui Graece vocatur calathus, traditum eſt a veteribus
„ grammaticis. Cicero in tertia contra M. Antonium ὑποκοριστικῶς quaſillum dixit. At ve-
„ ro huius domi inter quaſilla pendebatur aurum. Nam veram hanc eſſe eius loci lectionem, quam reſtituit Ferrarius ope ſcriptorum librorum, confirmatur etiam teſtimonio Seruij, in-
„ terpretis Vergiliani: qui in declaratione verſus illius e ſecunda ecloga. Ecce ferunt nymphae
„ calathis, locum hunc M. Tullij adduxit.

Vt attingere & guſtare μεταφορικῶς dicitur a Cicerone, ita ἅπτεσθαι & γεύεσθαι a Platone.

CAP. XIX.

Attingere & guſtare μεταφορικῶς Cicero ſimul dixit, vt Plato ἅπτεσθαι & γεύεσθαι ſeorſum. Pro Archia. Quod ſi ipſi haec neque attingere: neque ſenſu noſtro guſtare poſſumus, & quae ſequuntur. Pro Caelio. Equidem multos & vidi in hac ciuitate, & audiui, non modo qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitae: & extremis vt dicitur, digitis attigiſſent: & quae ſequuntur. Plato in iij. libro de rep. Τί δὲ ἂν αὖ γυμναστικῇ πολλὰ πονῇ, καὶ εὐωχῆται εὖ μάλα: μουσικῆς δὲ καὶ φιλοσοφίας μὴ ἅπτηται. Paulo poſt. ἅτε οὔτε μαθήματος γευόμενον οὐδενός: οὔτε ζητήματος: οὔτε λόγου μετίσχον, οὔτε τῆς ἄλλης μουσικῆς. Nam quod tangere viurpauit Terentius pro laedere: acutaque voce alicuius exiſtimationem violare, cum in Eunucho induxit, militem ita loquentem. Ξ quid Gnatho Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio Numquid dixi tibi? apud Graecos ἅπτεσθαι eodem intellectu capiebatur: vt teſtatus eſt Ariſtoteles in primo libro de ortu & interitu, his verbis. ὥστ᾽ εἴ τι κινεῖ, ἀκίνητον ὄν, ἐκεῖνο μὲν ἅπτοιτ᾽ ἂν τοῦ κινητοῦ: ἐκείνου δὲ οὐδέν: φαμὲν γὰρ ἐνίοτε τὸν λυποῦντα ἅπτεσθαι ἡμῶν, ἀλλ᾽ οὐκ αὐτοὶ ἐκείνου. Sed etiam, cum idem oſtendere volebant, θιγεῖν aliquando dicebant: cuius verbi eadem vis eſt, quae huius ſuperioris. Eodem etiam ſenſu Virgilius inquit. Nec ſolos tangit Atridas Iſte dolor.

Nouas fabulas, quas vocarunt Latini, Graecos appellaſſe καινὰ δράματα: maioreque ſtudio illa ſpectari ſolita.

CAP. XX.

Qvae nouae fabulae dictae ſunt a Terentio, a Graecis καινὰ δράματα vocabantur. Mneſilochi verſus hi leguntur apud Laërtium in Socratis vita: quo loco ſtatim a principio traditur ipſum philoſophum ſolitum eſſe in fabulis ſcribendis adiuuare Euripidem. Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ᾽ Εὐριπίδου, ᾧ καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν᾽ ὑποτίθησι. Demoſthenes quoque de falſa ementitaque legatione, cum Aeſchinem vrgeret; nec poſſe tunc, vt rudem imperitumque iudiciorum, non reſpondere affirmaret, id protulit: vetus enim ſtudium eodem tempore illi obiectauit: haec autem ipſius verba ſunt. Ὁς γὰρ ἀγῶνας καινοὺς ὥσπερ δράματα, καὶ τούτους ἀμαρτύρους περὶ διαμεμετρημένην τὴν ἡμέραν αἱρεῖ διώκων, δῆλον ὅτι πολλοὺς ἤ τις. In plebiſcito etiam quodam, incluſo nunc in oratione ipſius pro Cteſiphonte, ſcriptum eſt τραγῳδῶν ἀγωνιζομένων καινῶν. Latinus comicus in prologo Hecyrae ipſarum ſaepe mentionem fecit: & in eadem quoque parte Phormionis, cum inquit. Ξ apporto nouam Epidicazomenon quam vocant, comoediam. In quo animaduertendum cum in lemmate comoediae huius Graecam Appollodori fuiſſe ſcriptum ſit, aut erratum librariorum illic eſſe, aut aliam quoque eodem titulo fabulam editam fuiſſe. Inueni enim apud Graecos grammaticos citatum Diphilum ἐπιδικαζομένῳ. Appellabant autem Graeci non fabulas ſolum nouas, ſed hiſtriones etiam nouos: vt Plutarchus in libro de exilio, vbi commemorat ſummos philoſophos, Platonem, Xenocratem, Polemonem, in Academiae modico agello aequo animo vitam egiſſe: niſi quod Xenocrates ſingulis annis ad vnum tantum diem in vrbem deſcendebat καινοῖς τραγῳδοῖς: ſed etiam in vij. libro Sympoſiacon: quo loco Laconis vocem refert, qui Athenas profectus, nouis tragoedis pugnantibus, cum cerneret choragorum apparatus: ſtudiaque doctorum, & concertationem, dixit inſanire ciuitatem, quae, tanto adbibito ſtudio, luderet.

Duo ſimiles loci, graues, duorum maximorum ſcriptorum, ſuauitate quadam conditi.

CAP. XXI.

Plato, cum videret, neceſſe ſibi eſſe poëtas, quorum fabulae abhorrebant a moribus, inſtitutiique illius reipublicae, quam tunc fingebat, vacuam ab omni labe, quae aliquando contaminare ipſam poſſet, eiicere ſe inde ipſos, a quorum poëtarum ſtudio natura non alienus erat, verſatuſque in eo aliquando fuerat, cum laude non parua; prius quaſi ſe purgauit, & operam dedit, ne hoc conſilium ſuum ad aures eorum perueniret: verebatur enim offenſionem illorum: quare dixit, ſe id ſaue facturum, cum confideret beneuolentiae vnius eorum, cum quibus tunc loquebatur, ſperaretque eum ipſis hoc celaturum; locus eſt

apud eum in x. libro politiae, verbiſque his ipſis integerrimus ſenex illic vſus eſt.
» ὡς μὲν πρὸς ὑμᾶς εἰρῆσθαι (οὐ γάρ μου κατερεῖτε πρὸς τοὺς τῆς τραγῳδίας ποιητὰς, καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας
» τοὺς μιμητικοὺς) λώβη ἔοικεν εἶναι πάντα τὰ τοιαῦτα τῆς τῶν ἀκουόντων διανοίας. ὅσοι μὴ ἔχουσι φάρ-
» μακον, τὸ εἰδέναι αὐτὰ, οἷα τυγχάνει ὄντα. M. Cicero hunc locum imitatus eſt, egregieque expreſſit in i. libro de legibus, mutatis iis, quae oportebat variare: cum enim ratio, quam tradebat, poſtularet; vt ſibi ſtatim concederetur, vniuerſum hunc orbem prouidentia Deorum regi, atque adminiſtrari, rogauit, qui praeſens aderat illi ſermoni, & pars ipſius erat, Pomponium, vt ſibi hoc daret, quod certe facere non poterat ſine ſua culpa, & ira eorum, qui ſocij eſſent illius diſciplinae, cum Epicureus foret; Inuenit tamen ipſum faciliorem, quam ſperari poterat, cuius ſuae facilitatis cauſam etiam ille attulit, dicens, ſe id facere, quia ſecuro animo erat, nequis ſuorum condiſcipulorum audiret, propter auium concentum, ſtrepitumque amnium, qui eo in loco, quo diſputabatur, rapidi fluebant; locati igitur ſunt ambo in rebus grauibus exordiendis. Nam loci, ſediſque ſimilitudo, in qua de magnis rebus a duobus magnis auctoribus diſputaretur, elegantiſſimis verbis expoſita eſt a Cicerone. Minore tamen labore impetrare potuit Socrates a ſtudioſis ſapientiae, vt tacerent, quam ab homine, qui haereſim aliquam amaret, vt dogma proderet, ac tamquam ſolum, fundamentumque ipſius euerteret. Huiuſcemodi etiam eſt illud, quod a Cicerone dictum eſt, de P. Ru-
» tilij defenſione, quae ſine vllis praeſidiis artis acta eſt. Quid multa? pedem nemo in illo iu-
» dicio ſupploſit, credo, ne Stoicis renuntiaretur; erat enim Rutilius deditus durae, ac nimis ſeuerae, rationi Stoicorum, a qua diſcedere tunc, cum magno ſuo malo, noluit.

Vocabula quaedam Latina capi a ſuis hominibus, vt Graeca quoque a Graecis, pluribus modis.

CAP. XXII.

QVAS familias M. Cicero ſaepe philoſophorum vocauit, vt in primo libro de Oratore cum inquit. Et cum vniuerſi in te impetum feciſſent, tum ſingulae familiae litem tibi intenderent, Graeci ſcriptores γένη appellabant: quod verbum omnibus modis Latino reſpondet. Ariſtoteles certe, in libro qui rationem tradit refellendorum fallacium argumentorum, inquit hoc ſenſu. Βέλτιον πρὸς τὸ
» παράδοξα λέγειν, σκοπεῖν ἐκ τοῦ γένους ὁ διαλεγόμενος. Vt enim propria familiae vocatae, ceu Heraclidarum, Aeacidarum, Pelopidarum, ab illis ipſis ortum ducebant, ita hae quoque, ob ſimilitudinem familiae appellatae, habebant ſuos auctores, ac duces: a quibus tamquam capitibus aliquibus, manabant. Animaduertendum praeterea, quod aſſimile huic eſt, quas Cicero vocare conſueuit nationes: vt nationem candidatorum nationem publicanorum: nationem optimatium, eodem pacto, verboque, quod huic reſpondet, ſoli ita eadem illa lingua appellari. Vt autem eiuſdem optimi ſcriptoris, non ſolum doctiſſimi, & omnium rerum ſcientia ornatiſſimi, auctoritate id oſtendamus, Ariſtoteles in primo libro μετεωρικῶν inquit: ἐκεῖ γὰρ ἐφεῖται χωρίζειν τὰ τῶν ἱερῶν ἔθνος. Valet autem ordinem quendam, & tamquam collegium. Nationem tamen Cicero in ij. de natura Deorum dixit, cum familiam philoſopho-
» rum, αἵρεσιν que intelligeret, ideſt Epicureos. Ita ſalem iſtum, quo caret veſtra natio, in
» irridendis nobis nolitote conſumere. Xenophon praeterea in libro de paranda, tuendaque re familiari, ἔθνος appellauit, quod plerumque γένος vocari conſueuit, vt virile, ac muliebre
» genus: ait enim. ὅτι οὐκ ἂν ἔχοι βέλτιον ποιεῖν τὸ ἔθνος τὸ θῆλυ, ἢ τὰ ἀρρένων τούτων πλημμελεῖν.

Notatus loquendi mos, peculiaris M. Varronis: qui, quotquot annis, crebro dicere ſolebat.

CAP. XXIII.

INTELLIGITVR M. Varro indicio antiquorum librorum geminare in ſermone ſolitus particulam quot, ac ſaepe dicere quotquot annis, cum ſingulis annis ſine intermiſſione ſignificare vellet. Librarij autem, vel potius ſiniſtri quidam correctores, alteram earum vocum, ſupernacaneam putantes: ſine cauſaque repetitam, plerumque ſuſtulerunt. Hoc perſpicitur e v. libro de lingua Latina pluribus locis, qui etiam vicini inter ſe ſunt: vt cum docet, quae ratio ſit huius vocabuli Fun-
» dus, ac quod etymon habeat: inquit enim Ager, quod videbatur pecudum, ac pecuniae eſ-
» ſe fundamentum, fundus dictus: aut quod fundit quotquot annis multa. Nec multo poſt.
» Ager reſtibilis, qui reſtituitur, ac reſeritur quotquot annis. Pauloque infra. Prata dicta ab

„ eo, quod ſine opere parats: quod in agris quotquot annis rurſum facienda eadem, vt rurſum
capias fructus. Ita enim omnibus his locis iterata ea particula ſcriptum eſt in vetuſtiſſimo il-
lo fideliſſimoque exemplari: cum formis excuſi libri ſemel tantum habeant. Eodem tamen
libro, quo loco de Sacra via: vndeque ipſi nomen impoſitum ſit, diſputat, recte in impreſſis
„ quoque libris ſcriptum eſt. Qua ſacra quotquot menſibus feruntur in arcem.

Indicata vetus lectio, valde diſcrepans a recepta, in III. Commentario Caeſaris de bello Ciuili.

CAP. XXIIII.

LOCVM hunc C. Caeſaris ciij. libro de bello Ciuili, aliter legi animaduerti in
vetuſtiſſimo exemplari: cui etiam alij, quos vidi, calamo exarati libri aſſentiun-
„ tur, atque in excuſis nunc legatur: cum enim in his ounc ſit. Pompeiani, quod „
„ is mons erat ſine aqua, diffiſi ei loco, relicto monte, vniuerſi ſimul Lariſſam
„ verſus ſe recipere coeperunt. Quare animaduerſa, Caeſar copias ſuas diuiſit,
& quae ſequuntur. in eo pro ſimul, eſt, iuris eius; quod non temere eſſe putans, in tam fideli
exemplari, adnotare volui: fieri enim poteſt, vt aliquis obſcuritatem antiquae lectionis fugiens,
ita de opinione emendarit. Ego autem potius arbitror diligenter quaerendum quomodo ma-
nere poſſit haec lectio: auctores enim aliquando vtuntur modo aliquo loquendi rariore: ne-
que crebro ab aliis ſcriptoribus vſurpato, cuius tamen ratio reddi poſſit: quaedam autem non
plane nobis percepta eſſe in alieno ſermone, ac multis iam ſeculis derelicto, mirari non debe-
mus. Videndum igitur, vt quid ipſe de hac re ſentiam, oſtendam: admoniculique aliquid
„ dem, an ſi dixit, vniuerſi iuris eius Lariſſam verſus ſe recipere coeperunt, intelligere voluerit,
eius fortunae an condicionis: vt victi ſcilicet ſuperatique in proelio forent. Iidem praeterea
„ libri in altero hoc diſcrepant a communi lectione, quod in illis eſt. Qua ſpe animaduerſa:
„ elegantius multo, vt mihi videtur: eſt enim ἀντίθεσιν ſuperioris vocis diffiſi: a contrarioque
reſpondet illi verbo.

PETRI

„ vocem vllam peruerterit: ita enim nunc legitur in excuſis libris mendoſe: niſi fallor. Ro-
„ manus poſt principes haſtatorum prima ſigna: in ſubſidiis triarios conſtituit: videtur enim le-
gi debere. Romanus principes poſt haſtatorum prima ſigna: hic enim mos Romanorum e-
rat, quem tunc traditum eſt, Publium ſeruaſſe. vt patet ex multis locis huius hiſtoriae. Infra
„ eodem libro, cum commiſit proelium cum Annibale, Inſtruit deinde primos haſtatos: poſt
„ eos principes: triariis poſtremam aciem clauſit. Item in xxxvij. Haſtatorum prima ſigna:
„ deinde principum erant. Triarij poſtremos claudebant. Haec igitur erat conſuetudo Ro-
manae militiae, niſi enim aliquid nouabatur. Polybius autem eſt, qui teſtatur Scipionem ſim-
pliciter, & ex conſuetudine tunc aciem ſtruxiſſe: omnes enim illas res in xiiij. libro expoſuerat.
vt ex excerptis intelligitur, in quibus bona magnaque pars earum continens adhuc legitur.
quod autem huc facit, manifeſtoque declarat illo modo corrigi debere, hoc eſt, ὁ μὲν οὖν
„ πόπλιος ἁπλῶς, κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος, ἔθηκε πρώτας μὲν τὰς τῶν ἁστάτων σημαίας: ἐπὶ δὲ ταύταις τὰς τῶν
„ πριγκίπων: πλαγίας δ' ἐπέστησε κατόπιν τὰς τῶν τριαρίων. Quod autem paulo antea Magnos quoſ-
dam vocatos campos in Africa Liuius indicauit, eoſdem Graecus ſcriptor μεγάλα πεδία ap-
pellauit: putoque ipſum intellexiſſe Latinum poëtam, vnde diſſerens de hypallage, exemplum
„ ſumpſit Cicero in iij. libro de Oratore. Teſtes ſunt magni campi. Crederem autem fuiſſe
„ illum Ennium. nam apud Nonium in dictione Politiores. hic locus citatur. Ennius ſatyra-
„ rum libro iiij. Teſtes ſunt lati campi, quos gerit Africa terra politos, niſi epitheton aliud illic
„ eorum camporum eſſet, cum eadem licentia, & immutatio illic ſit.

*Erratum Plutarchi pateſactum in re Romana commemoranda: memoriae vi-
tio nominibus perſonarum immutatis.*

CAP. III.

GRAECI ſcriptores, non minimi etiam ponderis, ſed eruditi, graueſque in pri-
mis, in rebus Romanis memoriae prodendis aliquando turpiter peccant, vt Plu-
tarchus magnae auctoritatis vir, & quo nemo aequalium plura ſciuit: in libro
enim, quo rationem tradit diſtinguendi amicum ab adulatore, quum praecla-
rum ingenuumque factum Cn. Domitij aduerſus M. Scaurum, inimicum ipſi-
us: reumque, referre vellet, hiſtoriam contaminauit: remque ipſam contra, ac facta erat,
expoſuit, perſonis immutatis: quod enim Domitius egit, Scauro attribuit, ac de Scauro, tam-
„ quam accuſatore loquitur: reo autem Domitio. Verba ipſius haec ſunt. Σκαῦρος ἐχθρὸς ὢν
„ δομιτίου, καὶ κατήγορος. οἰκέτης ἦν τοῦ Δομιτίου πρὸ τῆς δίκης ἧκε πρὸς αὐτόν, ὡς ἔχων τι μηνῦσαι τῶν
„ λανθανόντων ἐκεῖνον: ὁ δὲ οὐκ εἴασεν εἰπεῖν, ἀλλὰ συλλαβὼν τὸν ἄνθρωπον, ἀπέστειλε πρὸς τὸν Δομίτιον.
Res autem ipſa litteris mandata eſt; copioſeque narrata a Cicerone pro Deiotaro rege his ver-
„ bis. Cn. Domitius, ille, quem nos pueri conſulem, cenſorem, Pont. max. vidimus, cum
„ tribunus Pl. M. Scaurum, principem ciuitatis, in iudicium populi vocauiſſet: Scaurique ſer-
„ uus ad eum clam domum veniſſet, & crimina in dominum delaturum ſe eſſe dixiſſet, compre-
„ hendi hominem iuſſit, ad Scaurumque deduci. nam quin ita geſta fuerit dubitari non poteſt:
praeterquam enim quod magis Romano homini, propinquoque temporum illorum, quam
Graeco, & remoto, credendum eſt, Aſconius etiam rem narrat, vt Cicero: quare conſtat eru-
ditum ſcriptorem in hac re memoria lapſum.

*T. Liuij ſententiam illuſtrem videri ab Homero acceptam: alioque loco eun-
dem imitatum eſſe locum quendam eiuſdem poëtae, ſup-
preſſo itidem auctoris nomine.*

CAP. IIII.

APVD T. Liuium Libro xxij. ab vrbe condita Maharbal Poenus ita inſimulat
Annibalem, quod poſt Cannenſem pugnam victorem exercitum Romam non
„ adduceret. Non omnia omnibus dij dedere: vincere ſcis Annibal: victoria
„ vti neſcis. Aeneas itidem apud Euripidem in Rheſo queritur Hectorem non
tam valere conſilio quam manu: nec tamen id mirum videri debere fatetur:
neque enim idem vir ad omnia tenenda natura factus eſt; hoc namque munus huic: aliud
vero alij mortali datum, te quidem inquit bonum pugna: hos vero conſiliis dij genuere.
„ Verba poëtae ipſius haec ſunt. Εἴθ' ἦσθ' ἀνὴρ εὔβουλος, ὡς δρᾶσαι χερί: Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐτὸς πάντ'
„ ἐπίστασθαι βροτῶν Πέφυκεν: ἄλλῳ δ' ἄλλο προσκεῖται γέρας: Σὲ μὲν, μάχεσθαι, τοὺς δὲ, βουλεύειν καλῶς.
„ Sententiam eandem in penultimo libro Iliadis Homerus his verbis protulit. „ Οὐδ' ἅμα πάντες

Ἐν πάντεσσ' ἱεροῖσι θυάμενα αὐτῷ γελίδα. Vnde accepiſſe illam Latinum ſcriptorem propter dignitatem poëtae: & quia illuſtri loco poſita erat, exiſtimandum eſt. nam aliis etiam in locis imitatum eum fuiſſe loca quaedam Homeri nullo negotio intelligitur. vt cum in xxx. libro narrauit proelium, quo P. Scipio Annibalem in Africa deuicit: in media enim expoſitione earum rerum, cum nudata iam equite Punica acie, concurriſſe peditem, nec ſpe, nec viribus parem, oſtendiſſet, addidit. Ad hoc dictu parua, ſed magni eadem in re gerenda momenti res: congruens clamor a Romanis: eoque maior & terribilior: diſſonae illis, vt gentium multarum, diſcrepantibus linguis, voces: Quis enim neſcit, qui modo praeclarum illud poëma primoribus labris aliquando guſtarit, praeſtitiſſe Graecos modeſtia Troianis canere Homerum in quarto Iliadis: cuius ſignum eſſe vult ſilentium, quo, cum in certamen prodirent, vterentur: cum contra magnus diſſonuſque clamor in exercitu Troianorum eſſet: quam vociferationem, indicem licentiae, ſimili declarat. eius autem vociferationis rationem reddere volens, inquit. copiae enim Troianorum e pluribus nationibus conſtabant, quae diuerſa lingua vterentur. Sed vt quod de hac re ſentio aperiam, arbitror potius ex hiſtoria Polybij, quam ex fonte ipſo hanc ſententiam hauſiſſe T. Liuium. Graecus enim ſcriptor, quem multo plus quam videri velit, ſequitur Liuius, cum id commemoraret, in oſtendendo vario illo diſcrepanteque ſono, quem auxilia Carthaginienſium, e diuerſis gentibus collecta, edebant, teſtimonium Homeri citauit; verbaque ipſius poſuit; omnis autem locus in excerptis xv. libri hic eſt. Ἐπεὶ δ' ἐγγὺς ἦσαν ἀλλήλων οἱ μὲν Ῥωμαῖοι κατὰ τὰ πάτρια συναλαλάξαντες καὶ συμψοφήσαντες τοῖς ξίφεσι τοὺς θυρεοὺς, προσέβαλλον τοῖς ὑπεναντίοις: οἱ δὲ μισθοφόροι τῶν καρχηδονίων ἀδιάκριτον ἐποίουν τὴν φωνὴν, καὶ παρηλλαγμένην: οὐ γὰρ πάντων ἦν, κατὰ τὸν ποιητὴν, ὁ αὐτὸς θρόος: οὐδ' ἴα γῆρυς. ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα: πολύκλητοι δ' ἔσαν ἄνδρες. καθάπερ ἀρτίως ἐξηριθμησάμην.

Collatus Ciceronis locus e III. Libro de rep. cum eo, quod ab eodem alibi de eodem homine dictum eſt: Athenaeique lapſus eandem rem tradentis, indicatus.

CAP. V.

HASE M. Ciceronis verba e iij. libro de republica, citata a Nonio, manifeſto prolata ſunt de M' Curio. Cuius etiam focum Cato ille noſter, cum venerat ad ſe in Sabinos, vt ex ipſo audiebamus, viſere ſolebat: apud quem ſedens, Samnitum, quondam hoſtium: tum iam clientium ſuorum, dona relegauerat. Idem autem Cicero in Catone maiore poſuit, non valde diſſimilibus verbis. Curio, ad focum ſedenti, magnum auri pondus Samnites cum attuliſſent, repudiati ſunt: non enim aurum habere praeclarum ſibi videri dixit, ſed eis qui haberent aurum, imperare: Athenaeus quoque in x. libro, vbi de tenuitate victus multorum diſſerit, hoc ipſo exemplo vtitur: qui etiam addidit Curium tunc, cum legati venerunt, rapa coxiſſe. quare monſtratis illis, dixiſſe, ſe auro non egere, donec huiuſcemodi aliquo cibo contentus ſit. peccat tamen, quod Sabinos aurum miſiſſe, non Samnitas ait. auctorem autem ſe omnium illorum habere Megaclen in libro, quem ſcripſit de claris viris, teſtatur. Adiungere libet Ageſilai, regis Spartiatarum aſſimilem vocem ſuperiori illi M' Curij, cum & ipſa declaret magnitudinem animi, contemptumque diuitiarum: cum enim bellum gereret in Aſia contra regem Perſarum, Tithraſtes Perſes ampla dona ſe illi daturum eſſe pollicitus eſt, ſi e ſuis finibus, in quibus caſtra tunc habebat, exercitum abduxiſſet, cui ille reſpondit, morem eſſe Lacedaemoniorum ducum milites ditare, non ipſos copioſiores domum redire, atque ex hoſtibus ſpolia potius, quam dona, pecuniamque reportare.

Correctum vitium librariorum, in primo libro Tuſculanarum: & ope antiqui libri, & teſtimonio Graeci ſcriptoris: vnde rem illam Cicero accepit.

CAP. VI.

PVRGANDVS eſt maculoſus Ciceronis locus in prima quaeſtione Tuſculana: vbi de variis generibus ſepulturae diſputat: erroribuſque in hac re totarum nationum: cum enim nunc in excuſis exemplaribus legatur. Perſae etiam, cera circumlitos, condiunt. ſcribendum eſt: vna tantum e media voce, quae in extremo eſt, eiecta littera, valde tamen variato ſenſu, condunt. Ratio haec ſepulturae accepta eſt ex Herodoti libro primo. apud quem, quod hoc valet, verbum eſt: inquit enim. Κατακηρώσαντες δὲ ὦν τὸν νέκυν Πέρσαι, γῇ κρύπτουσι; accedit etiam veritati ipſi auctoritas vetuſti codicis: cuius auxilio quondam

plures

plures maculas elui ex hoc praeclaro opere. Quod vero apud Ciceronem cauſa allata eſt huius moris, id ille de ſuo addidit, dicens. Vt quam maxime permanerent diuturna corpora: neque enim Graecus ſcriptor eum interpretatus eſt. condire autem corpora eſt ταριχεύειν. vt ex eodem, veterum rerum auctore, manifeſto percipitur. Ceram autem hoc poſſe, & ſi aliter quoque cognoſcitur, ex conſilio etiam Laconum, comitum Ageſilai, intelligere licet, cuius cum corpus domum referrent, mortui, dum ex Aegypto reuerteretur, neque eo loco, quo nauis appulerat, mel reperiretur, pro melle illi cera vſi ſunt: Inſtitutum autem erat Lacedaemoniorum, corpora ſuorum regum, extra vrbem defunctorum, in patriam reportare, atque ibi regio ſepulchro condere; quod memoriae prodidit Plutarchus in extremo vitae ipſius.

Emendatus locus in V. Philippica Ciceronis de opinione: aliuſque itidem, qui contraria ratione deprauatus erat, eodem pacto reſtitutus.

CAP. VII.

Suſpicor locum hunc e v. Philippica Ciceronis mendoſum eſſe, nulla tamen veteris alicuius libri auctoritate nixus: quibus autem coniecturis ductus ſim ad ita exiſtimandum cum oſtendero, quod potius ſibi videbitur, vnuſquiſque ſequatur. Saltatores, citthariſtas: totum denique commeſſationis Antonianae chorum, in tertiam decuriam iudicum ſcitote eſſe conlectum. Arbitror igitur legi debere, conlectum, quo verbo etiam vis importunitaſque perſonae, quae id fecerat, declaratur: ita enim in prima de iiſdem hominibus locutus eſt: Vt enim quiſque ſordiſſimus videbitur, ita libentiſſime, ſeueritate iudicandi, ſordes ſuas eluet: laborabitque, vt honeſtis decuriis potius dignus videatur, quam in turpes iure coniectus. Similitudo igitur duarum litterarum parum accuratis librariis anſam dedit errandi. nam contraria etiam aliquando ratione (niſi fallor) peccarunt. In primo enim libro de diuinatione, vbi nunc coniecta legitur, conlecta videtur legendum. locus hic eſt. Permulta conlecta ſunt ab Antipatro: quae mirabiliter a Stoicis diuinata ſunt & ſane ipſe in ij. libro eiuſdem operis. vt eodem pacto hanc, quo ſuperiorem emendationem conſtituam, illo modo locutus eſt. Multa ante Marſicum bellum a Siſenna conlecta, attuliſti.

Idem valere apud Virgilium Rumpere vocem, quod apud Graecos ſcriptores, ῥῆξαι φωνὴν: ratioque eorum verborum explicata.

CAP. VIII.

Rumpere vocem, quo Virgilius in ij. Aeneidos vſus eſt, eleganter dicitur de aliquo, qui quum diu tacuerit, repente quippiam edit: quod tunc Calchanti auguri contigit. Flagitioſe autem labitur Seruius in eius verſus declaratione. eſt namque modus loquendi ſumptus a Graecis: paſſimque veteres eius gentis ſcriptores ipſo vtuntur. vt Herodotus in Euterpe, narrans, conſilium Pſammetichi, qui quam primam vocem ederent infantes, non docti a nutricibus, ſcire voluit: loquit enim ἣν τινα φωνὴν ῥήξουσι πρώτην. Demoſthenes quoque in iij. oratione in Philippum Macedonem. οὕτω δ' ἀθλίως διάκεινται, ὥστε οὐ πρότερον ἐτόλμησαν οὐδείς, τοιούτου κακοῦ προσιόντος, ῥῆξαι φωνὴν, πρὶν διασκευασάμενοι πρὸς τὰ τείχη προσῆλθον οἱ πολέμιοι. vt autem illic poëta rumpere vocem, ita in iiij. rumpere queſtus dixit, cum diuerſa conſilia in animo agitantem reginam: miſeraſque vndique ſuas res clare etiam exponentem, induxit. Sophocles in Oedipode tyranno Graecum, de malis incommodiſque loquens, verbum vſurpauit: chorus enim ita cum rege illo loquitur, oſtendens ſe metuere ne erumpant grauia quaedam mala a ſilentio, quo, illinc diſcedens, vſa fuerat Iocaſta: atque δέδοιχ' ὅπως μὴ 'κ τῆς σιωπῆς τῆσδ' ἀναρρήξῃ κακά. cui ſubito, valde commoto animo, reſpondet Oedipus. ὁποῖα χρῄζει ῥηγνύτω. lacrimae quoque eadem ratione rumpi dici poſſunt. vt Sophocles Trachiniis, cum inquit. Ἔρρηξε παγὰς δακρύων: & in eadem fabula poſt, καὶ δακρύων ῥήξασα θερμὰ νάματα. Ariſtoteles praeterea de menſtruis ita locutus eſt in primo libro de ortu animantium. ταῖς δὲ θηλείαις ῥήγνυται τὰ καταμήνια.

Locus Horatij ex Ode penultima primi libri declaratur: quem etiam veteres interpretes perperam explicarant.

CAP. IX.

Verſus hos Horatij vetus ipſius interpres perperam declarat. Deliberata morte ferocior, Saeuis liburnis ſcilicet inuidens Priuata deduci ſuperbo Non humilis mulier triumpho: putat enim Liburnos populos intelligi debere, cum manifeſto

neutro genere liburna hic ſint certa quaedam nauigia, quibus in claſſe, naualique proelio,
vtegentur. eorum mentionem quoque fecit poëta in prima ode Epodi, cum cecinit. Ibis
" liburnis inter alta nauium Amice propugnacula, Sed etiam Propertius cum de eadem Ae-
" gypti regina loqueretur. Baridos & contis noſtra liburna ſequi: nam baris quoque nauigij
ſpecies eſt, cuius etiam meminit Aeſchylus πέρσαις, Appianus autem in ij. libro de bellis
ciuilibus, quo loco de Dyrrachio ſubtiliter diſputat, mentionem etiam faciens Liburnorum,
quos poſt Taulantios ea loca occupaſſe: piraticamque exercuiſſe dicit, vſos, velocibus naui-
bus, affirmat Romanos liburnidas ab illis appellatas, celeres in primis naues paraſſe, cum pri-
mum illas cognouiſſent. Senſus autem omnis ſuperioris loci hic eſt: affirmat enim poëta
Cleopatram, poſtquam ſecum ſtatuit mori, magis intrepidam ſactam: auſamque ſibi afferre
manus. quod nollet Octauianae claſſi, quum illis captiua Romam veheretur, tantum honoris
gloriaeque acquiri: id enim repugnabat nobilitati ſui ſanguinis: dignitatique, qua potita fue-
" rat. ſaeua autem liburna ipſa vocat ex affectu animi Cleopatrae: eorumque omnium, qui re-
ginam, formoſamque mulierem, dolerent tam male acceptam.

Locus ex Hortenſio, fractus diuulſuſque apud Nonium, reſtitutus, atque emendatus.

CAP. X.

VERBA haec Ciceronis ex Hortenſio, quibus iudicium fecit de quinque nobiliſ-
ſimis Graecis ſcriptoribus, poſtremo excepto, omnibus hiſtoriae auctoribus, ſe-
parata leguntur apud Nonium tribus locis. ipſe tamen illa coniungere auſus
ſum, quod omnino puto ita olim poſita fuiſſe. Sententia ſane ita plena eſt: prae-
terea vinculis quibuſdam facile cernitur, hunc verum ordinem eorum eſſe.
" Quid enim: aut Herodoto dulcius: aut Thucydide grauius: aut Philiſto breuius: aut Theo-
" pompo acrius: aut Theophraſto mitius inueniri poteſt. non tantum autem diſſipata haec
membra collegi; in vnumque ſententiae corpus redegi, verum etiam tertium hiſtorici nomen,
corruptum reſtitui: cum enim illic nunc legatur, aut Philippo breuius, emendaui Philiſto: nec
enim vmquam eo nomine quempiam, aut Latinum, aut Graecum hominem, qui monimentis
ingenij clarus fuerit, appellatum inueni. quamquam Latino auctori inter Graecos ſummos
ſcriptores locus eſſe non videtur. quare ſimilitudinem nominis putaui fraudi librario fuiſſe:
praeterquam quod id, quod tribuit ipſi, proprium Siculi illius bonum fuit, vt teſtatus quoque
ipſe in epiſtola ad Q. fratrem eſt, hoc pacto de Philiſto loquens, quem ſupra nomine vocarat.
" Siculus ille, capitalis, creber, acutus, breuis, pene puſillus Thucydides: nam Demetrius in
commentatio περὶ ἑρμηνείας libenter ipſum vſum docet caſibus obliquis. vnde oratio eius, vt
" breuior, ita quoque obſcurior erat; crebri enim vſurpati obliqui caſus, quod πλαγιότης vo-
catur a Graecis, efficiunt orationem breuiorem. Siquis autem diligenter attendet, inueniet a-
lios etiam locos veterum auctorum diremptos, hoc pacto rurſus poſſe componi; cum enim
eorum partes diuerſis locis citentur a grammaticis, ſunt aliquando in illis verba, quae conne-
xas fuiſſe quondam ſententias illas declarant: vt cum haec M. Varronis, continentia apud au-
" ctorem videantur verba fuiſſe: leguntur tamen apud Nonium tribus locis, Aurora oſtrinum
" hic indutus ſupparum Coronam ex auro, & gemmis fulgentem gerit Luce locum afficiens.
Prima namque pars eſt, vbi de genere, vel colore veſtimentorum declarat quid valeat Oſtri-
num: cum enim exemplum antea Turpilij poſuiſſet, addidit. Varro Eumenidibus. Aurora
" Oſtrinum hic indutus ſupparum. Secunda citatur vbi docet quid ſit ſupparum: in aliis enim
quibus vtitur, teſtimoniis eſt. Varro Eumenidibus, hic indutus ſupparum Coronam ex
auro & gemmis fulgentem gerit. Tertia autem de doctorum indagine, quo loco probat au-
ctoritate veterum ſcriptorum, non ſolum affici malis dici, verum etiam bonis: adiungit enim
" exemplo Ciceronis, Varro Eumenidibus, Coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit Lu-
" ce locum afficiens.

Explicata ſententia verborum quorumdam Ciceronis pro lege Manilia: Pythagoreum
que praeceptum commemoratum, qui iubebat homines, quae petituri eſ-
ſent a diis immortalibus, dicere; non animo optare.

CAP. XI.

M. CICERO in oratione pro lege Manilia, homines atque deos omnia bona in Cn.
" Pompeium congeſſiſſe, ſignificare volens, inquit. Hoc breuiſſime dicam, neminem
" vmquam tam impudentem fuiſſe, qui a diis immortalibus tot & tantas res tacitus au-

deret optare, quot & quantas dij immortales ad Cn. Pompeium detulerunt. auxit autem rem quantum potuit multis modis. nam quod tacitum addidit, magnam & ipſum vim habet ad amplificandum: multa enim ſaepe homines ſecum taciti optant, quae cum maiora ſint captu illorum, ſi clara voce petituri eſſent, ne contemnerentur, nunquam poſtularent. liberant autem ipſos hoc periculo obſcurae illae preces. vnde Pythagorici iubentes, quae optanda eſſent, voce optarentur, hoc metuiſſe exiſtimati ſunt ab erudito ingenioſoque ſcriptore. ratio namque huius rei, cum obſcurior eſſet, vt reliqua eorum praecepta, diligenter quaeſita eſt. In quarto igitur Stromate Clemens, inquit. Τί πέπονθ᾽ οἱ Πυθαγόρειοι βουλόμενοι μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι κελεύοντες, ἐμοὶ δοκεῖ οὐχ ὅτι τὸ θεῖον ᾤοντο μὴ δύνασθαι τὴν ἡσυχῇ φθεγγομένην ἐπαΐειν, ἀλλ᾽ ὅτι δικαίας ἐβούλοντο εἶναι τὰς εὐχὰς, ἃς οὐκ ἄν τις αἰδεσθείη ποιήσασθαι πολλῶν συνειδότων.

Quod apud Ciceronem antiqui poëtae legitur Innuptis nuptiis, ad imitationem Graecorum dictum videri: apud quos frequentior eſt haec forma ſermonis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP. XII.

VERSVS hic eſt antiqui tragici, adductus a Cicerone in iij. libro de oratore: Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis iunxit nuptiis. arbitror autem Latinum poëtam, quod apud Graecum erat, vnde vertebat, γάμον ἄγαμον, innuptas nuptias dixiſſe. ſaepe namque poëtae Graeci hac forma ſermonis vtuntur, vt Euripides, quum induxit Helenam ita exclamantem in fabula, cui ipſa nomen dedit. ἐν Τροίᾳ πόλεμον δι᾽ ἐμ᾽ ἄνευ᾽ ἔλαβε. nec non in Hippolyto chorum. ἐγὼ δὲ σᾷ δυστυχίᾳ δάκρυσιν οἴσω πότμον ἄποτμον. & Sophocles itidem Aiacem in tragoedia ab ipſo appellata, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα: quod tamen ſtatim tamquam interpretatus eſt, addens: κοὐκ ὀνήσιμα. Idemque in Electra virginem hanc ipſam, matrem immanitatis accuſantem, ἣ μαίνεται δ᾽ ὑφ᾽ ἡδονῆς Μήτηρ ἀμήτωρ. Locum vero hunc, non ſeruata figura dicendi, quam reddere non poterat, copioſe expreſſit Cicero: huiuſcemodique perſonam acriter exagitauit pro A. Cluentio his verbis. Nam Saſsia mater huius Habiti: mater enim a me nominis cauſa, tametſi in hunc hoſtili odio, & crudelitate eſt: mater inquam appellabitur: neque vmquam illa ita de ſuo ſcelere, & immanitate audiet, vt naturae nomen amittat. & quae ſequuntur: cuncta enim haec, quae excogitauit: ornateque protulit Cicero, vno illo verbo continentur. ſed vt ad rem redeamus. exempla apud Graecos huius locutionis frequentia. Non ſine cauſa etiam Cicero exiſtimatus eſt illos imitari voluiſſe, cum inquit in prima Philippica. qui illam inſepultam ſepulturam effecerant: duriuſculum tamen id in ſoluta oratione. vnde is locus moleſtiam multis exhibuit.

Verba quaedam M. Varronis inuenta apud Nonium, quorum ſententia imperfecta nunc eſt, videri Socraticum quoddam factum olim retuliſſe.

CAP. XIII.

ESSE vinum: aſſe pulmentarium: Sed eas, quo natura aurigatur; non neceſſitudo. Nonius citat hunc locum M. Varron. a Modio, duobus locis, & in verbo Aurigatur, & in dictione neceſſitudo. priore autem loco ita contaminatus eſt, vt vix agnoſcatur: nec tamen non aliqua illic parte integrior. ambobus igitur diligenter inter ſe collatis, non iniuſte omnino aliquis ſuſpicetur ita eſſe legendum. quamuis nihil certi ſtatui poſſit de media horum verborum parte: ita ne vt altero in loco: an ſecundas, pro ſed eas, ſcribi debeat, vt in altero ſcriptum eſt. ſiue potius emendandum ſit; aſſe oleas, pro ſed eas: hoc enim quoque quod in mentem venit, iuuandi cauſa ſtudioſos, notum eſſe volui. vt ſcilicet prima ſyllaba indefiniti verbi, quod repetitur, negligentia omiſſa ſit; & infra e duabus litteris, cum illae nimis inter ſe haeſerint, ac denique coaluerint, vna facta ſic. quamuis ne adhuc quidem omnia certa & plana ſint. Arbitror autem expreſſam tunc a doctiſſimo viro fuiſſe rationem veram vtilemque, qua vſus fuerat Socrates in refellendo errore illius, qui dicebat Athenis cara eſſe omnia: vocabatque ea de cauſa vrbem ſumptuoſam, cumque id probare vellet, appellauit res nonnullas minime vitae neceſſarias: ac quibus ſine damno carere poſſumus, vt Chium vinum, purpuram, mel, aliaque huiuſcemodi: cum enim prehendiſſet hominem ſanctiſſimus ſenex: vitiiſque confutandis aptiſſimus, duxit ad ea loca vbi vendebantur res, quae vitae degendae ſatis eſſe poſſent: docuitque paruo aere cuncta parari, atque ita perperam illum ſentire demonſtrauit: ſine cauſaque Athenas accuſare: quod enim erat proprium luxurioſorum hominum, ipſe improbe ciuitati aſsignabat. Similis autem ratio illa fuit, ſententiae, quam poſtea Epicurus edidit,

qoi inquit. Diuitias, qoibus natura contenta eſt, & parabiles, & terminatas eſſe: inanium autem cupiditatum, nec modum vllum: nec finem inueniri. Socraticam vero rationem aliam copioſe expoſuit Plutarchus in commentario de ſecuritate animi his verbis. ὁ Σωκράτης ἀκούσας τινὸς τῶν φίλων λέγοντος ὡς πολυτελὴς ἡ πόλις, μνᾶς ὁ χῖος οἶνος: ἡ πορφύρα, τριῶν μνῶν: τοῦ μέλιτος ἡ κοτύλη πέντε δραχμῶν. λαβὼν αὐτὸν προσήγαγε τοῖς ἀλφίτοις: ὀβολοῦ τὸ ἡμίεκτον: εὐτελὴς ἡ πόλις. εἶτα ταῖς ἐλαίαις, δυοῖν χαλκοῖν ἡ χοῖνιξ, εἶτα ταῖς ἐξωμίσι, δέκα δραχμῶν, εὐτελὴς ἡ πόλις. Quid autem valeat aurigator in exemplo Varronis, docuit Nonius his verbis. Aurigatur honeſte poſitum pro moderatur, ac regit.

Cum vſus ſit Cicero ſimilitudine cerae, oſtendere volens flexibilitatem, mollitudinemque orationis, demonſtratum accepiſſe id ipſum a Platone.

CAP. XIIII.

Quod Cicero in iij. libro de Oratore flexibilem orationem eſſe: ac facile ſequi, quocumque ducatur, inquit: nec non ſimilem in hoc molli cerae: vtque ipſam, ad arbitrium ipſorum ab hominibus formari, & fingi, videtur acceptum e Platone: ipſum enim cum in primis admiraretur, captus elegantia ſermonis, ac ſententiarum grauitate, ſtudioſe etiam imitabatur: pluresque tamquam floſculos ex ornatiſſimis ipſius ſcriptis decerpebat. in viij. igitur libro de Rep. cum conformare mente iuſſus eſſet Glauco ſpeciem beluae multiformem, reſpondit. δεινοῦ πλάστου τὸ ἔργον, ὅμως δὲ, ἐπειδὴ εὐπλαστότερον κηροῦ, καὶ τῶν τοιούτων, ὁ λόγος, πεπλάσθω: primo enim difficultate operis quaſi deterritus, animaduerſa poſtea materia ipſa, ſe id facturum pollicitus eſt: quam materiam id eſt orationem, facilius quam ceram: aliaque omnia huiuſcemodi, poſſe in omnem formam perduci affirmauit: omnis autem locus ille Ciceronis hic eſt. Nihil eſt enim tam tenerum, neque tam flexibile: neque quod tam facile ſequatur, quocumque ducas, quam oratio: ex hac verſus: ex eadem diſpares numeri conficiuntur. ex hac haec etiam ſoluta variis modis: multorumque generum oratio: non enim ſunt alia ſermonis: alia contentionis verba: neque ex alio genere ad vſum cotidianum: alio ad ſcenam pompamque ſumuntur: ſed ea nos, cum iacentia ſuſtulimus e medio, ſicut molliſſimam ceram, ad noſtrum arbitrium, formamus, & fingimus.

Verba Varronis apud Nonium, quae continentiam victus Perſarum exponunt, demonſtrantur expreſſa e Xenophonte.

CAP. XV.

Haec M. Varronis verba ſunt Cato, vel de liberis educandis. Perſae, propter exercitationes pueriles modicas, eam ſunt conſequuti corporis ſiccitatem: vt neque ſpuerent, neque emungerentur: ſufflatoque corpore eſſent. expreſſit autem iis eruditiſſimus ſcriptor locum hunc Xenophontis e primo libro παιδείας κύρου: cum enim veterem iam morem Perſarum dimiſſum tradat, reſtare tamen adhuc veſtigia non parua affirmat modeſti ipſorum victus, corporiſque exercitationum, addens. ἐμμένει μὲν ἔτι, καὶ νῦν ἐν πέρσαις, καὶ τὸ ἀποπτύειν, καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι. in enumerandis autem reliquiis illis, notiſque veteris temperantiae, eundem etiam ordinem, quem tenuit Xenophon, ſeruauit M. Varro. idem etiam Graecus elegantiſſimus ſcriptor in viij. eiuſdem operis libro repetit: tertium tamen illic reticuit, quod ſufflato corpore eſſe reddidit noſter. Inſtitutum autem hoc Perſarum, victumque, celebrauit etiam Cicero in v. libro Tuſculanarum, vbi ſiccitatem, & ipſe appellauit. quod etiam verbum vſurpauit in commemorandis formoſae mulieris dotibus, quibus omnibus careret illa, quam tunc irridebat Catullus; inquit enim. Nec longis digitis: nec ore ſicco: accuſauit enim eam, quod frequenter ſpueret. Latinus etiam alius poëta in ſatyra, vbi de remittendo nuntio agit, in cauſis etiam diuortij poſterius vitium poſuit, dicens. & ſaepe emungeris: hoc enim quoque in mulieribus, quae niſi mundae vndique ſint, placere non poſſunt, turpe atque odioſum eſt. Siccum etiam valere ſobrium: aduerſarique vinolo, ac madido, certum eſt. quod ſignificant quoque, vt Horatij exemplum relinquam, haec Ciceronis verba e libro ij. Academicarum quaeſtionum. quae ab eodem grammatico citantur. Alius adultis: alius ſenibus: alius aegris: alius ſiccis: alius vinoſis. Plautus etiam in Aſinaria. Ah ſceleſta ego, praeter alios meum virum fui rata, Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maxime.

Quod Cicero ſpargere diſſeminareque ſermonem dixit, oſtenditur Graecos ſcriptores verbis ſuis, reſpondentibus his Latinis, eodem pacto vſos.

CAP. XVI.

CICERO cum pro Plancio iudices rogauit, ne diſſeminato diſperſoque ſermoni fortunas innocentium ſubiiciendas putarent, verbis translatis, atque ex agro, & opere ruſticorum ſumptis, in oſtendendo animi ſui ſenſu vſus eſt: ſpargitur enim ſemen ab agricolis. ab eadem etiam re, idem ſignificare volens, nomina tranſtulit Plato in x. libro de legibus dicens. καὶ ἡμῖν εἰ μὴ κατεσπαρμένοι ὥσπερ οἱ τοιοῦτοι λόγοι ἐν τοῖς πᾶσιν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀνθρώποις, οὐδὲν ἂν ἔδει τῶν ἐπαμυνόντων λόγων, ὡς εἰσὶ θεοί. Iſocrates quoque in libro ad Philippum Macedonem eodem pacto locutus eſt. καὶ νῦν ἔχει τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῖς, καὶ τοὔνομα τοῦτο διασπείρας εἰς τὴν Ἀσίαν. quem imitatus eſſe credi non ſine cauſa poteſt Cicero, ita pro Archia de ſe ipſo loquens. Ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo, ſpargere me, ac diſſeminare arbitrabar, in orbis terrae memoriam ſempiternam. In quo etiam animaduertendum eſt, vt in ſuperiore exemplo, ipſum duo verba paria poſuiſſe, quo magis rem declararet, cum Graeci ſcriptores vno contenti fuerint; ipſoque exiſtimarint ſe rem ſatis explanaturos: atque ante oculos eorum qui audiunt, conſtituturos.

Erratum librariorum in Lucullo correctum, re ipſa, quae traditur, admonente: & auctoritate Graecorum.

CAP. XVII.

SATIS certum ſcripturae mendum eſt in his Ciceronis verbis, quae poſita ſunt in ij. libro Academicarum quaeſtionum, Lucullo vocato. Megarici, quorum fuit nobilis diſciplina: cuius (vt ſcriptum video) princeps Xenophanes, & quae ſequuntur. deinde eum ſecuti Parmenides, & Zeno, itaque ab his Eretriaci philoſophi nominabantur. legi namque debet Eleatici: inde enim orti erant principes eius familiae, quos appellat: Eretriaci autem longe diuerſa αἱρέσεως erat. vt Cicero infra teſtatur his verbis. A Menedemo autem, quod is Eretrias fuit, Eretriaci appellati. Simplicius quoque in commentariis in categorias, vbi diligenter docet, vnde diuerſae familiae philoſophorum nominatae ſint, idem confirmat: agens enim de iis, qui a patria αἱρεσιάρχων vocati forent, inquit, καὶ Ἐλεατικοὶ οἱ ἀπὸ Ξενοφάνους, καὶ Παρμενίδου.

Quid valeat Tinctus litteris, apud Ciceronem: videriqne Budaeum perperam id accepiſſe.

CAP. XVIII.

LAPSVS videtur Budaeus, quamuis politiſſimae doctrinae, acerrimique iudicij vir, oſtendens in commentariis illis ſuis linguae Graecae, pleniſſimis eruditionis, ſe putare Ciceronem cum in ij. libro de Oratore inquit. Sit enim mihi tinctus litteris exprimere voluiſſe δευσοποιόν. ita ſcilicet imbutum aliquid, vt color ille penitus inhaereat: hoc enim valet apud Graecos δευσοποιὸς βαφή. vt multis quoque collectis exemplis ipſe declarat, cum potius videatur ſignificaſſe, in promptu, ſummaque tantum cute, aſperſum, ac coloratum, ideſt ἐπικεχρωσμένον, & ἐπικεχρωσμένον. quod verum eſſe ſatis etiam certo declarant verba haec, quae ſequuntur apud Ciceronem. Audierit aliquid, legerit. eadem ratio eſt reliquorum exemplorum, quae poſuit: idem namque illic quoque valet Latinum verbum. Arbitror autem idem eo loco ſignificare ipſum voluiſſe verbo tinguere, quod in ij. de Oratore altero hoc, colorari: eius enim haec verba ibi ſunt. Vt cum in ſole ambulem, etiam ſi aliam ob cauſam ambulem, fieri natura tamen, vt colorer. Contra, ἐγκεχρωσμένον πάθος Ariſtoteles vocauit in ij. libro de moribus ad Nicomachum penitus inhaerens, atque inſitum: non in ſummo tantum poſitum, tanta vis immutandarum notionum eſt in praepoſitionibus. Διὸ χαλεπὸν ἀποτρίψασθαι τοῦτο τὸ πάθος, ἐγκεχρωσμένον τῷ βίῳ, ideſt quod adfixum eſt, atque altas radices egit.

Prouerbium Graecum in epiſtola quadam ad Atticum, plene, vt protulit illud Cicero, reſtitutum.

CAP. XIX.

GRAECA haec verba in epiſtola poſtrema vj. libri ad Atticum, quae quum vitioſa corruptaque ſint, purgari a me penitus olim non potuere, nunc corrigentur, atque ab omni mendo vacua reddentur. Τοῦ μὸν ὄνειρον ἐμοί. nam praeter quam quod nullus aptus, elegansque ſenſus inde percipitur, magnopere diſtant illa a vetere ſcriptura: veſtigiiſque verae lectionis, in optimo exemplari adhuc extantibus: ſunt autem haec, vt quondam etiam a me teſtatum eſt. ΤΟΥΜΟΝ ΟΝΕΡΟΝ ΕΜΟΙ. Sic igitur videtur legi debere, reſtituta vna tantum littera, quae defecit, in media dictione. τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί. Graecis enim, vt virili genere ὄνειρος (quod frequentius, atque vſitatius eſt) ita neutro quoque ὄνειρον dicitur: id quod teſtimonio etiam hoc Sophoclis declaratur, qui in Electra ita induxit chorum canentem, paulo ante caedem Clytemneſtrae: cum ille iam perſpiceret, quid ageretur: ingreſſuque Oreſtis, ac ſodalis intel-
„ ligeret maturari mortem crudeli matri. Οὔ τἂν μακρὰν ἔτ' ἀμμενεῖ Τοὐμὸν φρενῶν ὄνειρον αἰω-
„ ρούμενον, quo ſane exemplo vtitur Euſtathius, cum id probare vellet. Sententia autem eorum verborum, quae vim prouerbij habuiſſe intelliguntur, huiuſcemodi eſt. Meum mihi ſomnium. quaſi exponis, quod ignotum mihi eſſe non poteſt. ideſt, idem de hac re, quod ego, ſentis. ſed Cicero ipſe totam rem quaſi interpretatur: aperitque, qui ſit ſenſus illorum
„ verborum: omnis namque locus hic eſt. Monebas de Q. Cicerone filio, vt eum quidem
„ neutiquam relinquerem. τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί. eadem omnia, quaſi collocuti eſſemus, vidimus:
„ non fuit faciendum aliter. Subauditur igitur hic neceſſario verbum: quod non vnum etiam, idemque ſemper erat omnibus, qui plenum prouerbium hoc edere vellent: cum enim altera
„ etiam voce immutata diceretur aliquando. Τὸ ἐὸν ὄναρ σοι διηγοῦμαι, Plato in viij. libro de
„ rep. ait, Τὸ ἐμόν γ' ἐμοὶ λέγεις ὄναρ.

Vetus mos Graecorum indicatus, in curando funere: qui ad noſtram etiam aetatem, gentemque peruenit.

CAP. XX.

PERSPICITVR fuiſſe morem Graecorum in curando funere, vt dirigerent membra mortuorum, ſi forte, quod plerumque extremo illo tempore fit, partem aliquam corporis contraxiſſent: id enim haberet in ſe deformitatis non parum. ad priſtinam igitur naturalemque corporis formam perducebant: atque id (vt commodius fieri poſſet) ſtatim, anima efflata, cum adhuc calerent, gerebant. quod etiam nos inſtitutum ſeruamus: ploque hoc officio funguntur mulieres. Euripides in Hippolyto coronato hoc indicauit, cum induxit ancillam domi clamantem: adhortantemque alias, mortua iam regina, vt hoc face-
„ rent. Ὀρθώσατ' ἐκτείνοντες ἄθλιον νέκυν. Πικρὸν τόδ' οἰκούρημα δεσπόταις ἐμοῖς. voce vero illa cognouit chorus, fato functam iam Phaedram: addiditque, quo ſigno id intellexerit, morem
„ hunc ipſum tangens: Ἤδη γὰρ ὡς νεκρόν νιν ἐκτείνουσι δή. corpus autem poſtea lotum iidem in medio collocabant: nam hanc quoque conſuetudinem fuiſſe eorum temporum, teſtimo-
„ nio eiuſdem tragici cognoſcitur: qui in Hecuba ita induxit miſeram illam anum cum ancilla loquentem, accepto nuntio de nece Polyxenae. Σὺ δ' αὖ λαβοῦσα τεῦχος ἀρχαία λάτρι Βά-
„ ψασ' ἔνεγκε δεῦρο ποντίας ἁλός. Ὡς παῖδα λουτροῖς τοῖς πανυστάτοις ἐμὴν Νύμφην τ' ἄνυμφον, παρθένον
„ τ' ἀπάρθενον, Λούσω προθῶμαί θ' ὡς ἀξία. nec non Creontem in Phaeniſſis obitu filij conſter-
„ natum, qui ſponte ſua pro ſalute patriae occubuerat. Ἥκω δ' ἀδελφῆς μέτα Στείχων ἀδελφὴν γραῖαν
„ Ἰοκάστην, ὅπως Λούσῃ προθῆταί τ' οὐκ ἔτ' ὄντα παῖδ' ἐμόν.

Quaeritur an commentum a Virgilio in Georgicis celebratum, ad imitationem ſimilis rei prolatae a Pherecyde, fictum ſit.

CAP. XXI.

AN Virgilius, quod finxit in iiij. Georgicorum, Ariſteum admonitum a matre Cyrene: atque eius rei rationem omnem edoctum, vinclis cepiſſe, Proteum: indeque rationem recuperandarum apum accepiſſe, ſumpſit e Pherecyde? Interpres enim Apollonij in iiij. Argonauticorum dicit ipſum tradere Herculem eodem pacto didiciſſe a nymphis, ex Ioue & Thetide natis: Padique antra incolentibus,

colentibus, viam rationemque inueniendarum terrarum, vbi naſcerentur aurea mala: quae imperio Euryſthei petere debebat: dictum enim ipſi, vt Nereum vinciret, qui omnia poterat aperire. ille igitur, cum antea & ipſe verſa forma corporis in aquam ignemque, conatus eſſet eum eludere, poſtea, tamen dolis ſuis inanibus cognitis, vere egit, ac locum indicauit: quo accepto, ſtatim Herculea ſe accinxit itineri: in expeditionemque illam profectus eſt.

Latinos poëtas, Horatium, ac Lucretium, modum loquendi proprium Graecorum, in ſuum ſermonem tranſtuliſſe: dixiſſeque, idem illi, vt ea gens ταυτὸν ἰσώη.

CAP. XXII.

LATINI poëtae, cum ſaepe nouis rationibus loquendi vterentur: inauditiſque auribus Romanorum, in culpam non incidebant, qua non caruiſſent oratores, ſi ita locuti fuiſſent: neque enim venia eadem datur iis, qui ſoluta oratione vtuntur, quae conceditur certis numeris, menſuriſque, ipſam vincientibus. Praecipue autem hoc committebant, vt a conſuetudine diſcederent, qui Graecos ſcriptores volutabant: verſati enim diu in ſermone illo, imitabantur etiam modos loquendi, proprios eius nationis, verbaque aliter conſtruebant, ac ſuae gentis homines vulgo facerent. Hoc qui accurate attendet, inueniet ſaepe feciſſe Horatium, qui multis modis intelligitur valde delectatus fuiſſe illo ſermone: Graecorumque diſciplinas a Graecia ſcriptoribus hauſiſſe. vt alia autem nunc omittam, cum in epiſtola de ſtudio poëtarum inquit. Inuitum qui ſeruat idem facit occidenti: manifeſto hoc facit: neque enim idem illi, cum idem quod ille, ſignificare volunt, Latini homines dicunt: ſed Graeci ταυτὸν ἰσώη paſſim aiunt: nec aliter loquuntur: exempla enim in re clara vti minime oportet. Lucretius quoque eundem modum loquendi vſurpauit: in Latinumque e Graeco tranſtulit, vbi de contemnenda morte copioſe, eleganterque, diſſerit. de Homero enim, excellentiſſimo poëta, loquens, qui quum dignus perpetua vita foret, nihil praecipui in hac re habuit ab aliis inertiſſimis hominibus cecinit quorum vnus Homerus Sceptra potitus, eadem aliis ſopitus quiete eſt.

Cur aliquando veteres ſcriptores res nonnullas diligenter narrant, quae non ſunt neceſſariae propoſito ipſorum.

CAP. XXIII.

SCRIPTORES etiam graues aliquando rebus, quas exponendas ſuſceperunt, admiſcent longe diſcrepantes quaſdam: & quae parum faciant ad ea, quae in manibus habent illuſtranda. ſi forte laudem aliquam inde ipſi aucupaturi ſunt. ſiue etiam accurate rebus illis a ſe animaduerſis: egregieque, quod quaſi in re praeſenti fuerint, cognitis, coeperint ſcientia illa delectari: tunc enim occaſionem aliquam nacti, ea commemorant, libenterque exponunt. id autem manifeſto videtur feciſſe Cicero in v. libro Tuſculanarum quaeſtionum, cum, de vita beata diſputans: docenſque in ſummis opibus: iniuſteque parto imperio illam poſitam non eſſe, atque id exemplo Dionyſij, Syracuſanorum tyranni, confirmans, inſerit in hunc ſermonem, diligentia ſua quondam indagatum eſſe ſepulchrum Archimedis: quod ciues ipſius ignorabant: omniaque ſummo ſtudio narrat. quae quamuis cognitu indigna non ſint, illi tamen loco non congruebant. ſed intelliguntur a nimio ſtudio Ciceronis rerum ſuarum celebrandarum, profecta. Quae etiam a Salluſtio in libro de Iugurthae bello traduntur de Philaenorum aris, nullo modo illic neceſſaria fuiſſe cognoſcuntur. Sed ea de cauſa tam vetuſta res, & quae fabulae ſimilitudinem habebat, expoſita, quia cum eo antea ipſe vt inquit, per Leptitanorum negotia veniſſet: ac locum ipſum ſpectaſſet, in quo magnum illud, ac memorabile facinus factum fuiſſet, firmiter id animo ipſius haeſerat, atque ideo etiam aliis notum eſſe voluit. Percipitur autem inde (niſi fallor) librum hunc auctorem ſcripſiſſe, cum iam Numidia, quam Praetor rexit a C. Caeſare impoſitus, deceſſiſſet. nam cum imperio illic fuiſſe: auariterque prouinciam adminiſtraſſe, eiuſdem ſtudij homo, Dion memoriae prodidit, qui ſane miratur eum, qui hiſtoriam ſcripſiſſet, adeo in his flagitiis volutatum eſſe, quae acerrime antea in aliis accuſaſſet, ac perpetuae infamiae tradidiſſet. Sed non animaduertit Graecus ille, quod malo fuit illis gentibus, quas expilauit, cum id Salluſtius gerebat, nec famae ſuae parcebat, nondum animum ipſius reſipuiſſe: nec a moribus eorum temporum, vitiiſque aliorum, diſceſſiſſe: arbitror enim ipſum confecto bello ciuili, conſtitutoque patrimonio, ſe hiſtoriae ſcribendae dediſſe.

Quid

Quid ſui indicij ſit de loco quodam C. Caeſaris, quem non putat eſſe integrum, pateſactum.

CAP. XXIIII.

C. Caesaris verba haec e contione, quam habuit ad milites initio belli ciuilis, ita nunc leguntur in excuſis omnibus, & calamo exaratis libris. Syllam, nudata omnibus rebus tribunicia poteſtate, tamen interceſſionem liberam reliquiſſe: Pompeium, qui amiſſam reſtituiſſe videatur, dona etiam, quae ante habuerat, ademiſſe. Si licet autem, quod quiſque non omnino ſtulte ſentit, de ſententia aliqua veteris ſcriptoris, libere loqui; quod prorſus licere puto, dummodo parcat communi, receptaeque, lectioni: nec temere, ex libidineque ſua aliter atque offendit in exemplaribus imprimendum curet, hic vitium eſſe ſuſpicor: legique debere, vna tantum littera leuiter immutata, bona, non dona: inuenio enim ſaepe graues auctores ita locutos eſſe: bonaque appellaſſe dotes alicuius rei: ac quibus commodis ornata foret. quod Cicero multis locis fecit. ſed auctor etiam libri de bello Alexandrino: ita enim inquit, vt in fideliſſimis, ac vetuſtiſſimis exemplaribus legitur. Praeterea nautici homines, vrbis & regionis maritimae: cotidianoque viu a pueris exercitati, ad naturale, ac domeſticum bonum refugere cupiebant: nam in excuſis perperam legitur. ad naturalem, ac domeſticum vium. & multo poſt, eodem libro. Caſſius, quo bono valebat: Marcelliumque infirmum eſſe ſciebat, aggreſſus equitatu legionarios, ſe recipientes, complures nouiſſimos in fluminis ripis interfecit. nam in ſuperiore loco melius etiam legi aſſeuerauerim eodem genere, ac numero, quo bona, amiſſa, non muliebri genere: atque vnius perſonae numero, amiſſam, cuius emendationis auctores habeo optimos illos libros. Quod vero ad rem ipſam pertinet, de qua hic agitur, Cicero quoque idem tangit in iij. libro de legibus: ita enim fratrem inducit loquentem: Quam ob rem in iſta quidem re vehementer Syllam probo, qui tribunis Pl. ſua lege iniuriae faciendae poteſtatem ademerit; auxilium ferendi, reliquerit. Pompeiumque noſtrum ceteris rebus omnibus ſemper ampliſſimis ſummiſque effero laudibus: de tribunicia poteſtate taceo: nec enim reprehendere libet: nec laudare poſſum.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XI.

An verba quaedam, quae a Nonio, vt Lucilij, citantur, Plauti ſint: vt videntur, corrupto nomine auctoris: ſiue aliqua huiuſcemodi labe importata.

CAP. I.

AMISSIS tot veteribus auctoribus, magniſque eorum voluminibus vetuſtate conſumptis, leue quoddam ſolacium tanti mali reſtaret, ſententias has exemplaque ipſorum, quae ab antiquis grammaticis ponuntur, integra, vacuaque mendis habere, nunc autem illa ita corrupta leguntur: falſiſque ſaepe, & auctorum, & librorum indicibus, vt omnia merito ſuſpecta ſint, ac paruum omnino fructum ferant. Eo autem magis damnum hoc moleſtum eſt, quod vix remedium vllum ipſius inuenitur: nec tamen cunctandum eſt, ſi locus vllus vllo pacto purgari poteſt optimi alicuius ſcriptoris. Ipſe certe ſemper ſumma vi contendam: nunc autem, quod in mentem venit, huiuſcemodi quoddam vitium in ſcriptis Nonij indicabo: vbi enim varias verbi Verrere notiones ponit, eum mundare quoque aliquando ſignificare teſtimoniis veterum probaret, loquit. Titinnius Gemina. Verrite aedes: abſtergite araneas. Lucilius libro xxvij. Lignum caedat, aedes verrat, ac vapulet. Cum autem extrema verba, quae illic Lucilij nomine leguntur, manifeſto Plauti ſint, quaerendum quomodo hoc factum ſit: defecerit ne teſtimonium Lucilij, relictoque imprudenter illo, librarius quod ſequebatur Plauti, omiſſo etiam nomine poëtae, Lucilio attribuerit, quod multis locis videtur commiſſum eſſe apud hunc grammaticum, an peccarit ille in nomine auctoris. Plautus certe in Mercatore Demiphonem ita inducit cum filio loquentem, cum callidus ſenex dolo amicam filio eripere vellet. Nihil opus nobis ancilla, niſi quae texat, quae molat: Lignum caedat: penſum faciat: aedes verrat: vapulet. Quaeque habeat cotidianum familiae coctum cibum. Niſi quis putet Lucilium quoque in ea erupiſſe. praeſertim cum apud comicum duo verba interiecta ſint, quae illic non leguntur. mihi tamen hoc non magnopere veriſimile. nam certi nihil de tam obſcura re dici poteſt. addere autem huic animaduerſioni libet, quomodo Graeci haec ipſa humilia miniſteria, quae enumerantur a Plauto, dicerent: locumque Euripidis ex Hecuba afferam, quo tragicus ille poëta inducit Polyxenam, reformidantem indigna illa ſe munera, aequo animo ſe morti offerre. ſic autem ea de ero aliquo, in cuius poteſtatem venerit, loquitur. Προσθεὶς δ' ἀνάγκην σιτοποιὸν ἐν δόμοις Σαίρειν τε δῶμα, κερκίσιν τ' ἐφεστάναι, Λυπρὰν ἄγουσαν ἡμέραν μ' ἀναγκάσει. Eſt igitur σαίρειν δῶμα, quod Titinnius, Plautuſque, dixerunt, aedes verrere. Sed idem Graecus poëta in Andromacha eodem pacto locutus eſt, cum induxit Lacaenam Hermionem Andromachae minantem: proponentemque illi ſeruilia haec officia, contumeliae cauſa.

Illuſtris Salluſtij locus expreſſus eſſe e Graeco ſcriptore declaratur: maculaeque duae inde eluuntur.

CAP. II.

NEc quemquam decere, quem manus armauerit, ab inermibus pedibus auxilium petere: in maximo metu nudum & caecum corpus ad hoſtes vertere. Salluſtij verba haec de bello Iugurthino, pronuntiata illic a L. Sylla contra turpe conſilium Volucis Mauri regis Bocchi filij, qui ſuadebat vt fuga ſalutem quaereret, cum in hoſtes, paruo praeſidio comitatus, incidiſſet, ſemper exiſtimaui e Graeco aliquo ſcriptore expreſſa: ſententiae namque acumen, iuncturaque verborum, & ingenium & diligentiam Graecam redolebat. Cum autem legerem tertium librum παιδείας κύρου

offendi

offendi locum ipſum: politiſſimus namque ſcriptor Xenophon in oratione, qua fecit Aſſyriorum regem ante proelium ſuos hortari, in aliis multis illi tempori aptis argumentis, ita induxit ipſum diſſerentem: μηδὲν γὰρ τὸ, κρατεῖν βουλομένους, τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος, καὶ ἄοπλα, καὶ ἄχειρα, ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις, φεύγοντας. Loco autem iam illuſtrato: Salluſtiique eruditione indicata, qui hiſtorias ſuas ſummo ſtudio exornabat, videor mihi debere ſuo nitori penitus illum reſtituere: in vetuſtiſſimo enim exemplari, duobus verbis immutatis, priori in parte ita legitur. Nec quemquam decere, qui manus armauerit, ab inermis pedibus auxilium petere. prior varietas ſententiam aliquantulum immutat: veriorque lectio haec, atque elegantior multo, mea ſententia eſt: poſterior vero diuerſum tantum vſum eius nominis oſtendit. nam praeter antiquiſſimi libri auctoritatem, Nonius quoque de mutata declinatione, agens, locum hunc citat: docetque inermis hic pro inermibus, poſitum eſſe: apud quem ſincere itidem locus legitur, vt dubitari non debeat de veritate lectionis. Eodem autem videtur grauiſſimus hic rerum Romanarum auctor, ſcriptorque elegantiſſimus, reſpexiſſe, cum induxit Catilinam ita ad fortiter pugnandum milites adhortantem. Nam in fuga ſalutem ſperare, cum arma, quibus corpus tegitur, ab hoſtibus auerteris, ea vero dementia eſt: cum enim valde probaſſet argumentum: intellexiſſetque magnam vim illud habere ad foeditatem fugae oſtendendam, ac ſtultum denique conſilium eorum, qui ita ſaluti ſuae conſulunt, libenter illo, ſimili aliquo tempore vtebatur.

T. Liuij locus collatus cum Polybij loco, vnde manifeſto expreſſus eſt: adnotataque illic nonnulla, ſcitu digna.

CAP. III.

T. Livivs in xxxij. libro ab Vrbe condita prouerbium, frequens in Graeco ſermone, Latinis verbis expreſſit: vbi Philippum regem Macedonum inſimulat, qui non ſatis in tempore id viurparat, vt aduerſarium irrideret. id autem eſt. καὶ τυφλῷ δῆλον. dicitur vero de rebus, quae ſatis perſpicuae ſunt: nec videntur quempiam poſſe latere. totus locus hic eſt. Motus oratione Alexandri Philippus, nauem, vt exaudiretur, propius terram applicuit: orſum eum dicere in Aetolos maxime violenter Phaneas interfatus, non in verbis rem verti ait, aut bello vincendum, aut melioribus parendum eſſe: apparet id quidem (inquit Philippus) etiam caeco, iocatus in valetudinem oculorum Phaneae: & erat dicacior natura, quam regem deceret, & ne inter ſeria quidem riſu ſatis temperans. Antigonus praeterea & ipſe rex, qui ita eodem ſtudio tenebatur, vt ne ſibi quidem parceret, eodem prouerbio vſus eſt: in ſeque ipſum, cum oculo altero eſſet orbatus, dixit: accepta namque aliquando epiſtola grandibus litteris ſcripta, haec inquit etiam caeco apparent. vt ſequar Liuium in Graecis verbis vertendis. Id memoriae prodidit Plutarchus in ij. libro ſimpoſiacon. Nos quoque in patrio noſtro ſermone, prouerbio hoc vtimur. & ſane in mentem facile cuilibet venire poſſet, de re certa perſpicuaque ὑπερβολικῶς dicere, illam caeco etiam apparere: Haec omnia multo antea adnotaram, cum in manus meas venerunt excerpta ex hiſtoria Polybij, non multo prius formis excuſa. illa autem cum diligenter legerem, incidi in hunc locum, quem accurate perſecutus fuerat prudens ille, reique militaris valde peritus ſcriptor in xvj. libro hiſtoriarum. ſumptus autem inde fuerat decerptuſque, vt valde illuſtris atque vtilis, ab eo cuius diligentia, ſtudioque, non malas partes plurium librorum habemus, quos iniuria ſuperiorum temporum amiſimus. vt autem facile conferri poſſit totum id hic ponam, quod manifeſto inde expreſſum, reſpondet ſupra a me collocatis T. Liuij verbis. Ἔτι δὲ ταῦτα λέγοντος τοῦ βασιλέως ὁ Φαινέας ἐλαττούμενος τοῖς ὄμμασιν, ἐπὶ πλεῖον ὑπέκρουε τὸν Φίλιππον, φάσκων αὐτὸν ληρεῖν: δεῖν γὰρ ἢ μαχόμενον νικᾶν, ἢ ποιεῖν τοῖς κρείττοσι τὸ προσταττόμενον. ὁ δὲ Φίλιππος, καίπερ ἐν κακοῖς ὤν, ὅμως οὐκ ἀπέσχετο τοῦ κατ' αὐτὸν ἰδιώματος. ἀλλ' ἐπιστραφεὶς, τοῦτο μὲν ἔφησεν ὦ Φαινέα, καὶ τυφλῷ δῆλον: ἦν γὰρ εὔθικτος, καὶ πρὸς τοῦτο τὸ μέρος εὖ πεφυκὼς: πρὸς τὸ διαχλευάζειν ἀνθρώπους. In quo animaduertendum eſt non vitio dare Polybium Philippo, quod illo tempore luſerit, vt facit Liuius, qui nimis ſeuerus, ac triſtis in ea re eſt: potius enim Graecus auctor laudat hominem, quod, quamuis malis oppreſſus, proprium animi bonum tunc oblitus non ſit: inſulſamque vocem contumacis hominis ioco riſuque confutarit: εὔθικτος enim eſt virtutis nomen, ac laudis: vt ipſemet verbis, quae ſequuntur, oſtendit: ſunt namque illa tamquam declaratio quaedam antecedentis verbi, cum pluribus poſtea exponat, quod vno prius ſignificarat. is eſt εὔθικτος, qui eleganter tangit quempiam, ac lepida voce ſaleue aliquo, refellit: θιγεῖν enim hoc pacto etiam tangere ſignificat.

Faci

Fuci genus ſordidum, quod obiecit anui Flaccus, declaratur in vſu etiam Graecarum mulierum fuiſſe: duoque genera crocodilorum eſſe.

CAP. IIII.

TVRPIS beluae reliquiis ventris vti ſolitas olim delicatas mulieres pro fuco: crocodili inquam ſtercore, indicarat etiam Horatius carmine, quo deformem mulierem, vetulamque vexat: dixerat enim, quibus verbis nihil aliud ſignificare voluit ☰ nec illi Iam manet humida creta, colorque Stercore fucatus crocodili: idem autem Antiphanes quoque comicus, cuius teſtimonio vtitur Clemens Alexandrinus in iij. libro Paedagogi, teſtatur: cum enim plura medicaminum genera Graecus ille poëta poneret, hoc etiam nominauit: eius autem verba haec ſunt. Κροκοδείλου ἀποπάτῳ χρίονται, καὶ κοτταβίσαι ὀφρῦς ἐγχρίονται, καὶ τὰς ὀφρῦς τῇ ἀσβόλῳ ἀναμαστίονται, καὶ ψιμμυθίῳ τὰς παρειὰς ἐντρίβονται. Animaduertendum autem, cum duo ſint genera crocodilorum, quorum alterum ancipitem vitam ducat, ac nunc in terris: nunc in aquis viuat: alterum vero terreſtre tantum animal ſit, poſterioris huius, cum odoratis floribus veſcatur, reliquias diligenter exquiri, quae nidorem iucundum reddant maculaſque omnes e facie deleant, ac nitorem afferant. teſtatus hoc eſt in aliis pluribus Graecis ſcriptoribus, Galenus, crocodileam autem has ipſas reliquias cibi medici vocant. Grauis vero ac ſeuerus ſcriptor, cum acriter reprehenderet ſui temporis mulieres, quod huiuſcemodi fallaciis vterentur, vſus eſt etiam teſtimonio priſcorum, quibus ne illae quidem probabantur.

Notatus ſermo Salluſtij duriuſculus, qui videtur ſimilis Ariſtoteleae cuidam locutioni.

CAP. V.

HOc, quod Salluſtius inquit de bello Iugurthae. Multis ſibi quiſque imperium petentibus, accurate animaduertendum videtur. non quia ſententia ipſa ſcrupulum vllum habeat, ſed quia modus loquendi infrequentior videtur: ac niſi fallor, ſimilis eſt, parque huic Ariſtotelis ſermoni, e iij. libro de ſtudio dicendi: cum enim iam tradidiſſet, quae ad res augendas, aut conterendas pertinebant: vellerque praecepta perorationis dare, inquit. μετὰ δὲ ταῦτα δήλων ὄντων, καὶ οἷα, καὶ ἡλίκα, εἰς τὰ πάθη ἄγειν τὸν ἀκροατήν: vt enim illic quiſque, nominandi caſu interiectum inter ſextos caſus, ita hic conſequuntur οἷα, & ἡλίκα, caſum, qui eandem quam illud, vim apud Graecos habet.

Eaſdem ſententias, & ab Horatio, & ab Euripide prolatas, in eadem re celebranda. ſimulque quid valeat συνεκπονεῖν duobus locis, apud eundem tragicum, declaratum.

CAP. VI.

CVM eleganter, copioſeque, laudes agricolarum vitae perſequeretur Horatius, & quot quantaque illic bona forent oſtenderet, in iis etiam poſuit voluptatem, quam capiunt, cum ab opere redeuntes, laboreque ac fame enecti, inueniunt domi a diligente vxore parata omnia, quibus, & reficere vires, & deſideria naturae ſatiare queant. inquit igitur. Et horna dulci vina promens dolio Dapes inemptas apparet. addit etiam maiorem illis ſuauitatem afferre viles eas eſcas, quam ſoertibus, ac delicatis exquiſitae epulae faciant. Euripides quoque in Electra hoc tetigit, qui de voluptate hac, potius animo comprehenſa, quam vſu cognita, ita induxit ſummo loco natam: magnique animi virginem, cum viro illo ſuo loquentem. ☰ τ' ἂν δόμοις δ' ἡμᾶς χρεὼν Ἐξευτρεπίζειν: ἡδὺ τοι δ' ἐργάτῃ Θύραθεν, ἐλθόντ' ἔνδον εὑρίσκειν καλῶς. nam quod Latinus poëta ſupra dixerat. Quod ſi pudica mulier in partem iuuet Domum, atque dulces liberos, Graecus quoque ante haec verba eidem perſonae affinxit: illa enim quid ſui officij ſit oſtendens, inquit. Δεῖ δ' ἄμ' εἰ κἀκεῖν' ἀσθενεῖ τις ὢν ἐκ θεῶν Μόχθου πονούσας, ὡς ἔχων φέρης συνεκπονεῖν σοι πόνους. quibus in verbis animaduertendum eſt συνεκπονεῖν paene idem valere, quod in partem iuuare: ſignificat enim manifeſto vna cum aliquo ferre: ac partem aliquam laboris illius in ſe ſuſcipere. ipſo autem vſus etiam eſt in Hippolyto coronato idem poëta, ita diſputantem inducens ſceleratam illam anum, quae ad facinus Phaedram impellebat. Πόσοι δὲ παισὶ πατέρας ἡμαρτηκόσι Συνεκπονοῦσι Κύπριν; videtur enim ſignificare patres quoque multos praeſidio fuiſſe

filiis amore pereuntibus, atque auxilium ipſis ad fruendum deliciis ſuis praebuiſſe. Vt autem e ruſtico opere redeunti, parata menſa, vehementer iucunda, ita etiam e venatione: laborioſaque hac ipſa corporis exercitatione. quod ab hoc ipſo quoque poëta in eadem hac fabula declaratum eſt, ex perſona Hippolyti, qui valde eo ſtudio delectabatur. τερπνὸν ἐκ κυνηγίας τράπεζα πλήρης.

Sententia, quae videtur aliena: falſaque apud Salluſtium, declaratur mirifice conuenire illi tempori: atque auctoritate Graecorum prolata eſſe.

CAP. VII.

DILIGENTER animaduertendum eſt, quo conſilio Salluſtius Catilinam inducat initio orationis, qua milites ante proelium adhortatus eſt, ſententiam incredibilem falſamque (vt videtur) ponere: neque enim veriſimile eſt eruditum accuratumque ſcriptorem ſine cauſa hoc feciſſe. Quod igitur inquit. Compertum ego habeo milites, verba virtutem non addere: neque ex ignauo ſtrenuum: neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri, ſed quanta cuiuſque animo audacia, natura aut moribus ineſt, tanta in bello patere ſolet: & ab inſtitutis rei militaris, diſciplinaque ducum: & a ratione ipſa, veritateque abhorrere videtur. cum imperatores, quamuis paratiſſimos milites ad pugnandum videant, ſoleant tamen, inſtructa iam acie, ſummo ſtudio ipſos adhortari: alacritatique eorum ſtimulos admouere. magna praeterea vis eſt artificioſae, temporique accommodatae, orationis: vt non ſine cauſa illa omnium rerum regina vocata ſit. idem etiam de bello Iugurthino, in extrema contione finxit Marium haec loqui. Plura dicerem Quirites, ſi timidis virtutem verba adderent: nam ſtrenuis abunde dictum puto. an ſumptum hoc quoque eſt e iij. libro paediae Cyri: cum enim Chryſantas, vir Perſes, ſuaderet Cyro, vt hoc munere fungeretur apud ſuos, oſtendens idem iam ſedulo feciſſe regem Aſſyriorum: contra quem paulo poſt pugnaturi erant, diceretque meliores fieri milites accurata oratione imperatoris, contempſit conſilium ipſius Cyrus, diligenterque contra illud diſputauit: negans vllam adeo praeclaram inueniri hortationem, quae non bonos ſtrenuoſque, repente bonos efficeret: peritoſque earum rerum atque artium, quae in bello requiruntur, niſi diu antea meditati illas fuerint. cum autem Chryſantas reſpondiſſet ſatis eo tempore eſſe ſi animos ipſorum meliores reddiderit, illud quoque inane eſſe docuit Cyrus, neque obtineri ea ratione poſſe: nec enim ea, quae valent ad fortitudinem ſubito in animos hominum inſeruntur: quae autem neceſſaria ſint, vt praecepta illa imprimantur: firmaque ac ſtabilia ſint, ſubtiliter ac copioſe docet, ad extremumque ſimili etiam confutauit rationem illam, dicens ſe miraturum magnopere, ſi oratio egregia: beneque habita, magis adiuuare poſſit ad virtutem, praeſentiamque animi, quam muſicae artis imperitos cantilena pulchre decantata, ad muſicam artem perdiſcendam. Omnino omnis locus elegans eſt: acuteque illic diſputatum contra rationem hanc, vt qui ad auctorem ipſum accedere voluerint facile intelligere poterunt. Arbitror igitur eruditiſſimum Latinum ſcriptorem eo reſpexiſſe: prudenterque eo tempore feciſſe Catilinam dicentem, verba virtutem non addere: quod ſane verum eſt: neque enim addunt, ſed excitant, exacuuntque: id quod aperte ſignificauit ore Marij, cum ille apud eum inquit. Nam ſtrenuis abunde dictum puto.

Quid valeat Battuere in vetuſto Latino ſermone: Flagitiumque potius nomen eſſe rei foedae atque indignae polito homine, quam ſceleris alicuius, aut iniqui facti.

CAP. VIII.

QVIA vetus verbum, quo vſus eſt Cicero in epiſtola illa erudita ad Paetum, eo loco. Battuit inquit impudenter, obſoletum nunc eſt, rarumque inuentu: repperi autem quid ſenſerit de ipſo vetus grammaticus Adamantius, declarationem illius hic ponere volui, quo magis vis ipſius intelligatur: quamuis ille potius, quae battualia ſint: quique battuatores, doceat: quae nomina adhuc rariora ſunt. Bat in vno tantum modo repperi nomine genere neutro, pluraliter enuntiato idest battualia, quod b. mutam habere cognouimus. exercitationem autem militum, vel gladiatorum, ſignificat. vnde battuatores τοὺς βαττουιστὰς dici puto. Plautus tamen quoque vtitur hoc verbo in Caſina. Soleas. Qui quaeſo potius quam ſculponeas? Quis battuatur tibi os ſenex nequiſſime, Luſit enim lepidiſſimus comicus in ancipiti voce: nam & piſces ſunt ſoleae, & calcei: pro quibus ſeruus alter, qui clam auſcultabat, ſculponeas

ponea vellet, calciamenti agreſtis genus, quibus caedi os amatoris ſenis oporteret potabat. vt Gnatho Terentianus cum dixit in ſtultiſſimum militem. Vtinam commitigari tibi videam ſandalio caput. In eadem praeterea epiſtola vetus haec mea emendatio ita quoque confirmatur: ſimulque proprietas ſermonis Latini perſpicitur: cum enim illic nunc recte ſit. Suppe-
„ dit flagitium eſt. antea namque in excuſis ſupplere perperam legebatur. Plautus in Poenulo,
„ cum iocari vellet: atque vti ſalibus, qui omni populo grati ſunt, inquit. Hae fores fecerunt ma-
„ gnum flagitium modo. Quid flagitij eſt? Crepuerunt clare. nam crepitum, quem intelligebat atque appellat infra, illic ſignificauit Cicero. Res igitur, quae, verbo a me reſtituto, indicatur, cum ſceleris in ſe nihil: culpaeque maioris habeat, flagitio affinis eſt.

Quod Cicero inquit Nullam eſſe beluam, quae non ſui generis forma maxime delectetur, oſtenditur multo prius dictum fuiſſe ab Epicharmo.

CAP. IX.

M. Cicero in primo libro de natura deorum, vbi Cottam diſputantem inducit contra Velleij rationem, qui diſciplinam Epicuri tuebatur: refellentemque accurate, quod ille dixerat, hominis eſſe ſpecie deos, id eſt ἀνθρωπομόρφους, in alijs multis quae ipſum loqui facit, hoc etiam ipſi affingit. Acceſſit etiam iſta opinio fortaſſe, quod homini
„ homine pulchrius nihil videatur. Sed tu hoc phyſice non vides, quam blanda conciliatrix, &
„ quam ſui ſit lena ipſa natura? An putas vllam eſſe terra marique beluam, quae non ſui ge-
„ neris belua maxime delectetur? Quod ni ita eſſet, cur non geſtiret taurus equae contre-
„ ctatione, equus vaccae? An tu aquilam, aut leonem, aut delphinum vllam anteferre cen-
„ ſes figuram ſuae. & quae ſequuntur. Cum igitur naturae ipſius vi fieri tradat, vt ſingulae animantes ſui generis animantibus capiantur: ſuaque forma maxime gaudeant, Epicharmus quoque Siculus, ille cuius ſcriptis magnopere delectabantur Romani homines, non auerſi a muſis: eaque familiaria habebant, idem antea dixerat: atque hoc non tantum in elegantioribus verum in iis etiam, quae nullam partem pulchritudinis habebant animalibus, vſu venire affirmarat. Verba eius leguntur apud Laërtium in vita Platonis, quo loco declarat, poſitis exemplis, adminicula multa accepiſſe a vafro hoc ipſo comico ſubtiliſſimum illum, atque elegantiſſimum philoſophum. cui rei oſtendendae praecipue incumbuerat Alcimus, vt ipſe te-
„ ſtator. Θαυμαστὸν οὐδέν μι ταῦθ' οὕτω λέγειν, καὶ ἁνδάνειν αὐτοῖσιν αὐτοὺς, καὶ δοκεῖν καλῶς πεφυκέναι: καὶ
„ γὰρ ἁ κύων κυνὶ κάλλιστον ἦμεν φαίνεται: καὶ βοῦς, βοΐ: ὗς δὲ, ὑΐ.

Declaratum non diſſentire inter ſe Salluſtium ac Theophraſtum, quamuis eorum alter vitam hominum longam: alter breuem exiguamque eſſe dicat. Simulque ſententiae illius, quam reprehendit Latinus ſcriptor, oſtenditur auctorem fuiſſe Democritum.

CAP. X.

C. Salluſtius, quo nemo in ſcriptis triſtior ac ſeuerior, initio belli Iugurthini accuſauit mortales, quod improbe de natura, parente optima, quererentur: atque id, quod ſuo ipſorum vitio naſcitur, ab ea proficiſci dicerent. locus illuſtris eſt, & in aperto poſitus. Memoriae tamen proditum eſt a veteribus ſcriptoribus, Theophraſtum, eruditum hominem: grauemque philoſophum, cum morti iam appropinquaret, ipſum hoc libere feciſſe: auſumque eſſe naturae maledicere, iniquo admodum animo ferentem ſibi tunc vitam eripi, cum iam videre aliquid: ac ſcire inciperet. Cicero in iij. libro Tuſculanarum.
„ Theophraſtus autem moriens accuſaſſe naturam dicitur, quod ceruis & cornicibus vitam diu-
„ turnam, quorum id nihil intereſſet: hominibus, quorum maxime interfuiſſet, tam exiguam
„ vitam dediſſet: quorum ſi aetas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, vt omnibus
„ perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur ſe tum, quum illa videre coepiſſet, extingui. Theophraſto igitur (nam ita diſſolui quaeſtionem hanc poſſe puto: oſtendique optimos auctores inter ſe non diſcrepare) qui ſcientia rerum obſcurarum delectabatur: omnemque aetatem in diſcendo contriuerat, cum propter obſcuritatem ipſarum, nondum omnia teneret; nec poſſet ſitim illam ſuam extinguere, venia danda eſt, quod de natura queritur: illi namque rei penitus obtinendae vita certe noſtra breuis eſt, quod teſtatus etiam eſt princeps medicorum, idem cogitans: Latinus autem in animo habebat mores corrigere: luxuriamque, quae ciuitatem iam inualerat, extirpare. quare docet praeterquam quod alia quoque inde incommoda gignuntur, ipſam etiam hoc malum moliri: quod frangit corpora, aeuumque noſtrum breue reddit. Theophraſti ipſius verba, quae

videtur intellexiſſe Cicero: neque enim fidi interpretis officio functus eſt, leguntur apud Laërtium in vita ipſius: commemorat enim ille, quum ab iis, qui ipſum audiebant, quaeſitum eſſet ex eo, an quippiam ſibi mandandum haberet, reſpondiſſe. Επιστέλλειν μὲν ἔχω οὐδὲν, πλὴν ὅτι, πολλὰ τῶν ἡδέων ὁ βίος διὰ τὴν δόξαν καταψεύδεται: ἡμεῖς γὰρ ὅτε ἄρχομεθα ζῆν, τότ' ἀποθνήσκομεν. οὐδὲν οὖν ἀλυσιτελέστερον τῆς φιλοδοξίας. ἀλλ' εὐτυχοῖτε. καὶ ἤτοι τὸν λόγον ἀφεῖτε. πολὺς γὰρ ὁ πόνος, ἢ καλῶς αὐτοῦ προΐστασθε: μεγάλη γὰρ ἡ δόξα. τὸ δὲ κενὸν τοῦ βίου πλεῖον τοῦ συμφέροντος. ἀλλ' ἐμοὶ μὲν οὐκέτ' ἐνδέχεται βουλεύεσθαι τί πρακτέον, ὑμεῖς δὲ ἐπισκέψασθε τί ποιητέον. Cum partem igitur harum ſententiarum omiſerit Cicero: nam reliquit quae loco illi non conueniebant, addidit contra, quae propoſitum ſuum explicarent: quod enim ad vitam ceruorum, cornicumque longam demonſtrandam pertinet, arbitror declarationem ipſius eſſe. ita namque loqui conſueuit, cum interpretatur ſenſum aliquem obſcuriorem, vt in v. libro Tuſculanarum, vbi inquit. At vero Polyphemum Homerus, quum immanem ferumque finxiſſet, cum ariete etiam colloquentem facit, eiuſque laudare fortunas. quod, quo vellet ingredi poſſet: & quae vellet, attingeret. Apud Homerum enim tantum eſt. κρὶ πῖνε. Cum autem Salluſtij ipſius verba haec ſint. Falſo queritur de natura ſua genus humanum, quod imbecilla, atque aeui breuis, forte potius quam virtute regatur, accurate videndum eſt, an Democriti ſententiam hanc refellere voluerit: iis certe criminibus, maliſque, affinem ipſam eſſe tradit phyſicus ille: ſi ipſius haec verba ſunt, vt feruntur, quae leguntur apud Stobaeum: atque eodem ordine ab ipſo exponuntur, quem ſecutus eſt Latinus auctor. γνώσαντες κρίνειν ἀνθρωπίνην βιοτὴν, ἀφαυρήν τε ἐοῦσαν, καὶ ὀλιγοχρόνιον: αἰσχῦσί τε κακοῖσι συμπεφυρμένην, καὶ ἀμηχανίῃσι, ὅκως ἄν τις μετρίης τε κτήσιος ἐπιμέλοιτο, καὶ μετρέοιτο ἐπὶ τοῖς ἀναγκαίοις ἡ ταλαιπωρίη.

Vt Cicero Architectus ſceleris dixit μεταφορικῶς, ita Demoſthenes ἀρχιτέκτων ἐπιβουλῆς.

CAP. XI.

TRANSLATO ab aedificandarum domorum artificibus nomine: quique primum locum in ipſis tenent, ac fabris praecipiunt quid facto opus ſit, architectum ſceleris in oratione pro A. Cluentio Cicero vocauit, qui ad facinus ceteros impulerat, & omne negotium animo cogitarat. haec ipſa verba ipſius ſunt, quibus totum argumentum exponit. Et illi, qui Fabricij libertum, quia miniſter in maleficio fuerat: patronum, quia conſcius, condemnaſſent: ipſum, principem, atque architectum ſceleris, abſoluerent? Sed etiam pro Sex. Roſcio eodem pacto locutus eſt. Ex iis inquit, quae nunc maxime fiunt, non ne quiuis poteſt intelligere omnium architectum & machinatorem vnum eſſe Chryſogonum? Demoſthenes quoque cum idem ſignificare vellet, idem verbum vſurpauit, vnde facile intelligi poteſt, quam aptum id ſit huic rei illuſtrandae a quamque res ipſae ſimiles inter ſe, poſtquam in mentem venit duobus ſummis oratoribus ab eodem ſtudio idem nomen mutuari. in oratione igitur contra Dionyſiodorum inquit. καὶ ὑμεῖς, ἐπειδὰν τάχιστα ἐπιδέμησθε τὸ νηκὺς, ἐκπεπληγμένοι τῷ πράγματι, προσέχομεν τούτῳ ὡς ἀρχιτέκτονι τῆς ὅλης ἐπιβουλῆς. In eadem quoque oratione Cicero multo poſt, cum Quintium popularem oratorem, ventoſumque hominem arrogantiae accuſaret: moreſque ipſius ac ſpiritus exagitaret, his verbis eum deſcripſit, & quaſi ante oculos eorum, qui audiebant, poſuit, quae videri poſſunt e Demoſthene accepta. ſunt autem haec: Facite enim, vt non ſolum mores eius, & arrogantiam, ſed etiam vultum, atque amictum, atque illam vſque ad talos demiſſam purpuram recordemini: Demoſthenes enim de falſa ementitaque legatione, inquit καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται, θοἰμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν.

Diſputatio de Catulli opuſculo, quod ſcripſit de Attide, ac magna matre.

CAP. XII.

SCRIPSIT eleganter Catullus fabulam Attidis, quo in carmine pangendo, cum ſeruiret naturae eorum ſacrorum, delegit numeros aptiſſimos illis ritibus exprimendis, ideſt mobiles tremuloſque. quia autem a multis ignoratur ratio eorum verſuum, vt hac quoque parte adiuuem eruditum poëtam: ſtudioſiſque ipſius laborem minuam, cuiuſmodi metrum ſit indicabo: vtarque in hac auctoritate veteris grammatici ideſt Terentiani, qui vt aliorum metrorum rationem explicauit, ita huius quoque diligenter rationem reddidit: mentionem faciens Catulliani huius poëmatis. Galliambum igitur vocatum ipſum tradit: iunctumque eſſe docet e duobus quaſi ſegmentis:

prioris

prioris membri pedes hi ſunt. anapaeſtus, ſiue ſpoodeus primus: crebrior anapaeſtus, magiſque accommodatus: illum autem ſequuntur duo iambi, in quorum etiam locum ſubit, vt primi illius ſpondeus, ita horum tribrachys: clauditque ſyllaba, finis prioris commatia: poſterioris initium periambus: poſt trochei duo, ac ſyllaba: In poſtremorum duorum pedum locum ſubit itidem tribrachys, praecipueque antepenultimam ſibi ſedem vendicat. quod diligenter ſeruauit Catullus: admonente hoc etiam illo accurato diſertoque grammatico, qui totum hoc adnotauit. In Catulliano autem hoc carmine perſpicitur aliquando ſemipes, ideſt ſyllaba producta pro periambo poſita eſſe: necnon proceleuſmaticus pro anapaeſto: vt opinor, quia pares ſunt hi pedes illis temporibus, quamuis numero ſyllabarum diſcrepent. Vt autem poëtae doctrina e modis apparet, ita ingenium ipſius e ſententiis ipſis, atque omni ornatu verborum perſpicitur: nec non luminibus orationis, quae illuſtrant diuerſos motus animorum: primum enim poſt breuem ex perſona poëtae narrationem, exprimitur animus adoleſcentis ſuperſtitionis plenus: qui furore impulſus domo, vbi omnibus commodis voluptatibuſque abundabat, diſceſſerat, vt ſacerdos Cybeles fieret: gregemque aequalium ſecum duxerat: hortatur enim illos, vt poſtquam in vicina loca venerint, vna ſecum properent ad ſedem domiciliaque ipſius deae, vbi ſperabat ſe egregia quaedam bona inuenturum. Sequitur non multo poſt mutatio conſilij, cuius cauſam attulit poëta: ac miſerabilia querela huius adoleſcentis, in qua omnia ſignificata ſunt, quae ad miſericordiam exprimendam valent: declarantque ingentem dolorem lamentantis infelicem condicionem ſuam, ac ſe veteris errati inſimulantis. Breuis etiam oratio Cybeles irritantis leonem in Attim: ſtimulumque feroci beluae admouentis, vehemens eſt, & habet ſuas virtutes. nam tres etiam in extremo verſus, nomine poëtae, expoſita iam fabella, pronuntiati, ingenioſi ſunt: declarantque quanta via ſit illius perturbationis, ac ſtulti deſiderij, quod ſaepe corripit mortalea. cum magnus metus inuaſerit ipſum, ne ſibi ſuiſque aliquando huiuſcemodi quicquam vſu veniat. vnde precatur deam illam, multis nominibus honeſte ipſam appellans, vt ſibi parcat: in alioſque furorem ſuum rabiemque exerceat, quaſi oſtendens humano conſilio malo illi reſiſti non poſſe, ſi mentem dederit alicui, vt huiuſcemodi aliquid in ſe moliatur, quale miſer adoleſcens fecerat. De variis appallationibus huius deae, rationeque ſacrorum ipſius, nec non de habitu ſacerdotum, qui tamquam famuli miniſtrique eius erant, copioſe diſſeruit Strabo in x. libro Geographiae. μητρῷα autem ſacra ipſa videntur vocata, quod indicat Plutarchus in commentario, quem ἐρωτικὸν inſcripſit his verbis: τὰ γὰρ μητρῷα, καὶ πανικά, κοινωνεῖ τοῖς βακχικοῖς ὀργιασμοῖς. item in libro de arte Muſica, vbi de choreo, qui eſt trocheus, diſſerit: affirmat enim multum ipſius vſum fuiſſe ἐν τοῖς μητρῴοις. Muſica inſtrumenta ipſorum erant, tibia, tympana, cymbala, vt ex Catulliano hoc carmine apparet; quod teſtatur etiam Strabo ſic ſcribens. μετὰ θορύβου, καὶ ψόφου, καὶ κυμβάλων, καὶ τυμπάνων, καὶ ὅπλων. ἔτι δὲ αὐλοῦ, καὶ βοῆς, ἐκπλήττοντας.

Multas ſententias videri Ciceronem a Platone ſumpſiſſe, cum vitam Dionyſij tyranni in V. quaeſtione Tuſculana explicauit.

CAP. XIII.

PLATO in viij. libro de rep. virum, qui adhibita vi ciuibua, in patria dominetur, cum, ſi ſaluus eſſe velit, cogatur odio proſequi bonos, arcereque ipſos a conſuetudine ſua: familiaritate autem vti prauorum, audaciumque hominum, eleganter, vereque dixit neceſſitate quadam illigatum eſſe, quae iubeat, aut cum perditis hominibus viuere, aut ne viuere quidem, ſed pati mortem ſibi afferri. Cicero quoque in v. libro Tuſculanarum, cum Dionyſij vitam, inſtitutaque expooeret, inquit. Itaque propter iniuſtam dominatus cupiditatem, in carcerem quodammodo ipſe ſe incluſerat. tranſlatis & ipſe manifeſto aliunde verbis propter ſimilitudioem viens; neque enim illa vera cuſtodia eſt, neque alicubi Dionyſius clauſus erat, ſed res ipſae pares ſimileſque: vt enim qui in carcere clauſi ſunt, cum ſontibus facinoroſiſque neceſſario viuunt; neque enim eo plerumque veniunt probi, honeſtique viri, ita hi, quia metuunt fortes, iuſtos, prudentes: intelligentes vitam factaque ſua ipſis non probari: remouentque a familiaritate ſua, neceſſario ſe committunt contrariis, atque improbiſſimis hominibus. vnde non falſo in cuſtodia eſſe, vinctique dici poſſunt: hac enim de cauſa videtur Cicero nomine carceris vſus. nam in ſequente libro Plato eodem & ipſe pacto locutus eſt. niſi forte in carcere vinctum tyrannum dixit, quod vndique ſeptus ſit inimicis, qui ſaluti ipſius inſidiantur: tollereque volunt: verba namque politi ſcriptoris, ſimili iam expoſito, haec ſunt. ἆρ᾽ οὖν οὐκ ἐν τοιούτῳ μὲν δεσμωτηρίῳ δέδεται ὁ τύραννος, φύσει ὤν, οἷον διεληλύθαμεν. quamuis & ipſe, vt Cicero, exiſtimari poſſit tranſlato illo verbo vſus, intelligens tyrannum, quod ſtatim addit, cogi domi ſedere: nec poſſe aut libere peregrinari, aut ſpectare illa,

quorum viſendorum reliqui ingenui homines cupiditate flagrant. Cicero certe in commemoranda vita Dionyſij videtur multa e Platone accepiſſe, vt cum inquit. Sed iis, quos ex familiis locupletum ſeruos delegerat, quibus nomen ſeruitutis ipſe detraxerat, & quibuſdam conuenis, & feris barbaris corporis cuſtodiam committebat. illius vero ex eodem libro verba haec non multo poſt illa, quae ſupra expreſſi. τῶν δούλους ἀφαιρούμενος τῶν πολιτῶν, ἐλευθερώσας τῶν περὶ ἑαυτὸν δορυφόρων ποιήσασθαι. Supraque cum quaeſitum eſſet, qui nam potiſſimum ſint, quos cuſtodes ſuae ſalutis elegerit, reſponſumque eſſet, mercede conductos, qui deeſſe non poſſint, pretio excitati, δοκεῖς αὖ τίνας μοι λέγειν ξένους τε, καὶ παντοδαπούς. aut igitur locos hos Platonis ante oculos habuit, cum vitam iniuſti illius, ſaeuique regis, explicauit Cicero: aut Plato ipſe, quum inſtituta moreſque tyrannorum generatim deſcripſit, illum ipſum, quem ita viuere conſpexerat, mente comprehendit, rationemque Dionyſij indefinite cunctis tyrannis aſcripſit; hiſtoriam autem narrans Cicero neceſſario in eaſdem ſententias incidit. Quod vero eodem in loco tradidit, non conſentire inter ſe veteres ſcriptores de ſtirpe Dionyſij, cum alij honeſtis parentibus eum ortum vellent: alij autem contra humili genere prognatum affirmarent: id enim manifeſto ſignificare voluit, cum inquit, Qui cum eſſet bonis parentibus, atque honeſto loco natus: & ſi id quidem alius alio modo tradidit: Iſocrates e numero illorum fuit, qui ſecus ſentiunt. Hic enim eum dixerunt unumque e multis, antequam dolo ciuitatem oppreſſiſſet: Haec enim verba ipſius ſunt in libro ad Philippum Macedonem, cum animum magno illi regi adderet ad bellum ſuſcipiendum contra Perſas, oſtendens minores multo homines induſtria, ac conſilio conſecutos eſſe ſummam poteſtatem: effeciſſeque omnia, quae animo cogitarint. Διονύσιος πί-γων, πολλοστὸς ὢν τῶν Συρακοσίων, καὶ τῷ γένει, καὶ τῇ δόξῃ, καὶ τοῖς ἄλλοις. & quae ſequuntur. niſi forte hic, cum aliter ſentiret de Dionyſio, tempori ſeruiuit. vt alij quoque odio ipſius ducti, ob plurima ſcelera, nefariaque facta, hoc etiam ipſius bonum, quod a natura habuerat, inquinare, ac delere ſtudentes, obſcuris parentibus, infimoque loco natum, eum memoriae prodiderunt.

Duo loci duorum magnorum ſcriptorum emendati, Ciceronis, ac Demoſthenis, qui contrario vitio laborabant: quod enim in Latino abundabat, in Graeco defecerat.

CAP. XIIII.

NON longe a principio libri Ciceronis, quem Oratorem inſcripſit, vbi de formis illis aeternis loquitur, videtur negandi particula deleri debere, quae in omnibus excuſis inuenitur: ita enim nunc paſſim legitur. Vt igitur in formis, & figuris eſt aliquid perfectum, & excellens, cuius ad cogitatam ſpeciem imitando referuntur ea, quae ſub oculos ipſa non cadunt, ſic perfectae eloquentiae ſpeciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus: qui enim diligenter attendet, non omnino rerum earum rudis, facile intelliget, corrumpere eam totam ſententiam: quae enim ſub oculos ipſa cadunt. ideſt τὰ ὁρατά, referuntur ad ſpeciem illam cogitatam, cuius ipſa tamquam imago ſunt: cogitatam enim ſpeciem vocat ἰδέαν νοητήν. ideſt quae cogitatione, & mente percipitur. Hunc autem ſenſum fuiſſe Ciceronis, & res ipſa declarat, & ſuperior de hac re diſputatio. nam quae ſtatim etiam verba ſequuntur, non minus id oſtendunt, cum quod in formis & figuris fit, id etiam vſu venire doceat in eloquentia. hoc enim ſimili illo illuſtrare voluit: ideam enim eloquentiae mente contemplamur: effigiem vero ipſius auribus ſentimus: effigiem autem illius eloquentiae vocat, quae conformata ſit ad ſimilitudinem aeternae, non alicuius mortalis, & in homine aliquando auditae, ac cognitae. Cum igitur illic importune, vt patet, accreuerit negatio, eadem defecit in parte quadam nobiliſſimae orationis Demoſthenis pro Cteſiphonte, niſi fallor: ita namque in pluribus excuſis libris, ac nonnullis calamo exaratis, quos vidi, legitur: καὶ γὰρ, εἰ μὲν, ὡς ἐκράτησε Φίλιππος, ᾤχετ' εὐθὺς ἀπιών, καὶ μετὰ ταῦτ' ἦγεν ἡσυχίαν: μήτε τῶν αὑτοῦ συμμάχων: μήτε τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μηδένα μηδὲν λυπήσας, ὑμῶν ἂν ἦν τις κατὰ τῶν ἐναντιωθέντων, ὡς ἐπράχθη ἐκείνοις μέμψις, καὶ κατηγορία: probare enim vult Athenienſes cum paruerint auctoritati ſuae, recte & ordine feciſſe, qui fortiter Philippo, ſubigenti Graeciae ciuitates: omniumque quas poterat rerump. ſtatus labefactanti, aduerſati ſint: atque a minori argumentatur, ita diſputans. Si enim poſtquam prima ſua conſilia ad exitum perduxit: potitusque eſt rebus iis, quas voluit Philippus, in regnum rediiſſet, atque illic quiete vixiſſet, nemini, neque e numero ſociorum ſuorum: neque aliorum Graecorum moleſtus, tamen reprehenſi grauiter forent, & accuſati, quicumque non reſtitiſſent: neque eius conatus, quantum in ipſis fuiſſet, repreſſiſſent: nunc vero cum aliter fecerit. & quae ſequuntur: ſupra enim ſententiam illam expreſſi, vel adumbraui. Quis igitur non videt, vt ſenſus hic inde elici poſſit, deſiderari particulam illam: legique debere: κατὰ τῶν οὐκ ἐναντιωθέντων. quam in uno tantum formis impreſſo, inueni. Apud Hermogenem quoque, a quo hic locus citatur, capite περὶ ἀκμῆς, corrupte, vt in excuſis, legitur.

Sublatum

Sublatum mendum e III. libro M. Tullij de natura Deorum, quod in cognomine Mineruae quartae manebat.

CAP. XV.

M. Cicero in iij. libro de natura deorum, vbi Cottam diſputantem inducit contra Stoicos: eorumque refellentem rationem, ſumptis ex interioribus, & reconditis Graecorum litteris, multis, quae ſtultam veterum ſuperſtitionem indicarent, in aliis inquit, de Minerua loquens, quas quinque fuiſſe commemorat. Quarta Ioue nata & Coryphe, Oceani filia: quam Arcades Coriam nominant: & quadrigarum inuentricem ferunt. Arbitror autem in cognomine huius deae mendum eſſe; legique debere pro Coriam, Coryphaſiam: ita enim inuenio Mineruam hanc vocatam a matre. quod tradidit etiam Clemens Alexandrinus in protreptico. cum & ipſe ortus horum deorum, ſtultaſque opiniones veterum irrideret: multa enim & ipſe tetigit, quamuis non tam copioſe hunc locum, vt facit Cicero, explicarit. de numero autem ipſi cum Cicerone conuenit. verba ipſius haec ſunt. πέμπτην, τὴν Διὸς· ἣν μυθεύουσι κορυφασίαν ἀπὸ τῆς μητρὸς ἐπικεκλῆσθαι. nam integram eſſe hic eam vocem declarat ratio eius nominis explicata. Sed etiam Pauſanias in Meſſeniacis, Mineruae, ita appellatae, mentionem fecit, cui templum Pyli aedificatum eſſet. reſtat diſcrimen inter Ciceronem, & Chriſtianum auctorem de populis, qui ita ipſam nominarunt. cum alter eorum, Arcadas: alter vero, cum quo videtur facere Pauſanias, Meſſenios hoc cognomen ei dediſſe narret.

Quod ſaepe a noſtris dictum eſt, dicere, quempiam ſcribereue, quod in buccam venit, in Graecorum etiam conſuetudine fuiſſe: diſputatumque diligenter de auctore huius ſermonis.

CAP. XVI.

Scribere quempiam, quod in buccam venerit (qui modus loquendi vſurpatur non ſemel a Cicerone) valere temere negligenterque id facere, nec delectu vllo ſententiarum habito, notum eſt: videtur autem deriuatum huc eſſe e Graeco ſermone: Plato enim quoque in viij. libro de rep. id vſurpat, qui tamen quaſi auctorem eius appellat, & vnde fluxerit, oſtendit, ita ſcribens. Οὐκοῦν κατ' Αἰσχύλον ἐροῦμεν, ὅτι νῦν ἦλθ' ἐπὶ σίμα. Sed etiam Plutarchus in commentario, quem inſcripſit ἐρωτικὸν: cum enim multum de vi eius perturbationis diſputatum eſſet, ait. ὃ πάνυ σε ἔδει χρῆν καιρὸν οὐχ ἑτέρῳ μᾶλλον, ἢ τῷ νῦν· ἐπεὶ νῦν ἦλθεν ἐπὶ σίμα κατ' αἰσχύλον, λέγειν ἔχοιμι δοκῶ. Dionyſius vero Halicarnaſſeus in eadem ſententia explicanda, non σίμα, ſed γλῶσσαν ait, in libro de compoſitione verborum. εἰ μὴ λανθάνω μὲν πάνυ, ὅτι καὶ ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶσσαν ἴτω εἰ λέγω, λέγοιμι· μηδὲ ἐν ὃ συνθέσει τὰ προσήκοντα ἀκόλως. qui tamen & ipſe non ſuis, ſed alienis, poëticiſque verbis in ſenſu animi ſui exponendo vſus eſt: poëtae namque verba illa eſſe nullo negotio intelligitur. praeterquam, quod eadem vſurpat, non citato ſane auctoris nomine: poëtae tamen eſſe ſignificans, Athenaeus, quo loco Platonem negligentiae inſimulat in v. libro δειπνοσοφιστῶν, quod multa peccarit in ſcriptis ſuis contra rationem temporum. Verba ipſius haec ſunt. Ὅτι δὲ πολλὰ ὁ Πλάτων παρὰ τοὺς χρόνους ἁμαρτάνει, δῆλον ἐστιν ἐκ πολλῶν· κατὰ γὰρ τὸν εἰπόντα ποιητὴν, ὅτι καὶ ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶσσαν ἰέναι, τοῦτο μὴ διακρίνας, γράφει. an autem haec Aeſchyli ſint, eundemque locum tres hi Graeci ſcriptores intellexerint, non affirmatim, vt de poſterioribus duobus non dubito. Apud Aeſchylum certe illa, in his, quae ſuperſunt ipſius fabulae, non leguntur. Non diſſimilem autem ſententiam magnus hic tragicus, quem Plato ſemper admiratur, ac celebrat, in Eumenidibus ſuis protulit, vbi fecit Palladem cum furiis ipſis, ex quibus chorus conſtabat, ita loquentem. σίγω δ' ὄμματι αἰδοῦς ὅτι μοι γλῶσσαν, καὶ σόμ' ἐπωπᾶ πρὸς τὰς δ' ἀγρίως ἀπηνήμνας.

Argutum carmen inter luſus veterum poëtarum, quod valde corruptum erat, emendatum: viſque omnis ipſius, atque elegantia explicata.

CAP. XVII.

Epigrammata in ſalacem illum cuſtodem hortorum, quae non ſine cauſa diuerſorum poëtarum nunc eſſe creduntur, delectant ſane eruditos viros, & Romanae feſtiuitatis ſtudioſos, ac merito id quidem: magna enim ex parte huiuſcemodi ſunt, vt nihil illis purius fieri, elegantiuſque poſſit. magis tamen adhue

delectarent,

delectarent, ſi vacua a mendis, integraque forent: nonnulla enim eorum ita corrupta, & inquin ita ſunt, vt omnis ipſorum lepos, acumenque extinctum ſit: cuiuſmodi hoc diſtichon erat, quod mihi videor, ope ſcripti exemplaris, purgaſſe: in integrumque reſtituiſſe: cum enim ita paſſim in excuſis legatur, damnato etiam minore verſu: notaque illi, vt mendoſo, adpoſita. Quod moueat non eſt, quia ſi ſuraberis ipſe Grandia mala, tibi brachica mala dabo. in ſcripto illo libro, extrema pars poſterioris verſiculi ita legitur. tibi macra brachia dabo: quam lectionem valde probo, vt iocetur in verbo ancipiti mala: producta namque prima ſyllaba id verbum certa quaedam poma ſignificat: correpta vero eadem, incommoda, ac damna. μακρὰ βραχία dabo, ideſt, quae longa ſua vi ſunt, breuia reddam: his enim ipſis verbis productas breueſque ſyllabas appellari, notum eſt. hoc igitur dixit obſcure. ſi ſurripies mala, pomaque ex horto meo decerpes, paenas debitas a te capiam: malum enim tibi dabo: quare ſtomachari non debeo. dare autem alicui malum eleganter dicitur. quod ſi confirmatione hic ſermo egeret, exemplum certum eſſet verſus, quo Metelli, laeſi a Naeuio poëta, ſe malum illi daturos minati ſunt, ſed Plautus quoque in Bacchidibus ita inducit Nicobulum ſenem, blandicias ſe appetenti meretrici, minantem: niſi hinc abeas Quamquam tu bella es, malum tibi magnum dabo iam. Omninoque omnis iocus huius epigrammatis in menſura ſyllabae manet. in quo etiam luſit, qui miſit epigramma hoc ad Varium. Si licet hoc ſine fraude Vari dulciſſime dicam. Diſpeream, niſi me perdidit iſte potus. Sin autem praecepta vetant me dicere: ſane Non dicam, ſe me perdidit iſte puer: ſignificat enim, ſi poſſet ita culpam ſuam tegere, affirmareque ſe potu illo perditum, libenter ſe facturum fuiſſe: verum cum id non liceat: praecepta namque artis metricae repugnant: nec patiuntur penultimam pentametri productam eſſe, ne contra ipſa peccet, affirmat ſe rem, vt eſt, expoſiturum: ac pro potus, poſiturum illic puer, quod fraudem vitiumque non habet. qui autem hoc non animaduerteret inſulſum frigidumque hoc carmen putaret, quod & falſum eſt, & Virgilio dignum. Luſit etiam lepide Plautus eadem ratione, cum in Mercatore induxit Charinum adoleſcentem ab Eutycho ſodali ſuo accepta forma ſenis, qui emerat amicam ipſius, ita cum magno animi dolore dicentem Aedepol nae ille oblongis malis dedit mihi magnum malum. malis autem hic, quas intellexit, partem oris ſignificari notum eſt.

Vt Cicero praeſentia viuaque exempla appellauit, quamuis animo ſenſuque illa careant, ita optimum tragicorum, viuens tempus, dixiſſe.

CAP: XVIII.

EXEMPLA praeſentia, atque viua Cicero vocauit, quae ſumerentur ab hominibus, qui tunc viuerent, ac praeſentes adeſſent: quemadmodum Sophocles in Trachiniis tempus viuens, ac praeſens dixit, quod tunc inſtaret: Latini oratoris verba haec ſunt. Sed quid ego vetera conquiram, cum mihi liceat vti praeſentibus exemplis, atque viuis: Graeci vero poëtae haec. Ἣ μοι χρόνῳ, τῷ ζῶντι, καὶ παρόντι νῦν Ἔφασκε μόχθων τῶν ἐφεστώτων ἐμοὶ Λύσιν τελεῖσθαι: pronuntiantur autem illic ab Hercule, cum Hyllo filio, loquente: memoriaque vetera quaedam, ac noua oracula repetente, quae ipſi edita erant, atque inter ſe mirifice conſentiebant: narrat enim tunc, cum ad quercum Dodonaeam veniſſet, eam vaticinatam eſſe illo ipſo tempore, quod inſtaret, fore diſſolutionem aerumnarum, quae tota praeterita vita ipſum exercuerant. In oratione quoque pro P. Seſtio Cicero μεταφορικῶς itidem rem, & ipſe inanimem: cauſam inquam, viuere dixit: quia antea tamquam mortua erat, ac iacebat, cum commode defendi non poſſet: nec argumentis vllis ſubleuari. Diuerſa autem ratione Ariſtoteles in primo libro de Rep. diſciplinam colendi agros, quam Numidae colerent, quod iiſdem locis non maneret, verum ſedes mutaret, viuentem vocauit. quamuis addiderit, mitigare duram translationem hanc volens, quod valet, quaſi: haec enim eius verba. ὥσπερ γεωργίαν ζῶσαν γεωργοῦντας.

Quaeritur an legi debeat apud Ciceronem de finibus, vbi quaedam praecepta ſapientium exponit, tempori parcere, non parere: vt eſt in omnibus libris.

CAP. XIX.

DILIGENTER attendendum eſt, an mendum ſit in his Ciceronis verbis e tertio libro de finibus bonorum, ac malorum. Quaeque ſunt vetera praecepta ſapientium, qui iubent tempori parere, & ſequi deum, & ſe noſcere, & nihil nimis, haec ſine phyſicis, quam vim habeant (& habent maximam) videre nemo poteſt;

poteſt: vereor enim ne parcere pro parêre, iniecta in medium indefinitum verbum littera, legi debeat. huius etiam ſententiae eſt optimi ingenij, & egregiae eruditionis iuuenis Antonius Angelius, cuius ego induſtriae ſemper faui. nam qui praecepta haec ſeptem ſapientium tradiderunt, χρόνου φείδου, in illis poſuere, nullum autem quod reſpondeat huic, ſi, vt nunc in omnibus libris eſt, parêre legatur, attulere. vt Soſiades, qui plurimas ipſorum ὑποθήκας huiuſcemodi collegit. leguntur autem illae apud Ioannem Stobaeum in iij. libro. Praeterea Clemens Alexandrinus in i. Stromate huius vocis mentionem fecit, vbi docet breuibus quibuſdam, acutiſque dictis ſapientium virorum, magnarum rerum ſenſum contineri, vt hac ipſa χρόνου φείδου. nam vim etiam ipſius interpretatur, & quia obſcurum eſt, quid ſignificari ab eo voluerit, non vna declaratione contentus eſt, ſed geminam affert: aut enim, quia vita breuis eſt, putat admoneri nos ne fruſtra tempus: in rebuſque inanioribus conſumamus. ſiue contra parcere non debere cotidianis ſumptibus, ne, ſi forte longam aetatem aliquis viuat, res ad vitam neceſſariae deſint. Theophraſti quoque vna lectionem hanc confirmat: quem memoriae proditum eſt dicere ſolitum, πολυτελὲς ἀνάλωμα tempus eſſe: in eodem animi iudicio exponendo, verbis ab eadem re translatis. Quamuis autem Cicero aliquando dixerit, parere temporibus ſemper habitum eſſe ſapientis, numquam tamen hoc probatum ab aliquo ſapiente indicauit. valent autem verba haec, qui temporibus obtemperauit, quae ſaepe mutantur in vita, nec ſemper eundem tenorem tenuerit, ſolere laudari ſapientemque haberi.

Explicata ſententia Ciceronis in primo libro de finibus, quae difficultatis aliquid in ſe habere videtur.

CAP. XX.

LOcvs eſt in primo eorundem librorum, vbi oſtendere vult ex opinionibus
decretiſque Epicuri, iuſtitiam, contra ſententiam multitudinis, copulatam eſ-
ſe cum voluptate ita, vt ab ea, nec diuelli, nec diſtrahi vllo modo poſſit: cum
„ enim id vere dici de aliis virtutibus iam docuiſſet, inquit. *Sic de iuſtitia iudi-*
„ *candum eſt, quae non modo numquam nocet cuiquam, ſed ſemper alit ali-*
„ *quid, tum vi ſua atque natura, quod tranquillet animos: tum ſpe nihil earum rerum defu-*
„ *turum, quas natura deprauata deſiderat.* Cum autem obſcuritatis non nihil in ſe habeat,
& propter interruptionem verborum, volui ipſi opera mea auxilij aliquid afferre. nam cum
„ inquit. *Quae non modo numquam nocet cuiquam.* intelligit qui ea praeditus ſit: non deerant enim ſophiſtae, qui ipſam hoc facere affirmarent. vnde appellabant eam alienum bonum: ſuum autem propriumque damnum eius, qui eam poſſideret. quod tetigit etiam Plato in iij. libro de rep. his verbis, adumbratos illos ſapientes exagitans, ac falſo ſentire demonſtrans.
„ καὶ ὡς λυσιτελεῖ ἀδικεῖν, ἐὰν λανθάνῃ: ἡ δὲ δικαιοσύνη, ἀλλότριον μὲν ἀγαθόν: οἰκεία δὲ ζημία. cum vellet igitur eam conſtituere Cicero, neceſſario debuit prius id conuellere, quod obſtabat, quod facit, contemnens iudicium illorum. addit contra vſu venire, vt ſemper ipſa gignat aliquid, quod tranquillet animos, ſerenoſque ipſos reddat: atque id duabus de cauſis: quod enim commune eſt omnium virtutum, vt vi ſua, atque natura iuuent, ab hac alienum non eſſe: praeterea ſecuritatem inducit, quia pollicetur nihil earum rerum defuturum, quas natura deprauata deſiderat: quomodo enim deeſſe poſſunt: ſuiſque abſentia nos torquere, quae non expetuntur, nec vtiles nobis eſſe exiſtimantur. non expetuntur autem, quia integra natura vigenſque, paucis contenta eſt: nec res ſuperuacaneas requirit, vt quae corrupta eſt, atque incenſa libidinibus.

Praeceptum, quod vtile eſt diſtinguendis diuerſis generibus iocorum, accommodatum etiam eſſe dirimendis luminibus orationis, quae Graeci σχήματα vocant.

CAP. XXI.

SVnt quidam ioci, qui manent in verbis ipſis: alij vero poſiti ſunt in ſententia. Cum diſcrimen eorum tradere vellet Cicero ratione illa vſus eſt, qua magiſtri dicendi diſtinguunt σχήματα, vocata ab ipſis ſententiarum, a luminibus verborum: aeſtimant enim rhetores, ſi concinnitas illa locutionis eſt, variato ordine verborum ipſam extingui: contra ſi in ſententia manet, non frangi immutatione verborum. Alexander quidam ſophiſtes, qui de figuris non ineruditè ſcripſit, hoc ipſum ita notauit.

tauit. Τὸ δὲ τῆς λέξεως σχῆμα τοῦ τῆς διανοίας διαφέρει, ὅτι τὸ μὲν τῆς λέξεως, κινηθείσης τῆς λέξεως, τῆς συμπλοκῆς τὸ σχῆμα, ἀπόλλυται· τοῦ δὲ τῆς διανοίας σχήματος, κἂν τὰ ὀνόματα ἀλλάξῃ τις, κἂν ἑτέροις ὀνόμασιν ἐνέγκῃ, τὸ αὐτὸ πρᾶγμα μένει. In ij. igitur de Oratore Cicero inquit. Nam quod quibuſcumqne verbis dixeris facerum tamen eſt, re continetur: quod mntatis verbis ſalem amittit, in verbis habet leporem omnem. Conuenit igitur dnabus his diuerſis rebus inter ſe in hoc, quod non alienom eſſe pntani adnotare. Sed eodem quoque diſcrimioe diſtinguit Phalereus enthymema ab ambitu illo verborum, qui periodos vocatur: cum eoim ſaepe voa maneant, fallunt imperitos: idemque atque vnum eſſe falſo exiſtimantur. In aliis igitur multis argnmentis, quibus probat diuerſas illas res eſſe, hoc adfert: diſſoluto enim inquit orbe illo, periodus interijt: enthymema vero manet, immutato etiam ordine ſententiae.

Deleta macula ex oratione pro A. Cluentio: declaratumque non penitus idem valere donum, & munus.

CAP. XXII.

TOLLENDA eſt macnla ex his M. Tullij verbis, in nratione pro A. Cluentio poſitis. Quae primum, vt iſtum confirmaret Oppianicum accuſatorem filio ſuo, doois muliebribus: collocatione filiae, ſpe hereditatis, obſtrinxit: legi enim debet. donis, muneribns. vt ſane in vetuſtiſſimo exemplari, litteris Langobardis exarato, quod in diui Marci bibliotheca adhuc ſeruatur, ſcriptum eſt. olim autem, qui nulla in re inter ſe diſcrepare putabant haec verba (vt arbitror) veram lectionem contaminarunt. nam vt ounc legitur, otioſum eſt, ac frigidum nomeo, quod adiunctum eſt priori, donis. non eſſe autem paria ioter ſe, nec aequalia haec verba, praeterquam quod confirmatnr auctoritate iuriſconſultorum, qui diſcrimen etiam illorum oſtendunt, teſtimonio Ciceroois intelligitnr, qui & hac ipſa in oratione ſupra inquit. Tantum donis datis, mnneribuſque perfecerat. & pro Archia. Quod quaſi deorum aliquo dono, atque munere, commendati nobis eſſe videantur. Plautus quoqoe in Ciſtellaria. Inde in amicitiam ioſinuauit cum matre, & mecum ſimul, blandiciis, muneribus, donis. Alius etiam hic locus in excuſis omnibus deprauatus, ope eiuſdem libri corrigitur: cum enim, vbi deſcribit vitam, ac mores Staleni, nunc vulgo legatur. Cum eſſet egens, ſumptuoſus, audax, callidus, perfidioſus: & cum domi ſuae miſerrimus & inaniſſimus, tantom nummorum poſitum videret, ad omnem malitiam & fraudem verſare mentem ſuam, haec ſecom cogitaos, coepit. in illo eſt longe melius & elegantius. Et cum domi ſuae, miſerrimis in locis & inaniſſimis: vitia enim impuri illius hominis iam iodicarat.

Apud Virgilium Namque hoc imitamur arando, declaratum longe aliud valere, quam id, quod putauit antiquus interpres.

CAP. XXIII.

QVOD Virgilius in ij. Georgicorum inquit, vbi notas oſtendit, qnibus fertilis ager, ac boons frumento cognoſci poſſit. Et cui putre ſolum (namque hoc imitamur arando) non valere mihi videtur, qnod putauit vetus ioterpres eius poëtae, Seruius. qui ita, quod interiectum eſt, ac rationem eius rei in ſe continet, explicat. Haec araodo inſpicimus, & videre ſolemus: ipſe enim ita locum accipiendum arbitror. Terram illam, vt poëtae verbis vtar, cni putre ſolum, optimam eſſe frumentis, indicat ſtndium ooſtrum ſubigendi glaebas, & ars denique aratorum: conamur enim terram ſolutam putremque reddere, & cum hoc praeſtiterimus, videmur nobis officio noſtro functi eſſe, atque vbertatem frugum expectare poſſe. terra igitur, quae ſua vi: ſponteqoe habet, id quod oos arte laboreque ooſtro, illi afferimus, idonea eſſe percipitur: ars enim naturam imitatur. Sed etiam Columella cap. ij. libri ij. perſpicitnr hoc pacto locum accepiſſe.

Locus Ciceronis emendatus in IIII. Tuſculana: diſputatioque non inutilis de admirabili ſententia Stoicorum.

CAP. XXIIII.

MENDVM eſt in his Ciceronis verbis e iiij. libro Tuſculanarum, quod omnes adhuc feſellit: nec tamen noo omnem ſententiam perturbat, ac tenebras offundit clariſſimo Stoicorum decreto: ita enim in cunctis excuſis libris legitnr. Mihi oe Scipio quidem; ille pont. maximus, qui hoc Stoicorum verum eſſe declarauit.

clarauit. Numquam iſtum eſſe ſapientem, iratus videtur fuiſſe Ti. Graccho, tum quum conſulem languentem reliquit, atque ipſe priuatus, vt ſi conſul eſſet, qui Remp. ſaluam eſſe vellet, ſe ſequi iuſſit: cum tamen calamo exarati (quae vera integraque lectio ſine dubio eſt) Numquam priuatum eſſe, habeant: ſignificat enim Cicero facto illo, Scipionem confirmaſſe ſententiam Stoicorum, qui quemadmodum reliqua praeclara bona ſapienti illi ſuo tribuebant: eumque omnibus virtutibus, atque artibus ornabant, ita etiam ipſum magiſtratum ſemper gerere, ſummamque poteſtatem in ciuitate habere, aiebant. quod niſi hoc verum eſſet, peccaſſet magnopere clarus, ac fortis ciuis, qui priuatus, quod conſulis officium erat, feciſſet: liberatur autem omni culpa, vel potius ſumma laude decoratur, quia cum ſapiens eſſet: ſapiens vero ſemper conſul ſit, perſonam illam ſibi neceſſario tempore aſciuit. Solitos vero Stoicos dicere, ſapientem magiſtratum ſemper gerere, indicat Cicero in Lucullo his verbis. Illi vnquam dicerent, ſapientes ſolos reges: ſolos diuites: ſolos formoſos: omnia, quae vbique eſſent, ſapientis eſſe: neminem conſulem, praetorem, imperatorem: neſcio an V. virum quidem, niſi ſapientem. Sed Plutarchus quoque in Philopoemene ſimile factum ſummi illius imperatoris commemorat, qui cum Nabis tyrannus Lacedaemoniorum in Meſſenem irrupiſſet: nec poſſet Philopoemen Achaeorum praetori perſuadere, vt Meſſeniis opem ferret, priuatus ipſe, ciuium ſuorum manu coacta, qui nec legem, nec decretum vllum expectarunt, ſed meliorem natura, vt perpetuo praetorem, atque imperio praeditum, ſecuti illum ſunt, immitiſſimum regem e capto iam oppido fama ſola eiecit. non tamen illic ſententiae huius Stoicorum mentionem vllam fecit Plutarchus, quamuis in hoc cum illis ſentiret. Vt autem reliqua omnia bona ſoli ſuo ſapienti aſſignabat familia illa, ita ſolum poëtam ipſum eſſe dicebant. quod memoriae prodidit Strabo in primo libro Geographiae: nec non ſolum dialecticum. vnde corrigendus videtur hic locus Alexandri Aphrodiſienſis ſtatim initio primi libri commentariorum in Topica Ariſtotelis, vbi docet vocabulum Dialectica, non idem valere apud omnes ſapientiae ſtudioſos: cum enim, quo intellectu capiant Stoici docuiſſet, addidit. καὶ διὰ τοῦτο μόνος ὁ σοφὸς, κατ' αὐτοὺς, διαλεκτικός: ita enim videtur ſcribi debere. cum tamen in excuſis perperam legatur μόνος ὁ φιλόσοφος.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XII.

Oſtentum, quo Dionyſio regnum ſignificatum eſt, expoſitum diligenter a M. Tullio, indicatur ab Aeliano quoque litteris mandatum eſſe.

CAP. I.

M. TVLLIVS in primo libro de diuinatione, de genere illo diuinandi agens, cum aliqua ſubito coniectura explicantur: exemplaque eius ponens, duobus iam enumeratis, inquit. Facta coniectura etiam Dionyſio eſt, paulo ante quam regnare coepit: qui, quum per agrum Leontinum iter faciens, equum ipſe demiſiſſet in flumen ſummerſus equus voraginibus non exiit, quem quum maxima contentione non potuiſſet extrahere, diſceſſit, vt ait Philiſtus, aegre ferens. Quum autem aliquantum progreſſus eſſet, ſubito exaudiuit hinnitum, reſpexitque, & equum alacrem laetus aſpexit, cuius in iuba examen apum conſederat. Quod oſtentum habuit hanc vim, vt Dionyſius paucis poſt diebus regnare coeperit. Eandem autem rem Aelianus in xij. libro de varia hiſtoria commemorauit his verbis: quorum magnam partem accepiſſe illum puto a Philiſto Siculo, qui id memoriae in hiſtoria ſua, prodiderat. nam reliquit, quae ad aegritudinem animi, & laetitiam Dionyſij pertinebant, cum amiſit & poſtea recuperauit equum, quem carum habebat. Διονύσιος δὲ Ἑρμοκράτους λίχνον ποταμὸν διαβαίνων: ἔφερε δ' αὐτὸν ἵππος, καὶ ὁ μὲν κατὰ τοῦ πήλματος ὁ ἵππος ὠλίσθανε, ὁ δὲ ἀποπηδήσας, τὰς ὄχθας ἐλάβετο, καὶ ἀπῄει, ὡς οὐκ ἔτι τὸν ἵππον ὄντα αὐτοῦ ἀπολιπών, ὁ δὲ ἀκολουθήσας, καὶ χρεμετίσας, ὑπέστρεψεν αὐτόν, καὶ ἐκεῖνος ἐλάβετο αὐτοῦ τῆς χαίτης, καὶ ἐπὶ τὸν ἵππον ἀνέβαινεν, καὶ τῇ χειρὶ αὐτοῦ περιεπέπτη μελιττῶν πλῆθος, ἔφασαν οὖν οἱ γαλεῶται πρὸς τὸν Διονύσιον, ἐρωτώμενοι ὑπὲρ τούτων, ὅτι ταῦτα μοναρχίαν δηλοῖ. Quod autem Graecus hic inquit Dionyſium ad Galeotas de ea re retuliſſe, ita tum in Sicilia interpretes portentorum appellabantur: vt teſtatus eſt ſupra Cicero, cum de ſomnio matris eius tyranni ageret: nec non Graeci quoque grammatici.

Inſcriptio nomiſmatis animaduerſa.

CAP. II.

ARGENTEVM nummum vidi, in cuius fronte verba haec erant. Q. SICINIVS III. VIR. in tergo vero C. COPONIVS PR. S. C. C. Coponij cuiuſdam, qui in bello ciuili Caeſaris, ac Pompeij, praefuit claſſi Rhodiae, Cicero meminit in primo libro de diuinatione his verbis. At ex te ipſo non commenticiam rem, ſed factam eiuſdem generis audiui C. Coponium ad te veniſſe Dyrrhachio, quum praetorio imperio claſſi Rhodiae praeeſſet, cum primo hominem prudentem atque doctum. & quae ſequuntur. quaerendum igitur an idem ſit.

Elegans carmen, cuius falſus nunc eſt, aut incertus auctor, demonſtratur Catulli eſſe.

CAP. III.

CARMEN, quod Virgilij nomine nunc legitur poſt luſus in cuſtodem hortorum, non in omnibus tamen libris, ſed in his tantum, qui ex Aſulana officina prodierunt, a diligenti doctoque viro caſtigati: multiſque partibus meliores redditi: illud vnquam carmen, cuius initium eſt. Hunc ego iuuenes locum, villulamque paluſtrem, ſuſpicor Catulli eſſe, atque id non contemnendis (vt arbitror) argumentis, nam candor ſermonis elegantiaque in eo tanta eſt, vt prorſus redolere ſtilum huius poëtae videa-

tae videatur, qui huius laudis, meo iudicio, primas fert. praeterea Terentianus, eruditus grammaticus, qui ſcripſit de metris, tradit Catullum carmen ſcripſiſſe in Priapum, in quo menſuras illas, ac modos ſeruarat, qui huic deo adhiberi ſolerent: quattuorque eius verſus huiuſcemodi adducit. nam ratione eius carminis explicata: quotue ac quales pedes recipiat, demonſtratis, inquit. Et ferme modus hic datur a pleriſque Priapo: inter quos cecinit quoque carmen tale Catullus: ſtatimque verſus hos ipſius quattuor ponit. quamuis in ſecundo medio pes deſiderari videatur.

Hunc lucum tibi dedico, conſecroque Priape
Qua domus tua Lampſaci eſt, quaue Priape
Nam te praecipue in ſuis vrbibus colit ora
Helleſpontia, ceteris oſtrioſior oris.

Carmen autem hoc, de quo loquor, huius generis eſſe patet. vt autem illo, cuius quattuor hi verſus particula ſunt, commemoratur beneficium hominis erga ipſum deum: ita hoc longiore conſilium voluntaſque dei aperitur, acceptum honorem commodumque ſua voce exponentis: docentiſque cogi ſe, ſi gratus eſſe velit, tueri diligenter hortum: nec deeſſe muneri ſuo. Quin etiam Nonius Marcellus Catulli teſtimonium citat, Priapo. vbi notionem verbi Ligurrire tradit. cum ante ipſum Horatij exemplum poſuiſſet, quamquam locus omnis turpiter deformatus eſt in excuſis libris, qui tamen nullo negotio ita corrigi poſſit. nam de extremo verſu Horatiano dubium non eſt, quin ita emendari debeat. vt omnis ſcrupulus cuicuimodi eſt, in hoc reſtet. quod Priopo illic, vna immutata littera pro Priapo legitur. Ita autem omnis loens (quod mihi videor iam poſſe non temere aſſeuerare) legendus eſt. Horatius. Semeſos piſces, tepidumque ligurrierat ius. Catullus Priapo. De meo ligurrire libido eſt. vt autem quilibet videre poteſt, percepta ratione huius hexametri, mollis atque eneruati, quattuor hi extremi pedes huius Priapei carminis ſunt cum ſegmento, quod inferioris aetatis grammatici Latini caeſuram vocant: Graeci appellabant τομὴν. Primus igitur trochaeus eſt, vltimus prioris commatis, quem ſequitur ſyllaba, quam dixi. deinde iambus primus poſterioris commatis: tertius dactylus: quartus ſpondeus. nam quod addit Terentianus. Et ſimiles plures ſic conſcripſiſſe Catullum ſcimus. aliquantulum etiam adiuuat iudicium ſententiamque meam, non vnum tantum illud eius generis ipſum ſcripſiſſe. quamuis, in his quae reſtant huius doctiſſimi poëtae, inueniatur quoddam eiuſmodi: illud inquam, quo coloniam alloquitur: poſtulatq; vt beneficij loco munus ſibi maximi riſus det. Sed quum carmen ipſum ob elegantiam ſuam dignum ſit, quod vbique legatur: nec omnino adhuc commune ſit, non video cur non hic poni debeat.

Hunc ego iuuenes locum, villulamque paluſtrem
Tectam vimine iunceo: cariciſque maniplis
Quercus arida, ruſtica conformata ſecuri
Nutriui, magis, & magis vt beata quotannis.
Huius nam domini colunt me, deumque ſalutant
Pauperis tugurij pater, filiuſque
Alter aſſidua colens diligentia, vt herba
Dumoſa, aſperaque a meo ſit remota ſacello.
Alter parua ferens manu ſemper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitiae, & tenera virens ſpica mollis ariſta.
Luteae violae mihi, lacteumque papauer,
Pallenteſque cucurbitae, & ſuaue olentia mala,
Vua pampinea rubens educata ſub vmbra.
Sanguinea etiam mihi (ſed tacebitis) arma
Barbatus linit hirculus, cornipeſque capella.
Pro quis omnia honoribus hoc neceſſe Priapo
Praeſtare: & domini hortulum, vineamque tueri.
Quare hinc o pueri malas abſtinete rapinas.
Vicinus prope diues eſt, negligenſque Priapus.
Inde ſumite. ſemita haec deinde vos feret ipſa.

Sententia Ciceronis e libris de republica, quae oſtendit damni multum importatum eſſe veteri Graeciae a Phoenicibus, qui mercaturis faciendis antiquitus rem quaerebant.

CAP. IIII.

PHOENICES, auida quaeſtus, auaraque admodum gens fuiſſe traditur: quae priſcis illis temporibus, contemptis periculis maris, vna cum mercibus, quas eo conuehebat, in Graeciam etiam vitia comportarit: dura enim tunc natio Graecorum, abhor

renſque ab huiuſcemodi deliciis, fracta eſt atque eneruata copia voluptatum, de quo etiam queſtus fuerat Cicero in iij. libro de republica, vt indicio Nonij cognouimus. qui hoc inde teſtimonium citat. Phoenices primi mercaturis & mercibus ſuis auaritiam, & magnificentiam & inexplebiles cupiditates omnium rerum, exportauerunt in Graeciam. hoc autem mali ſecum ferre hoc ſtudium, corrumpereque mores earum gentium, ad quas commearint mercatores, perſpicuum eſt. vnde olim a vetere Germania, quod memoriae proditum eſt, pellebantur, damnum hoc metuentibus, longeque incolumitati ſuae prouidentibus. Dionyſius etiam Halicarnaſſeus in volumine de arte dicendi, teſtatur Platonem dixiſſe Phoenices a natura factos ad pecuniam cogendam: mercaturamque exercendam. quod ſcripſit ſummus ille, atque elegans philoſophus in iiij. libro de Republica. quo loco demonſtrat indolem moreſque ciuitatis proficiſci a natura moribuſque priuatorum: quique alium ortum ipſos habere putarent magnopere falli. vt quibus priuati ipſi ſtudiis artibuſque dediti ſint, eorum certa veſtigia appareant in vniuerſa gente: cum enim antea dixiſſet nationem Thracum Scytharumque iracundam eſſe, quia ſingillatim ipſi affines ſunt huic motui animorum: nec non eadem de cauſa ſtudium ſapientiae: ingenuarumque artium ſpectari in vniuerſa Graecia, addit. eos etiam falſo ſentire, qui crederent aliunde naſci publicam auaritiam quam a priuata. quae praecipue inquit, viget in Phoenicibus: & non minus in his omnibus, qui Aegyptum incolunt. Sed in v. quoque libro de legibus pecuniae infinitam cupiditatem: illiberalitatemque, inſitam eſſe in animos earundem nationum declarauit.

Cum dictum ſit a Latino poëta, munera placare deos, oſtenditur, Graecos antea id protuliſſe.

CAP. V.

QVOD Ouidius, vt oratione ac verſibus, ita vita & moribus eneruatus, improbe cecinit. Munera (crede mihi) placant, hominesque deoſque. multo prius dictum fuerat: a Graecoque poëta prolatum. cuius verſum hunc adducit Plato in iij. libro de rep. ſententiam illam continentem. Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας. exagitat autem illum quantum poteſt ſanctiſſimus vir: neque oportere nos abduci huiuſcemodi praeceptis affirmat. quae vitae magnopere obſunt: cum in animos hominum auaritiam inferant: aliaſque labes, ac vitia non parua importent. illarum autem plenos eſſe poëtas multis exemplis confirmat. Euripides quoque in Medea inducit vafram illam mulierem hanc ſententiam, peruagatam: prouerbiique vim habentem, pronunciantem, cum medicata illa dona nouae nuptae mitteret, ac conſilium Iaſonis refelleret, qui eam reprehenderat, quod ſe illis rebus ſtulte priuaret: eoque mitteret vbi ſuperaretur. inquit igitur. Μή μοι σύ· πείθειν δῶρα, καὶ θεοὺς λόγος.

Obſcurus ſenſus verborum quorundam M. Tullij illuſtratus.

CAP, VI.

DILIGENTER videndum quid ſignificare Cicero voluerit, cum in v. libro Tuſculanarum inquit: Vt enim vel ſumma paupertas tolerabilis ſit, ſi liceat, quod quibuſdam Graecis cotidie, ſic caecitas ferri facile poſſit, ſi non deſint ſubſidia valetudinum, quid nunquam illud ſit, quod quidam Graeci conceſſu omnium ſingulis diebus faciebant. ipſe ſane arbitror intelligi debere ſtipem cogere, ac πτωχεύειν: obſcureque deſcribi cynicos philoſophos, qui victum emendicabant: quid enim obeſſet paupertas, aut cur non aequo animo illa ferri poſſet, ſi omnibus honeſtum eſſet, quod illis inſtituto quodam licebat.

Quid valeat ἑλκυστικὸν in Graeco ſermone: monſtratuſque elegans locus M. Varronis, vbi id verbum apte poſitum eſt.

CAP. VII.

ΕΛΚΥΣΤΙΚΟΝ a Graecis auctoribus vocatur, quod, obrepens paulatim in ſenſus, trahit, rapitque ad aliquid amandum, quaſi neſcientem & inuitum: & occultam quandam huiuſcemodi vim in ſe habet. verbo autem hoc aptiſſime vſus eſt M. Varro, vt indicio Nonij percipitur, qui haec ipſius verba citauit Fle-

xabulis

xabulis [illegible]: Multi enim, qui limina intrarunt integris oculis, ſtrabones ſunt facti: habet quiddam enim ἑλκυστικὸν prouincialis formoſula vxor. Significauit autem illis doctiſſimus ſcriptor, de corruptelis prouinciarum loquens, non paucos, qui diuerſentur apud prouinciales homines, cum vacui ab amore domos illas ingrediantur, capi blanditiis, elegantiaque hoſpitarum. quia factae illae ſint ad alliciendos captandoſque mortales. nam quod integros ipſorum oculos, poſtea vero vitioſos dicit, hanc peſtem primo partem eam labefactare certum eſt. vnde oculi dolere amantium dicuntur. Athenaeus quoque initio v. libri, conſuetudinem priſcorum laudans, qui large hoſpites: epuloque ſumptuoſiore accipiebant: affirmanſque multum adiuuare vinum initia amicitiae, inquit. Δοκεῖ γὰρ ἔχειν πρὸς φιλίαν τι ὁ οἶνος ἑλκυστικὸν, παραθερμαίνων τὴν ψυχὴν, καὶ διαχέων.

Dictum eſſe a magnis viris, errare eos, qui putent mortem ſemper paenam eſſe, cum miſeris potius, ac calamitoſis ſit malorum finis.

CAP. VIII.

CVM vltimum ſupplicium depellere vellet a coniuratis in remp. C. Caeſar, in aliis, hoc etiam argumento vſus eſt, quod hominibus miſeris, ac calamitoſis mors optanda ſit: eripit enim illos e multis grauibuſque malis: quae, manentes ipſos in vita, perpetuo vexarent. Id autem & a Salluſtio, coniurationem illam ſcribente, ex perſona ipſius Caeſaris: & a Cicerone in iiij. oratione contra Catilinam memoriae mandatum eſt: hiſtorici tantum ipſius hic verba ponam. In luctu atque in miſeriis mortem, aerumnarum requiem, non cruciatum eſſe, eam cuncta mortalia mala diſſoluere: vltra neque curae, neque gaudio locum eſſe: Theſeus quoque ita argumentum innocentis filij refellit apud Euripidem: cum enim Hippolytus dixiſſet, mirari ſe quod tam leui paena contentus eſſet, ſi affinem ſe tanto ſceleri putaret: ipſe namque ſi eo loci eſſem inquit: tuque vxorem meam attingere auſus eſſes, necaſſem te, non exilio multaſſem. reſpondit pater, contemnens rationem ipſius: affirmauitque nolle ſe in eum animaduertere ea lege, quam quaſi ipſe ſibi tuliſſet: cum etiam iudicij ſui cauſam hanc attulit. ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ. quibus verbis manifeſto idem ſignificare voluit. nolle ſcilicet ſe tantum ei beneficij dare, nam culpam illius dignam eſſe longiore ſupplicio.

Videri longe aliter, ac putarint interpretes, accipiendum locum eſſe in Georgicis, vbi poëta furorem aprorum commemorat: declaratumque id totum acceptum eſſe ab Ariſtotele.

CAP. IX.

BREVI Virgilius, eruditeque, pugnam aprorum, ſtimulis Veneris agitatorum, cum de re pecuaria ageret, deſcripſit. quia autem interpretes ſententiam ipſius (vt opinor) non perceperunt, non inutile me facturum putaui, ſi quomodo intelligendus locus ſit, oſtendiſſem: ſimulque vnde acceperit totam rem accuratiſſimus poëta indicaſſem. verſus vero hi ſunt, quibus omnia perſequitur. Ipſe ruit, denteſque Sabellicus exacuit ſus, Et pede proſubigit terram, fricat arbore coſtas, Atque hinc, atque illinc, humeros ad vulnera durat. quod igitur inquit. Et pede proſubigit terram, non intellexit eos hoc facere ad acquirendum robur, quamuis ſtudio & exercitatione vires creſcant. ſed ſignificare voluit, ipſus lutum facere, in quo, cum ſaepe ſe volutarint: deinde id exaruerit, ita durius, ac craſſius tergum: cutemque impenetrabiliorem reddunt, qui alter modus eſt, quo ſe armant, & quaſi loricam induunt: nam alter aperte traditus, & explanatus eſt. quomodo autem locum ceteri accipiunt: exercitatioque illa humeros non duraret, ſed membra tantum expeditiora ad certamen: vireſque corporis validiores efficeret. manifeſto etiam labitur Seruius, qui putat haec de ſue manſueto dicta eſſe, vſus argumento hoc. quod ſupra ait. Tunc ſaeuus aper. nec videt quod vno verbo tantum illic dixerat, eum vberius nunc tradere, ac rem augere. Reſtat vt auctorem monſtrem, vnde hiſtoriam poëta ſumpſit. quod pateſactum, vera eſſe, quae dixi, declarabit. atque omnem ſcrupulum, ſi aliquis forte reſtat, euellet. Is igitur eſt, qui animantium omnium naturas moreſque, acumine ingenij, vidit, ac ſcriptis etiam ſuis, vt nos videre poſſemus, effecit, Ariſtoteles: in vj. enim libro eius ſcriptionis, inquit. καὶ οἱ ὕες ἄγριοι χαλεπώτατοι: καίπερ ἀσθενέστατοι περὶ τὸν καιρὸν τοῦτον ὄντες διὰ τὴν ὀχείαν: καὶ πρὸς ἀλλήλους δὲ ποιοῦνται μάχας θαυμαστὰς, θωρακίζοντες ἑαυτοὺς, καὶ ποιοῦντες τὸ δέρμα ὡς παχύτατον ἐκ παρασκευῆς πρὸς τὰ δένδρα διατρίβοντες, καὶ τῷ πηλῷ μολύνοντες

» πηλώδεις, καὶ ξηραίνοντας ἱκανῶς: & quae ſequuntur, modum autem, quo lutum conficerent potius aperuit poëta, quam cauſam, cur id facerent, indicauit, quod relictu altero, dilucide narrauit philoſophus. eleganter autem id docuit vſus verbo ſubigere: intelligere enim debemus terram madidam eam fuiſſe, in paludibus namque, ſtagnantibuſque locis fere degunt apri. quod vero illum exacuere dentes inquit, non tetigit Ariſtoteles: docuit autem Euripides in Phoeniſſis, eum furorem rabiemque fratrum inter ſe pugnantium ſimili hoc explanauit. Κάπρω δ' ὅπως, θήγοντες ἀγρίαν γένυν Συνῆψαν ἔγχη.

Allata ſententia multorum, qui omne ſupplicium aequo animo perpetiendum putarent, pro tyrannide, breui etiam impetrata, & bonis ipſius tantum guſtatis.

CAP. X.

M. Cicero cum ita interrogaſſet eum, cum quo ſermonem inſtituit in v. libro Tuſculanarum. » Vtrum malles te, ſi poteſtas eſſet, ſemel, vt Laelium conſulem, an » vt Cinnam, quaere? intellexiſſetque non tutum eſſe cuilibet tantum committere, ob prauas quorundam mentes: ſcelerataque multa deſideria, ſubito ſe ipſum correxit: rationemque ſui conſilij reddidit, dicens ſe videre, cum quo agat: nec quemuis ſe ita interrogaturum fuiſſe, addens: » Reſponderet enim alius fortaſſe, ſe non modo quattuor conſulatus vni » anteponere, ſed vnum diem Cinnae multorum, & clarorum virorum totis aetatibus. non male autem ita ſenſiſſe Ciceronem; neceſſariamque correctione in hanc ſuperioris vocis fuiſſe, teſtatur etiam ſimilis huic parque ſententia, cuius meminit Plutarchus in Solone: Cum enim familiares accuſarent ipſum, quod oblatam ſibi a populo Athenienſi ſummam poteſtatem in ciuitate repudiaſſet monarchiam; quaſi non liceret, vnum etiam ſolum imperantem conſulere ciuibus, atque e tyrannide, virtute ſua, regnum conficere? id quod exemplo etiam duorum fieri poſſe probabant, perſuaderi tamen ſe paſſus non eſt; quae autem multi in illum dicebant, tantopere peccantem, vt arbitrabantur, ipſe verſibus complexus eſt: aiebant enim in aliis, recuſandum ei non eſſe, ſi modo Athenis potiri ſpatio ſolum vnius diei potuiſſet, ipſum illum interimi, e corioque poſtea ipſius vtrem fieri, & familiam omnem eiuſdem atteri, ac deleri: ita egregium bonum putabant tyrannidem.

Valere Attingere digito, leuiter tangere: capique aliquando pro puſilla iniuria afficere.

CAP. XI.

Attingere digito (quem modum loquendi vſurpauit, M. Cicero, ſtatim poſt ſupra a me allata verba) valet minuta, leuique iniuria quempiam afficere: ſi iniuria eſt appellanda, cum detrimenti nihil ignominiaeque importatur. Inquit igitur. » Laelius, ſi digito quem attigiſſet, paenas dediſſet: At Cinna collegae ſui conſulis Cn. Octauij praecidi caput iuſſit. Eodem autem pacto locutus eſt Portius Licinius in elegantiſſimo hoc tetraſticho: totum enim ponam, vt ſimul quomodo purgari debeat, oſtendam. primus namque verſus duabus turpiſſimis maculis inquinatus, legitur apud Gellium. qui cum citaret illud, cauſa fuit vt conſeruaretur, vna cum aliis non nullis, ſuauitatis, ac candoris pleniſſimis, epigrammatibus. loquitur autem illic amator, qui toto pectore ardebat. » Cuſtodes ouium » teneraeque propaginis agnûm Quaeritis ignem? ite huc. quaeritis? Ignis homo eſt, Si » digito attigero incendam ſiluam ſimul omnem. Omne pecus flamma eſt: omnia, quae video. In libris autem excuſis ita eſt. Paſtores ouium videre propaginis agnûm, nullo idoneo ſenſu: aptoque ſententiae poëtae, nam poſtremum verbum contrahi ſolitum, auctoritate » Plauti cognoſcimus, qui hoc modo dixit in Aulularia. Tace nunc iam tu: atque agnûm » horum vter eſt pinguior, Licet, tu Congrio eum ſume.

Proditum memoriae ab Aſclepiade Cyprio coepiſſe homines veſci animantibus, rege illius inſulae Pygmalione, Beli filio: Didoniſque fratre.

CAP. XII.

Pygmalionis regis, quem metuebat Dido, infenſum ſibi vt acerrimum hoſtem, quamuis frater foret, meminit Porphyrius Tyrius in iiij. libro περὶ ἀποχῆς: vel potius indicat auctorem, qui, quod teſtari volebat, diligenter tradiderit. is autem

eſt

eſt Aſclepiades Cyprius, qui in commentario, quem ſcripſerat de Cypro, ac Phoenice, viuente Pygmalione narrauit, coepiſſe mortales carne veſci: quamuis ſummo ſtudio ipſe uuno huic cibo, ac παρασφαγίᾳ reſtiterit, vt ſceleri alicui, ac nefario facto, vſus atrocibus ſuppliciis in eos, qui primi hoc temptarunt: nec tamen guſtata iam ſuauitate carnis oſtendit homines inde abſterreri paenis vllis potuiſſe. nam quod tradit genere ipſum Phoenicem fuiſſe, Cypri tamen quoque regnaſſe, id etiam ſignificauit Maro in primo Aeneidos, cum ita Didonem cum Aenea loquentem induxit in primo illo congreſſu. genitor tum Belos opimam Vaſtabat Cyprum, & victor ditione tenebat. Hinc autem intelligitur falſum eſſe, quod Seruius illic ſcripſit. Belum Didonis, ac Pygmalionis patrem ſubactam Cyprum conceſſiſſe Teucro: poſſedit namque illam filius. Teucer vero oppidum tantum eius inſulae tenuit. Hoc prorſus Aſclepiadi credi debet, qui in primis callere potuit, quae in ſua terra facta eſſent.

Vt ſalem vocauit Catullus id, quod facit, vt mulieres placeant: nomenque formoſarum ipſis acquirit, ita Graecos appellare ſolitos ἁλμυρὸν κάλλος.

CAP. XIII.

QVM Catullus, notiſſimo carmine, contra iudicia multorum, noluerit appellari poſſe formoſam mulierem, quae venuſtate careat ac ſale, quamuis ſingulas corporis partes pulchras habeat: ſalemque vocarit argutiam quandam, leporemque μετὰ φρονήσεως, Graeci quoque ſalſam ſua voce, quae huic reſpondet, artemque pulchritudinem appellabant, intelligentes non inertem: nec parum aptam ad conciliandos ſibi eos, qui vidiſſent, ſed contra mixtam venuſtate quadam, ac factam ad alliciendum: quaeque tamquam pungit, ac vehementer commouet. vt dapes ſale conditae, delectare magis, excitareque deſiderium cibi conſuerunt. id teſtatus eſt Plutarchus in v. libro συμποσιακῶν, capite extremo, cuius verba ſunt haec. Διὰ τοῦτο δή τινες, καὶ κάλλος γυναικός, τὸ μήτ' ἀργὸν, μήτ' ἀπίθανον, ἀλλὰ μεμιγμένον χάριτι, καὶ κινητικὸν, ἁλμυρὸν, καὶ δριμὺ καλοῦσιν. nam quod alioqui multum valuiſſet ad pulchritudinem conſtituendam, ac ſine quo bonum hoc manere non poteſt, magnitudo corporis, nihil iuuat, ſed auget potius deformitatem. quod ſignificauit etiam elegantiſſimus poëta dicens. in tam magno corpore, quo magis enim magnum corpus eſt, vacuum ab his rebus, eo magis inconcinnum eſt, ac merito ridetur.

Verum eſſe omni in re, quod M. Cato apud Salluſtium dixit Non votis tantum ſuppliciiſque proſpere omnia euenire, ſed oportere etiam opera ſtudioque ſuo conatus adiuuare.

CAP. XIIII.

VERISSIMAM quandam: vitaeque noſtrae maxime vtilem ſententiam in ore grauiſſimi viri M. Catonis, poſuit Salluſtius: cum enim variis de cauſis in maximo periculo ciuitatis cunctantem Senatum excitaret ad paenam capiendam de nefariis ciuibus, ita increpuit illos, qui, diis immortalibus confiſi, humana praeſidia non adhibebant. Non votis, neque ſuppliciis muliebribus, auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene conſulendo, proſpera omnia cedunt. Idem etiam longe minore in re pronuntiari fecit a colono illo Euripides, quem induxit in fabula Electra: cum enim nobiliſſimam virginem ab illiberali, indignoque ipſa, labore verbis reuocare non potuiſſet: poteſtatemque tandem ei feciſſet vt pergeret, quo coeperat, cum ferri poſſe illum etiam a delicato corpore, in vmbraque nutrito laborem vidiſſet: venerat enim illa eo loci iam, vt dum ſedere otioſae ipſi non liceret, quo magis eam conſolaretur addidit: ego enim quoque cum dies illuxerit, bubus in aruum compulſis, ſemen ſpargam. Ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς, θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα, Βίον δύναιτ' ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου: hoc enim verbis poëtae exponere placuit, cum id ſit, quod a Latino ſcriptore paene expreſſum eſſe ſignificare volui. Idem etiam breuius his verbis praecipiebatur. quae iubebant implorato auxilio Mineruae, oportere etiam manum mouere: negotioque, quod confici quis vellet, adplicare.

De Syrorum ſuperſtitione, qui & columbas, & piſces venerabantur.

CAP. XV.

TIBVLLVS in elegia quadam ſuperſtitionis Syrorum meminit, qui columbas conſecrabant: timebantque violare, ita canens: Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes Alba Palaeſtino ſancta columba Syro. Id quoque memoriae prodidit Xenophon in primo libro expeditionis Cyri iunioris,

nuam expeditionem, quod in Perſidem, ex Aſiae maritimis locis proficiſcentes, aſcendebant, ἀνάβασιν vocauit: contra ac nos Gallorum, aut Heluetiorum manus, in Italiam irrumpentes, quia editiora loca relinquunt: in humilioraque veniunt, deſcendere dicimus. narrat igitur dulciſſimus ſcriptor copias illas veniſſe ad fluuium, Chalum appellatum, plenum magnorum piſcium ac manſuetorum, quos Syri deos eſſe putarent: nec ſinerent violari: quod etiam tribuebant columbis. nam quod ad piſces pertinet, quos ſtulta natio coleret, id etiam Cicero teſtatus eſt in iij. libro de natura Deorum. Piſcem Syri venerantur. Porphyrius praeterea in iiij. libro περὶ ἀποχῆς commemorat, litteris proditum eſſe Syros antiquitus abſtinuiſſe ſe a necandis animantibus: vt neque etiam ipſas diis immortalibus imolarent. poſtea tamen coepiſſe victimas mactare vt arcerent a ſe quaedam mala. nec tamen, ne tum quidem auſos carnibus veſci. Addit autem infra, morem illum vſque ad aetatem Menandri comici perduraſſe. cuius etiam verſus ponit: quibus exponitur, quo humilitatis deſcendant Syri, vt deam placent: ſi forte aliquando incontinentia ducti, piſcem comederint.

Locus Ciceronis explicatus in Oratore, qui interpunctione, perperam collocata, confuſus erat.

CAP. XVI.

PERSPICIO locum ex Oratore Ciceronis, cum perperam interpunctio collocata ſit in excuſis libris, vulgo non intelligi. quare negligentiae huic imperitorum occurrendum putaui: neque enim parui ponderis res eſt: valdeque ſententiam variat: cum igitur diſputaſſet aliquantum de concurſu vocalium, quam Graeci σύγκρουσιν φωνηέντων vocant: eam autem quidam Graeci ſcriptores ſummo ſtudio fugerant: alij vero non magnopere cauerant: oſtendiſſetque Latinis hominibus inde nihil maioris incommodi inſtare, quia ne ſi cupiant quidem, ipſis diſtrahere voces conceditur: contrahentes namque alteram earum vocalium remedium illi malo adhibent, addidit. Praeter eos, qui, vt verſum facerent, ſaepe hiabant: poſitiſque multis exemplis poëtarum, in quibus contractio non fit, inquit. Sed quid ego? vocales ſine vocalibus ſaepe breuitatis cauſa contrahebant. Ita igitur legi debet. Sed quid ego vocales? ſine vocalibus ſaepe. & quae ſequuntur: caſtigat enim ſemetipſum Cicero, & quaſi ſuperiorem ſententiam emendat, quod protuliſſet veteres ſolitos contrahere vocales, tamquam rem licentiae plenam, cum maiore in re libertate hac vterentur: nec tantum vocales ipſas contraherent, verum etiam cum vocales nullae ſunt: atque id, vt ſyllabas breues redderent, quae concurſu conſonantium longae fuiſſent. quod item multis exemplis teſtatur. intelligere autem ipſum, quam inferioris aetatis grammatici colliſionem vocant, manifeſtum eſt: cum enim colliduntur inter ſe hae litterae altera conteritur, ac perit. paſſim autem hoc fieri in vocalibus conſtat: in conſonantibus etiam nunc appellatis in vſu fuiſſe teſtatur poëma Lucretij, & aliorum priſcorum poëtarum exempla multa poſita a grammaticis. Animaduertendum vero cum citet ſe ipſum teſtem Cicero eius licentiae, quando contractio non fit, ſed hiatus manet: intelligatque Arati φαινόμενα, a ſe in Latinum ſermonem conuerſa, fidelem ipſum interpretem huius loci fuiſſe. nam inuentum hoc apud Graecum poëtam, cuſtodiuit: idem enim hiatus illic eſt, quem in ſuo carmine Cicero adnotat, atque in eadem etiam ſede verſus: cum ita cecinerit Aratus. Τῆμος καὶ κελάδοντες ἐτησίαι, εὐρέϊ πόντῳ Ἀθρόοι ἐμπίπτουσι. Animaduertendum autem Ciceronem radiantem vocare Solem, niſi forte in ſuperiore verſu ſol appellatus fuit, cuius poſtea radians epithetum extiterit.

Emendatus locus in Oratore, vbi de concurſu vocalium differit.

CAP. XVII.

NON multo praeterea ſupra haec ipſa verba, quae quomodo interpungi debeant, docui: eademque declaraui, locus eſt, qui cum corruptus ſit, cauſa fuit erroris diligenti viro: multumque in Ciceronis ſcriptis verſato. qui tamen ſi huius rei peritus fuiſſet, de qua hic erudite ſubtiliterque Cicero diſſerit: intelligo autem concurſum vocalium, non tam facile labi, ac peccare potuiſſet. ita autem in excuſis libris legitur. Quod quidem Latina lingua ſic obſeruat, nemo vt tam ruſticus ſit, qui vocales nolit coniungere. cum addita littera poſtremo monoſyllabo, Quin legi debeat: affirmat enim Latinos homines tantopere metuere culpam illam, vt nemo tam negligens, rudiſque ſit in componendis verbis, qui concurſum vocalium non damnet: & cum poteſt, non fugiat.

fugiat. quamuis aliquando hoc neceſſitate quadam vitium admittatur: neque tamen oporte-
re dicit id tamquam ſcopulum aliquem cauere. cum contra exquiſita etiam diligentia: fuga-
que huius concurſus vocalium, merito reprehendatur, vt Cicero ipſe accurate oſtendit: exem-
pliſque grauiſſimorum ſcriptorum confirmat. quod ſi abſque negandi particula aliqua ſenten
tia illa legeretur, & falſa foret, & iudiciu Ciceronis repugnaret. verba vero, quae ſtatim ſe-
quuntur, indicant ita legi debere: hoc enim vitio datum eſt Theopompo, quod modum in
fuga illius concurſus nullum tenuit. Ita autem ſaepe Ciceronem locutum eſſe conſtat. nam
» qui eſt infra locus, valde ſimilis huic eſt: vitioque caret, Nemo, qui aliquo eſſet in numero,
» ſcripſit orationem generis eius, quod eſſet ad delectationem comparatum remotumque a iu-
» diciis, forenſique certamine, quin redigeret omnis fere in quadrum, numerumque ſententias.
Hunc vero e iij. libro de Oratore arbitror eodem modo, quo ſuperiorem laborare: cum enim
» ita in excuſis ſit: Neque vero eſt quiſquam qui eadem contueus efficiat. emendandum vide-
» tur, Quin, ſententia ipſa, veritateque hoc docente.

Sententiam Ciceronis, qua queritur de importunitate quorundam hominum, a muſis auerſorum, ipſum reprehendentium, quod in ſtudiis litterarum multum temporis poneret, videri expreſſam e Platone.

CAP: XVIII.

Concedi ſibi debere putabat Cicero, vt quod temporis alij ciues Romani,
clari viri, ponerent in voluptatibus corporis explendis: oblectationibuſque
huiuſcemodi aliis conquirendis, ipſe in ſtudiis litterarum, ingenuiſque arti-
bus collocaret. nam hoc etiam nomine ille ab imperitis rudibuſque audiebat:
in reprehenſioneſque iniquorum incidebat: quod perſonae ſuas oblitus, maius
quam oporteret in Graecorum artibus pertractandis, tempus conſumeret. purgat igitur hoc
multis locis: quemadmodum etiam pro Archia dicens: docetque id ſine damno priuatorum,
» aut reip. fieri. ita autem cum illic locutus ſit. Quare quis tandem me reprehendat? aut
» quis mihi iure ſuſcenſeat? ſi quantum ceteris ad ſuas res obeundas: quantum ad feſtos dies lu-
» dorum celebrandos: quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi, & corporis con
» ceditur temporum: quantum alij tribuunt tempeſtiuis conuiuiis: quantum denique aleae: quan
» tum pilae, tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumpſero, videri non ſine cauſa poſ-
ſit locum Platonis exprimere, atque adumbrare voluiſſe: eſt enim erudita admodum oratiun-
cula illa: ſummoque artificio conſcripta, ac referta denique optimis ſententiis, ſumptis ab o-
ptimis Graecis auctoribus. ita namque Socrates in Phaedro loquitur. oſtendens doctos ho-
mines, qui aliquid ſcripſerint: monimentiſque litterarum mandarint, poſſe etiam in ſenectu-
te, recolentes illa ſua ſcripta, magnopere delectari, & eo maxime tempore, quo alij, non haben
tes, quas decerpant, ingenuas ex doctrina oblectationes, in voluptatibus, indignis graui & ho
neſto viro, tempus terant. eaſdem autem fere appellat: nec tamen omnes enumerat: teſta-
tur enim ſe germanas his non nullas relinquere, quas poſtea nominauit Cicero. ſunt autem
» verba ipſius haec. ὅταν δὲ ἄλλοι παιδιαῖς ἄλλαις χρῶνται: συμποσίοις τε ἄρδοντες αὑτοὺς: ἑτέροις τε,
» ὅσα τούτων ἀδελφὰ, τότ' ἐκεῖνος ὡς ἔοικεν ἀντὶ τούτων, οἷς λέγω παίζων διάξει. Reſpondet autem
ſtatim Phaedrus, ea quae ornant oblectationem illam, luſumque: hanc vero accuſant,
ac reprehenſione dignam oſtendunt. quod obſcurius tamen quoque Cicero fecit. cum
ſtomacho namque pronuntiata illa ſunt: nec enim poterat amplius ferre importunitatem
illorum, qui, quas ipſi guſtare voluptates non poterant, alium percipere aequo animo
non ſinebant.

Diſputatur de contumelioſa voce Philippi Macedonis, qui vrbes nonnullas, opportuno loco ſitas, vocabat compedes Graeciae.

CAP. XIX.

Diſſentit aliquantulum Strabo a T. Liuio in voce Philippi regis Macedo-
num referenda: Latinus enim ſcriptor tradit ipſum tres nobiles vrbes, Deme-
triadem ſcilicet, Theſſaliae: Chalcidem, Euboeae: Corinthum, Achaiae, ſo-
litum compedes Graeciae appellare. Strabo vero in ix. Geographiae duas ex
his tantum πέδας ipſum vocare conſueſſe affirmat: Chalcidem inquam, ac Co-
rinthum. cuius etiam contumelioſi dicti rationem affert, oſtendens reſpexiſſe illum ad earum
opportunitatem: quod inde in Graeciam commode incurri poſſet e Macedonia. Addit autem

inferioris

inferioris aetatis homines, & ambas has, & adiunctam illis Demetriadem, appellaſſe, non diſſimili a ſuperiore nomine, ἐπιδέσμους. vſum autem tertiae quoque huius declarat, dicens ipſam quaſi in ſua manu habuiſſe tranſitum prope Tempe, cum Pelium Oſſamque teneret. videtur autem Liuius ſuo verbo potius expreſſiſſe priorem Graecam vocem, quam poſteriorem, vel potius manifeſto illam ipſam expreſſit, cum omnis locus conuerſus ſit ex Polybio, quod intelligitur ex iis, quae inde excerpta non multo ante hunc diem, in lucem venerunt, qui eo verbo vſus eſt: neque enim, cum ſuperiora adnotaui, adhuc in manus meas venerant. ponam autem locos amborum, vt facile inter ſe conferri poſſint. T. Liuij igitur haec verba ſunt e xxxij. libro de legatis Graecarum ciuitatum agentis. Mouerunt eo maxime Senatum, demonſtrando maris terrarumque eius regionis ſitum, vt omnibus appareret, ſi Demetriadem in Theſſalia: Chalcidem in Euboea: Corinthum in Achaia rex teneret, non poſſe liberam Graeciam eſſe. & ipſum Philippum non contumelioſius, quam verius compedes eas Graeciae appellare. Polybij vero. Τοῦτο δ' ἐπιμελῶς ἐνετίθεντο τῇ συγκλήτῳ πάντες. Διότι τῆς χαλκίδος, καὶ τοῦ κορίνθου, καὶ τῆς Δημητριάδος, ὑπὸ τῷ μακεδόνι ταττομένων, οὐχ οἷόν τε τοὺς ἕλληνας ἔννοιαν λαβεῖν ἐλευθερίας: ὃ γὰρ αὐτὸς Φίλιππος εἶπε, τοῦτο καὶ λίαν ἀληθὲς ἔφασαν ὑπάρχειν. ὃς ἔφη τοὺς προειρημένους τόπους εἶναι πέδας ἑλληνικάς. ὀρθῶς ἀποφαινόμενος: οὔτε γὰρ πελοποννησίους ἀναπνεῦσαι δυνατὸν, ἐν κορίνθῳ βασιλικῆς φρουρᾶς ἐγκαθημένης: οὔτε λοκρούς, καὶ βοιωτοὺς, καὶ φωκέας θαρρῆσαι, Φιλίππου χαλκίδα κατέχοντος, καὶ τὴν ἄλλην εὔβοιαν: οὐδὲ μὴν θετταλοὺς, οὐδὲ μάγνητας δυνατὸν ἀντέχεσθαι τῆς ἐλευθερίας οὐδέποτε, Δημητριάδα Φιλίππου κατέχοντος, καὶ μακεδόνων. Hoc praeterea vtilitatis capiet ex diligentia mea lector, quod in Graeca narratione duo verba reſtitui. quorum alterum defecerat in excuſo exemplari: alterum corruptum erat, atque id auxilio calamo exarati libri. Animaduertendum autem Ciceronem quoque vti verbo illo Latino eodem pacto ideſt μεταφορικῶς. qui in viij. libro epiſtolarum ad Atticum inquit. Age iam has compedes, faſces inquam hos laureatos, efferte ex Italia quam moleſtum eſt?

Simili, quo vſus eſt Cicero de ſenectute, declaratur pupugiſſe incuriam clariſſimi viri ſummum phyſicum.

CAP. XX.

CVm dari non oportere habenas ſenectuti, ſed coërcendam aetatem illam eſſe ſignificaſſet Cicero, occurrendumque diligenter vitiis ipſius: non corpori ſolum ſubueniri debere addidit, ſed menti, atque animo multo magis. quod haec quoque, niſi tamquam lumini oleum inſtilles, extinguantur ſenectute: haec enim, quibus cauſam attulit eius rei, verba ipſius ſunt. ſimili igitur ad id declarandum apto: valdeque omnibus noto, voluit rem illuſtrare: quo etiam doctiſſimus vir, vt memoriae proditum eſt a Plutarcho in Pericle, vſus eſt Anaxagoras Clazomenius: cum enim ſummus ille orator in magno honore hominem diu habuiſſet, occupatus poſtea in maximis publicis negotiis, oblitus aliquantulum eſt doctoris, quo vſus erat: curamque illius ex animo dimiſit. quare putans ſe negligi maximus phyſicus, decreuit mori, atque inedia vitam finire. quo audito Periclea ſubito eo profectus, reuocauit Anaxagoram a tam duro propoſito: nec tamen ille cauſam reticuit ſui doloris. nam aperto capite, quod eo tempore tegebant, inquit. καὶ οἱ τοῦ λύχνου χρείαν ἔχοντες ἔλαιον ἐπιχέουσιν: ſignificans obſcure, ſi opera ſtudioque ipſius egebat, oportuiſſe Periclem aliquid ei auxilij ferre: ſuppeditareque, quo vitam tueretur.

Commentum ſerui hominis oſtenditur reſpondere deſiderio Hippolyti apud Euripidem: ambo enim deos immortales corrigere voluerunt, atque eorum rationem immutare.

CAP. XXI.

HIppolytus, qui antea quoque abhorrebat a deliciis muliebribus, atque amatoriis ſeultatibus, cognito poſtea ſcelere nouercae, ita commotus animo eſt, vt non eam tantum impudicam mulierem, accuſaret, ſed illas quoque, quae culpa vacabant, maledictis vexaret, atque omne denique genus exagitaret. in odio autem illo ſuo expromendo, naturae ipſius legem immutare voluit, vt paene Ioui ipſi non pepercerit: quem affirmat alia ratione debuiſſe perpetuitati hominum prouidere: facereque, vt ſine opera peſſimi huius ſexus, filij procrearentur. quam rationem ipſe piam, vulemque putabat: totamque diligenter exponit: quia enim locus valde notus apud

Euripidem eſt, totum nunc ſine cauſa non interpretabor. Initium autem ſententiae hoc eſt. Ὦ ζεῦ. τί δὴ κίβδηλον ἀνθρώποις κακὸν, Γυναῖκας εἰς φῶς ἡλίου κατῴκισας: Εἰ γὰρ βρότειον ἤθελες σπεῖραι γένος. Οὐκ ἐκ γυναικῶν χρῆν παρασχέσθαι τόδε. & quae ſequuntur. Huiuſcemodi etiam quiddam optantem induxit ſeruum hominem Plautus in Milite glorioſo. qui quaſi criminari voluit conſilia deorum immortalium: auſuſque eſt, in quo peccaſſent illi, vt putabat, emendare: ita enim quod in mentem ipſi venerat exponens, locutus eſt = ita me dij deaeque ament, aequum fuit Deos paraſſe vno exemplo ne omnes vitam viuerent Sicuti merci pretium ſtat, pro virtute vt veneat. Quae improba eſt, pro mercis vitio dominum pretio pauperat. Item diuos diſpertiſſe vitam humanam aequum fuit: Qui lepide ingenuatus eſſet, vitam longinquam darent. At qui improbi & ſceleſti, iis adimerent animam cito. Si hoc parauiſſent, homines eſſent minus multi mali. Et minus audacter ſceleſta facerent facta, & poſtea: Qui homines probi eſſent, eſſet his annona vilior: ad extremum enim non oblita condicionis ſuae perſona, ſententiam grauem ac paene tragicam, in humili re terminauit: nam tanta immutatione rerum effici, vt annona vilis ſit, ridiculum eſt.

Vox Archytae Tarentini celebratur, qui timens ne modum in puniendo tranſiret, impunitum potius vilicum, cui vehementer iratus erat, dimittere voluit.

CAP. XXII.

ARCHYTAE Tarentini vox, clementiaque naturae nota eſt, qui veritus nequid peccaret in puniendo ſeruo, intelligens ſe animo valde commotum, inultum illum dimiſit: Ita, quod plerumque mancipiis malo eſt, ira dominorum, & quam vt ſcopulum, non ſine cauſa metuunt, illi profuit: neque enim omnes poſſunt ferueſcentem animum ratione cohibere: contraque ipſi obtemperant, & quocumque ille ducit, feruntur. cum autem remedia huius morbi oſtenderet Cicero in extremo quarto libro Tuſculanarum, huius etiam egregij dicti meminit: auctoritateque placidi ac lenis viri aliorum inſaniam emendare voluit, ita autem rem narrat. Ex quo illud laudatur Archytae, qui cum vilico factus eſſet iratior. Quo te modo, inquit, accepiſſem, niſi iratus eſſem? Idem etiam celebrarat Cicero (vt ſuſpicari ex his verbis licet, quae apud Nonium leguntur) in ij. libro de re publica: quamuis enim interrupta ſint, auſim affirmare hoc ipſum illic quoque variatis aliquantulum verbis, narratum fuiſſe. Sed imitor Archytam, illum Tarentinum, qui cum ad villam veniſſet, & omnia aliter offendiſſet. Plutarchus in libro de liberis educandis diligentius pleniuſque rem exponit his verbis (Archytam autem ſupra appellarat.) ὁ μὲν γὰρ ἐπανελθὼν ἀπὸ τοῦ πολέμου, στρατηγῶν δ' ἐτύγχανε, γῆν καταλαβὼν κεχερσωμένην, τὸν ἐπίτροπον καλέσας αὐτῆς ᾤμωξας ἄν, ἔφη, εἰ μὴ λίαν ὠργιζόμην. Quomodo igitur ſatis laudari poteſt hic vir, qui cum optimarum artium ſtudiis floruerit: & in ſua etiam Rep. honeſte verſatus ſit, nec domi tantum, ſed foris etiam in exercitumque ipſius dignitatem defenderit, patrimonium etiam non neglexerit: agrique conſitura delectatus ſit: neque enim tantopere commotus animo fuiſſet, videns illum neglectum & incultum, niſi plurimum ſtudij in eo colendo poſuiſſet.

Faceta ratio, qua riſum mouere voluit Ariſtophanes in comoedia, explicata: declaratumque idem valere Graecis αἴρειν σκέλη, quod Latinis tollere pedes.

CAP. XXIII.

LVSIT acute lepideque Ariſtophanes, optimus huius artis magiſter, in verbo αἴρειν. quod diuerſis corporis partibus adiunctum, diuerſas, longeque inter ſe diſcrepantes res, ex eo quod inde ſequitur, ſignificat: cum enim in fabula, quam ἐκκλησιαζούσας vocauit, quod in eo feminae ſimulatae viris, de Rep. in contione deliberant, induceret mulieres ipſas, quae hoc facere in animo haberent, meditantes quid ſui muneris eſſet, cum id tempus veniſſet: ſeque diligenter praeparantes, ne poſtea in re ipſa deprehenderentur, multis iam animaduerſis, inducit earum vnam: reliquas negligentiae accuſantem. quod rem difficilem ipſis, ac maxime neceſſariam praeteriiſſent: in quaque oportuiſſet ipſas ſedulo prius exerceri, nam arduum in primis eſt vincere naturam, diuturnamque conſuetudinem. inquit igitur. illud vero non longa cura prouidimus, quomodo tunc cum in contione verba faciemus, memoria retinebimus manus tollere: quod

eſt ora-

eſt oratorum in agendo, cum crura tollere ſolitae ſimus. intellexit autem in concubitu. nam
in Latino etiam ſermone tollere pedes id valere certum eſt, vel exemplo Ciceronis in ij. libro
epiſtolarum ad Atticum, iocum ſuum narrantis in P. Clodium, in ea re poſitum: vt olim, cum
» emendationi eorum librorum incubui, demonſtraui. Noli inquam de vno pede ſororis que-
» ri, licet etiam alterum tollas. Venuſtiſſimi vero comici verba ſunt. Ἐκτείνω δ᾽ οὐ τοι φορτικῶς,
» ὅταν τρέπω τὰς χεῖρας. αἴρειν μεμαθήκαμεν τότε: Εἰθισμέναι γὰρ ἐσμὲν αἴρειν τὰ σκέλη. Sed Aelia-
nus quoque in epiſtola paſtoris cuiuſdam Chremetis ad Parmenonem, eiuſdem ſtudij homi-
nem (finxit enim hic lepidi, atque elegantis ingenij ſcriptor, multas huiuſcemodi agreſtium
hominum epiſtolas) cum idem (vt opinor) ſignificare vellet, fecit ipſum ita loquentem. nar-
rabat autem ille calliditatem deliciaſque meretricum, ſero cognitis illarum illecebris: eum i-
» pſe rem cito conficere, atque ad munus ſuum redire ſoleret. ἐγὼ δὲ κατὰ χειρὸς ποιῶ πάντα. καὶ
» οὐδὲν κατελάμβανον, ἐς δύο τὰ σκέλη ἄρας, καὶ ὑποστρέφω ἐπὶ τὰς αἶγας πάλιν. Addita vero propoſitio-
ne huic verbo, Polybius ἐξαίροντες χεῖρας inquit de iis, qui longe alio in ſtatu forent: duriore-
que fortuna conflictarentur. de militibus inquam non paucis C. Flaminij, qui victi in acie,
in lacum ſe coniecerant: ac quouſque altitudo ipſius patiebatur, progreſſi ſunt. Illi enim,
cum equites hoſtium eo ingreſſos viderent: exitiumque appropinquare, manus ex aqua exe-
rentes, ac tendentes; voceque etiam precantes, vt vitae ſuae parcerent, aut trucidati ab ipſis
ſunt, aut ſe mutuis vulneribus, diffidentes ſaluti, confecerunt. Verba Graeci ſcriptoris, id
» exponentis, haec ſunt. Τὸ δὲ πολὺ πλῆθος, μέχρι μὲν τοῦ δυνατοῦ προβαῖνον εἰς τὴν λίμνην, ἔμενον,
» τὰς κεφαλὰς αὐτὰς ὑπὲρ τὸ ὑγρὸν ὑπερέχον: ἐπιγινομένων δὲ τῶν ἱππέων, καὶ προδήλου γενομένης ἀπωλείας,
» ἐξαίροντες τὰς χεῖρας, καὶ δεόμενοι ζωγρεῖν, καὶ πᾶσαν προϊέμενοι φωνὴν, τὸ τελευταῖον οἱ μὲν ὑπὸ τῶν πολε-
» μίων, τινὲς δὲ παρακαλέσαντες αὑτοὺς διεφθάρησαν. Virgilius, idem ſignificare volens, videtur
tendere manus dixiſſe: in xij. enim Aeneidos, cum ſimile tempus Turni exponeret, cecinit.
» Ille humilis ſupplexque, oculos dextramque precantem Protendens. & paulo poſt. viciſti, &
» victum tendere palmas Auſonij videre.

Idem modus loquendi, quem vſurpauit M. Cicero contra M. Antonium, docetur in conſuetudine Graecorum fuiſſe, teſtimonio grauium ſcriptorum.

CAP. XXIIII.

QVOD Cicero in vij. libro Philippicarum inquit, aſtute reprehendens orationem
aduerſariorum, qui eum aequi, ac boni viri videri vellent, ac pacis amatores, ſic
» diſputabant. Irritari Antonium non oportuit. nequam eſt homo ille, atque
» confidens: multi praeterea improbi. quos quidem a ſe primum numerare poſ-
» ſunt, qui haec loquuntur. in Graeco quoque ſermone vſurpatum eſt. & cum in
iis ipſis ſcriptoribus inueniatur, quos Cicero admirabatur, ac ſemper in manibus habebat, exi-
ſtimari poteſt inde ab ipſo translatum. nam eiuſdem ſtudij vir Demoſthenes pro Cteſiphonte
» ait. ὅτι τῶν πολιτευομένων παρὰ τοῖς Ἕλλησι διαφθαρέντων ἁπάντων, ἀρξαμένων ἀπὸ σοῦ, πρότερον μὲν ὑ-
» πὸ Φιλίππου: νῦν δὲ ὑπ᾽ Ἀλεξάνδρου, ἐμὲ, οὔτε καιρὸς: οὔτε φιλανθρωπία λόγων: οὔτε ἐπαγγελιῶν μέγεθος:
» οὔτ᾽ ἐλπὶς: οὔτε φόβος: οὔτε χάρις, οὔτ᾽ ἄλλο οὐδὲν ἐπῆρεν, οὐδὲ προηγάγετο, ὧν ἔκρινα δικαίων, καὶ συμφε-
» ρόντων τῇ πατρίδι, οὐδὲν προδοῦναι. Et in graniore diſciplina verſatus Plato in Sympoſio. καὶ δο-
» κεῖς μοι ἀτεχνῶς πάντας ἀθλίους ἡγεῖσθαι πλὴν Σωκράτους, ἀπὸ σαυτοῦ ἀρξάμενος: ita enim induxit loquen-
tem Apollodori ſodalem, ipſum illum leuiter reprehendentem, quod cunctos mortales in o-
mni ſermone laederet, miſeros eſſe vndique praedicans: vt ne ſe quidem exciperet, vel potius
ante reliquos omnes appellaret,

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XIII.

Locus C. Caeſaris emendatus: vbi oſtendit, quam primum terram attigit, cum exercitum in Graeciam tranſportauit.

CAP. I.

LOCVS hic C. Caeſaris in iij. commentatio de bello ciuili, ita ferme legitur in libris, qui nunc excuduntur: exponit autem tempus illud cum Ionium mare media hieme cum exercitu tranſiit. II. Non. Ianuarias naues ſoluit, impoſitis vt ſupra demonſtratum eſt, legionibus vij. poſtridie terram attingit Graecorum: ſaxa inter, & alia loca periculoſa, quietam nactus ſtationem. Qui vero ſuperiore aetate excuſi ſunt, habent: in quo ſcrupulus omnis eſt, Germanorum. quarum lectionum neutram veram puto. nam Germanorum legi non debere planum eſt. non ſine cauſaque eiectum inde id verbum fuit. non tamen pro illo ſuum propriumque reſtitutum: cum enim omnem illam oram Graeci incolerent, nullum certum definitumque locum hoc pacto oſtendiſſet: quod facere, & ipſe voluit: & res ipſa poſtulabat. ſed ne antiqui quidem libri hac parte integri ſunt: manent tamen in illis (vt opinor) veſtigia verae lectionis: Germaniorum enim vetuſtiſſimi duo habent. cum Cerauniorum videatur eſſe legendum: loca enim illa Epiri attigit, in quibus montes erant Ceraunij vocati, quod crebro fulminibus icerentur. & Ceraunia enim, & iuncto cum alio hoc verbo, Acroceraunia iidem vocabantur; vt a Latinis, ita etiam a Graecis: cum enim Horatius in ode cecinerit. Qui vidit mare turgidum, & Infames ſcopulos Acroceraunia. Lucanus contra dixit. ſcopuloſa Ceraunia nautae Summa timent. quamuis ſumma addens, videri poſſit verbum, quod ei adplicatum eſt, interpretari voluiſſe. Strabo certe in vij. libro ſimplici verbo vocauit, qui etiam ſitum eorum deſcripſit; haec enim eius verba ſunt, Μετὰ δὲ ἀπολλωνίαν, βουλλιακὴ, καὶ ὠρικὸν, καὶ τὸ ἐπίνειον αὐτοῦ, ὁ πάνορμος, καὶ τὰ κεραύνια ὄρη, ἡ ἀρχὴ τοῦ στόματος τοῦ ἰονίου κόλπου, καὶ τοῦ ἀδρίου. Videtur autem Caeſar etiam ipſe Ceraunia exprimere voluiſſe, verbis, quae adiunxit; felicitatem enim ſuam commemorat, qui inter tot ſcopulos, periculoſaque praeteruehentibus loca, tutam ſtationem nanciſci potuerit. Hiſtorici autem Graeci narrant eo cum claſſe ipſum appuliſſe: Cerauniaque appellant, vt videatur dubitari amplius non poſſe de veritate lectionis. Appianus igitur inquit in ij. libro ἐμφυλίων. ὑπὸ δὲ χειμῶνος ἐς τὰ κεραύνια ὄρη περιαχθεὶς, τὰς μὲν ναῦς εὐθὺς ἐς βρεντέσιον ἐπὶ τὴν ἄλλην στρατιὰν περιέπεμπε. & quae ſequuntur. Dion autem in xlj. qui diligentius adhuc, vbi Ceraunia ipſa poſita ſint oſtendit. καὶ λαθὼν τὸν βίβουλον τὸν ναύαρχον ᾧ ἡ θάλασσα φρουρεῖσθαι προσετέτακτο, ἐπεραιώθη πρὸς τὰ ἄκρα, τὰ κεραύνια ὠνομασμένα. ἔστι δὲ καὶ ἔσχατα τῆς ἠπείρου πρὸς τῷ στόματι τοῦ ἰονίου κόλπου. Plutarchus in vita Caeſaris locum, quo adpulerit claſſem, non nominat. Sed cum maculam hanc foediſſimam ſuſtulerim, reliquum locum, vt legitur in optimo libro, oſtendere volo: reſtant enim aliae non nullae ſcripturae differentiae, quas, quamuis minores ſint: nec ſententiam valde varient, non puto tamen repudiandas. II. Non. Ian. naues ſoluit. impoſitae, vt ſupra demonſtratum eſt, legiones vij. Poſtridie terram attigit Cerauniorum: ſaxa inter, & alia loca periculoſa quietam nactus ſtationem: & portus omnes timens, quod teneri ab aduerſariis arbitrabatur. ad eum locum, qui appellatur Pharſalia, omnibus nauibus ad vnam incolumibus, milites expoſuit.

Conſuetudo veterum expoſita in diis nominibus appellandis.

CAP. II.

VT in vetere cultu deorum deos inuocabant: nominibuſque ipſos appellabant, timentes ne apud eos offenderent, ſi forte non ſuo: nec grato illis nomine vocaſſent, ſaepe veniam errati ſui petebant: totoſque ſe ad eorum voluntatem referebant;

rebant in arbitrio ipſorum ponentes, vt e multis id nomen aſciſcerent, quo magis delectarentur: ſuaeque inſcitiae ignoſcerent. Hoc fecit accurate Catullus: ritumque hunc cuſtodiuit in Hymno ad Dianam, cum enim pluribus nominibus Deam hanc ipſam vocaſſet, ad extremum inquit. Sis quocumque tibi placet Sancta nomine. Sed Aeſchylus quoque in Agamemnone reſpexit hoc, cum cecinit. Ζεὺς, ὅς ποτ' ἐστιν. εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ Τοῦτό νιν προσεννέπω Οὐκ ἔχω προσεικάσαι. πάντ' ἐπισταθμώμενος πλὴν Διός: nec non Euripides: cuius hic locus citatur a Clemente in v. libro ſtromatum. Σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν πέλανόν τε φέρω Ζεὺς εἴτ' Ἀΐδης ὀνομαζόμενος στέργεις, σὺ δέ μοι θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας δέξαι πλήρη προχυθεῖσαν. Non tantum autem e poëtarum ſcriptis, magnus hic ipſorum in hac re metus percipitur, verum etiam e grauiſſimo omnium auctore, Platone, qui ita inducit Socratem in Philebo loquentem, cum Protarcho, incredibilem hanc animi ſui reformidationem exponeret. Τὸ δ' ἐμὸν δέος ὦ Πρώταρχε ἀεὶ πρὸς τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ πέρα τοῦ μεγίστου φόβου, καὶ νῦν τὴν μὲν Ἀφροδίτην, ὅπῃ ἐκείνῃ φίλον, ταύτῃ προσαγορεύω.

Indicatus locus Strabonis, in quo Appiae viae oppida: omniſque ratio eius itineris exponitur: quod ab Horatio quoque diligenter in Satyra factum eſt.

CAP. III.

ACCVRATE Horatius eleganterque deſcripſit Appiae viae oppida, & diuerſoria in Satyra cuius initium eſt. Egreſſum magna me excepit Aricia Roma Hoſpitio modico: nec non, quae viatoribus in ea commodae res, incommodaeque inuenirentur, docuit, ſed etiam foſſae illius nauigabilis, quae propinqua erat, vtilitatem ſignificauit: noctu enim illa vehebantur, ſimulque e diurno labore corpus reficiebant. Strabo etiam diligentiſſimus ſcriptor, vt reliqua in v. libro accurate, ita foſſae huius naturam commoditatemque declarauit, Appiae viae ipſam multis in locis appoſitam tradens: Impleri que, & paluſtribus, & fluuialibus aquis: nauigari vero plerumque noctu: quod tangit etiam poëta, vt quum veſpere in nauiculam ingrediantur, mane exeant & reliquum autem viae pedibus conficiant. quamuis etiam luce trahatur nauis tamquam remulco, a mulabus: nam Horatium ſocioſque voluiſſe mane exponi intelligitur. quod tamen fraude atque inertia nautae, non optinuerunt, vt coacti ſint iuito itineri noctis, addere tertiam partem diei. Quod vero Horatius inquit, tumultum illius temporis ſignificans, Huc appelle: trecentos inſeris: ohe iam ſatis eſt, videndum eſt an pronuntiari potuerit a viatore, nautam accuſante, quod non pateretur ſe aſcendere: alioſque, ſe relicto, nimis multos imponeret vt periculum ſit ne lynter, onere preſſus, mergeretur: nautae enim ſolent quaeſtus ſui cauſa plures recipere in nauim, quam opus ſit illis, qui tuto nauigare velint: quique magis ſuſpecta habeant pericula nauigationis, quam oporteat, vt ignari eius rei, ac timidi. Interpretes tamen contra putant illa verba. ohe iam ſatis eſt, pronuntiata a nautis, caſtigantibus viatores, nimis multos irruentes in nauim. vt arbitror, quia de concertatione ipſorum: mutuoque iactis conuiciis, locutus antea fuerat poëta.

Sententiam, qua apud Caecilium quidam vim amoris extollit, videri acceptam ab Euripide, qui eodem pacto poteſtatem ipſius celebrauit.

CAP. IIII.

IN IIII. libro Tuſculanarum Cicero, cum amorem inſimulaſſet: tantaeque leuitatis eſſe dixiſſet, vt nihil videat, quod putet conferendum, locum Caecilij comici adduxit: qui contra ſentiret: ac diuinos etiam honores, propter infinitam omnium rerum poteſtatem, ipſi tribueret. tantopere autem ſtultitiam, atque improbitatem eius ſententiae Cicero damnauit, vt non ipſum tantum Caecilium, ſed reliquos etiam eiuidem loci poëtas agitarit. Carmen vero ipſius Caecilij hoc eſt ≈ deum, qui non ſummum putet, Aut ſtultum, aut rerum eſſe imperitum exiſtimet: Cui in manu ſit, quem eſſe dementem velit. Quem ſapere, quem inſanire, quem in morbum iniici, Quem contra amari, quem accerſiri: quem expeti. quod, amorem & ipſe celebrans, de illo quoque dixerat antea Euripides. cuius hi quattuor verſus ponuntur a Stobaeo. vnde illi comici expreſſi videntur. Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν Καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον Ἢ σκαιός ἐστιν, ἢ καλῶν ἄπειρος ὢν Οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν. Iidem autem, vno tamen minus, citantur etiam ab Athenaeo in xiij. libro. nam ſecundus negligentia librariorum illic relictus eſt: primus vero aliquantulum immutatus legitur; quid dicemus igitur?

tragoedia locum in comoediam tranſtuliſſe Caecilium? an hoc antea a Graeco comico poë-
ta tactum eſſe? vnde fabulam vertit latinus. an autem reliquas quoque ſententias, quae ver
ſibus Latinis expreſſae apud Ciceronem leguntur, perſecutus fuerit Euripides ſcire nunc non
licet: tragoedia namque periit, in qua id prolatum fuit. quod igitur indagare potui: diligen
tiaque adhibita colligere, id hic vt prodeſſem ſtudioſis, adnotaui. Venerem vero non tan-
tum in numero deorum collocandam, ſed ſiquid etiam maius valentiuſque deo ſit, id illam eſ-
ſe, pronuntiauit nutrix Phaedrae apud eundem tragicum, cognito ſtatim morbo reginae. an-
tequam mutata mente ad ſcelus ipſam hortaretur, vel inuitam potius truderet.

Declaratio quorundam Epicharmi verborum, quae in epi-
ſtola quadam Cicero poſuit.

CAP. V.

EPICHARMVS Siculus, vafer homo, ſummaeque prudentiae, vt aliis multis
praeceptis vitam hominum excoluit, ita etiam admonuit, oportere nos antequam
aliquem in amicitiam recipiamus, attendere, quo pacto ille ſe cum veteribus a-
micis geſſerit: inde namque intelligi poſſe liquido putauit, an dignus amicitia
ſit. hoc enim valent verba illa Graeca ipſius, quae Cicero in epiſtola quadam
» iij. libri ad Q. fratrem poſuit. γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται. da operam inquit, in nouis amicitiis
inſtituendis, vt videas, ille ipſe, quem cogitas tibi coniungere, quomodo alio prius amico vſus
eſt. id autem ſignificaſſe verbis illis Epicharmum perſpicitur etiam teſtimonio Iſocratis, qui
in libro ad Demonicum, vbi plurima vera vtiliſque praecepta collegit: hoc etiam iiſdem ver-
bis protulit: explanatius tamen: nimis namque breui rem complexus eſt Epicharmus. quam-
uis id apud poëtam e ſuperioribus verbis melius fortaſſe intelligi potuerit, Iſocrates igitur in-
» quit. μηδένα φίλον ποιοῦ πρὶν ἂν ἐξετάσῃς πῶς κέχρηται τοῖς προτέροις φίλοις. verbo autem hoc vti con-
ſueſſe Graecos, cum bene, aut male quempiam tractare amicos dicerent, declaratur etiam exem
» plo hoc Ariſtotelis qui in libris de moribus, quae vocantur ἠθικὰ μεγάλα, inquit. κακῶς δ'
» ἐχρήσατο τῷ φίλῳ. Euripides quoque in Hippolyto eodem pacto locutus eſt, cum purgantem
» ſe patri, inſtitutaque ſua exponentem, induxit optimum illum adoleſcentem. Ἐπίσταμαι γὰρ
» πρῶτα μὲν θεοὺς σέβειν: Φίλοις τε χρῆσθαι μὴ ἀδικεῖν πειρωμένοις.

Vocatum a Cicerone tacitum ſenſum, videri eum eſſe, quem
Graeci ἄλογον αἴσθησιν appellabant.

CAP. VI.

QVEM Cicero in Oratore tacitum ſenſum vocat, vbi de natura numeroſae ora-
tionis diſputat, Dionyſius Halicarnaſſeus (vt opinor) ἄλογον αἴσθησιν appellauit.
» M. Tullij verba haec ſunt. Si quae res efficiat voluptatem, eadem, quae in ver-
» ſibus: quorum modum notat ars, ſed aures ipſae tacito eum ſenſu ſine arte defi-
niunt. Idem autem intellexit, quamuis aliter appellarit in iij. libro de Oratore,
» cum inquit. Etiam hoc, quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici ſolet: bonis is verbis, aut
» aliquis non bonis vtitur, non arte quadam perpenditur, ſed quodam quaſi naturali ſenſu iu-
» dicatur. Ante ſuperiorem quoque locum in Oratore, dicens: Neque enim ipſe verſus ratione
» eſt cognitus, ſed natura, atque ſenſu. manifeſto hunc ipſum ſenſum vacuum ab arte: nec adiu
tum a ratione ſignificanit, Poſitis autem Latinis exemplis, vt ab eruditis exiſtimari poſſit re-
cte ne ſenſerim, Graeca nunc adferam. ſi prius quid ſuſpicer de primo trium horum exem-
» plorum indicaro: puto enim deſiderari in illo particulam negandi: legique debere. Quo-
» rum modum non notat ars. hoc autem & res ipſa diligenter animaduerſa, confirmare videtur:
& ſermonis ratio: cum ſtatim reddat, ſed, coniunctionem, quae aduerſatur: nec non teſtimoni-
um Ciceronis, qui ambobus locis, qui poſt a me adducuntur, quod vim habeat negandi poſuit.
Halicarnaſſeus igitur, grauis dicendi magiſter: in primiſque nobilis, de arte diſſerens, oſten-
denſque non omnes correptas ſyllabas pares omnino inter ſe eſſe, ſed quattuor ipſarum gene-
» ra inueniri, quorum varietas diſtantiaque, ſenſu hoc tacito percipiatur, ita locutus eſt. Οὐκοῦν
» σίνπερ αὐτὰ βραχεῖαι συλλαβαὶ διαφοράς, τὴν ἄλογον αἴσθησιν ἔχουσι τῆς παραλλαγῆς μέτρον. Item in
» vita Lyſiae. ὥσπερ οἱ μουσικοὶ παραγγέλλουσι ποιεῖν τοῖς βουλομένοις ἀκοὴν ἀκριβῶς ἁρμονίας, ὥστε μηδὲ τὴν
» ἐλαχίστην ἐν τοῖς διαστήμασι δίεσιν ἀγνοεῖν, τὴν ἀκοὴν ἐθίζειν, καὶ μηδὲν ἄλλο ταύτης ἀκριβέστερον, ζητεῖν κριτήρι-
» ον, τοῦτο κἀγὼ τοῖς ἀναγινώσκουσι τὸν Λυσίαν τίς ἡ παρ' αὐτῷ χάρις ἐστὶ βουλομένοις μαθεῖν, ὑποθείμην ἂν ποι-
» εῖν, χρόνῳ πολλῷ, καὶ μακρᾷ τριβῇ, καὶ ἀλόγῳ πάθει, τὴν ἄλογον συνασκεῖν αἴσθησιν.

Allati Graeci Euripidis verſus, quos interpretatus eſt Cicero in II. de natura Deorum.

CAP. VII.

FABVLA, In qua Euripides eruditam illam, piamque ſententiam incluſit, quam interpretatur Cicero in ij. libro de natura Deorum, iniuria ſuperiorum temporum perit: cum autem Graecos etiam verſus inuenerim, eos hic ponere viſum eſt, vt conferri commode cum Latinis poſſint, qui ſunt hi. Vides ſublime fuſum immoderatum aethera Qui terram tenero circumiectu amplectitur? Hunc ſummum habeto diuum: hunc perhibeto Iouem. Clemens autem Alexandrinus, captus grauitate illius ſententiae, & quia Chriſtianorum hominum opinioni conuenire videtur, pluribus locis eius meminit. vt in libro, quo hortatur Graecos ad veterem ſuperſtitionem abiiciendam: noſtroſque ritus capeſſendos. Sed etiam in v. Stromate, hoc pacto Εὐριπίδης δὲ ἀπὸ τῆς αὐτῆς σκηνῆς τραγῳδῶν Ὁρᾷς (φησι) τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα: τόνδ' ἡγοῦ θεόν. Trium autem horum verſuum primos duos citauit quoque Plutarchus duobus locis, & in libello de exilio; & in eo, cuius index eſt, αἰτίαι φυσικαί: in quaeſtione illa, qua docuit, cur non admiramur aquas frigidas, ſed calidas.

Quod Cicero primum Socratem dixit quaeſiuiſſe de rebus bonis, ac malis, falſum videri, cum conſtet Pythagoram plurimum ſtudij in ea parte philoſophiae poſuiſſe.

CAP. VIII.

IN primo libro quaeſtionum Academicarum, ad M. Varronem miſſarum, Cicero ita induxit Varronem ipſum loquentem. Socrates mihi videtur (id quod conſtat inter omnes) primus a rebus occultis, & a natura ipſa inuolutis: in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, auocauiſſe philoſophiam: & ad vitam communem adduxiſſe, vt de virtutibus, ac vitiis: omninoque de bonis rebus, & malis quaereret. hoc autem verum non videtur; nec dignum eruditione illius perſonae, cui ſententiam hanc aſcribit: Pythagoras namque primus hanc partem philoſophiae attigit, & de vita ac moribus, accurate quaeſiuit. ipſum autem tempore ſecutus eſt Socrates. qui in hac re ſtudium omne ſuum conſumpſit. quod Ariſtoteles quoque in priore libro ἠθικῶν μεγάλων teſtatus eſt. πρῶτος μὲν οὖν ἐνεχείρησε Πυθαγόρας περὶ ἀρετῆς εἰπεῖν iotraque: μετὰ τοῦτον Σωκράτης ἐπελθὼν, βέλτιον, καὶ ἐπὶ πλεῖον εἶπεν ὑπὲρ τούτων. Idem autem quod illic, in Bruto etiam Cicero his verbis teſtatus eſt, cum de Socrate loqueretur. Huius ex vberrimis ſermonibus, extiterunt doctiſſimi viri: primumque tum philoſophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, ſed haec, in qua de rebus bonis, & malis: deque hominum vita, & moribus diſputatur, inuenta dicitur. Aut igitur, quia perfectius id exquiſitiuſque tractauit Athenienſis ſapiens, primum dixit ipſum Cicero id aggreſſum fuiſſe, cum tamen contra conſtet inter omnes Pythagoram non ſine laude: magnaque vtilitate hominum in hoc ſtudio verſatum, aut quia non omnino dimiſit omnem curam rerum obſcurarum: a naturaque ipſa inuolutarum Samius ille: in mathematicis namque rationibus diligentiae multum poſuit, cum penitus Socrates ipſas abiecerit: nec cogitationem vllam de ipſis ſuſceperit. quomodo aliter defendi a culpa Cicero poſſit, non video.

Non dictos a Platone Titanum e genere eſſe, qui aduerſantur magiſtratibus: vt tradidit Cicero, ſed qui iuſiurandum fidemque violant: ac denique deos ipſos negligunt.

CAP. IX.

VERBA haec Ciceronis e iij. libro de legibus ſunt. Noſter vero Plato Titanum e genere ſtatuit eos, qui vt illi caeleſtibus, ſic hi aduerſentur magiſtratibus. Arbitror autem ipſum locum Platonis hunc intellexiſſe, qui eſt in iij. de legibus. πρὸς αὐτῷ δὴ ἤδη τῷ τέλει, ὅρκων, καὶ πίστεων, καὶ τὸ παράπαν θεῶν μὴ φροντίζειν: τὴν λεγομένην παλαιὰν Τιτανικὴν φύσιν ἐπιδεικνῦσι, καὶ μιμουμένοις. ἐπὶ τὰ αὐτὰ πάλιν ἐκεῖνα ἀφικομένους, χαλεπὸν αἰῶνα διάγοντας, μὴ λῆξαί ποτε κακῶν. In quo tamen, ſi diligenter attendimus, non id omnino quod Cicero tradit, dicit Plato. ille namque (vt ſententiam totius loci breui explicem)

explicem) affirmat e muſicae vera ratione corrupta, profectam eſſe libertatem quandam, ſiue
potius licentiam, qua homines ſibi omnis rei ſapientiam aſciſcunt: falſaque hac opinione du-
cti contemnunt iudicia meliorum: impudenteſque fiunt. quam libertatem conſequeretur li-
centia alia, quod magiſtratibus parêre nolunt: ſed huic etiam tertiam quandam comitari di-
cit, fugientium parentum imperia: ſeniorumque auctoritatem, ac praecepta. illis vero, cum
prope ad extremum peruenerint improbitatis, licentiaeque, adeſt, quod legibus non ob-
temperare quaerunt. vt iiſdem ad extremum nequitiae, iam perductis, & iuſiurandum,
& datam fidem negligere: nec metu vllo deorum teneri, qui ſcilicet priſcam illam Titanicam
naturam reddant, atque imitentur. & quae ſequuntur. Non igitur illos, qui aduerſentur ma
giſtratibus e Titanum genere ſtatuit Plato, ſed qui fidem omnem: maxime autem teſtibus diis
datam violent, ac flocci denique non faciant deos immortales, ingenium ſaeuum immaneque,
quale in Titanibus extitit, prae ſe ferre vult. vnde neceſſario in eadem mala, in quae illi inci-
dere debeant: ac ſempiternis malis cruciatibuſque, torqueri, atque affligi. Plautus quoque in
Perſa ſeruum hominem qui amaret, ita ſe contra obiurgatorem purgantem induxit, quod nol-
» let reſiſtendo voluntati deorum, imitari Titanas: Quid ergo faciam? diis ne aduorſer, quaſi
» Titani: cum diis belligerem, ſat quibus eſſe non queam.

Quaeritur de verbis quibuſdam obſcuris, & fortaſſe mendoſis, initio epiſtolae ad Atticum poſitis.

CAP. X.

VErba, quae hic ſequuntur, poſita ſunt initio epiſtolae cuiuſdam ad Atticum
» in ij. libro. Negent illi Publium Trib. pl. factum eſſe: hoc vero regnum eſſe,
» ferre nullo pacto potes. emittat ad me Publius, qui obſignent, iurabo Gn. no-
» ſtrum, collegam Balbi, Antij mihi narraſſe in auſpicio ſe fuiſſe. Qui vero ſen-
ſus eorum ſit, & quomodo accipienda putem, nunc indicabo. primum autem
arbitror ſumpta ipſa fuiſſe, repetitaque, ex epiſtola T. Pomponij: repetita autem, quia vehe-
menter ſententia eorum delectarit Ciceronem: ſeniuique ipſius quadrarit: quod manifeſto ſi-
» gnificare videtur exclamatio, quae ſequitur. O ſuaues epiſtolas tuas. adeo enim gauiſus eſt
» expoſitione illarum rerum, vt continere laetitiam ſuam non potuerit. Fuerunt autem ſuperio-
ra illa ſcripta ab Attico cum ſtomacho non paruo contra tres illos ciues, quorum opes tunc e-
rant non ferendae: multaque improba facta. cum enim illi fauiſſent P. Clodio: ſubitoque ad
plebem traduxiſſent, cognita poſtea magnitudine animi illius ingenioque feroci, timere inci-
pientes, ne in ipſos impetum faceret, negabant illum plebeium factum eſſe. quod adoptio illa
recte, atque ordine facta non eſſet. contra quos diſſerit ipſe, oſtenditque ſe teſtimonio ſuo poſ-
ſe Clodium ſubleuare: cum acceperit ore ipſius Pompeij ipſum illum praeſentem fuiſſe, ac pa-
ratum eſſe ſi oportuerit, iurare, vt accurate narrat. vt autem libere agam: omneſque animi ſu-
ſpiciones aperiam, arbitror pro Trib. pl. legi debere, plebeium. nam non multo poſt ex ſer-
mone Ciceronis filij percipitur, Clodium illo tempore tribunatum petere coepiſſe, multo iti-
dem infra hoc ipſo in libro, vbi colloquium Cn. Magni, cum Clodio exponit Cicero, ita ſcri-
» ptum eſt. cum diceret in ſumma ſe perfidiae, & ſceleris infamia fore, ſi mihi periculum crea-
» retur ab eo, quem ipſe armaſſet, cum plebeium fieri paſſus eſſet. ſed in optimo quoque meo
libro, quamuis Trib. legatur, quod culpa librariorum commiſſum puto, qui crebro in his no-
tis peccare conſuerant, ſcriptum tamen eſt, plebeium: quod non nihil adiuuat opinionem
meam: Collegam vero Balbi Cn. vocat, vt hoc etiam addam, cum contemptu quodam: iun-
gebat enim non nihil notae clariſſimo viro, habere ſocium illius curae municipalem hominem:
nec vlla virtute inſignem.

Verſus Catullianus emendatus: idemque declaratus.

CAP. XI.

VErſus Catulli e carmine, quo coloniam alloquitur, macula quadam (niſi fal-
» lor) reſperſus, ſatis cito (vt arbitror) purgari poteſt: neque enim vt mendum tol-
latur, aut addere aliquid, aut demere, oportet, ſed litteras tantum duas, quae ante-
cedenti verbo male cohaeſerunt, conſequenti adnectere, cui conueniunt: quod ſi fiat, verior
accommodatiorque ſenſus ſtatim inde naſcetur. Cum ita igitur nunc legatur in excuſis
» libris. Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum Si poteſt olidum repente excitare veter-
» num, ſuſpicor ſcribi debere. Si pote ſtolidum: veternum enim recte, atque appoſite ſtolidum

appellatur, quia qui oppreſſi eo ſuot, oihil ſentiunt, ac ſtupent: quemadmodum ipſum vocaſunt Virgilius, Horatiuſque, graue, ac funeſtum. id autem vitium poëta in eo corrigere volebat, cui remedium hoc adhibebat: ſtuporem inquam ſtoliditatemque ingenij, vt cum nactus eſſet tam eximium bonum, vti eo diſceret: at diligenter ne ſibi eriperetur, caueret. Pote vero valere ἐάν τι, quod inferioris aetatis Latini dixerunt poſſibile: numquam vſurparum verbum a Cicerone, neque ab alio temporis illius, vel exemplo hoc grauiſſimi auctoris declaratur, qui in Bruto ita fecit aniculam illam locutam, ex qua quaeſierat quanti aliquid venderet Theophraſtus: cum enim reſpondiſſet illa, addidit. Hoſpes non pote minoris. Grammatici etiam
» hoc teſtantur, qui ocutri generis eſſe dicunt, a potis conſormatum. Non me tamen fallit Coelium Rhodiginum in vj. libro lectionum antiquarum communem lectionem probare: ſenſumque inde elicere ſubtilem magis eruditumque, quam verum, atque illi loco accommodatum. quo nomine aliquando ille mihi, non ſine cauſa, reprehendi poſſe videtur: quamuis enim Ariſtoteles doceat alas, corporis noſtri partes maxime abſtruſas, foetere. quia ſpiritu ventoque non agitantur, non video quid hoc faciat ad declarandum, veternum ea de cauſa olidum apte a Catullo appellatum eſſe: veternum enim intelligit poëta: vt ſtatim ipſe oſtendit, animi torporem, non corporis.

Oſtenditur Flaccum familiarem ſermonem, frequentemque apud Graecos, in Latinum vertiſſe, ſeruata eadem ratione loquendi.

CAP. XII.

HORATIVS in v. Satyra ij. libri modum loquendi peculiarem Graecorum expreſſit: in Latinumque conuertit. quod ſane ille multis locis temptauit. vt, qui animaduertent, facile intelligent: ipſe quoque hoc eum ſaepe auſum facere alias indicaui. cum igitur de tabulis teſtamenti loquens, inquit = multum
» Naſica negatas, Accipiet tandem, & tacitus leget: inuenietque Nil ſibi lega-
» tum, praeter plorare, ſuiſque. Ita autem Graecos loqui ſolitos, vt plorare iuberent eum, quem a ſe contumelioſe dimitterent, notum eſt. lepidiſſimus comicus Πλούτῳ, cum vrgenti
» Chremylo deum illum diuitiarum, vt diceret quis eſſet, reſpondit. ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοι. &
» infra. κλάειν ἔγωγέ σοι λέγω. Sed etiam cum maius aliquod malum cuipiam minabantur. vnde Theramenes, elati animi vir, idemque facetae naturae, cum ſ xx. iuſſu Tyrannorum in carcerem duceretur, ac de tam graui iniuria clara voce quereretur, iuſſus eſt tacere, propoſita hac tamquam poena, niſi quiritari deſiiſſet. vnde reſpondit ſtatim hoc pacto interrogans. Nonne etiam ploraturus ſum, ſi tacuero? Hoc autem his verbis memoriae prodidit Xenophon in ij. li-
» bro de rebus Graecorum. οὐδ᾽ ἀπήγαγον τὸν ἄνδρα διὰ τῆς ἀγορᾶς μάλα μεγάλῃ τῇ φωνῇ δηλοῦντα, οἷα ἔ-
» πασχε; λέγεται δ᾽ ἓν ῥῆμα, καὶ τοῦτο αὐτοῦ ὡς εἶπεν ὁ Σάτυρος, ὅτι οἰμώξοιτο, εἰ μὴ σιωπήσειεν, ἐπήρετο. ἂν
» δὲ σιωπῶ οὐκ ἄρα ἔφη οἰμώξομαι; Cicero in epiſtola quadam ad Q. Fratrem, cum idem pronunciare vellet, Graeca verba vſurpauit: inquit enim. Ἀλλ᾽ οἰμωζέτω: nos modo valeamus. Non eo autem loco tantum Horatius hoc Latinis verbis protulit, ſed in extrema etiam ſatyra primi li-
» bri hoc pacto: Demetri, tuque Tigelli, Diſcipulorum inter iubeo plorare cathedras.

Confirmatur, quod Cicero inquit, fuiſſe Chryſippum in omni hiſtoria curioſum, minutis quibuſdam ipſius narrationibus, apud Graecum auctorem inuentis.

CAP. XIII.

IN ſingulis rebus confirmandis, de quibus accurate diſputabat, ſolitum Chryſippum multa exempla ponere, atque in iis etiam minuta quaedam non aſpernari, praeter quam quod Cicero in prima quaeſtione Tuſculana, vbi de varijs ſepulturae generibus diſſerit, aperte teſtatur, perſpicitur etiam ex loco quodam adducto e libro ipſius περὶ τῶν μὴ δι᾽ αὐτὰ αἱρετῶν: cum enim illic contra auaritiam diſputaret, abſurdos quoſdam nonnullorum hominum, ſtultoſque amores pecuniae ex-
» ponit. quod indicat haec ipſum ſtudioſe conſectari ſolitum. M. Tullij verba haec ſunt.
» Permulta alia colligit Chryſippus, vt eſt in omni hiſtoria curioſus: ſed ita tetra ſunt quaedam,
» vt ea fugiat, & reformidet oratio. Ita autem foeda illa fuiſſe Cicero dicit, vt animo abhorreret ab illis recitandis, quia pertinebant ad mortuos, & humationem, quae res propter ſe etiam, cum more fit, moleſta, atque odioſa eſt, ne dum tam inhumanis ritibus tractata, cuiuſmodi erat illud, quod proxime narrarat. Athenaeus autem in iiij. libro verba Chryſippi citat,

quae

quae ſupra intellexi. eorum autem ſententia haec eſt. Nonnulli adeo labuntur in auro expetendo, vt traditus quidam ſit, cum prope mors eſſet, deuoratis non paucis aureis nummis mori voluiſſe. Alium autem, inſutis illis in tunicam: indutaque ipſa, mandaſſe cognatis vt ſic eum humarent: neque corpus comburerent, aut alium vllum cultum adhiberent, metuens, vt apparet, ne aliqua ratione auro illo ſpoliaretur. In verba quoque illa incidi, quae interpretatur Cicero non multo ſupra hunc locum, in extrema ſcilicet diſputatione de contemptu mortis, antequam de humatione & ſepultura diceret, ait enim. Quid Cyrenaeum Theodorum, philoſophum non ignobilem, non ne miramur? cui, cum Lyſimachus Rex crucem minaretur. Iſtis quaeſo, inquit, iſta horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil intereſt humi ne, an ſublime putreſcat. Sunt autem Graeca haec ipſa in Graecorum commentariis, quae maximi animi vir, & omni hoc errore ſoluti, pronunciauit. καὶ τί Θεοδώρῳ μέλει, πότερον ὑπὲρ γῆς, ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται. Cum autem Cicero vere Theodori ſententiam reddiderit, eſt tamen in Graecis illis neſcio quid leporis, ac venuſtatis, quod, niſi fallor, exprimere ille non potuit: habet enim elegantiae non parum, quod ſeruata eadem voce: praepoſitioneque tantum immutata, contrarias res edidit. quorum altera expeteretur: altera vero vehementer reformidaretur.

Idem valere apud Ciceronem, In ſtrepitu exaudiſſe, quod valet apud Plautum, quaſi per nebulam audiſſe. Declaratumque M. Tullium quoque dixiſſe, quaſi per caliginem videre, ſublata macula, quae modum hunc loquendi obſcurabat.

CAP. XIIII.

QVOD Cicero in epiſtola quadam ad Atticum inquit, familiari quodam vernaculoque ſermone. In ſtrepitu videor exaudiſſe, idem (niſi fallor) valet, atque illud Plautinum, cum induxit poëta ille in Captiuis Tyndarum, qui paulo ante cognitus erat, ita loquentem. Nunc aedepol demum in memoriam regredior audiſſe me quaſi per nebulam, Aegionem meum patrem vocarier: in ſtrepitu enim illic hanc vim habet, vt non firmiter id ſe exaudiſſe oſtendat, nec omnino aſſeueraturus ſit id ab eo prolatum eſſe: quae enim dicuntur, vbi multi ſtrepunt, ac clamitant, certo intelligi nequeunt: ſemperque dubij aliquid in animis noſtris reſtat, an dicta ſint. per nebulam autem audire videtur ab alio ſenſu traductum: vt enim quae per nebulam videmus incertiora ſunt: nec plane ipſa perſpicere poſſumus, ita etiam quae illo pacto audimus propter ſimilitudinem, vt obſcura incertaque capiuntur. nam nebulam ſenſum oculorum, non aurium impedire certum eſt. ſed tamen conſuetudo obtinuit, vt per nebulam audire, quemadmodum per nebulam videre diceretur. tunc ſcilicet, cum id non plane auribus accepiſſe videmur. Cicero autem, niſi fallor, quod Plautus per nebulam vocauit, ſignificare volens, per caliginem dixit: ita enim arbitror locum hunc e xij. Philippica interpungendum. Quod videbam equidem, ſed quaſi per caliginem: praeſtinxerat aciem animi D. Bruti ſalus: ſignificat enim vidiſſe ſe ſtatim a principio eius rei, Antonij cauſam agi ab amicis eius, non publicam: non tamen id acute, ſubtiliterque vidiſſe, ſed obſcure, vt viſuntur res, quae per caliginem aſpiciuntur: ſtatimque rationem reddit, cur qui acumine ingenij omnia contemplari conſueſſet, id non perſpexerit: traditque offeciſſe luminibus ſuis D. Bruti ſalutem: adeo enim cupidum fuiſſe ex obſidione illum, periculoque eximendi, vt aſtutum conſilium, dolumque fautorum Antonij non penitus cognorit. in excuſis libris nulla nota interpunctioque collocata eſt poſt verbum. caliginem. in quo exiſtimo peccatum.

Correctus locus in primo libro de diuinatione: declaratumque auctoritate Graecorum, Iamidas familiam fuiſſe illuſtrem arte augurandi.

CAP. XV.

LOCVS hic Ciceronis e primo libro de diuinatione (vt opinor) vitio non caret: idemque etiam auctoritate Graecorum ſcriptorum, poteſt emendari: vbi enim legitur. Itemque Elis in Peloponneſo familias duas certas habet Ianundarum, vnam: alteram, Clutidarum, aruſpicinae nobilitate praeſtantes, peccatum eſt in nomine prioris familiae: ac pro Ianundarum, Iamidarum legi debet. non mirum autem eſt lapſos librarios ob ſimilitudinem harum dictionum. Clemens igitur Alexandrinus in primo Stromate inquit. Καὶ Ἴαμος ἄρχεται, ὅθεν οἱ Ἰαμίδαι. Pauſanias quoque in Laconicis non longe ab Hellenio vico narrat monimentum extare, quod vatibus

exaedificatum ſit, qui ex Elide venerint, ac vocentur Iamidae. Idemque in poſteriore libro Eliacorum, eorundem mentionem fecit, his verbis. Οἱ δ' Ἰαμίδαι καλούμενοι μάντεις, γεγόνασιν ἀπὸ Ἰάμου. τὸν δὲ εἶναι παῖδα Ἀπόλλωνος, καὶ λαβεῖν μαντικήν φησιν ἐν ᾄσμασι Πίνδαρος. Sed etiam Herodotus in vltimo libro ſuarum hiſtoriarum meminit Iamidarum his verbis. Ἐλθόντι μὲν Τισαμενὸς Ἀντιόχου ἐὼν ὁ [illegible]: ὅτι γὰρ δὴ εἵπετο τῷ στρατεύματι τούτῳ μάντις, & quae ſequuntur. Sed accurate in primis copioſeque totam rem exponit Pindarus in vj. ode Olympionium, qua Ageſiam Syracuſium ornat: cum enim originem ducere oſtendit a familia iamidarum. cuius etiam familiae ducem, auctoremque Iamum, ex Euadna Apollioeque natum, celebrat. vndeque ille ita vocatus ſit, aperit: a violis namque, quae ἴα dicuntur, ipſum appellatum tradit. cum vero ex Apolline natus ſit, eum poſteroſque praeſtantes futuros affirmat ſcientia exta interpretandi: gloriamque illius gentis numquam finem habituram.

Defenſa compoſitio Ciceronis pro Archia, declaratumque vacare ea culpa illuſtrem illic locum, cuius inſimulat ipſum Quintilianus.

CAP. XVI.

Quintilianus in ix. libro, vbi de conſtruendis verbis diſputat, & quae vitia in ea re fugienda ſint, oſtendit, hoc etiam addit. Sed plurimum refert compoſitionis, quae quibus anteponas. nam &: Vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum & totum tribunal impleuit. & contra. Saxa atque ſolitudines voci reſpondent: beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt. magis id inſurgebat, ſi verteretur. nam plus eſt, Saxa quam beſtias commoueri: ineſt tamen compoſitioni decor. tradit igitur in conſtructione verborum hoc etiam animaduertendum eſſe, quod ad vim ſententiarum, non verborum ſonum, numeroſque pertinet, vt poſterior res, & quae adiungitur grandior ſit: ac denique, vt ipſe loquitur, inſurgat. cumque id a Cicerone ſeruatum eſſe oſtendat in ij. Philippica: maius namque eſt. totum tribunal impleuiſſe, quam gremium ſuum, vomentem: in oratione pro Archia id cuſtoditum non eſſe ſignificat: cuius etiam rei rationem reddit dicens. Nam plus eſt ſaxa quam beſtias commoueri: neque tamen Cicero, ſi diligenter attendimus, ſaxa commoueri dicit, vt accepit rhetor ille, ſed ſaxa atque ſolitudines voci reſpondere. quod, quin verum ſit, dubitari non poteſt: intelligit enim, quod a nobis quoque Graeco verbo in noſtrum ſermonem inſito. ἠχὼ vocatur: latini optimi auctores reſonare imaginem dixerunt. quin ſaxa autem, & conualles, hoc faciant: vocumque ſimulacra reddant, dubium non eſt: eum tamen alterum, quod addit, incertius ſit: & a quibuſdam etiam non ſine cauſa negetur. cum igitur Cicero, quod conſtat, ſaxa voci reſpondere dixerit: beſtias autem immanes cantu flecti, atque conſiſtere, auxit manifeſto rem, neque eſt hoc accommodatum exemplum ei, quod oſtendere voluit Quintilianus: nec laborat vllo pacto locus hic ea culpa, qua ipſe laborare ipſum affirmauit. nam culpa profecto fuiſſet, ſi grandi alicui magnoque, adderetur ad amplificandam rem, quod tenuius atque imbecillius foret. quod autem cantu beſtias immanes flecti atque conſiſtere Ciceco dixit, videtur ſignificare, ſerpentes cantionibus a curſu reuocari, cogique manere, vt Virgilius locutus eſt, cum in paſtorali poëmate inquit. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. ceruos autem equoſque paſtoriciis fiſtulis demulceri. quas tamen ſi intellexiſſet, immanes beſtias non appellaſſet: cancroſque e cauis ſuis euocari, eodem ſono delectatos, vt mullum etiam e profundo maris cantu ad ſummum trahi memoriae proditum eſt. quamuis doctiſſimus vir: maximuſque harum rerum inueſtigator in iij. libro de moribus ad Eudemum, verum hoc eſſe credere non videatur. ac ſi vnquam huiuſcemodi aliquid contigerit, portenti ſimile putat. cum affirmet non commoueri beluas, aut aſpectu rerum pulchrarum: aut auditu concentuum vllorum, aut ſi aliquantulum animi ipſorum his rebus immutantur, id vim nullam, aut pondus habere,

Quaeſtio de loco quodam Euripidis, qui videtur mendoſus.

CAP. XVII.

Euripidis ſenarius eſt ex Hippolyto coronato, quo chorus percunctatur e nutrice Phaedrae, cum accepiſſet reginam abſtinere a cibo, quo conſilio illa id faciat. πότερον ὑπ' ἄτης, ἢ θανεῖν πειρωμένη. vereor autem, ſuſpicione quadam ductus, ne macula ſit in verbo, ἄτης. legique debeat pro illo, immutata vna tantum littera, ἄσης: neque enim video quid, ἄτη, illic valere poſſit, diuerſum ab eo, quod adiungitur: quodque impellat ipſam ad mortem: niſi enim aliquid aduerſi accidiſſet,

non

non decreſſet mori. intelligitur hoc igitur (niſi fallor) in conſequente re, quae & ipſa exiſtimatur inetius cauſa regione eſſe potuiſſe. quare ſi, vt indicaui legeretur, res procederet. eſt enim ἄση, faſtidium quoddam cibi ſatietaſque, vt ſtiliret audito, illam ſpatio trium dierum cibum non ſumpſiſſe, chorus interrogatit. abſtineat ne ſe, quod taedium ceperit ipſam epularum, quomodo affici, qui repleti nimis ſunt, conſuerunt: an quod a vita per inediam diſcedere veſit? haec (vt verum fatear) mera coniectura eſt: neque enim, cum libros etiam antiquos conſuluerim, quicquam illic variatum inueni, non contemnenda tamen, vt arbitror. totum igitur eruditis, acutiſque viris proponere volui, qui diligenter animaduerſa re, quid ſentiri de hoc debeat, ſtatuent. Plutarchus in commentario, quo quaerit vtrae animantes prudentiores, eae ne quae in terris, an quae in aquis viuunt, faſtidio hoc cibi aliquando vrſas affici ſolere narrat: & quod remedium huic morbo adhibeant docet: ἀσώδη autem, quae taedio hoc teneatur
» appellat dicens. ἀλλὰ καὶ δὴ ἀσώδεις γένωνται περὶ τὰς μαργώσεις τρέπονται, καὶ κινοῦνται, περιελκύσουσαι λιπα-
» ρὰν, ὡς μαλακὴν ἱκμάδι χλωρῷ τὴν γλῶσσαν ἔχουσαι μαρ.....ον ἀνάπλεως γένωνται: κατανίσσοντα δὲ, ἀπ-
ειλοῦνται. Plinius quoque remedij huius meminit, quamuis morbum alium ſanare tradat: in o-
» ctauo namque libro ait. Vrſi, cum mandragorae mala deguſtauere, formicas lambunt. niſi forte eius horum malorum cauſa eſt faſtidij illius. Apud Herodotum autem in primo libro hiſtoriarum moleſtiam aegritudinemque animi videtur hoc verbum ſignificare, quo loco rationem reddit, cur Perſae natos ex ſe intra quinquennium videre nollent, ſed mulieribus alen-
» dos, procul a conſpectu ſuo, tradant: inquit enim. ἵνα, ἢν ἀποθάνῃ τρεφόμενος, μηδεμίαν ἄσην
» τῷ πατρὶ προσβάλῃ. Non oportere autem penitus caſtigationem hanc deſpicere, quamuis veſtigia ipſius in vetuſtis exemplaribus non appareant, declarat quod alij itidem loci, manifeſto mendoſi in excuſis, ne illic quidem integri ſunt: ſunt enim maculae quaedam, quae multa ſecula manſerunt. vt cum in fabula eiuſdem tragici, cui nomen eſt Ion, nunc legatur:
» ὁ δὲ περὶ θυμέλας ἄλλος ἐρέσσει κύκλος· οὐκ ἄλλᾳ φοινικοφαῆ πόδα κινήσεις; neque ſolum in excuſis, verum etiam in ſcriptis, quos vidi: vidi autem plures: & eos quidem multis partibus meliores, quam excuſos, quis non intelligat, qui diligenter attendat, κύκνος, non κύκλος, legendum eſſe: loquitur enim Ion ipſe, qui aedituus erat, & iniquo animo ferebat inquinari ab auibus templum Apollinis: vnde minatur illis. primum autem voce abigere conatur aquilam: deinde cygnum: nec contentus verbis petit arcum. omne autem poëtae artificium, & quam accommodatus ille locus ſit hiſtrionibus, accurate docuit Phalereus in libro περὶ ἑρμηνείας: vbi recte ſcriptum eſt κύκνος.

Ledam, Helenae matrem, in leaenam verſam dictum ab Euripide: virginemque item e genere Titanidarum in ceruam mutatam Dianae voluntate.

CAP. XVIII.

IDEM tragicus in fabula, ab Helena vocata, illam ipſam inducens deplorantem res aduerſas Troianorum: excidiumque opulentae quondam vrbis, in fletu gemituque illo facit eam conuerſo ſermone ad Calliſtonem, Arcadicam virginem, fortunatiorem ipſam fuiſſe dicere matre ſua Leda, quae in leaenam verſa ſit. Huius autem Ledae μεταμορφώσεως, mentio nulla facta eſt a Latinis, quod ſciam. nam qui plurimas collegit: poëmaque de illis confecit, Ouidium ipſam arbitror reliquiſſe. non nullae praeterea, quae adhuc in commentariis Graecorum leguntur, ad aures Latinorum non venerunt; nec a noſtris poëtis celebratae ſunt. Videndum praeterea quam intelligat eruditus idem poëta: ſtatim enim apud eum Helena, in illa ſua ſententia permanens, inquit beatiorem quoque fuiſſe virginem, e genere Titanidarum Meropis filiam, quae a Diana eiecta ſit e choro: in ceruamque verſa ob eximiam pulchritudinem. verba Graeca, quae edit haec ſunt.
» ὦ μάκαρ Ἀρκαδίᾳ ποτὲ παρθένε, Καλλιστοῖ, Διὸς ἃ λεχέων ἐπέβας τετραβάμοσι γυίοις Ὡς πολὺ ματρὸς ἐμ-
» ᾶς ἔλαχες πλέον Ἃ μορφᾷ θηρῶν λαχνογυίων Ὄμματι λάβρῳ σχῆμα λεαίνης Ἐξαλλάξασ᾽ ἄχθεα λύπης
» Ἅν τέ ποτ᾽ Ἄρτεμις ἐξεχορεύσατο Χρυσοκέρατ᾽ ἔλαφον Μέροπος Τιτανίδα κούραν Καλλοσύνας ἕνεκεν. Significare enim videtur huic quoque poſteriori ſtuprum illatum: vnde a caſta Dea exturbata e choro gregeque ſuo, ac poena illa affecta ſit.

Diſputatur de more dialogorum: in quibus finguntur aliqui locuti inter ſe, quae numquam locuti ſunt.

CAP. XIX.

IN epiſtola, qua miſit ad M. Varronem libros ſuos Cicero Academicarum quaeſtionum. in quo ſermone ipſum illum doctiſſimum virum diſputantem induxerat, cum eo ita familiariter locutus eſt.
» Puto fore, vt cum legeris, mirere nos

id locutos

id locutos eſſe inter nos, quod numquam locuti ſumus, ſed noſti morem dialogorum: qui enim aliquos ſermones habitos ab aliquibus faciunt, non quae illi dixerint, ipſis tribuunt, ſed ea quae viſum fuerit auctoribus earum diſputationum: conantur tamen quantum poſſunt, facere vt quadrent ſententiae perſonis, quae ipſas edere finguntur. quod perſuaſit Ciceroni vt damnaret primos duos illos ſuos de his rebus ſermones: neque enim hominibus non omnino eruditis: verſatiſque diu in tam acutis ſtudiis, conueniebant tam ſubtiles diſputationes. id igitur quod Cicero aperte confeſſus eſt ſe feciſſe, pronuntiauit, vt memoriae proditum eſt, Socrates. cum enim audiſſet Platonem ipſum recitantem ſermonem, quem ſcripſerat de amicitia, vocatum Lyſin, admirans inquit, Vt multa de me mentitus eſt hic adoleſcens: non pauca enim numquam a Socrate prolata ſcripſit, ac perſonae ipſius falſo attribuit: neque tamen hoc intellexit Socrates, peccaſſe Platonem aliqua in re: ſententiaſque abhorrentes a iudicio ſuo ſibi aſſignaſſe, ſed tantum locutum eum cum aliis, qui in eo ſermone inducebantur, quae numquam locutus fuerat, atque eo libentius (vt ſuſpicari licet) ſanctiſſimus ſenex amouit a ſe ſententias illas, quia prima pars eius ſermonis conſumitur in laſciuo delicatoque amore ornando. Hoc autem, quod retulimus Socratis dictum, memoriae prodidit Laërtius in vita Platonis. Longe autem alio animo exiſtimari poteſt Gorgias Leontinus in illum dixiſſe, quod fertur pronuntiaſſe, lecto ſermone Platonis, quem ab ipſo inſcripſerat. traditum namque a nonnullis eſt Gorgiam conuerſum ad eos, qui praeſentes aderant, affirmaſſe nihil eorum ſe neque protuliſſe: neque audiſſe a Platone. prorſus enim ille ſtuduit opiniones eas iudiciaque de illis rebus a ſe amoliri: mendaciique arguere, quod a maleuolo animo proficiſceretur. cum alij tradant eum dixiſſe. egregie ſcire Platonem laedere quos velit: ac notas inurere aduerſariis. verba Graeca haec fuere. ὡς καλῶς οἶδε Πλάτων ἰαμβίζειν.

Diuerſa hiſtoria de Annibale memoriae prodita declaratur.

CAP. XX.

LONGE alia fama de Annibale: contrariaque inter ſe, monimentis litterarum prodita eſt: ſunt enim ſcriptores, qui nefarij facti: & quod omnem inſitam in animum ipſius crudelitatem ſuperet, eum inſimulent: ſunt contra, qui id, vt nimis ſaeuum, atque inhumanum, quamuis rebus ſuis vtile intelligeret, repudiatum ab eo tradant. vt autem rem ipſam aperiam, & qui auctores ſint tantopere inter ſe pugnantis memoriae indicem, ita enim facilius de re ipſa veritateque exiſtimari poterit, Porphyrius Tyrius in ij. libro περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, narrat quendam extitiſſe, qui Annibali, cum exercitu in Italiam venienti, ſuaſerit, vt aſſuefaceret eum humana carne veſci, ne penuria cibi vmquam laboraret. quod tamen conſilium ſpretum ſit. nam patrem etiam ipſius Amilcarem narrat nouo ſupplicio affeciſſe ſuperatas a ſe bello copias mercennariorum, quia id ſcelus auiae fuerant: & corporibus primum ſuorum in proelio interfectorum. deinde captiuorum: poſtea ſeruorum vitam toleratuerant, vt non veriti etiam ſint poſtremum ſorti committere ſe ipſos: ac quorum nomina exibant, cibus fiebant reliquorum. Hos igitur ille inopia domitus, agmine elephantorum contriuit. nec fas eſſe iudicauit manibus hominum contingi, qui omne humanum ius violaſſent. T. Liuius contra in oratione, quam facit habitam a Romano conſule poſt Cannenſem pugnam ad legatos Campanos, cum de immanitate exercitus Annibalis loqueretur, quae & naturalem ortum habebat, & artificio etiam ducis aucta erat, commemorauit hoc etiam ipſum excogitaſſe ad efferandos animos eorum, & omni ſaeuitia imbuendos. quod multum valebat ad eos in fide, ac ſocietate Romana retinendos. verba auctoris haec ſunt. Poenus hoſtis, ne Africae quidem indigena, ab vltimis terrarum oris, freto Oceani, Herculiſque columnis, expertem omnis iuris, & condicionis, & linguae prope humanae militem trahit. Hunc natura immitem: moribuſque ferum, inſuper ipſe dux efferauit, pontibus, ac molibus ex humanorum corporum ſtrue faciendis: &, quod proloqui etiam piget, veſci humanis corporibus docendo, & quae ſequuntur. Aut igitur Romanus conſul, mendacio tempori illi apto, augere feritatem hoſtium voluit: aut Porphyrius in ea re tradenda, quae falſa foret, propoſito illi ſuo ſeruiuit. qui non ſolum ab humanis corporibus abſtinendum putabat, ſed necare animantes vllas, epularum cauſa, rectum eſſe non exiſtimabat. nam incendere etiam potuit Amilcarem ad atrociter vindicandum in reliquias illius exercitus perfidia ipſorum, atque obſtinatio animorum: generoſi enim quoque populi ne traderent ſe hoſtibus, id etiam feruntur feciſſe: quod libertatis defendendae cauſa, laudi potius quam vituperationi datum eſt. Diuerſa etiam ſcriptores diuerſo modo eam rem memoriae mandare potuerunt.

Defenſa

Defenſa vetus communiſque lectio loci cuiuſdam ex epiſtola ad Atticum, qui ſine cauſa mendoſus a quibuſdam exiſtimatus eſt.

CAP. XXI.

LOCVM, quem adſcribam, Ciceronis ex epiſtola quadam ad Atticum viij. libri libet explanare, quia video a nonnullis eum temptatum, ac falſo mendi inſimulatum. eſt autem vbi capto Corfinio, pulſoque ex Italia Cn. Pompeio, petit diligenter a Pomponio, vt explicet plane ſuum conſilium de officio ipſius erga Cn. Magnum, vt penitus intelligat. inquit igitur. Omnia ſunt integra nobis. ni-
» hil praetermiſſum eſt, quod non habeat ſapientem excuſationem, non modo probabilem. nam
» certe, neque tum peccaui, cum imparatam iam Capuam, non ſolum ignauiae delectus, ſed e-
» tiam perfidiae ſuſpicionem fugiens, accipere nolui: neque cum poſt condiciones pacis per L.
» Caeſarem, & Fabatum allatas, caui ne animum eius offenderem, cui Pompeius iam armatus ar-
» mato conſulatum, triumphumque, deferret. & quae ſequuntur. Omnis autem res in eo poſita eſt, quod Cicero ſtudet probare ſe officio boni ciuis non defuiſſe: nihilque non feciſſe, cuius non veram iuſtamque cauſam afferre poſſet: eo enim nomine tunc laborabat, tamquam non nulla officia praetermiſiſſet, quae ab ipſius perſona merito requirebantur. tria autem iuxta tempora, quae purgat. omnibus namque illis videbatur quibuſdam inclinatior fuiſſe in ami-
» citiam C. Caeſaris; quod igitur ait. omnia ſunt integra nobis. ſignificat ſe a culpa vacuum, nec quicquam praetermiſiſſe, quod iure optimo Pompeius accuſare poſſit. in quo enim illius auctoritati primum non paruit, cum Capuam, nomenque eam regionem procurare recuſauit, ducit ſe excuſationem habere, quae non ſolum probari poſſit, verum etiam declaret eum ſapientem fuiſſe, ac ſummo conſilio vſum. quid autem timuerit, breui oſtendit dicens, ſe fugiſſe id munus ob ſuſpicionem, quae animo ipſius haeſerat ignauiae delectus: ſuſpectum enim habebat delectum illum (ei autem curae in primis praeponi debuit, vt verba haec teſtantur.
» Ad quem delectus, & ſumma negotij referatur) quia intelligebat impigre nomina daturos con
» tra Caeſarem, a quo agrum acceperant. vt ſupra etiam aperte narrat. Me Pompeius Capuam
» venire voluit, & adiuuare delectum: in quo parum prolixe reſpondent Campani coloni.
Hanc igitur pigritiam, parumque prolixam in eas partes voluntatem, appellat ignauiam. ſed addit aliud etiam maius malum ſe ab illis timuiſſe. ne ſi forte vti illis copiis aliquando Reſp. voluiſſet, illi fidem fallerent, obſtricti tantis beneficiis Caeſaris. in hac igitur parte videtur omnis ſcrupulus fuiſſe. nam ſecundum tempus, quod in ſuſpicionem venire potuit aperte defendit: vexabatur autem maledictis multorum, quod nimis honeſte de cauſa Caeſaris in epiſtola ad illum locutus eſſet: quodque ſapientiam ipſius admirabilem dixiſſet. atque alia talia. vnde Pomponius epiſtolam eam peruulgatam eſſe moleſte tulit, vt ſupra traditum eſt. tuetur autem tempus illud, quod non aduerſatus acriter ſit Caeſari: cupiditatemque ipſius accuſarit exemplo Pompeij ipſius. Tertium eſt, quod paulo ante praeterierat. vnde adiungit ſuperio-
» ribus. Nec vero haec extrema quiſquam poteſt iure reprehendere, quod mare non tranſierim.
Sed ne in hac quidem expoſitione rerum difficultas vlla manet. Siquis igitur diligenter attendat manifeſto intelliget non purgare ſe Ciceronem, quod quaedam fecerit, quae non oportebat: ſed contra quod nonnulla non fecerit, quae ab eo expectabantur. qua de cauſa ſupra inquit. nihil praetermiſſum eſt. nam quod videri potuit non nihil illius negotij attigiſſe, quod ſine vlla dubitatione Pompeius tractari ab ipſo volebat, non ſequitur, vt totum onus Cicero ſuſceperit. imparatam autem Capuam vocauit, quia nullum illic primum praeſidium erat. particula iam, quae ſtatim ſequitur, valet, vt opinor illo ipſo tempore vrbem eam ſine praeſidio fuiſſe. nam initio illic copiarum aliquid fuit, quod poſtea inde abductum a Cneo eſt.

Deleta macula ex oratione pro L. Flacco.

CAP. XXII.

» CICERO pro L. Flacco. Quod ergo vnus Aſclepiades: fortuna, egens: vita,
» turpis: exiſtimatione, damnatus: impudentia, atque audacia fretus, ſine tabu-
» lis, ſine auctore legerit, id nos quaſi crimen, aut teſtimonium pertimeſcamus?
In excuſis libris hic locus non ſine cauſa, notula adpoſita, mendoſus eſſe indicatus eſt. ipſe quid de illo exiſtimem: quomodoque corrigi poſſe putem, coniectura quadam ductus, aperiam: arbitror enim vitium eſſe in verbo illo legerit, quod ſi pro ipſo ponatur, iecerit, duabus litteris immutatis, quarum altera, figura: altera vero, ſono priori ſimilis eſt, omnis fortaſſe macula ſublata erit, cum tamen caſtigationis huius veteres libros

auctores

auctores, teſteſque, non habeam, non omnino illi confido, totamque rem ingenioſis eruditiſque hominibus ponderandam trado. ipſe certe pro Cn. Plancio eodem pacto locutus eſt. Iacis adulteria, quae nemo non modo nomine, ſed ne ſuſpicione quidem, poſſit agnoſcere. Sed etiam iacere contumeliam idem dixit. quod & ipſum valde ſimile huic eſt. Lapſos autem ſaepe fuiſſe librarios in prima littera fingenda propter ſimilitudinem, quam habet cum altera illa, facile animaduertere potuere, qui ſtudij aliquid poſuerunt in conferendis cum antiquis libris bonis auctoribus. nam locus hic Plauti e Pſeudolo nullo alio vitio laborabat. Nam ego in meo pectore prius ita paraui copias Duplices triplices dolos perfidias, vt vbique cum hoſtibus Congrediar maiorum meum fretus virtute, ne mei Dicam induſtria: legendum enim eſt, maiorum meûm. Ne videatur autem alicui durum contraxiſſe poëtam antiquo more haec nomina, eodem pacto locutus eſt in Perſa, ore paraſiti a quo haec eduntur. Pol deûm virtute dicam, & maiorum meûm. Ne te indotatam dicas. Nolo etiam praeterire, quin indicem locum hunc orationis pro P. Quintio. Ita fit, vt ego, qui tela depellere, & vulneribus, mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum aduerſarius nullum iecerit. aliter legi in calamo ſcriptis exemplaribus. legerit enim in pluribus, quae vidi ſcriptum eſt, non iecerit: quod certe multum valet ad declarandum, quod docui, immutati ſolitas imperitia librariorum has litteras: confirmandumque iudicium meum, qui arbitror in priore in loco pro legerit, ſcribi oportere iecerit, ſiue pro Quintio peruulgata locutio retinenda eſt, vt puto: ſiue pro illa vetuſtior reponenda. in quoſdam etiam excuſos libros ſuperiore aetate manauit illa lectio: nec ſolum eo loco, ſed paulo etiam infra iterum: habent enim iidem. Quaſi venenatum aliquod telum legerint: correctum autem ab aliquo de opinione arbitror, vt in poſtea excuſis legitur.

Diſputatio de ſententia quadam Ciceronis pro Milone, vbi iudicij Oreſtis meminit, qui a Minerua, diſſentientibus inter ſe iudicibus, maternae caedis abſolutus eſt.

CAP. XXIII.

M. CICERO ante quam cauſam Milonis exponeret, atque argumentis confirmaret, quae ab inimicis rei, atque improbis ciuibus ſaepe in ſenatu contioneque iactata erant, contra ſalutem ipſius, refutans inquit. Itaque hoc Iudices non ſine cauſa fictis fabulis doctiſſimi homines memoriae prodiderunt, eum qui patris vlciſcendi cauſa, matrem necauiſſet, variatis hominum ſententiis: non ſolum diuina: ſed etiam deae ſapientiſſimae, ſententia liberatum. Primum enim eorum, quae iactabant, erat, non eſſe fas intueri lucem ei, qui a ſe hominem occiſum fateatur. Videtur autem hoc ſumptum eſſe ex oratione Demoſthenis contra Ariſtocratem, quo loco ita loquitur. exiſtimare ſe illos, qui primi legem tulerunt de nece hominis, accurate ſecum quaeſiſſe, num omnis mors alicui illata, ſcelus in ſe haberet, an contra quaedam eſſet, quae non contaminaret, ſed puros mundoſque auctores caedis relinqueret. eum autem ſecum cogitaſſent Oreſtem, qui matrem interfecerat: nec factum inficiabatur, iudicibus diis immortalibus, elapſum, ſtatuiſſe necem quandam iuſtam eſſe. nam idem hoc iudicium Cicero intelligit, quamuis perſonam nomine non appellet, vt Demoſthenes fecit. fortaſſe etiam Aeſchylum ſignificat, qui totam rem diligenter in Eumenidibus complexus eſt. variatas enim ſententias hominum M. Tullius vocat, quae fuerunt inter ſe magnopere diſcrepantes: dimidia enim pars abſoluebat: dimidia vero condemnabat. id autem videns Minerua ipſa auxilium tulit Oreſti, ac ſuo ſuffragio illum liberauit. quod tangit Cicero, affirmans matricidam non ſolum diuina, ſed etiam ſapientiſſimae Deae ſententia liberatum: primae enim ſapientiae inter Deas huic ſine controuerſia deferebantur. apud Aeſchylum autem ipſa ita eo tempore loquitur, Ἐμὸν τόδ' ἔργον, λοισθίαν κρῖναι δίκην· Ψῆφον δ' Ὀρέστῃ τήνδ' ἐγὼ προσθήσομαι. Hunc autem Ennij verſum Eumenidibus, qui legitur apud Nonium. Dico viciſſe Oreſtem: vos ab hoc faceſſite, affirmarim a Minerua itidem pronuntiatum, Oreſtem abſoluente; ac furias, quae ipſum agitabant, ab eo abigente.

Deleta macula e M. Varronis loco de lingua Latina, vbi docet, qua de cauſa, qui lumen affert, dicatur lucere.

CAP. XXIIII.

LOCVS hic M. Varronis e vj. libro de lingua Latina ſic legitur in excuſis nunc omnibus libris, Aldinum certe exemplar. quaeque illud tempore conſecuta ſunt, ita habent. Qui ad lucet dicitur lucem abluere: & luce diſſoluuntur tenebrae

tenebrae. multis autem modis hic peccatum eſt, vt ſpero me probaturum. In antiquiſſimo
autem libro, vt in iis etiam, qui ſuperiore aetate impreſſi formis ſunt (niſi fallor) hic locus, aut
integer incorruptuſque eſt: aut, ſi maculae aliquid reſtat, tenuis illa eſt, & quae nullo negotio
» elui poſſit: hic enim illi habent. Qui adlucet dicitur lucere abluere, quae ſequuntur. quare,
» ſi praepoſitionem ab ſepares a verbo indefiniti temporis, cui perperam illic haeret, omne men-
» dum ſuſtuleris: vt vera prorſus lectio haec eſſe intelligatur. Qui adlucet dicitur lucere, ab
» luere. non docuit igitur vir doctiſſimus, quid valeat lucem abluere, quod fortaſſe numquam
» dictum eſt a vetere aliquo ſcriptore: neque rationem iuncti eius verbi adlucet, explicat: eſt e-
nim illud vna cum pronomine, declaratio ſimplicis verbi, ſed propoſitum ipſi eſt oſtendere vn
de lucere dictum ſit. primum autem declarat, qui dicatur lucere: quod dicebatur de illo, qui
adlucet: ideſt lumen affert: lucere autem ipſum nominatum vult ab luere. quod valet diſſol-
uere. quae autem illic diſſolutio fiat ſtatim ſignificat, adiungens. & luce diſſoluuntur tene-
brae. vt autem haec explicatio huius verbi probabilis eſt, ita ratio illa, quae tradebatur ea le-
ctione, inſulſa, & ridicula: ſi valet abluere, quod valere ſolet. quam apte vero lux ablui dici
potuerit, omnes (vt arbitror) intelligunt. non reſpondere etiam, quae ſequuntur, huic no-
tioni huius verbi apparet. Quin putet autem ipſe luere ſignificare diſſoluere, dubitandum
non eſt: teſtimoniis namque hoc ipſius planum fit: in v. enim libro vbi docet, vnde dictae ſint
» falces lumariae, inquit. Lumariae ſunt, quibus ſecant lumecta, ideſt cum in agris ſerpunt ſpi-
» nae, quas ab terra agricolae ſoluunt. ideſt luunt, luuecta. item vbi vnde vocatum ſit lucrum.
» Lucrum inquit ab luendo, ſi amplius quam vt exſolueret quanti eſſet, ceptum. Praeterea in
hoc ipſo libro ſupra. quo loco luſtri etymon affert. luſtrum nominatum tempus quinquen-
nale a luendo. ideſt ſoluendo. Poſſe autem lucere, id quod Varro indicat: ipſeque ſupra de-
claraui, vt Plauti multis exemplis, ita etiam auctoritate ſuauiſſimi epigrammatis confirmatur,
» quod a Valerio Aedituo ſcriptum, apud Gellium legitur: initium enim eius eſt. Quid facu-
» lam praefers Phileros? qua nil opus nobis Ibimus: hic lucet pectore flamma ſatis.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XIIII.

Declaratio verborum eorum in epiſtola M. Antonij, quibus factum ſenatus accuſat, qui vectigalia conceſſa ipſis a Caeſare, Lupercis ademerat.

CAP. I.

QVOD M. Antonius in epiſtola ad Hirtium, & Caeſarem, vt crimen, obiecit ſenatui in alijs multis, vt ipſi videbatur, improbiſſimis factis, ſcribens. Vectigalia Iuliana Lupercis ademiſtis. non curauit Cicero illic refellere, ſed contra quiddam tetigit, quod turpem maculam Antonij renouaret: declararetque eum ſummae audaciae, & abiecti prorſus pudoris eſſe, qui Lupercorum mentionem faceret: cum audito illo nomine, in memoriam ſtatim omnibus rediret res Romanis hominibus odioſa, cuius ipſe nefarie auctor fuerat. in epiſtola vero ad Caeſarem Iuniorem intelligitur M. Tullium rem purgaſſe factumque hoc ſenatus comprobaſſe, verbis quibuſdam, quae, inde ſumpta, apud Nonium leguntur. ſunt autem haec. Cum conſtet Caeſarem Lupercis id vectigal dediſſe, qui ante poterat id conſtare? Perſpicitur autem vetuſtate poſſeſſionis cauſam ſuam delendiſſe Lupercos, quod tamen Cicero confutat: falſumque eſſe docet. De hoc vero illo tempore actum eſſe in ſenatu referente Trib. Plebis manifeſto intelligitur ex primis verbis vij. Philippicae.

ete tradidiſse Hora-
m, Telephum, Myrorum
um, cum rebus aduerſis
preſſus foret, deniſse de se
utum: idque teſtimonio

Cum Horatius tradiderit Telephum, quamuis rebus aduerſis oppreſſus tunc foret, magnifice de ſe locutum, idem teſtimonio illius ipſius declaratum: principio orationis, qua hoc fecit, huc allato.

CAP. II.

HORATIVS in epiſtola, qua collegit multa praecepta ad poëtarum artem pertinentia, cum docuiſſet oportere perſonas, quae motum aliquem in animis ſpectatorum excitare volunt, eodem genere perturbationis affectas videri: atque id exemplis confirmaret, inquit. Telephus & Peleus, cum pauper & exul vterque, Proiicit ampullas, & ſeſquipedalia verba, Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela. Hoc autem vtilitati eius rei demonſtrandae mirifice aptum erat: niſi enim obliti veterum fortunarum ſuarum, miſeri illi, & calamitoſi viri fuiſſent, & humiliter, ſuppliciterque locuti eſſent, fine ſuo excidiſſent: nec vmquam feciſſent, vt qui audiebant miſericordia illorum caperentur: indignoſque ipſos putarent malis, quibus tunc premebantur. Tragoediae autem, in quas inducti erant fracti rebus aduerſis, praeſenti ſtatui ſuo ſeruire, & miſericordiam implorare cum peterint; inciderim autem in initium orationis, quam habuit apud principes Graecorum Telephus, quod hoc ipſum confirmat, volui ipſum indicare, atque hic ponere. Ita autem ille, ſe purgans, exorſus eſt. Μή μοι φθονήσατ' ἄνδρες, Ἑλλήνων ἄκροι, Εἰ πτωχὸς ὤν, τέτληκ' ἐν ἐσθλοῖσι λέγειν. Citantur vero hi ab interprete Ariſtophanis, cum poëta ille in Acharnenſibus, riſum captans, leuiter immutatis verſibus his, parodia eſt vſus, atque inquit, Μή μοι φθονήσατ' ἄνδρες οἱ θεώμενοι, Εἰ πτωχὸς ὢν ἔπειτ' ἐν ἀθηναίοις λέγειν Μέλλω περὶ τῆς πόλεως, τρυγῳδίαν ποιῶν: libenter enim tragico illi illudebat facetiſſimus comicus: habebatque & mores, & verſus ipſius, materiam multorum iocorum. Animaduertendum autem eodem modo, quo Flaccus ſpectantem pro ſpectatorem inquit, ita etiam Ariſtophanem θεωμένους pro θεατὰς appellaſſe. quod etiam alibi fecit,

Locus in Oratore emendatus. vbi de priſca ſcribendi ratione Cicero diſſerit: declaratumque tres Graecas litteras ſaepe inter ſe locum commutare.

CAP. III.

LOCVM hunc Ciceronis ex Oratore puto corruptum eſſe, cum enim in excuſis nunc paſſim ita legatur. Purrum ſemper Ennius, numquam Pyrrhum. Vi patefecerunt Fruges, non Phryges, ipſius antiqui declarant libri. arbitror ſcribi debere. Burrum ſemper Ennius. & Vi patefecerunt Bruges. atque id, & verbis Ciceronis ipſius, quae ſtatim adiungit, motus: & teſtimonio Quintiliani: qui in primo libro, vbi de litterarum immutationibus diſſerit, inquit. Sed b. quoque in locum aliarum dedimus aliquando. vnde Burrhus, & Bruges, & Belaena. nec non eadem fecit ex duello bellum. vnde Duellios quidam dicere Bellios auſi. oſtendit igitur manifeſto Quintilianus b. in locum aliarum tranſire ſolitam: primumque in p. deinde in φ. nec non pro duabus etiam du aliquando accipi ſolitam. cum autem exemplis primae mutationis vtatur duobus illis nominibus, quae Cicero quoque ponit, Ennij conſuetudinem exiſtimare debemus eum reſpexiſſe: nominaque in poëmate illius poſita intellexiſſe. Idem etiam indicauit Sex. Pompeius in ij. libro ſcribens. Balaenae nomen a Graeco deſcendit. hanc illi φάλαιναν dicunt. antiqua conſuetudine: qua πύῤῥον, Burrhum: πύξον Buxum dicebant. vnde etiam ſuſpicari licet apud Quintilianum in ſuperiore loco pro Belaena Balaena legi debere. Sed cum Cicero addat: Nec enim Graecam litteram adhibebant, nunc autem etiam duas. in poſteriore nomine (niſi fallor) aliter duae Graecae litterae vitari nequeunt, niſi immutetur φ in aliam litteram. vt illic in b. verſa eſt. nam qui, ſi Fruges pro φρύγας ſcriberetur, crederet ipſam immutatam, meo iudicio peccaret: neque enim ſonus ipſius immutatus, ſed forma tantum. quod ſi in locum eius b. ponimus, tunc vere illam immutatam dicere poſſumus: ſonus namque variatus eſt. vicinitas autem harum litterarum: quodque ſuo iure poſſint inter ſe locum commutare, perſpicitur etiam inde, quod Athenaeus in xiiij. libro affirmat eandem nucem, tribus modis in prima littera variari. ſcriptores namque, qui ſcripſerant de rebus ruſticis ſecutos Syros, vbi naſcebantur, tradit piſtacia appellare: Nicandrum vero in Georgicis ſuis aſpirata eadem littera phiſtacia. Poſidonium autem biſtacia. nam quod hunc ipſum Stoicum citat: locumque e iij. libro hiſtoriarum, quas ille ſcripſit, adducit, in quo arboris huius natura, nuciſque diligenter deſcribitur, tollendum illinc ſcripturae erratum eſt: cum enim legatur in impreſſis Athenaei exemplaribus. πολυκαρπον ἔγχλωρον, καὶ τὰ κάρυον τῆς στροβίλων, ὅπερ μὲν ἄχρωμον: οὐδὲ ἢ μᾶλλον. manifeſto ſcribi debet κῶνον, ſublata media diphthongo: quid enim huc faciat cicuta, quam vox illa oſtendit? quos autem conos a forma vocet, apertum eſt. vnde etiam Catullus conigeram pinum appellauit. libenter autem monſtraui locum illum Poſidonij: vt enim perſpicere potui, egregie reſpondet rei ipſi deſcriptio, ac pictura illius ſtirpis: ipſe namque olim ſemen ex Alexandrea Aegypti allatum ſeui: idque in iuſtam arboris altitudinem creuit. cum igitur dicat ferre fructum vuarum mora conglobatum, id e floribus cognoſci poteſt: qui racematim botryoniſque ſpeciem praebentes, funduntur. ob caeli tamen noſtri intemperiem magna ex parte caduci: quique in nucem formantur, ad maturitatem ob eam rem apud nos non perueniunt. cetera ex nucibus ipſis poſſunt intelligi, quorum magna vis huc importatur, cum gratae ſint in ſecundis delicatioribus menſis. Sed vt ad id redeam, de quo primum agebam, tranſire p. in b. apud veteres Latinos ſolitam, confirmatur etiam exemplo comicorum ſeruorum: quibus a colore capillorum nomen a Graecis impoſitum erat: cum enim πυῤῥίαι eo ſermone vocarentur, vt alij ξανθίαι. a Latinis hi Byrrhiae vocati ſint. vt apud Terentium etiam ſcriptum eſt. qui inquit. ibi forte huius video Byrrhiam: nullam enim aliam huius nominis rationem video.

Cretam, qua in obſignandis litteris Aſiae populi vtebantur, videri eam eſſe, quam Herodotus γῆν σημαντρίδα vocauit.

CAP. IIII.

TERRAE cuiuſdam, qua pro cera vtebantur in litteris obſignandis Aſiae populi, meminit M. Cicero: illiuſque argumento amoliri crimen a L. Flacco, quem defendebat, conatus eſt. quod ſcriptum teſtimonium, quo reus valde premebatur, ceram haberet, non cretam, qua omnes illi homines, & in publicis, & in priuatis litteris, vti conſueſſent. vnde argumentabatur illud fictum & adulterinum

rebant: in arbitrio ipſorum ponentes, vt e multis id nomen aſciſcerent, quo magis delectarentur: ſuaeque ioſcitiae ignoſcerent. Hoc fecit accurate Catullus: ritumque hunc cuſtodiuit in Hymno ad Dianam, cum enim pluribus nominibus Deam hanc ipſam vocaſſet, ad extremum inquit. Sis quocumque tibi placet Sancta nomine. Sed Aeſchylus quoque in Agamemnone reſpexit huc, cum cecinit. Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστίν. εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ Τοῦτό νιν προσεννέπω Οὐκ ἔχω προσεικάσαι, πάντ' ἐπισταθμώμενος πλὴν Διός: nec non Euripides: cuius hic locus citatur a Clemente in v. libro ſtromatum. Σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν πέλανόν τε φέρω Ζεὺς εἴτ' Ἀΐδης ὀνομαζόμενος στέργεις, σὺ δέ μοι θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας δέξαι πλήρη προχυθεῖσαν. Non tantum autem e poëtarum ſcriptis, magnus hic ipſorum in hac re metus percipitur, verum etiam e grauiſſimo omnium auctore, Platone, qui ita inducit Socratem in Philebo loquentem, cum Protarcho, incredibilem hanc animi ſui reformidationem exponeret. Τὸ δ' ἐμὸν δέος ὦ Πρώταρχε ἀεὶ πρὸς τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ πέρα τοῦ μεγίστου φόβου, καὶ νῦν τὴν μὲν Ἀφροδίτην, ὅπῃ ἐκείνῃ φίλον, ταύτῃ προσαγορεύω.

Indicatus locus Strabonis, in quo Appiae viae oppida: omniſque ratio eius itineris exponitur: quod ab Horatio quoque diligenter in Satyra factum eſt.

CAP. III.

ACCVRATE Horatius eleganterque deſcripſit Appiae viae oppida, & diuerſoria in Satyra cuius initium eſt. Egreſſum magna me excepit Aricia Roma Hoſpitio modico: nec non, quae viatoribus in ea commodae res, incommodaeque inuenirentur, docuit, ſed etiam foſſae illius nauigabilis, quae propinqua erat, vtilitatem ſignificauit: noctu enim illa vehebantur, ſimulque e diurno labore corpus reficiebant. Strabo etiam diligentiſſimus ſcriptor, vt reliqua in v. libro accurate, ita foſſae huius naturam commoditatemque declarauit, Appiae viae ipſam multis in locis appoſitam tradens: impleri que, & paluſtribus, & fluuialibus aquis: nauigari vero plerumque noctu: quod tangit etiam poëta, vt quum veſpere in nauiculam ingrediantur, mane exeant: reliquum autem viae pedibus conficiant. quamuis etiam luce traharur nauis tamquam remulco, a mulabus: nam Horatium ſocioſque voluiſſe mane exponi intelligitur. quod tamen fraude atque inertia nautae, non optinuerunt, vt coacti ſint toto itineri noctis, addere tertiam partem diei. Quod vero Horatius inquit, tumultum illius temporis ſignificans, Huc appelle: trecentos inſeris: ohe iam ſatis eſt, videndum eſt an pronuntiari potuerit a viatore, nautam accuſante, quod non pateretur ſe aſcendere: alioſque, ſe relicto, nimis multos imponeret vt periculum ſit ne lynter, onere preſſus, mergeretur: nautae enim ſolent quaeſtus ſui cauſa plures recipere in nauim, quam opus ſit illis, qui tuto nauigare velint: qui que magis ſuſpecta habeant pericula nauigationis, quam oporteat, vt ignari eius rei, ac timidi. Interpretes tamen contra putant illa verba. ohe iam ſatis eſt, pronuntiata a nautis, caſtigantibus viatores, nimis multos irruentes in nauim. vt arbitror, quia de concertatione ipſorum: mutuoque iactis conuiciis, locutus antea fuerat poëta.

Sententiam, qua apud Caecilium quidam vim amoris extollit, videri acceptam ab Euripide, qui eodem pacto poteſtatem ipſius celebrauit.

CAP. IIII.

IN IIII. libro Tuſculanarum Cicero, cum amorem inſimulaſſet: tantaeque leuitatis eſſe dixiſſet, vt nihil videat, quod putet conferendum, locum Caecilij comici adduxit: qui contra ſentiret: ac diuinos etiam honores, propter infinitam omnium rerum poteſtatem, ipſi tribueret. tantopere autem ſtultitiam, atque improbitatem eius ſententiae Cicero damnauit, vt non ipſum tantum Caecilium, ſed reliquos etiam eiuſdem loci poëtas agitarit. Carmen vero ipſius Caecilij hoc eſt :: deum, qui non ſummum putet, Aut ſtultum, aut rerum eſſe imperitum exiſtimet: Cui in manu ſit, quem eſſe dementem velit. Quem ſapere, quem inſanire, quem in morbum inijci, Quem contra amari, quem accerſiri: quem experi. quod, amorem & ipſe celebrans, de illo quoque dixerat antea Euripides. cuius hi quattuor verſus ponuntur a Stobaeo. vnde illi comici expreſſi videntur. Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν Καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον Ἢ σκαιός ἐστιν, ἢ καλῶν ἄπειρος ὢν Οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν. Iidem autem, vno tamen minus, citantur etiam ab Athenaeo in xiij. libro. nam ſecundus negligentia librariorum illic relictus eſt: primus vero aliquantulum immutatus legitur; quid dicemus igitur?

tragoedia

tragoedia locum in comoediam tranſtuliſſe Caecilium? an hoc antea a Graeco comico poëta factum eſſe? vnde fabulam vertit latinus. an autem reliquas quoque ſententias, quae verſibus Latinis espreſſae apud Ciceronem leguntur, perſecutus fuerit Euripides ſcire nunc non licet: tragoedia namque periit, in qua id prolatum fuit. quod igitur indagare potui: diligentiaque adhibita colligere, id hic vt prodeſſem ſtudioſis, adnotaui. Venerem vero non tantum in numero deorum collocandam, ſed ſiquid etiam maius valentiuſque deo ſit, id illam eſſe, pronuntiauit nutrix Phaedrae apud eundem tragicum, cognito ſtatim morbo reginae. antequam mutata mente ad ſcelus ipſam hortaretur, vel inuitam potius truderet.

Declaratio quorundam Epicharmi verborum, quae in epiſtola quadam Cicero poſuit.

CAP. V.

EPICHARMVS Siculus, vafer homo, ſummaeque prudentiae, vt aliis multis praeceptis vitam hominum excoluit, ita etiam admonuit, oportere nos antequam aliquem in amicitiam recipiamus, attendere, quo pacto ille ſe cum veteribus amicis geſſerit: inde namque intelligi poſſe liquido putauit, an dignos amicitia ſit. hoc enim valent verba illa Graeca ipſius, quae Cicero in epiſtola quadam
» iij. libri ad Q. fratrem poſuit. γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται. da operam inquit, in nouis amicitiis inſtituendis, vt videas, ille ipſe; quem cogitas tibi coniungere, quomodo alio prius amico vſus eſt. id autem ſignificaſſe verbis illis Epicharmum perſpicitur etiam teſtimonio Iſocratis, qui in libro ad Demonicum, vbi plurima vera vtiliaque praecepta collegit: hoc etiam iisdem verbis protulit: esplanatius tamen: nimis namque breui rem complexus eſt Epicharmus. quamuis id apud poëtam e ſuperioribus verbis melius fortaſſe intelligi potuerit, Iſocrates igitur in-
» quit: μηδένα φίλον ποιοῦ πρὶν ἂν ἐξετάσῃς πῶς κέχρηται τοῖς πρότερον φίλοις. verbo autem hoc vti conſueſſe Graecos, cum bene, aut male quempiam tractare amicos dicerent, declaratur etiam exem-
» plo hoc Ariſtotelis qui in libris de moribus, quae vocantur ἠθικὰ μεγάλα, inquit. κακῶς δ'
» ἐχρήσατο τῷ φίλῳ. Euripides quoque in Hippolyto eodem pacto locutus eſt, cum purgantem
» ſe patri: inſtitutaque ſua exponentem, induxit optimum illum adoleſcentem. Ἐπίσταμαι γὰρ
» πρῶτα μὲν θεοὺς σέβειν: φίλοις τε χρῆσθαι μὴ ἀδικεῖν πειρωμένοις.

Vocatum a Cicerone tacitum ſenſum, videri eum eſſe, quem Graeci ἄλογον αἴσθησιν appellabant.

CAP. VI.

QVAM Cicero in Oratore tacitum ſenſum vocat, vbi de natura numeroſae orationis diſputat, Dionyſius Halicarnaſſeus (vt opinor) ἄλογον αἴσθησιν appellauit.
» M. Tullij verba haec ſunt. Si quae res efficiat voluptatem, eadem, quae in ver-
» ſibus: quorum modum notat ars, ſed aures ipſae tacito eum ſenſu ſine arte definiunt. Idem autem intellexit, quamuis aliter appellarit in iij. libro de Oratore,
» cum inquit. Etiam hoc, quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici ſolet: bonis is verbis, aut
» aliquis non bonis vtitur, non arte quadam perpenditur, ſed quodam quaſi naturali ſenſu in-
» dicatur. Ante ſuperiorem quoque locum in Oratore, dicens: Neque enim ipſe verſus ratione
» eſt cognitus, ſed natura, atque ſenſu. manifeſto hunc ipſum ſenſum vacuum ab arte: nec a diutum a ratione ſignificauit. Poſitis autem Latinis exemplis, vt ab eruditis exiſtimari poſſit recte ne ſenſerim, Graeca nunc adſcram. ſi prius quid ſuſpicer de primo trium horum exem-
» plorum indicaro: puto enim deſiderari in illo particulam negandi: legique debere. Quo-
» rum modum non notat ars. hoc autem & res ipſa diligenter animaduerſa, confirmare videtur: & ſermonis ratio: cum ſtatim reddat, ſed, coniunctionem, quae aduerſatur: nec non teſtimonium Ciceronis, qui ambobus locis, qui poſt a me adducuntur, quod vim habeat negandi poſuit. Halicarnaſſeus igitur, grauis dicendi magiſter: in primiſque nobilis, de arte diſſerens, oſtendeníque non omnes correptas ſyllabas pares omnino inter ſe eſſe, ſed quattuor ipſarum gene-
» ra inueniri, quorum varietas diſtantiaque, ſenſu hoc tacito percipiatur, ita locutus eſt. Οὐκοῦν
» τέσσαρες αὐται βραχειῶν συλλαβῶν διαφοραί, τὴν ἄλογον αἴσθησιν ἔχουσαι τῆς περὶ ταύτας μέτρον. Item in
» vita Lyſiae. ὥσι, ὥσπερ μουσικοὶ παραγγέλλουσι ποιεῖν τοῖς βουλομένοις ἀκούειν ἀκριβῶς ἁρμονίας, ὥστε μηδὲ τὴν
» ἐλαχίστην ἐν τοῖς διαστήμασι δίεσιν ἀγνοεῖν, τὴν ἀκοὴν ἐθίζειν, καὶ μηδὲν ἄλλο ταύτης ἀκριβέστερον ζητεῖν κριτήρι-
» ον, τοῦτο κἀγὼ τοῖς ἀναγινώσκουσι τὸν Λυσίαν τίς ἡ παρ' αὐτῷ χάρις ἐστὶ βουλομένοις μαθεῖν, ὑποθείμην ἂν ποι-
» εῖν χρόνῳ πολλῷ, καὶ μακρᾷ τριβῇ, καὶ ἀλόγῳ πάθει, τὴν ἄλογον συνασκεῖν αἴσθησιν.

Allati Graeci Euripidis verſus, quos interpretatus eſt Cicero in II. de natura Deorum.

CAP. VII.

FABVLA, in qua Euripides eruditam illam, piamque ſententiam incluſit, quam interpretatur Cicero in ij. libro de natura Deorum, iniuria ſuperiorum temporum periit: cum autem Graecos etiam verſus inuenerim, eos hic ponere viſum eſt, vt conferri commode cum Latinis poſſint, qui ſunt hi. Vides ſublime fuſum immoderatum aethera Qui terram tenero circumiectu amplectitur? Hunc ſummum habeto diuum: hunc perhibeto Iouem. Clemens autem Alexandrinus, captus grauitate illius ſententiae, & quia Chriſtianorum hominum opinioni conuenire videtur, pluribus locis eius meminit. vt in libro, quo hortatur Graecos ad veterem ſuperſtitionem abijciendam: noſtroſque ritus capeſſendos. Sed etiam in v. Stromate, hoc pacto Εὐριπίδης δὲ ἀπὸ τῆς αὐτῆς σκηνῆς τραγῳδῶν Ὁρᾷς (φησι) τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις. Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν. Trium autem horum verſuum primos duos citauit quoque Plutarchus duobus locis, & in libello de exilio; & in eo, cuius index eſt, αἰτίαι φυσικαί: in quaeſtione illa, qua docuit, cur non admiramur aquas frigidas, ſed calidas.

Quod Cicero primum Socratem dixit quaeſiuiſſe de rebus bonis, ac malis, falſum videri, cum conſtet Pythagoram plurimum ſtudij in ea parte philoſophiae poſuiſſe.

CAP. VIII.

IN primo libro quaeſtionum Academicarum, ad M. Varronem miſſarum, Cicero ita induxit Varronem ipſum loquentem. Socrates mihi videtur (id quod conſtat inter omnes) primus a rebus occultis, & a natura ipſa inuolutis: in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, auocaiſſe philoſophiam: & ad vitam communem adduxiſſe, vt de virtutibus, ac vitiis: omninoque de bonis rebus, & malis quaereret. hoc autem verum non videtur; nec dignum eruditione illius perſonae, cui ſententiam hanc aſcribit: Pythagoras namque primus hanc partem philoſophiae attigit, & de vita ac moribus, accurate quaeſiuit. ipſum autem tempore ſecutus eſt Socrates. qui in hac re ſtudium omne ſuum conſumpſit. quod Ariſtoteles quoque in priore libro ἠθικῶν μεγάλων teſtatus eſt. πρῶτος μὲν οὖν ἐνεχείρησε Πυθαγόρας περὶ ἀρετῆς εἰπεῖν infraque: μετὰ τοῦτον Σωκράτης ἐπιγενόμενος, βέλτιον, καὶ ἐπὶ πλεῖον ὑπὲρ τούτων εἶπεν. Idem autem quod illic, in Bruto etiam Cicero his verbis teſtatus eſt, cum de Socrate loqueretur. Huius ex vberrimis ſermonibus, extiterunt doctiſſimi viri: primumque tum philoſophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, ſed haec, in qua de rebus bonis, & malis: deque hominum vita, & moribus diſputatur, inuenta dicitur. Aut igitur, quia perfectius id exquiſitiuſque tractauit Athenienſis ſapiens, primum dixit ipſum Cicero id aggreſſum fuiſſe, cum tamen contra conſtet inter omnes Pythagoram non ſine laude: magnaque vtilitate hominum in hoc ſtudio verſatum, aut quia non omnino dimiſit omnem curam rerum obſcurarum: a naturaque ipſa inuolutarum Samius ille: in mathematicis namque rationibus diligentiae multum poſuit, cum penitus Socrates ipſas abiecerit: nec cogitationem vllam de ipſis ſuſceperit. quomodo aliter defendi a culpa Cicero poſſit, non video.

Non dictos a Platone Titanum e genere eſſe, qui aduerſantur magiſtratibus: vt tradidit Cicero, ſed qui iuſiurandum fidemque violant: ac denique deos ipſos negligunt.

CAP. IX.

VERBA haec Ciceronis e iij. libro de legibus ſunt. Noſter vero Plato Titanum e genere ſtatuit eos, qui vt illi caeleſtibus, ſic hi aduerſentur magiſtratibus. Arbitror autem ipſum locum Platonis hunc intellexiſſe, qui eſt in iij. de legibus. πρὸς αὐτῷ δὲ ἤδη τῷ τέλει, ὅρκων, καὶ πίστεων, καὶ τὸ παράπαν θεῶν μὴ φροντίζειν: τὴν λεγομένην παλαιὰν Τιτανικὴν φύσιν ἐπιδεικνῦσι, καὶ μιμουμένοις. ἐπὶ τὰ αὐτὰ πάλιν ἐκεῖνα ἀφικνουμένοις, χαλεπὸν αἰῶνα διάγοντας, μὴ λῆξαι ποτε κακῶν. In quo tamen, ſi diligenter attendimus, non id omnino quod Cicero tradit, dicit Plato. ille namque (vt ſententiam totius loci breui explicem)

explicem) affirmat e muſicae veteris ratione corrupta, profectam eſſe libertatem quandam, ſiue
potius licentiam, qua homines ſibi omnis rei ſapientiam aſciſcunt: falſaque hac opinione du-
cti contemnunt iudicia meliorum: impudenteſque fiunt. quam libertatem conſequeretur li-
centia alia, quod magiſtratibus parêre nolunt: ſed huic etiam tertiam quandam comitari di-
cit, fugientium parentum imperia: ſeniorumque auctoritatem, ac praecepta. illis vero, cum
prope ad extremum peruenerint improbitatis, licentiaeque, adeſt, quod legibus non ob-
temperare quaerunt. vt iiſdem ad extremum nequitiae, iam perductis, & iuſiurandum,
& datam fidem negligere: nec metu vllo deorum teneri, qui ſcilicet priſcam illam Titanicam
naturam reddant, atque imitentur. & quae ſequuntur. Non igitur illos, qui aduerſentur ma
giſtratibus e Titanum genere ſtatuit Plato, ſed qui fidem omnem: maxime autem teſtibus diis
datam violent, ac flocci denique non faciant deos immortales, ingenium ſaeuum immaneque,
quale in Titanibus extitit, prae ſe ferre vult. vnde neceſſario in eadem mala, in quae illi inci-
dere debeant: ac ſempiternis malis cruciatibuſque, torqueri, atque affligi. Plautus quoque in
Perſa ſeruum hominem qui amaret, ita ſe contra obiurgatorem purgantem induxit, quod nol-
» let reſiſtendo voluntati deorum, imitari Titanas: Quid ergo faciam? diis ne aduorſer, quaſi
» Titani: cum diis belligerem, ſat quibus eſſe non queam.

Quaeritur de verbis quibuſdam obſcuris, & fortaſſe mendoſis, initio epiſtolae ad Atticum poſitis.

CAP. X.

V ERBA, quae hic ſequuntur, poſita ſunt initio epiſtolae cuiuſdam ad Atticum
» in ij. libro. Negent illi Publium Trib. pl. factum eſſe: hoc vero regnum eſſe,
» ferre nullo pacto potes. emittat ad me Publius, qui obſignent, iurabo Gn. no-
» ſtrum, collegam Balbi, Anti mihi narraſſe in auſpicio ſe fuiſſe. Qui vero ſen-
ſus eorum ſit, & quomodo accipienda putem, nunc indicabo. primum autem
arbitror ſumpta ipſa fuiſſe, repetitaque, ex epiſtola T. Pomponij: repetita autem, quia vehe-
menter ſententia eorum delectarit Ciceronem: ſenſuique ipſius quadrarit: quod manifeſto ſi-
» gnificare videtur exclamatio, quae ſequitur. O ſuaues epiſtolas tuas. adeo enim gauiſus eſt
» expoſitione illarum rerum, vt continere laetitiam ſuam non potuerit. Fuerunt autem ſuperio-
ra illa ſcripta ab Attico cum ſtomacho non paruo contra tres illos ciues, quorum opes tunc e-
rant non ferendae: multaque improba facta. cum enim illi fauiſſent P. Clodio: ſubitoque ad
plebem traduxiſſent, cognita poſtea magnitudine animi illius ingenioque feroci, timere inci-
pientes, ne in ipſos impetum faceret, negabant illum plebeium factum eſſe. quod adoptio illa
recte, atque ordine facta non eſſet. contra quos diſſerit ipſe, oſtenditque ſe teſtimonio ſuo poſ-
ſe Clodium ſubleuare: cum acceperit ore ipſius Pompeij ipſum illum praeſentem fuiſſe, ac pa-
ratum eſſe ſi oportuerit, iurare, vt accurate narrat. vt autem libere agam: omneſque animi ſu-
ſpiciones aperiam, arbitror pro Trib. pl. legi debere, plebeium. nam non multo poſt ex ſer-
mone Ciceronis filij percipitur, Clodium illo tempore tribunatum petere coepiſſe, multo iti-
dem infra hoc ipſo in libro, vbi colloquium Cn. Magni, cum Clodio exponit Cicero, ita ſcri-
» ptum eſt. cum diceret in ſumma ſe perfidiae, & ſceleris infamia fore, ſi mihi periculum crea-
» retur ab eo, quem ipſe armaſſet, cum plebeium fieri paſſus eſſet. ſed in optimo quoque meo
libro, quamuis Trib. legatur, quod culpa librariorum commiſſum puto, qui crebro in his no-
tis peccare conſueuerunt, ſcriptum tamen eſt, plebeium: quod non nihil adiuuat opinionem
meam: Collegam vero Balbi Cn. vocat, vt hoc etiam addam, cum contemptu quodam: iun-
gebat enim non nihil notae clariſſimo viro, habere ſocium illius curae municipalem hominem:
nec vlla virtute inſignem.

Verſus Catullianus emendatus: idemque declaratus.

CAP. XI.

V ERSVS Catulli e carmine, quo coloniam alloquitur, macula quadam (niſi fal-
» lor) reſperſus, ſatis tuto (vt arbitror) purgari poteſt: neque enim vt mendum tol-
latur, aut addere aliquid, aut demere, oportet, ſed litteras tantum duas, quae ante-
cedenti verbo male cohaeſerunt, conſequenti adnectere, cui conueniunt: quod ſi fiat, verior
accommodatiorque ſenſus ſtatim inde naſcetur. Cum ita igitur nunc legatur in excuſis
» libris. Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum Si poteſt olidum repente excitare veter-
» num, ſuſpicor ſcribi debere. Si pote ſtolidum: veternum enim recte, atque appoſite ſtolidum

appellatur, quia qui oppreſſi eo ſunt, nihil ſentiunt, ac ſtupent: quemadmodum ipſum vocarunt Virgilius, Horatiuſque, graue, ac funeſtum. id autem vitium poëta in eo corrigere volebat, cui remedium hoc adhibebat: ſtuporem inquam ſtoliditatemque ingenij, vt cum nactus eſſet tam eximium bonum, vti eo diſceret: ac diligenter ne ſibi eriperetur, caueret. Pote vero valere ἐνδέχεται, quod inferioris aetatis Latini dixerunt poſſibile: numquam vſurpatum verbum a Cicerone, neque ab alio temporis illius, vel exemplo hoc grauiſſimi auctoris declaratur, qui in Bruto ita fecit aniculam illam locutam, ex qua quaeſierat quanti aliquid venderet Theophraſtus: cum enim reſpondiſſet illa, addidit. Hoſpes non pote minoris. Grammatici etiam » hoc teſtantur, qui neutri generis eſſe dicunt, a potis conformatum. Non me tamen fallit Coelium Rhodiginum in vj. libro lectionum antiquarum communem lectionem probare: ſenſumque inde elicere ſubtilem magis eruditumque, quam verum, atque illi loco accommodatum. quo nomine aliquando ille mihi, non ſine cauſa, reprehendi poſſe videtur: quamuis enim Ariſtoteles doceat alas, corporis noſtri partes maxime abſtruſas, foetere. quia ſpiritu ventoque non agitantur, non video quid hoc faciat ad declarandum, veternum ea de cauſa olidum apte a Catullo appellatum eſſe: veternum enim intelligit poëta: vt ſtatim ipſe oſtendit, animi torporem, non corporis.

Oſtenditur Flaccum familiarem ſermonem, frequentemque apud Graecos, in Latinum vertiſſe, ſeruata eadem ratione loquendi.

CAP. XII.

HORATIVS in v. Satyra ij. libri modum loquendi peculiarem Graecorum expreſſit: in Latinumque conuertit. quod ſane ille multis locis temptauit. vt, qui animaduertent, facile intelligent: ipſe quoque hoc eum ſaepe auſum facere alias indicaui. cum igitur de tabulis teſtamenti loquens, inquit = multum
» Naſica negatas, Accipiet tandem, & tacitus leget: inuenietque Nil ſibi lega-
» tum, praeter plorare, ſuiſque. Ita autem Graecos loqui ſolitos, vt plorare iuberent eum, quem a ſe contumelioſe dimitterent, notum eſt. lepidiſſimus comicus πλούτῳ, cum vrgenti
» Chremylo deum illum diuitiarum, vt diceret quis eſſet, reſpondit. ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοι. &
» infra. κλάειν ἔγωγέ σοι λέγω. Sed etiam cum maius aliquod malum cuipiam minabantur. vnde Theramenes, elati animi vir: idemque facetae naturae, cum xxx. iuſſu Tyrannorum in carcerem duceretur; ac de tam graui iniuria clara voce quereretur, iuſſus eſt tacere, propoſita hac tamquam poena, niſi quiritari deſiiſſet. Vnde reſpondit ſtatim hoc pacto interrogans. Nonne etiam ploraturus ſum, ſi tacuero? Hoc autem his verbis memoriae prodidit Xenophon in ij. li
» bro de rebus Graecorum. καὶ ἀπήγαγον τὸν ἄνδρα διὰ τῆς ἀγορᾶς μάλα μεγάλῃ τῇ φωνῇ δηλοῦντα, οἷα
» ἔπασχε. λέγεται δ᾽ ἓν ῥῆμα καὶ τοῦτο αὐτοῦ, ὡς εἶπεν ὁ Σάτυρος, ὅτι οἰμώξοιτο, εἰ μὴ σιωπήσειεν, ἐπήρετο. ἂν
» δὲ σιωπῶ, οὐκ ἄρ᾽ οἰμώξομαι; Cicero in epiſtola quadam ad Q. Fratrem, cum idem pronunciare vellet, Graeca verba vſurpauit: inquit enim. Ἀλλ᾽ οἰμωζέτω: nos modo valeamus. Non eo autem loco tantum Horatius hoc Latinis verbis protulit, ſed in extrema etiam ſatyra primi li-
» bri hoc pacto: Demetri, teque Tigelli, Diſcipulorum inter iubeo plorare cathedras.

Confirmatur, quod Cicero inquit, fuiſſe Chryſippum in omni hiſtoria curioſum, minutis quibuſdam ipſius narrationibus, apud Graecum auctorem inuentis.

CAP. XIII.

IN ſingulis rebus confirmandis, de quibus accurate diſputabat, ſolitum Chryſippum multa exempla ponere, atque in iis etiam minuta quaedam non aſpernari, praeter quam quod Cicero in prima quaeſtione Tuſculana, vbi de variis ſepulturae generibus diſſerit, aperte teſtatur, perſpicitur etiam ex loco quodam adducto e libro ipſius περὶ τῶν μὴ δι᾽ αὐτὰ αἱρετῶν: cum enim illic contra auaritiam diſputaret, abſurdos quoſdam nonnullorum hominum, ſtultoſque amores pecuniae ex-
» ponit. quod indicat hanc ipſum ſtudioſe conſectari ſolitum. M. Tullij verba haec ſunt.
» Permulta alia colligit Chryſippus, vt eſt in omni hiſtoria curioſus: ſed ita tetra ſunt quaedam,
» vt ea fugiat, & reformidet oratio. Ita autem foeda illa fuiſſe Cicero dicit, vt animo abhorreret ab illis recitandis, quia pertinebant ad mortuos, & humationem, quae res propter ſe etiam, cum mors fit, moleſta, atque odioſa eſt, ne dum tam inhumanis ritibus tractata, cuiuſmodi erat illud, quod proxime narrarat. Athenaeus autem in iiij. libro verba Chryſippi citat,

quae

quae ſupra intellexi. eorum autem ſententia haec eſt. Nonnulli adeo labuntur in auro expetendo, vt traditus quidam ſit, cum prope mors eſſet, deuoratis non paucis aureis nummis mori voluiſſe. Alium autem, inſutis illis in tunicam: induraque ipſa, mandaſſe cognatis vt ſic eum humarent: neque corpus comburerent, aut alium vllum cultum adhiberent, metuens, vt apparet, ne aliqua ratione auro illo ſpoliaretur. In verba quoque illa incidi, quae interpretatur Cicero non multo ſupra hunc locum, in extrema ſcilicet diſputatione de contemptu mortis, antequam de humatione & ſepultura diceret, ait enim. Quid Cyrenaeum Theodorum, philoſophum non ignobilem, non ne miramur? cui, cum Lyſimachus Rex crucem minaretur. Iſtis quaeſo, inquit, iſta horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil intereſt humi ne, an ſublime putreſcat. Sunt autem Graeca haec ipſa in Graecorum commentariis, quae maximi animi vir, & omni hoc errore ſoluti, pronunciauit. καὶ τί Θεοδώρῳ μέλει, πότερον ὑπὲρ γῆς, ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται. Cum autem Cicero vere Theodori ſententiam reddiderit, eſt tamen in Graecis illis neſcio quid lepotis, ac venuſtatis, quod, niſi fallor, exprimere ille non potuit: habet enim elegantiae non parum, quod ſeruata eadem voce: praepoſitioneque tantum immutata, contrarias res edidit. quorum altera expeteretur: altera vero vehementer reformidaretur.

Idem valere apud Ciceronem, In ſtrepitu exaudiſſe, quod valet apud Plautum, quaſi per nebulam audiſſe. Declaratumque M. Tullium quoque dixiſſe, quaſi per caliginem videre, ſublata macula, quae modum hunc loquendi obſcurabat.

CAP. XIIII.

QVOD Cicero in epiſtola quadam ad Atticum inquit, familiari quodam vernaculoque ſermone. In ſtrepitu videor exaudiſſe, idem (niſi fallor) valet, atque illud Plautinum, cum induxit poëta ille in Captiuis Tyndarum, qui paulo ante cognitus erat, ita loquentem. Nunc aedepol demum in memoriam regredior audiſſe me quaſi per nebulam, Aegionem meum patrem vocarier: in ſtrepitu enim illic hanc vim habet, vt non firmiter id ſe exaudiſſe oſtendat, nec omnino aſſeueraturus ſit id ab eo prolatum eſſe: quae enim dicuntur, vbi multi ſtrepunt, ac clamitant, certo intelligi nequeunt; ſemperque dubij aliquid in animis noſtris reſtat, an dicta ſint. per nebulam autem audire videtur ab alio ſenſu traductum: vt enim quae per nebulam videmus incertiora ſunt: nec plane ipſa perſpicere poſſumus, ita etiam quae illo pacto audimus propter ſimilitudinem, vt obſcura incertaque capiuntur. nam nebulam ſenſum oculorum, non aurium impedire certum eſt. ſed tamen conſuetudo obtinuit, vt per nebulam audire, quemadmodum per nebulam videre diceretur. tunc ſcilicet, cum id non plane auribus accepiſſe videmur. Cicero autem, niſi fallor, quod Plautus per nebulam vocauit, ſignificare volens, per caliginem dixit: ita enim arbitror locum hunc e xij. Philippica interpungendum. Quod videbam equidem, ſed quaſi per caliginem: praeſtinxerat aciem animi D. Bruti ſalus: ſignificat enim vidiſſe ſe ſtatim a principio eius rei, Antonij cauſam agi ab amicis eius, non publicam: non tamen id acute, ſubtiliterque vidiſſe, ſed obſcure, vt viſuntur res, quae per caliginem aſpiciuntur: ſtatimque rationem reddit, cur qui acumine ingenij omnia contemplari conſueſſet, id non perſpexerit: traditque offeciſſe luminibus ſuis D. Bruti ſalutem: adeo enim cupidum fuiſſe ex obſidione illum, periculoque eximendi, vt aſtutum conſilium, dolumque fautorum Antonij non penitus cognorit. in excuſis libris nulla nota interpunctioque collocata eſt poſt verbum, caliginem. in quo exiſtimo peccatum.

Correctus locus in primo libro de diuinatione: declaratumque auctoritate Graecorum, Iamidas familiam fuiſſe illuſtrem arte augurandi.

CAP. XV.

LOCVS hic Ciceronis e primo libro de diuinatione (vt opinor) vitio non caret: idemque etiam auctoritate Graecorum ſcriptorum, poteſt emendari: vbi enim legitur. Itemque Elis in Peloponneſo familias duas certas habet Ianundarum, vnam: alteram, Glutidarum, auſpicinae nobilitate praeſtantes, peccatum eſt in nomine prioris familiae: ac pro Ianuodarum, Iamidarum legi debet. non mirum autem eſt lapſos librarios ob ſimilitudinem harum dictionum. Clemens igitur Alexandrinus in primo Stromate inquit. Καὶ Ἴαμος ἀρκὰς ἠλεῖος: ἀφ' οὗ οἱ Ἰαμίδαι. Pauſanias quoque in Laconicis non longe ab Hellenio vico narrat monimentum extare, quod vatibus

exaedificatum ſit, qui ex Elide venerint, ac vocentur Iamidae. Idemque in poſteriore libro Eliacorum, eorundem mentionem fecit, his verbis. Οἱ δ' Ἰαμίδαι καλούμενοι μάντεις, γεγόνασιν ἀπὸ Ἰάμου. τὸν δὲ εἶναι παῖδα Ἀπόλλωνος, καὶ λαβεῖν μαντικὴν φασὶν ἐν ἄσμασι Πίνδαρος. Sed etiam Herodotus in vltimo libro ſuarum hiſtoriarum meminit Iamidarum his verbis. Ἕλλησι μὲν, Τισαμενὸς Ἀντιόχου ἦν ὁ θυόμενος: οὗτος γὰρ δὴ εἵπετο τῷ στρατεύματι τούτῳ μάντις, & quae ſequuntur. Sed accurate in primis copioſeque totam rem exponit Pindarus in vj. ode Olympiorum, qua Ageſiam Syracuſium ornat: eum enim originem ducere oſtendit a familia Iamidarum, cuius etiam familiae ducem, auctoremque Iamum, ex Euadna Apollineque natum, celebrat. vndeque ille ita vocatus ſit, aperit: a violis namque, quae ἴα dicuntur, ipſum appellatum tradit. cum vero ex Apolline natus ſit, eum poſteroſque praeſtantes futuros affirmat ſcientia exta interpretandi: gloriamque illius gentis numquam finem habituram.

Defenſa compoſitio Ciceronis pro Archia, declaratumque vacare ea culpa illuſtrem illic locum, cuius inſimulat ipſum Quintilianus.

CAP. XVI.

Q VINTILIANVS in ix. libro, vbi de conſtruendis verbis diſputat, & quae vitia in ea re fugienda ſint, oſtendit, hoc etiam addit. Sed plurimum refert compoſitionis, quae quibus anteponas. nam &: Vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum & totum tribunal impleuit. & contra. Saxa atque ſolitudines voci reſpondent: beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt. magis id inſurgebat, ſi verteretur. nam plus eſt, Saxa quam beſtias commoueri: ineſt tamen compoſitioni decor. tradit igitur in conſtructione verborum hoc etiam animaduertendum eſſe, quod ad vim ſententiarum, non verborum ſonum, numeroſque pertinet, vt poſterior res, & quae adiungitur grandior ſit: ac denique, vt ipſe loquitur, inſurgat. cumque id a Cicerone ſeruatum eſſe oſtendat in ij. Philippica: maius namque eſt. totum tribunal impleuiſſe, quam gremium ſuum, vomentem: in oratione pro Archia id cuſtoditum non eſſe ſignificat: cuius etiam rei rationem reddit dicens. Nam plus eſt ſaxa quam beſtias commoueri: neque tamen Cicero, ſi diligenter attendimus, ſaxa commoueri dicit, vt accepit rhetor ille, ſed ſaxa atque ſolitudines voci reſpondere. quod, quin verum ſit, dubitari non poteſt: intelligit enim, quod a nobis quoque Graeco verbo in noſtrum ſermonem initio, ἠχὼ vocatur: latini optimi auctores reſonare imaginem dixerunt. quin ſaxa autem, & conualles, hoc faciant vocumque ſimulacra reddant, dubium non eſt: cum tamen alterum, quod addit, incertius ſit: & a quibuſdam etiam non ſine cauſa negetur. cum igitur Cicero, quod conſtat, ſaxa voci reſpondere dixerit: beſtias autem immanes cantu flecti, atque conſiſtere, auxit manifeſto rem, neque eſt hoc accommodatum exemplum ei, quod oſtendere voluit Quintilianus: nec laborat vllo pacto locus hic ea culpa, qua ipſe laborare ipſum affirmauit. nam culpa profecto fuiſſet, ſi grandi alicui magnoque, adderetur ad amplificandam rem, quod tenuius atque imbecillius foret. quod autem cantu beſtias immanes flecti atque conſiſtere Cicero dixit, videtur ſignificare, ſerpentes cantionibus a curſu reuocari, cogique manere, vt Virgilius locutus eſt, cum in paſtorali poëmate inquit. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis: ceruos autem equoſque paſtoriciis fiſtulis demulceri. quas tamen ſi intellexiſſet, immanes beſtias non appellaſſet: canoroſque e cauis ſuis euocari, eodem ſono delectatos, vt mullum etiam e profundo maris cantu ad ſummum trahi memoriae proditum eſt. quamuis doctiſſimus vir: maximuſque harum rerum inueſtigator in iij. libro de moribus ad Eudemum, verum hoc eſſe credere non videatur. ac ſi vnquam huiuſcemodi aliquid contigerit, portenti ſimile putat. cum affirmet non commoueri beluas, aut aſpectu rerum pulchrarum: aut auditu concentuum vllorum, aut ſi aliquantulum animi ipſorum his rebus immutantur, id vim nullam, aut pondus habere,

Quaeſtio de loco quodam Euripidis, qui videtur mendoſus.

CAP. XVII.

E VRIPIDIS ſenarius eſt ex Hippolyto coronato, quo chorus percunctatur e nutrice Phaedrae, cum accepiſſet reginam abſtinere a cibo, quo conſilio illa id faciat. πότερον ὑπ' ἄτης, ἢ θανεῖν πειρωμένη. vereor autem, ſuſpicione quadam ductus, ne macula ſit in verbo, ἄτης. legique debeat pro illo, immutata vna tantum littera, ἄσης: neque enim video quid, ἄτη, illic valere poſſit, diuerſum ab eo, quod adiungitur: quodque impellat ipſam ad mortem: niſi enim aliquid aduerſi accidiſſet,

non

non decreſſet mori. intelligitur hoc igitur (niſi fallor) in conſequente re, quae & ipſa exiſtimatur interitus cauſa regioae eſſe potuiſſe. quare ſi, vt indicaui legeretur, res procederet. eſt enim ἄση, faſtidium quoddam cibi ſatietaſque, vt ſcilicet audito, illam ſpatio trium dierum cibum non ſumpſiſſe, chorus interrogarit. abſtineat ne ſe, quod taedium ceperit ipſam epularum, quomodo affici, qui repleti nimis ſunt, conſueuerunt: an quod a vita per inediam diſcedere velit? haec (vt verum fatear) mera coniectura eſt: neque enim, cum libros etiam antiquos conſuluerim, quicquam illic variatum inueni, non contemnenda tamen, vt arbitror. totum igitur eruditis, acutiſque viris proponere volui, qui diligenter animaduerſa re, quid ſentiri de hoc debeat, ſtatuent. Plutarchus in commentatio, quo quaerit vtrae animantes prudentiores, eae ne quae in terris, an quae in aquis viuunt, faſtidio hoc cibi aliquando vrſas affici ſolere narrat: & quod remedium huic morbo adhibeant docet: ἀλύειν autem, quae taedio hoc teneatur appellat dicens. ἄλυς δ᾽ ἀσώδης ἐμπεσὼν περὶ τὰς μορφὰς τρέπεται, καὶ κάμνουσι, περιελθόντος λυπουμένου, καὶ μαλακίας ἐμπεσούσης τῆς γλώττης ἔχεις ἃ μαρμηκιάς ἀναπλέως γέμουσι: καταπίνοντες ὑγιεῖς, ὠφελοῦνται. Plinius quoque remedij huius meminit, quamuis morbum alium ſanare tradat: in octauo namque libro ait. Vrſi, cum mandragorae mala deguſtauere, formicas lambunt. niſi forte eius horum malorum cauſa eſt faſtidij illius. Apud Herodotum autem in primo libro hiſtoriarum moleſtiam aegritudinemque animi videtur hoc verbum ſignificare, quo loco rationem reddit, cur Perſae natos ex ſe intra quinquennium videre nollent, ſed mulieribus alendos, procul a conſpectu ſuo, tradant: inquit enim. ἵνα, ἢν ἀποθάνῃ τρεφόμενον, μηδεμίαν ἄσην τῷ πατρὶ προσβάλῃ. Non oportere autem penitus caſtigationem hanc deſpicere, quamuis veſtigia ipſius in vetuſtis exemplaribus non appareant, declarat quod alij itidem loci, manifeſto mendoſi in excuſis, ne illic quidem integri ſunt: ſunt enim maculae quaedam, quae multa ſecula manſerunt. vt cum in fabula eiuſdem tragici, cui nomen eſt Ion, nunc legatur: ὁ δ᾽ ἐπὶ θυμέλας ἄλλος ἐρέσσει κύκλος· οὐκ ἄλλᾳ φοινικοφαῆ πόδα κινήσεις; neque ſolum in excuſis, verum etiam in ſcriptis, quos vidi: vidi autem plures: & eos quidem multis partibus meliores, quam excuſos, quis non intelligat, qui diligenter attendat, κύκνος, non κύκλος, legendum eſſe: loquitur enim Ion ipſe, qui aedituus erat, & iniquo animo ferebat inquinari ab auibus templum Apollinis: vnde minatur illis. primum autem voce abigere conatur aquilam: deinde cycnum: nec contentus verbis petit arcum. omne autem poëtae artificium, & quam accommodatus ille locus ſit hiſtrionibus, accurate docuit Phalereus in libro περὶ ἑρμηνείας: vbi recte ſcriptum eſt κύκνος.

Ledam, Helenae matrem, in leaenam verſam dictum ab Euripide: virginemque item e genere Titanidarum in ceruam mutatam Dianae voluntate.

CAP. XVIII.

IDEM tragicus in fabula, ab Helena vocata, illam ipſam inducens deplorantem res aduerſas Troianorum; excidiumque opulentae quondam vrbis, in fletu gemituque illo facit eam conuerſo ſermone ad Calliſtonem, Arcadicam virginem, fortunatiorem ipſam fuiſſe dicere matre ſua Leda, quae in leaenam verſa ſit. Huius autem Ledae μεταμορφώσεως, mentio nulla facta eſt a Latinis, quod ſciam. nam qui plurimas collegit: poëmaque de illis confecit, Ouidium ipſam arbitror reliquiſſe. non nullae praeterea, quae adhuc in commentariis Graecorum leguntur, ad aures Latinorum non venerunt: nec a noſtris poëtis celebratae ſunt. Videndum praeterea quam intelligat eruditus idem poëta: ſtatim enim apud eum Helena, in illa ſua ſententia permanens, inquit beatiorem quoque fuiſſe virginem, e genere Titanidarum Meropis filiam, quae a Diana eiecta ſit e choro: in ceruamque verſa ob eximiam pulchritudinem. verba Graeca, quae edit haec ſunt. ὦ μάκαρ Ἀρκαδίᾳ ποτὲ παρθένε, Καλλιστοῖ, Διὸς ἃ λεχέων ἐπέβας τετραβάμοσι γυίοις Ὡς πολὺ ματρὸς ἐμᾶς ἔλαχες πλέον Ἃ μορφᾷ θηρῶν λαχνογυίων Ὄμματι λάβρῳ σχῆμα λεαίνας Ἐξαλλάξασ᾽ ἄχθεα λύπης Ἅν τέ ποτ᾽ Ἄρτεμις ἐξεχορεύσατο Χρυσοκέρατ᾽ ἔλαφον Μέροπος Τιτανίδα κούραν Καλλοσύνας ἕνεκεν. Significare enim videtur huic quoque poſteriori ſtuprum illatum: vnde a caſta Dea exturbata e choro gregeque ſuo, ac poena illa affecta ſit.

Diſputatur de more dialogorum: in quibus finguntur aliqui locuti inter ſe, quae numquam locuti ſunt.

CAP. XIX.

IN epiſtola, quam miſit ad M. Varronem libros ſuos Cicero Academicarum quaeſtionum. in quo ſermone ipſum illum doctiſſimum virum diſputantem induxerat, cum eo ita familiariter locutus eſt. Puto fore, vt cum legeris, mitere nos

id locutos eſſe inter nos, quod numquam locuti ſumus, ſed noſtri morem dialogorum: qui enim aliquos ſermones habitos ab aliquibus faciunt, non quae illi dixerint, ipſis tribuunt, ſed ea quae viſum fuerit auctoribus earum diſputationum: conantur tamen quantum poſſunt, facere vt quadrent ſententiae perſonis, quae ipſas edere finguntur. quod perſuaſit Ciceroni vt damnaret primos duos illos ſuos de his rebus ſermones: neque enim hominibus non omnino eruditis: verſatiſque diu in tam acutis ſtudiis, conueniebant tam ſubtiles diſputationes. id igitur quod Cicero aperte confeſſus eſt ſe feciſſe, pronuntiauit, vt memoriae proditum eſt, Socrates. cum enim audiſſet Platonem ipſum recitantem ſermonem, quem ſcripſerat de amicitia, vocatum Lyſin, admirans inquit, Vt multa de me mentitus eſt hic adoleſcens: non pauca enim numquam a Socrate prolata ſcripſit, ac perſonae ipſius falſo attribuit: neque tamen hoc intellexit Socrates, peccaſſe Platonem aliqua in re: ſententiaſque abhorrentes a iudicio ſuo ſibi aſſignaſſe, ſed tantum locutum eum cum aliis, qui in eo ſermone inducebantur, quae numquam locutus fuerat, atque eo libentius (vt ſuſpicari licet) ſanctiſſimus ſenex amouit a ſe ſentententias illas, quia prima pars eius ſermonis conſumitur in laſciuo delicatoque amore ornando. Hoc autem, quod retulimus Socratis dictum, memoriae prodidit Laërtius in vita Platonis. longe autem alio animo exiſtimari poteſt Gorgias Leontinus in illum dixiſſe, quod ſertur pronuntiaſſe, lecto ſermone Platonis, quem ab ipſo inſcripſerat. traditum namque a nonnullis eſt Gorgiam conuerſum ad eos, qui praeſentes aderant, affirmaſſe nihil eorum ſe neque protuliſſe: neque audiſſe a Platone. prorſus enim ille ſtuduit opiniones eas iudiciaque de illis rebus a ſe amoliri: mendaciique arguere, quod a maleuolo animo proficiſceretur. cum alij tradant eum dixiſſe. egregie ſcire Platonem laedere quos velit: ac notas inurere aduerſariis. verba Graeca haec fuere. ὡς καλῶς οἶδε Πλάτων ἰαμβίζειν.

Diuerſa hiſtoria de Annibale memoriae prodita declaratur.

CAP. XX.

LONGE alia fama de Annibale: contrariaque inter ſe, monimentis litterarum prodita eſt: ſunt enim ſcriptores, qui neſarij facti: & quod omnem inſitam in animum ipſius crudelitatem ſuperet, eum inſimulent: ſunt contra, qui id, vt nimis ſaeuum, atque inhumanum, quamuis rebus ſuis vtile intelligeret, repudiatum ab eo tradant. vt autem rem ipſam apertam, & qui auctores ſint tantopere inter ſe pugnantis memoriae indicem, ita enim facilius de re ipſa veritateque exiſtimari poterit, Porphyrius Tyrius in ij: libro περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, narrat quendam extitiſſe, qui Annibali, cum exercitu in Italiam venienti, ſuaſerit, vt aſſueſaceret eum humana carne veſci, ne penuria cibi vmquam laboraret. quod tamen conſilium ſpretum ſit. nam patrem etiam ipſius Amilcarem narrat nouo ſupplicio affeciſſe ſuperatas a ſe bello copias mercenariorum, quia id ſcelus auſae fuerant: & corporibus primum ſuorum in proelio interfectorum. deinde captiuorum: poſtea ſeruorum vitam tolerauerant, vt non veriti etiam ſint poſtremum ſorti committere ſe ipſos: ac quorum nomina exibant, cibos fiebant reliquorum. Hos igitur ille inopia domitos, agmine elephantorum contriuit. nec fas eſſe iudicauit manibus hominum contingi, qui omne humanum ius violaſſent. T. Liuius contra in oratione, quam facit habitam a Romano conſule poſt Cannenſem pugnam ad legatos Campanos, cum de immanitate exercitus Annibalis loqueretur, quae & naturalem ortum habebat, & artificio etiam ducis aucta erat, commemorauit hoc etiam ipſum excogitaſſe ad efferandos animos eorum, & omni ſaeuitia imbuendos. quod multum valebat ad eos in fide, ac ſocietate Romana retinendos. verba auctoris haec ſunt. Poenus hoſtis, ne Africae quidem indigena, ab vltimis terrarum oris, freto Oceani, Herculiſque columnis, expertem omnis iuris, & condicionis, & linguae prope humanae militem trahit. Hunc natura immitem: moribuſque ferum, inſuper ipſe dux efferauit, pontibus, ac molibus ex humanorum corporum ſtrue faciendis: &, quod proloqui etiam piget, veſci humanis corporibus docendo, & quae ſequuntur. Aut igitur Romanus conſul, mendacio tempori illi apto, augere feritatem hoſtium voluit: aut Porphyrius in ea re tradenda, quae falſa foret, propoſito illi ſuo ſeruiuit. qui non ſolum ab humanis corporibus abſtinendum putabat, ſed necaſe animantes vllas, epularum cauſa, rectum eſſe non exiſtimabat. nam incendere etiam potuit Amilcarem ad atrociter vindicandum in reliquias illius exercitus perfidia ipſorum, atque obſtinatio animorum: generoſi enim quoque populi ne traderent ſe hoſtibus, id etiam ferunt feciſſe: quod libertatis defendendae cauſa, laudi potius quam vituperationi datum eſt. Diuerſi etiam ſcriptores diuerſo modo eam rem memoriae mandare potuerunt.

Defenſa vetus communiſque lectio loci cuiuſdam ex epiſtola ad Atticum, qui ſine cauſa mendoſus a quibuſdam exiſtimatus eſt.

CAP. XXI.

LOCVM, quem adſcribam, Ciceronis ex epiſtola quadam ad Atticum viij. libri libet explanare, quia video a nonnullis eum temptatum, ac falſo mendi inſimulatum. eſt autem vbi capto Corfinio, pulſoque ex Italia Cn. Pompeio, petit diligenter a Pomponio, vt explicet plane ſuum conſilium de officio ipſius erga Cn. Magnum, vt penitus intelligat. inquit igitur. Omnia ſunt integra nobis. nihil praetermiſſum eſt, quod non habeat ſapientem excuſationem, non modo probabilem. nam certe, neque tum peccaui, cum imparatam iam Capuam, non ſolum ignauiae delectus, ſed etiam perfidiae ſuſpicionem fugiens, accipere nolui: neque cum poſt condiciones pacis per L. Caeſarem, & Fabatum allatas, caui ne animum eius offenderem, cui Pompeius iam armatus armato conſulatum, triumphumque, deferret. & quae ſequuntur. Omnis autem res in eo poſita eſt, quod Cicero ſtudet probare ſe officio boni ciuis non defuiſſe: nihilque non feciſſe, cuius non veram iuſtamque cauſam afferre poſſet: eo enim nomine tunc laborabat, tamquam non nulla officia praetermiſiſſet, quae ab ipſius perſona merito requirebantur. tria autem ſunt tempora, quae purgat. omnibus namque illis videbatur quibuſdam inclinatior fuiſſe in amicitiam C. Caeſaris; quod igitur ait. omnia ſunt integra nobis. ſignificat ſe a culpa vacuum, nec quicquam praetermiſiſſe, quod iure optimo Pompeius accuſare poſſit. in quo enim illius auctoritati primum non paruit, cum Capuam, omnemque eam regionem procurare recuſauit, docet ſe excuſationem habere, quae non ſolum probari poſſit, verum etiam declaret eum ſapientem fuiſſe, ac ſummo conſilio vſum. quid autem timuerit, breui oſtendit dicens, ſe fugiſſe id munus ob ſuſpicionem, quae animo ipſius haeſerat ignauiae delectus: ſuſpectum enim habebat delectum illum (ei autem curae in primis praeponi debuit, vt verba haec teſtantur. Ad quem delectus, & ſumma negotij referatur) quia intelligebat impigre nomina daturos contra Caeſarem, a quo agrum acceperant. vt ſupra etiam aperte narrat. Me Pompeius Capuam venire voluit, & adiuuare delectum: in quo parum prolixe reſpondent Campani coloni. Hanc igitur pigritiam, parumque prolixam in eas partes voluntatem, appellat ignauiam. ſed addit aliud etiam maius malum ſe ab illis timuiſſe. ne ſi forte vti illis copiis aliquando Reſp. voluiſſet, illi fidem fallerent, obſtricti tantis beneficiis Caeſaris. in hac igitur parte videtur omnis ſcrupulus fuiſſe. nam ſecundum tempus, quod in ſuſpicionem venire potuit aperte defendit: vexabatur autem maledictis multorum, quod nimis honeſte de cauſa Caeſaris in epiſtola ad illum locutus eſſet: quodque ſapientiam ipſius admirabilem dixiſſet. atque alia talia. vnde Pomponius epiſtolam eam peruulgatam eſſe moleſte tulit, vt ſupra traditum eſt. tuetur autem tempus illud, quod non aduerſatus acriter ſit Caeſari: cupiditatemque ipſius accuſarit exemplo Pompeij ipſius. Tertium eſt, quod paulo ante praeterierat. vnde adiungit ſuperioribus. Nec vero haec extrema quiſquam poteſt iure reprehendere, quod mare non tranſierim. Sed ne in hac quidem expoſitione rerum difficultas vlla manet. Siquis igitur diligenter attendat manifeſto intelliget non purgare ſe Ciceronem, quod quaedam fecerit, quae non oportebat: ſed contra quod nonnulla non fecerit, quae ab eo expectabantur, qua de cauſa ſupra inquit. nihil praetermiſſum eſt. nam quod videri potuit non nihil illius negotij attigiſſe, quod ſine vlla dubitatione Pompeius tractari ab ipſo volebat, non ſequitur, vt totum onus Cicero ſuſceperit. imparatam autem Capuam vocauit, quia nullum illic primum praeſidium erat. particula iam, quae ſtatim ſequitur, valet, vt opinor illo ipſo tempore vrbem eam ſine praeſidio fuiſſe. nam initio illic copiarum aliquid fuit, quod poſtea inde abductum a Cneo eſt.

Deleta macula ex oratione pro L. Flacco.

CAP. XXII.

CICERO pro L. Flacco. Quod ergo vnus Aſclepiades: fortuna, egens: vita, turpis: exiſtimatione, damnatus: impudentia, atque audacia fretus, ſine tabulis, ſine auctore legerit, id nos quaſi crimen, aut teſtimonium pertimeſcamus? In excuſis libris hic locus non ſine cauſa, notula adpoſita, mendoſus eſſe iudicatus eſt. ipſe quid de illo exiſtimem: quomodoque corrigi poſſe putem, coniectura quadam ductus, aperiam: arbitror enim vitium eſſe in verbo illo legerit, quod ſi pro ipſo ponatur, iecerit, duabus litteris immutatis, quarum altera, figura: altera vero, ſono priori ſimilis eſt, omnis fortaſſe macula ſublata erit, cum tamen caſtigationis huius veteres libros

auctores, teſteſque, non habeam, non omnino illi confido, totamque rem ingenioſis eruditiſque hominibus ponderandam trado. ipſe certe pro Cn. Plancio eodem pacto locutus eſt. Iacis adulteria, quae nemo non modo nomine. ſed ne ſuſpicione quidem, poſſit agnoſcere. Sed etiam iacere contumeliam idem dixit. quod & ipſum valde ſimile huic eſt. Lapſos autem ſaepe fuiſſe librarios in prima littera fingenda propter ſimilitudinem, quam habet cum altera illa, facile animaduertere potuere, qui ſtudij aliquid poſuerunt in conferendis cum antiquis libris bonis auctoribus. nam locus hic Plauti e Pſeudolo nullo alio vitio laborabat. Nam ego in meo pectore prius ita paraui copias Duplices triplices dolos perfidias, vt vbique cum hoſtibus Congrediar maiorum meum fretus virtute, ne mei Dicam induſtria: legendum enim eſt, maiorum meûm. Ne videatur autem alicui durum contraxiſſe poëtam antiquo more haec nomina, eodem pacto locutus eſt in Perſis, ore paraſiti a quo haec eduntur. Pol deûm virtute dicam, & maiorum meûm. Ne te indotatam dicas. Nolo etiam praeterire, quin indicem locum hunc orationis pro P. Quintio. Ita fit, vt ego, qui tela depellere, & vulneribus, mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum aduerſarius nullum iecerit. aliter legi in calamo ſcriptis exemplaribus. iegerit enim in pluribus, quae vidi ſcriptum eſt, non iecerit: quod certe multum valet ad declarandum, quod docui, immutari ſolitas imperitia librariorum has litteras: confirmandumque iudicium meum, qui arbitror ſuperiore in loco pro legerit, ſcribi oportere iecerit, ſiue pro Quintio peruulgata locutio retinenda eſt, vt puto: ſiue pro illa vetuſtior reponenda. in quoſdam etiam excuſos libros ſuperiore aetate manauit illa lectio: nec ſolum eo loco, ſed paulo etiam infra iterum: habent enim idem. Quaſi venenatum aliquod telum legerint: correctum autem ab aliquo de opinione arbitror, vt in poſtea excuſis legitur.

Diſputatio de ſententia quadam Ciceronis pro Milone, vbi iudicij Oreſtis meminit, qui a Minerua, diſſentientibus inter ſe iudicibus, maternae caedis abſolutus eſt,

CAP. XXIII.

M. Cicero ante quam cauſam Milonis exponeret, atque argumentis confirmaret, quae ab inimicis rei, atque improbis ciuibus ſaepe in ſenatu contioneque iactata erant, contra ſalutem ipſius, refutans inquit. Itaque hoc Iudices non ſine cauſa fictis fabulis doctiſſimi homines memoriae prodiderunt, eum qui patris vlciſcendi cauſa, matrem necauiſſet, variatis hominum ſententiis: non ſolum diuina: ſed etiam deae ſapientiſſimae, ſententia liberatum. Primum enim eorum, quae iactabant, erat, non eſſe fas intueri lucem ei, qui a ſe hominem occiſum fateatur. Videtur autem hoc ſumptum eſſe ex oratione Demoſthenis contra Ariſtocratem, quo loco ita loquitur. exiſtimare ſe illos, qui primi legem tulerunt de nece hominis, accurate ſecum quaeſiſſe, num omnis mors alicui illata, ſcelus in ſe haberet, an contra quaedam eſſet, quae non contaminaret, ſed puros mundoſque auctores caedis relinqueret. cum autem ſecum cogitaſſent Oreſtem, qui matrem interfecerat: nec factum inficiabatur, iudicibus diis immortalibus, elapium, ſtatuiſſe necem quandam iuſtam eſſe. nam idem hoc iudicium Cicero intelligit, quamuis perſonam nomine non appellet, vt Demoſthenes fecit. fortaſſe etiam Aeſchylum ſignificat, qui totam rem diligenter in Eumenidibus complexus eſt. variatas enim ſententias hominum M. Tullius vocat, quae fuerunt inter ſe magnopere diſcrepantes: dimidia enim pars abſoluebat: dimidia vero condemnabat. id autem videns Minerua ipſa auxilium tulit Oreſti, ac ſuo ſuffragio illum liberauit. quod tangit Cicero, affirmans matricidam non ſolum diuina, ſed etiam ſapientiſſimae Deae ſententia liberatum: primae enim ſapientiae inter Deas huic ſine controuerſia deferebantur. apud Aeſchylum autem ipſa ita eo tempore loquitur, Ἐμὸν τὸ δ᾽ ἔργον, λοισθίαν κρῖναι δίκην· Ψῆφον δ᾽ Ὀρέστῃ τήνδ᾽ ἐγὼ προσθήσομαι. Hunc autem Ennij verſum Eumenidibus, qui legitur apud Nonium. Dico viciſſe Oreſtem: vos ab hoc faceſſite, affirmarim a Minerua itidem pronuntiatum, Oreſtem abſoluente; ac furias, quae ipſum agitabant, ab eo abigente,

Deleta macula e M. Varronis loco de lingua Latina, vbi docet, qua de cauſa, qui lumen affert, dicatur lucere.

CAP. XXIIII.

LOCVS hic M. Varronis e vj. libro de lingua Latina ſic legitur in excuſis nunc omnibus libris, Aldinum certe exemplar. quaeque illud tempore conſecuta ſunt, ita habent, Qui ad lucet dicitur lucem abluere: & luce diſſoluuntur

tenebrae

tenebrae. multis autem modis hic peccatum eſt, vt ſpero me probaturum. In antiquiſſimo autem libro, vt in iis etiam, qui ſuperiore aetate impreſſi formis ſunt (niſi fallor) hic locus, aut integer incorruptuſque eſt: aut, ſi maculae aliquid reſtat, tenuia illa eſt, & quae nullo negotio elui poſſit: hęc enim illi habent. Qui adlucet dicitur lucere abluere, quae ſequuntur. quare, ſi praepoſitionem ab ſepares a verbo indefiniti temporis, cui perperam illic haeret, omne mendum ſuſtuleris: vt vera prorſus lectio haec eſſe intelligatur. Qui adlucet dicitur lucere, ab luere. non docuit igitur vir doctiſſimus, quid valeat lucem abluere, quod fortaſſe numquam dictum eſt a vetere aliquo ſcriptore: neque rationem iuncti eius verbi adlucet, explicat: eſt enim illud vna cum pronomine, declaratio ſimplicis verbi, ſed propoſitum ipſi eſt oſtendere vnde lucere dictum ſit. primum autem declarat, qui dicatur lucere: quod dicebatur de illo, qui adlucet: ideſt lumen affert: lucere autem ipſum nominatum vult ab luere. quod valet diſſoluere. quae autem illic diſſolutio fiat ſtatim ſignificat, adiungens. & luce diſſoluuntur tenebrae. vt autem haec explicatio huius verbi probabilis eſt, ita ratio illa, quae tradebatur ea lectione, inluſa, & ridicula: ſi valet abluere, quod valere ſolet. quam apte vero lux ablui dici potuerit, omnes (vt arbitror) intelligunt. non reſpondere etiam, quae ſequuntur, huic notioni huius verbi apparet. Quin putet autem ipſe lucere ſignificare diſſoluere, dubitandum non eſt: teſtimonia namque hoc ipſius planum fit: in v. enim libro vbi docet, vnde dictae ſint falces ſumariae, inquit. Lumariae ſunt, quibus ſecant lumecta, ideſt cum in agris ſerpunt ſpinae, quas ab terra agricolae ſoluunt. ideſt luunt, lumecta. item vbi vnde vocatum ſit lucrum. Lucrum inquit ab luendo, ſi amplius quam vt exſolueres quanti eſſet, ceptum. Praeterea in hoc ipſo libro ſupra. quo loco luſtri etymon affert. luſtrum nominatum tempus quinquennale a luendo. ideſt ſoluendo. Poſſe autem lucere, id quod Varro indicat: ipſeque ſupra declaraui, vt Plauti multis exemplis, ita etiam auctoritate ſuauiſſimi epigrammatis confirmatur, quod a Valerio Aedituo ſcriptum, apud Gellium legitur: initium enim eius eſt. Quid facu- lam praefers Phileros? qua nil opus nobis Ibimus: hic lucet pectore flamma ſatis.

PETRI

Locus in Oratore emendatus. vbi de priſca ſcribendi ratione Cicero diſſerit: declaratumque tres Graecas litteras ſaepe inter ſe locum commutare.

CAP. III.

LOCVM hunc Ciceronis ex Oratore puto corruptum eſſe, cum enim in excuſis nunc paſſim ita legatur. Purrum ſemper Ennius, numquam Pyrrhum. Vi pateſecerunt Fruges, non Phryges, ipſius antiqui declarant libri. arbitror ſcribi debere. Burrum ſemper Ennius: & Vi pateſecerunt Bruges. atque id, & verbis Ciceronis ipſius, quae ſtatim adiungit, motus: & teſtimonio Quintiliani: qui in primo libro, vbi de litterarum immutationibus diſſerit, inquit. Sed b. quoque in locum aliarum dedimus aliquando. vnde Burrhus, & Bruges, & Belaena. nec non eadem fecit ex duello bellum. vnde Duellios quidam dicere Bellios auſi. oſtendit igitur manifeſto Quintilianus b. in locum aliarum tranſire ſolitam: primumque in p. deinde in φ. nec non pro duabus etiam du aliquando accipi ſolitam. cum autem exemplis primae mutationis vtatur duobus illis nominibus, quae Cicero quoque ponit, Ennij conſuetudinem exiſtimare debemus eum reſpexiſſe: nominaque in poëmate illius poſita intellexiſſe. Idem etiam indicauit Sex. Pompeius in ij. libro ſcribens. Balaenae nomen a Graeco deſcendit. hanc illi φάλαιναν dicunt. antiqua conſuetudine: qua πύῤῥον, Burrhum: φρύγας Brugum dicebant. vnde etiam ſuſpicari licet apud Quintilianum in ſuperiore loco pro Belaena Balaena legi debere. Sed cum Cicero addat: Nec enim Graecam litteram adhibebant, nunc autem etiam duas. in poſteriore nomine (niſi fallor) aliter duae Graecae litterae vitari nequeunt, niſi immutetur φ in aliam litteram. vt illic in b. verſa eſt. nam qui, ſi Fruges pro φρύγας ſcriberetur, crederet ipſam immutatam, meo iudicio peccaret: neque enim ſonus ipſius immutatus, ſed forma tantum. quod ſi in locum eius b. ponimus, tunc vere illam immutatam dicere poſſumus: ſonus namque variatus eſt. vicinitas autem harum litterarum: quodque ſuo iure poſſint inter ſe locum commutare, perſpicitur etiam inde, quod Athenaeus in xiiij. libro affirmat eandem nucem, tribus modis in prima littera variari. fratres namque, qui ſcripſerant de rebus ruſticis ſecutos Syros, vbi naſcebantur, tradit piſtacia appellare: Nicandrum vero in Georgicis ſuis aſpirata eadem littera phiſtacia. Poſidonium autem biſtacia. nam quod hunc ipſum Stoicum citat: locumque e iij. libro hiſtoriarum, quas ille ſcripſit, adducit, in quo arboris huius natura, nucíſque diligenter deſcribitur, tollendum illinc ſcripturae erratum eſt: cum enim legatur in impreſſis Athenaei exemplaribus. τὰ ἀπ' ἀὐτῶν ἐγχλωρον, καὶ τῷ κώνῳ τῷ τῆς στροβίλου, ἔλαιον μὴ ἔχομεν: ὄντα τὸ ἀρωμάτων. manifeſto ſcribi debet κώνῳ, ſublata media diphthongo: quid enim hoc faciat cicuta, quam vox illa oſtendit? quos autem conos a forma vocet, apertum eſt. vnde etiam Catullus conigeram pinum appellauit. libenter autem monſtraui locum illum Poſidonij: vt enim perſpicere potui, egregie reſpondet rei ipſi deſcriptio, ac pictura illius ſtirpis: ipſe namque olim ſemen ex Alexandrea Aegypti allatum ſeui: idque in iuſtam arboris altitudinem creuit: cum igitur dicat ferre fructum vuarum more conglobatum, id e floribus cognoſci poteſt: qui racematim botryoniſque ſpeciem praebentes, funduntur. ob caeli tamen noſtri intemperiem magna ex parte cadunt: quique in nucem formantur, ad maturitatem ob eam rem apud nos non perueniunt. cetera ex nucibus ipſis poſſunt intelligi, quorum magna via huc importatur: cum gratae ſint in ſecundis delicatioribus menſis. Sed vt ad id redeam, de quo primum agebam, tranſire p. in b. apud veteres Latinos ſolitam, confirmatur etiam exemplo comicorum ſeruorum: quibus a colore capillorum nomen a Graecis impoſitum erat: cum enim πυῤῥίαι eo ſermone vocarentur, vt alij ξανθίαι. a Latinis hi Byrrhiae vocati ſunt. vt apud Terentium etiam ſcriptum eſt. qui inquit. ibi forte huius video Byrrhiam: nullam enim aliam huius nominis rationem video.

Cretam, qua in obſignandis litteris Aſiae populi vtebantur, videri eam eſſe, quam Herodotus γῆν σημαντρίδα vocauit.

CAP. IIII.

TERRAE cuiuſdam, qua pro cera vtebantur in litteris obſignandis Aſiae populi, meminit M. Cicero: illiuſque argumento amoliri crimen a L. Flacco, quem defendebat, conatus eſt. quod ſcriptum teſtimonium, quo reus valde premebatur, ceram haberet, non cretam, qua omnes illi homines, & in publicis, & in priuatis litteris, vti conſueſſent. vnde argumentabatur illud fictum & adulterinum

eſſe: cretam enim Aſiaticam appellat. eiuſdem quoque mentionem fecit Herodotus in Euterpe his verbis. καὶ ἔπειτα γῆν σημαντρίδα ἐπιπλάσας, ἐπιβάλλει τὸν δακτύλιον. loquitur autem de inſtitutis ſacerdotum Aegyptiorum, qui boues rei diuinae idoneos, & qui pro victimis recte caedi poſſent, antea diligenter ſpectabant. probatiſque notam hoc pacto apponebant: cum capitis poena plecteretur, qui bouem non a ſacerdote antea probatum: &, vt ipſe inquitut, ἀσήμαντον, imolaſſet. Animaduertendus praeterea mos veterum in eadem hac re: antequam enim litteras recitarent, iubebant aduerſus quos facerent, ne perfugij aliquid poſtea haberent: dicerentque fictas eſſe, cognoſcere ſignum. id ſignificauit Cicero in iij. contione in Catilinam: ait enim. Atque ibi vehementiſſime perturbatus Lentulus, tamen ſignum & manum ſuam cognouit. Sed etiam Salluſtius in eiſdem illis rebus narrandis. Igitur perlectis litteris, cum prius omnes ſua ſigna cognouiſſent, Senatus decreuit. & quae ſequuntur. Plautus quoque in Bacchidibus vbi dolum Chryſali exponit, & quemadmodum fallacibus litteris tetigerit imprudentem ſenem, oſtendit. Nunc haſce tabellas ferre me iuſſit tibi. orabat, quod illic eſt ſcriptum, fieret. cedo. ſed noſce ſignum. Noui. Xenophon in v. libro de rebus Graecorum narrat, cum Tiribazus litteras regis Perſarum lecturus eſſet, quod inſtitutum nos quoque ſeruamus, iis qui audituri eſſent, prius ſigna eadem de cauſa oſtendiſſe: haec enim eius verba ſunt. ἐπεὶ δὲ ſυνῆλθον, ἐπιδείξας ὁ Τιρίβαζος τὰ βασιλέως σημεῖα, ἀνεγίγνωσκε τὰ γεγραμμένα.

Notio Graeci huius nominis ἐκτροπαὶ explicata: indicatuſque M. Varronis locus, vbi id deprauatum erat.

CAP. V.

ΕΚΤΡΟΠΑΙ vocabantur a Graecis (niſi fallor) diuerticula. ideſt loca quaedam in viis, vbi errare, rectoque itinere digredi facile poſſent viatores. vſus eſt Ariſtophanes Βατράχοις hoc verbo, quo loco induxit Liberum patrem cum Hercule loquentem. Indutus namque Bacchus veſtitu Herculis: deſiderioque animi ſui ipſi expoſito, oſtendit cupere ſe ab eo intelligere, quibus hoſpitibus apud inferos vſus ſit, cum Cerberum extracturus eo acceſſit, nec non portus, reliquaque omnia, quae peregrinantibus accommodata ſunt. in quibus etiam ectropas has poſuit. cum metueret ne imperitus viae, erraret, tamquam omnia, quae hic iter facientibus venire poſſunt, ſub terra etiam vſu venirent: inquit igitur. λιμένας, ἀρτοπώλια, πορνεῖ', ἀναπαύλας, ἐκτροπάς, κρήνας, ὁδούς, πόλεις, διαίτας, πανδοκευτρίας, ὅπου κόρεις ὀλίγιστοι. riſum enim poëta mouere voluit, qui deum, tantum iter parantem, de his rebus ſollicitum fecit. Vſus etiam Aeſchines contra Cteſiphontem, ſed μεταφορικῶς. vbi ſcilicet admonuit diligenter iudices ne paterentur Demoſthenem in defenſione a cauſa diſcedere, atque aliquid extra rem afferre, ſed exitus clauderent: ipſique diuerticula omnia ſeruarent: Inquitur enim tamquam de fera, quae in ſaltu aliquo a venatoribus incluſa: retibuſque vndique cincta, conetur aliqua occulta via erumpere. verba ipſius, elegantiae plena, haec ſunt. καὶ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν ἔξω τοῦ παρανόμου λόγου περιίστασθαι, ἀλλ' ἐγκαθήμενοι, καὶ ἐνεδρεύοντες ἐν τῇ ἀκροάσει, εἰσελαύνετε αὐτὸν εἰς τὸν τοῦ παρανόμου λόγον, καὶ τὰς ἐκτροπὰς αὐτοῦ τῶν λόγων ἐπιτηρεῖτε. M. etiam Varronem hoc vocabulo vſum affirmarim: vt enim nullo negotio intelligitur ex plurimis teſtimoniis ipſius citatis a veteribus grammaticis, miſcebat ille libenter Graeca vocabula Latinis. Apud Nonium igitur vbi notiones huius vocis Spiſſum tradit, cum in excuſis legatur, Erraremus: extrophas eſſe multas. omnino notum eſſe, ſed ſpiſſum iter: arbitror ſcribendum eſſe ectropas.

Sententia, quae apud Terentium refertur de amore proprio, celebrata etiam oſtenditur in Medea Euripidis.

CAP. VI.

Von ſeruolus homo apud Terentium in Andria verum eſſe affirmat, ac vulgo dici ſolere oſtendit. Omnes ſibi melius eſſe malle, quam alteri, apud Euripidem quoque in Medea paedagogus nutrici in mentem redigit: caſtigans illam leuiter, quod miraretur Iaſonem anteponere vtilitates proprias commodis liberorum. cum omnes mortales huiuſcemodi ſint, ac ſe ipſos in primis diligant: quae autem cotidie fiunt admirationem nullam nobis gignere debent. eſtque negligentis admodum viri illa aliquando non animaduertiſſe. haec igitur cuſtodis illius liberorum Medeae verba ſunt. Τίς δ' οὐχὶ θνητῶν; ἄρτι γιγνώσκεις τόδε Ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.

Scrupulus iniectus de claro loco, qui nemini, quod ſciam, ſuſpectus fuit.

CAP. VII.

NEſcio quomodo appellem, quod nunc adnotaturus ſum; emendationem ne deprauati loci, an potius declarationem, explicationemque eius, quod feſellit multos, moramque afferre potuit accurato lectori. indicabo igitur inueteratum quiddam, ſimile errato, quod animaduerti apud optimum auctorem, claro admodum in loco; enitarque declarare: ita igitur verba haec ſcripta ſunt pro Milone in excuſis omnibus, quos vidi, libris; ſunt autem in vehementi illa apoſtropha, qua vſus eſt M. Cicero in Sex. Clodium. Tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo, tu in publicum eiecisti, qui autem verſatus eſt in antiquis exemplaribus, monimentiſque ceteris vetuſtatis, hic valde haereret animo, ſpectaſſet enim ſaepe veteris conſuetudinis fuiſſe, indifferenter, ei, pro, i, ponere; cuius rei exemplum eſſe poteſt fragmentum Larini S. C. quod curaui olim excudendum poſt volumen epiſtolarum ad Atticum ex ahenea tabula; in eo namque pluribus locis hoc ſeruatum fuit, ſiue erratum id fabrile fuit, ſiue mala conſuetudo illius temporis: quare cognoſcet alterum membrum ita accipi debere, tamquam ſi. Tu in publicum iecisti, ſcriptum foret. Mouit praeterea me, vt hoc admonerem, quia veriſimile non eſt, tam propinquo in loco, M. Ciceronem in extremo duarum ſententiarum idem verbum repetiturum fuiſſe; Vt aliquid etiam tangam, quod ad rem ipſam pertinet, non ſtulte fecit Sextus, quod eo tempore geſſit; conſilium enim ipſius fuit mouere miſericordiam in pectoribus multitudinis, & populum excitare ad vlciſcendam illam caedem, viſo corpore eius, quem valde amabat, cruento, & multis vulneribus confoſſo; quod fecit etiam M. Antonius, cum laudauit mortuum Caeſarem, veſtem enim ipſius plebi monſtrauit, pugionibus perforatam: nam quin etiam res foedae, & male olentes, domo eiiciantur, diuerſo conſilio, ſatis notum eſt, quod arripuit M. Cicero, & in deteriorem partem tulit.

Mirum, quod tradunt veteres de cultu croci, expoſitum: cum aetas noſtra longe alia ratione ferat.

CAP. VIII.

QVOD veteres illi de croci natura cultuque tradunt, magnopere diſcrepat a conſuetudine noſtri temporis: curaque, quam nunc in eo mendo ruſtici homines adhibent: illi namque, ſi fidem habemus iis, qui de agri conſitura ſcripſerunt, loca vbi ſererent eligebant preſſa veſtigiis hominum: arbitrabanturque quanto magis ſolum tereretur, tanto melius prouenire: nunc vero nihil tam inimicum putant, quam pedibus terram eam calcari: ſummoque ſtudio inde, & beluas, & homines arcent. Plinius quoque id teſtatus eſt, locum vertens Theophraſti e vj. libro de iis, quae oriuntur e terra: inquit enim. Gaudet calcari & atteri pede: pereundoque melius prouenit, ideo iuxta ſemitas, ac fontes laetiſſimum. Graeci autem ſcriptoris verba haec ſunt. quibus diligenter animaduerſis ratio etiam, qua Plinius in vertendis ſententiis Graecorum vtebatur, intelligetur. φασὶ δὲ καὶ πατούμενον· καὶ γίνεσθαι καλλίω καταστειβομένης κάτω τῆς ῥίζης, διὸ καὶ παρὰ τὰς ὁδοὺς, καὶ ἐν ταῖς κρηνίσι κάλλιστον: quod enim Theophraſtus inquit laetiorem fieri, ſi conculcetur radix terra obruta, ipſe reddidit, rem augens, vel potius ludere in hoc volens: pereundoque melius prouenit: hoc enim prorſus incredibile eſt, fierique non poteſt: quod enim perit, perditur, ne dum melius fiat. vnde Theodorus, qui reliqua verbis Plinij expreſſit, in hoc recte eum ſecutus non eſt, ſed ait. Et melius ita euadit; radice attrita pede inferius. praeterea quod eſt illic ἐν ταῖς κρηνίσι, iuxta fontes vertit. quia ſolum prope fontes ſolidum, ac durum eſt: pedibus namque haurientium aquam, animique cauſa ea loca frequentantium, calcatur ac premitur. κρηνίδες vero loca vocantur, quae pedibus ſaltantium pulſantur: atque ita indureſcunt: hoc autem videtur Lucretius intellexiſſe cum inquit. Principio pars terrai non nulla, peruſta Solibus aſſiduis: multa pulſata pedum vi, & quae ſequuntur.

Quid valeat corpus ſolidum apud Terentium: quomodoque Graeci idem appellent. aliaeque vocabuli huius Solidum notiones explanatae.

CAP. IX.

QVOD Terentianus Chaerea in bonis virginis, quam ferebat in caelum, poſuit: corpus ſolidum eam habere, a Lucilio quoque magnae laudi datum fuerat mulieri: haec enim ipſius verba citantur a Nonio e libro xxix. Hic corpus ſolidum inuenies: hic ſtare papillas Pectore marmoreo. arbitror autem hic ſolidum valere, quod Graeci πυκνόν vocant. vnde bonum corporis habitum definientes, aiebant eſſe, πυκνότητα σαρκός. Vſurpant etiam quandoque ſolidum Latini auctores ad rem ſine corpore, & quae tangi non poteſt, transferentes: intelliguntque id, quod firmum expreſſumque eſt, non adumbratum, vt cum Cicero ſolidam laudem gloriamque vocat. Praeterea in diuinatione in Verrem, cum ait: At enim ſolidum id eſt, vt me Siculi maxime velint: alterum illud credo obſcurum eſt, a quo Verres minime accuſari velit: ita enim prorſus ſcribi debet. quod in poſterioribus meis in epiſtolas Ciceronis caſtigationibus olim adnotaui: quamuis in excuſis melioris etiam notae perperam adhuc legatur, ſolum: ſignificatque illic certum ac ſtabile, quod labefactari nulla ratione queat: vt vulgo etiam nunc loquimur: aliquantulum enim contaminata hac voce noſtra lingua vtimur, cum idem hoc oſtendere volumus: pluribuſque propoſitis: vno autem, aut altero ex iis confirmato, quod ita explanatum putamus, vt temptari poſſe non videatur, illud manere iam certumque haberi, ita loquentes, poſtidamus. vt manifeſto hic Cicero feciſſe perſpicitur. Animaduertendum autem in patrio ſermone, quamuis ab eodem hoc Latino nomine vtrumque videatur eſſe deriuatum, in primo illo ſignificatu nos dicere, ſodo: in poſtremo vero hoc, ſaldo. Plautus cum idem intelligeret in Bacchidibus ſtabile inquit: ita enim induxit Mneſilochum ſecum loquentem. Profecto ſtabile eſt me patri aurum reddere. Paulo autem ſupra idem dixerat. vnde notio huius verbi manifeſto tenetur. Decretum eſt renumerare iam omne aurum patri.

Acutum dictum, quo quidam ſalſamentarij filium tetigit, cum legatur in rhetorica ad Herennium, oſtenditur e Graeco fuiſſe verſum.

CAP. X.

CORNIFICIVS in iiij. libro de arte dicendi ad Herennium, quum ſignificationem ab ipſo appellatam (figura autem illa eſt, quae plus in ſuſpicione relinquit, quam poſitum eſt in oratione) pluribus modis fieri dixiſſet. in iiſque per conſequentiam: atque huius rationis exemplum poneret, inquit. Vt ſi ſalſamentarij filio dicas. Quieſce tu, cuius pater cubito ſe emungere ſolebat. Huius autem quoque vocis meminit Plutarchus in ij. libro συμποσιακῶν, capite primo: vbi quid interſit inter σκῶμμα & λοιδορίαν docet: cum enim vtriuſque rei vim inuolutam explicuiſſet (qui tamen locus nunc lacer ac mancus eſt) exemplis quoque idem confirmare volens, inquit: qui enim ſalſamentarium quempiam aperte vocauit, conuicium in eum iecit: qui vero in eundem dixit. meminimus cum tu cubito emungebaris, ſcommate eſt vſus. verba ipſius haec ſunt. ὁ δὲ φήσας μεμνῆσθαι σὲ τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενον, ἔσκωψε. multas autem huiuſcemodi voces: ſententiaſque, aut philoſophorum, aut poëtarum, auctor ille rhetorices e Graeco in Latinum vertit: atque ipſis exemplis eius, quod probare volebat, vſus eſt.

Locus Graeci ſcriptoris indicatus ſimilis illuſtri loco Ciceronis, quo de eloquentia tamquam de virgine aliqua, locutus eſt.

CAP. XI.

M. CICERO in extremo libro, quem confecit de claris oratoribus: & ad M. Brutum miſit, de eloquentia ipſa tamquam de virgine quadam locutus eſt, ac ſimili illo, quomodo regenda facultas dicendi foret: quantaque ſtudio ab ipſis cuſtodienda, vt pura integraque conſeruaretur, declarauit. eſt autem locus elegantiſſimus, ac ſummo artificio pertractatus. vt autem libere quod ſentio, loquar, ſumpſiſſe videtur imaginem hanc Cicero a Graeco ſcriptore, qui de ratione dicendi ſcripſit elegantiſſimum librum ad Alexandrum regem: illum autem Anaximenem Lampſacenum alibi fuiſſe docui. hic igitur, ſi eiuſdem auctoris epiſtola eſt ante libbrum poſita, cuius praecepta, quae poſtea traduntur, eandem rationem

ſecutus

ſecutus eſt: hortatus enim eſt regem illum, vt diligenter cuſtodiret ſermones eos, ne cum adoleſcentes (inquit) ſint ab aliquo pecunia corrumpantur. ſed, cum ſecum honeſte vixerint: ad iuſtamque aetatem venerint, laudem illibatam conſequantur. aut igitur ſententiam hanc in illuſtri loco poſitam, ſpectauit Cicero: aut magnitudine ingenij ſimilitudinem harum rerum & ipſe vidit: & vt vtilem illi rei explicandae, arripuit. Sed vt, & ſuſpicio haec mea, & virtus vtriuſque ſummi viri melius attendi percipique poſſit, amborum verba ponam. Cicero igitur ſic egit. Nos autem Brute, quoniam poſt Hortenſij, clariſſimi oratoris, mortem, orbae eloquentiae quaſi tutores relicti ſumus, domi teneamus eam, ſeptam liberali cuſtodia; & hos ignotos, atque impudentes procos repudiemus, tueamurque, vt adultam virginem caſte, & ab amatorum impetu quantum poſſumus, prohibeamus. Graeci autem ſcriptoris ex ea epiſtola, quam indicaui, verba haec ſunt. Διὰ ταῦτα γοῦν ἐγώ σοι παρακελεύομαι διαφυλάττειν αὐτῷ τοὺς λόγους τούτους, ὅπως νέοι καθεστῶτες, ὑπὸ μηδενὸς χρήμασι διαφθείρωνται· κοσμίως δὲ μετά σου συμβιώσαντες, εἰς ἡλικίαν ἐλθόντες, δόξης ἀκηράτου τύχωσιν. Animaduertendum vero quod Cicero inquit tueri virginem, Graecum eum ſcriptorem dixiſſe διαφυλάξαι. vt Xenophon quoque in primo libro ἀπομνημονευμάτων: cuius haec ſunt verba, ὡς θυγατέρας παρθένους διαφυλάξαι.

Qui vocati ſint a Cicerone vrbani competitores.

CAP. XII.

VRBANI competitores, vt arbitror, vocati ſunt a Cicerone in prima, quae nunc legitur ad Pomponium Atticum epiſtola, qui conſulatum cum ipſo ſimul petebant, quaſi leues & nugatorij: quod contemni poſſent, ac varijs de cauſis a ſe facile ſuperari. Verba haec ipſius ſunt, oſtendentis ſe bene ſperare de honore illo ſuo, niſi noui aliqui extiterint petitores: praeſertim ſi voluntates nobilium alienae a ratione ſua non ſint: in conciliandiſque illis operam ſuam Atticus praebuerit. Cetera ſpero prolixa eſſe, his duntaxat vrbanis competitoribus: cum enim, vt primis verbis apparet, ſpem magnam ſuam indicaſſet: dixiſſetque, ſibi omnia, quae ad optinendum illum honorem pertinent, abunde ſuppeditatura, tamquam ſe corrigit, atque emendat, adiungens. His duntaxat vrbanis competitoribus. Non ſumptum eſt igitur hic a Cicerone hoc verbum eo ſenſu, quo plerumque capi conſueuit: neque eandem notionem habet. quamuis videar mihi repperiſſe ab hoc ipſo, ſummo Latini ſermonis auctore, alibi eodem intellectu vſurpatum. vt cum in primo libro de diuinatione inquit. Atque ille Romuli auguratus paſtoralis, non vrbanus fuit. nec fictus ad opiniones imperitorum, ſed a certis acceptus, & poſteris traditus: vrbanus enim hic valet (niſi fallor) iocularis: &, quod alij dixerunt, fabuloſus: quique tamquam ioco haberi: riſune explodi poſſit. vnde (vt opinor) competitores, & ipſi vrbani, quaſi ioculares, & lepidi homines appellati ſunt. vt nos quoque patrio noſtro ſermone, verbo, quod huic reſpondet, aliquando vti ſolemus: appellamus enim ipſo [illegible] iam quoſdam, quibus omnibus in rebus vti omnibus licet, vt ipſis viſum fuerit. fortaſſe quia illi, qui tali ſtudio tenentur: traducuntque vitam in feſtiuitatibus, facilis ingenij naturaeque eſſe intelliguntur.

Cum Terentius expreſſerit, quibus verbis vterentur heri, ſeruis irati: malique denuntiatione ipſos terrere volentes, monſtratus illis ſimilis locus apud Graecum ſcriptorem.

CAP. XIII.

MINIS quoque illis, quibus Terentianus Simo in officio retinere voluit Dauum: abſterreraque, ne fallacijs aliqua nuptias diſturbaret, vſus eſt Eratoſthenes quidam cui, reo capitis, quod hominem occidiſſet, Lyſias orationem ſcripſit: ancillam enim, quam internuntiam fuiſſe vxoris in adulterio acceperat, ita alloquutus eſt: hancque ipſi condicionem tulit, vt ſcilicet, aut omnia aperiret, atque ita noxa liberaretur: aut ſi inficiaretur, expectaret ſe μαστιγωθεῖσαν εἰς μύλωνα ἐμπεσεῖν, καὶ μηδέποτε παύσασθαι κακοῖς τοιούτοις συνεχομένην. hoc autem adnotare vtile putaui, vt vera ratio vertendi aliquid e Graeco ſermone in Latinum perſpiceretur: non enim valde diſſimilibus verbis Menandrum, vnde Latina fabula expreſſa eſt, vſum puto. Terentius igitur eandem ſententiam, aut valde parem, ita reddidit, inducens ſenem illum, quod antea obſcure ſignificarat, totum effundentem. Verberibus caeſum te in piſtrinum Daue dedam vſque ad necem. Ea lege atque omine, vt ſi te inde exemerim ego pro te molam. In eadem etiam oratione Lyſias fecit eundem illum, rem factam exponentem: rationemque ſui facti reddentem, verba haec edere.

κἀγὼ εἶπον ἵνα μὴ ἐμπλησθῶσι τῆς θύρας, κατακλείσας αὐτῇ ἐξέρχομαι. Locus autem ſimilis cum ſit in iij. actione in Verrem, vbi Rubrij vim adhibitam pudicae domui commemorat, id quoque adnotare volui: conferteque hos locos inter ſe: ambo namque hi viri, longe diuerſo fine, ac propoſito, volebant neminem domo exire: aut eo foris irrumpere. inquit igitur Cicero. Et ſimul ſeruis ſuis Rubrius, vt ianuam clauderent, & ipſi ad fores aſſiſterent, imperat.

Demoſthenis locus ſimilis indicatus loco Ciceronis, cum improbitatem Rubrij: licentiamque in conuiuio Lampſaceno vſurpatam in Oratione contra C. Verrem exponeret.

CAP. XIIII.

SED non multo quoque ſupra haec Ciceronis verba, locus eſt qui, cum res quae exponuntur ſimiles admodum ſint, e Graeco & ipſe oratore translatus videtur: qui tamen vehementius quam Lyſias inflat, ac grandior eſt, verbum certe vnum translatum inde expreſſum, non ſine cauſa exiſtimari poteſt. Cicero igitur cum exponeret initium detegendi ſcelerati conſilij, quo vſus eſſet Rubrius: doceretque callide ipſum feciſſe, atque expectaſſe donec hilaritate conuiuij alij temulentiores facti forent, vt minus improbe videretur rem parum honeſtam flagitare, ita egit. Poſtea quam ſatis calere res Rubrio viſa eſt, quaeſo inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari iubes? Homo, qui & ſumma grauitate, & iam id aetatis, & parens eſſet, obſtupuit hominis improbi dicto inſtare Rubrius. Tum ille, vt aliquid reſponderet, negat moris eſſe Graecorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres: hic tum alius ex alia parte. Enim vero ferendum hoc non eſt: vocetur mulier. & quae ſequuntur. Demoſthenes autem de falſa ementitaque legatione, cum improbitatem Aeſchinis oſtenderet, ac quemadmodum ſe in conuiuio petulanter importuneque geſſiſſet, commemoraret (cenabat autem vna cum Phrynone, & ipſo legato, apud Xenophronem in Macedonia) narrat ipſum, cum putari coeptum eſt, vocaſſe in conuiuium Olynthiam mulierem, quae ſane ſpeciem corporis elegantem haberet, ingenua tamen foret, ac moderata, vt exitus declarauit: eamque primo modice coëgiſſe potionis aliquid cibique ſumere, ſtatimque adiungit haec ipſa, quae reſpondent non parum loco Ciceronis. ὡς δὲ προῄει τὸ πρᾶγμα, καὶ διεθερμαίνοντο, κατακλίνεσθαι, καί τι, καὶ ᾄδειν ἐκέλευον: ἀδημονούσης δὲ τῆς ἀνθρώπου, καὶ οὔτε ἐθελούσης, οὔτ' ἐπισταμένης, ὕβριν τὸ πρᾶγμα ἔφασαν οὗτοι, καὶ ὁ Φρύνων: καὶ οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι τὴν θεοῖς ἐχθρὰν τε, καὶ ἀλιτηρίων Ὀλυνθίων αἰχμάλωτον οὖσαν τρυφᾶν. nam quod antea Cicero dixit. Fit ſermo inter eos, & inuitatio vt Graeco more biberetur, videtur etiam ſignificaſſe Demoſthenes dicens. ἐπεὶ δὲ ἧκον εἰς τὸ πίνειν.

Sententia, quam Terentius accepit a Latino comico, indicata: Declaratumque ſandalium calceamentum fuiſſe diuitum feminarum.

CAP. XV.

TERENTIVS non paucas ſententias a ſuperioribus Latinis comicis ſumpſit: quod multis Plauti locis facile probatur, veramque eſſe oſtenditur. nam quam in Eunucho poenam induxit Gnathonem militi precantem. Vtinam tibi commitigari videam ſandalio caput. Turpilius, ante ipſum, dixerat: cuius haec verba citantur a Nonio e fabula Lindia. Miſero mihi mitigabat ſandalio caput. erat autem ſandalium calceamentum feminarum diuitum, ac beatarum. vt teſtimonio etiam hoc Cephiſodori comici intelligitur: qui in Troponio ſua ita induxit mulierem conquerentem deteriores fortunas ſuas. Σανδάλιά τε τῶν λεπτοσχιδῶν ἐφ' οἷς τὰ χρυσᾶ ταῦτ' ἔπεστιν ἄνθεμα. νῦν δ' ὥσπερ ἡ θεράπαινα ἔχω περιβαρίδας: quae namque antea ſumptuoſo genere calceamenti vſa fuerat, poſtea tamquam ancillam quandam ſe dicit induere peribaridas: ancillarum vero proprium calceamentum hoc erat.

Duo verſus Ennij, qui diuulſi leguntur diuerſis locis, coniuncti.

CAP. XVI.

ASTA, atque Athenas antiquum opulentum oppidum Contempla: & templum Cereris ad leuam aſpice. Duo hi ſenarij Ennij ſunt e Medea Euripidis, translati ab ipſo: non tamen Medea hac, quae in manibus nunc eſt: quaeque vt diſtingueretur ab

tur ab altera, exul a Latinis grammaticis quondam vocata eſt. verum ex illa verſi, quae calamitate ſuperiorum temporum vna cum multis aliis eiuſdem poëtae fabulis interiit: neque tamen illi a me vſquam continentes inuenti ſunt, ſed prior totus: initiumque alterius apud Nonium legitur, vbi multis priſcorum poëtarum exemplis oſtendit contemplo pro contemplor, in vſu etiam veterum fuiſſe. Poſterior autem integer a M. Varrone citatur in vij. libro de lingua Latina. vnde & ſententia coherente, & Contempla verbo, quaſi vinculo quodam, ipſos connectente, hi duo verſus a me coniuncti ſunt: & in eundem ordinem, quem olim apud poëtam ipſum tenebant, reſtituti.

Cur Virgilius in III. Georgicorum lunam roſcidam vocarit: roremque a Graeco poëta lunae filium appellatum.

CAP. XVII.

NON temere Virgilius in libro de re pecuaria Lunam roſcidam vocauit, cum aeſtiuo tempore: paruo ab occaſu Solis ſpatio interpoſito, ad bibendum paſcendumque rurſus appellendos greges praecepit: neque enim ſequor ſententiam veteris interpretis, qui Lunam illic noctem accipit: nec enim omnes noctes vno tenore eandem vim roris gignunt: Luna namque ſilente ros non multus deſcendit: contra autem in pleniluṅio magna copia ipſius funditur. Sequitur igitur non rem ipſam tantum, quam notam illi fuiſſe veriſimile eſt, ſed Alcmanis nobilis poëtae ſententiam, qui rorem Iouis, ac Lunae filium eſſe cecinit ſuaui hoc carmine. Διὸς θυγάτηρ ἔρσα τρέφει καὶ σελάνας δίας. nam ἔρσαν illic δρόσον valere, quo verbo conſuetudo rorem vocabat: cum illud poëtarum vocabulum eſſet, declarauit Plutarchus in commentariolo, qui inſcribitur αἰτίαι φυσικαί. vbi hunc ipſum verſum citat. illum vero intellexiſſe Macrobius videtur prope finem vij. libri Saturnaliorum, cum inquit. vnde Alcman lyricus dixit rorem aëris, & Lunae filium.

Coronas Muſarum antiquos e roſis texere ſolitos.

CAP. XVIII.

MOREM fuiſſe veterum, vt longe aliis floribus texerent coronas diuerſis diis, conſtat. Muſas vero roſis coronare ipſos ſolitos, plures graues ſcriptores litteris prodiderunt: vtuntur autem omnes teſtimonio Sapphonis, quae carmine quodam ſuo teſtata hoc fuerat: cum enim diuitem quandam mulierem, quae auerſa foret a muſis, accuſaret: memoriamque ipſius vna cum corpore extinctum iri affirmaret, in hac ſententia hoc protulit: inquit enim merito id ipſi euenturum, quia roſarum Pieriae; quae ſedes eſt muſarum, expers eſſet. verba huius diuinae poëtriae haec ſunt. ita autem illa hic ponam, vt legi debere ipſa puto: non parum namque deformata ſunt apud auctores, qui ipſa citarunt. κατθανοῖσα δὲ κείσεαι· οὐδέ τις μναμοσύνα σέθεν ἔσσετ' οὐδέ ποτ' ὕστερον· οὐ γὰρ πεδέχεις ῥόδων τῶν ἐκ πιερίας. & quae ſequuntur. nam longius adhuc mihi carmen collocare hic liceret, prolixius adductum a Stobaeo capite περὶ ἀφροσύνης: apud Plutarchum enim, qui duobus locis hoc exemplo vſus eſt, non plena etiam ſuperior ſententia poſita eſt. & in iij. namque libro ſυμποσιακῶν capite primo: & in commentario, quo nuptialia praecepta tradidit, legitur. Clemens praeterea Alexandrinus, eruditus in primis, ac pius ſcriptor, hoc tetigit in ij. libro Paedagogi, capite quo quaerit, an vnguentis coroliſque vti deceat Chriſtianum hominem; apud quem etiam maculis nonnullis verba haec ingenioſae mulieris inquinata erant in calamo notatis libris. illa tamen ipſe purgauit cum aliquid laboris in eius auctoris conferendis exemplaribus emendandiſque, antequam impreſſoribus traderentur, ſuſcepi: atque id, vt & voluntati ſatisfacerem Marcelli Ceruini cardinalis, qui id a me impenſe petierat: ardebat enim ille (vt eſt omnium honeſtarum rerum cupidiſſimus: in primiſque adiuuandarum litterarum ſtudioſiſſimus) miro quodam deſiderio huius auctoris videndi, atque in manus eruditorum tradendi: bona tamen ipſius magnaque parte carebat, quae in Medicea tantum bibliotheca inueniebatur. vt igitur ipſi in tam iuſta re praeſto eſſem, & vetus inſtitutum meum ſequerer, nullum laborem recuſandi, vt iis, quos recta ſtudia delectant, proſim, aliquantulum in eo laboraui. quare hunc locum reſtitui: conſulto tamen antea ipſo, ſummi iudicij, atque eruditionis viro: cum alicuius ponderis res eſſet: Guilelmoque Sirleto, qui domi eius viuit, doctiſſimo homine: & vt olim in humanioribus ſtudiis magna cum laude verſato, ita nunc in ſacris abditiſque litteris toto animo occupato. nec enim temere manus veteribus auctoribus admouere ſoleo. praecipue autem me applicaui ad lectionem Ioannis Stobaei, apud quem carmen hoc, vt longius, ita etiam integrius, ſeruatum videtur.

Manibus pedibuſque aliquid facere, quod apud Terentium eſt, videri deriuatum e Graeco ſermone.

CAP. XIX.

QVOD apud Terentium in Andria Simo inquit, improbitatem ſerui oſtendere volens: ſtudiumque aduerſandi conſiliis ſuis. Quem ego credo manibus, pedibuſque obnixe omnia facturum. e Graeco ſermone ductum videtur: ipſi enim quoque cum quempiam omnibus ingenij corporiſque viribus aliquid aggredi ſignificare volebant, ita loquebantur. cuius rei teſtis eſt Aeſchines, qui contra Cteſiphontem, vbi de Cirraeo campo, vnde pulſi erant, auctore Apolline, incolae ab Amphictyonibus, vt impij: agerque eorum conſecratus, loquens: nec non de iureiurando, quo poſtea iurarant ſe nec eum agrum culturos: nec alium vllum colere permiſſuros, ſed totis viribus impedituros, inquit. μήτ' αὐτοὶ τὴν ἱερὰν γῆν ἐργάσεσθαι· μήτ' ἄλλῳ ἐπιτρέψειν, ἀλλὰ βοηθήσειν τῷ θεῷ, καὶ τῇ γῇ τῇ ἱερᾷ, καὶ χειρὶ, καὶ ποδὶ, καὶ πάσῃ δυνάμει. nec multo poſt iterum iiſdem verbis. hoc tamen intereſt, quod vnitatis numero illi apud Aeſchinem vtuntur, cum Terentius multitudinis vſus ſit, vt nos quoque patrio ſermone facimus: quibus etiam familiaris eſt hic ſermo. quod vero Graecus ſcriptor addidit ex eorum perſona. καὶ πάσῃ δυνάμει. duobus his verbis explanare voluit, quid peruulgata illa voce, & quae prouerbij vim haberet, Amphictyones intellexerint: eſt enim hoc tamquam declaratio illius, quod dixerant, ſe omnem vim ſuam, ac poteſtatem in ea re conſumpturos.

Vt apud Ciceronem legitur gladius plumbeus, ita Graecos μολυβδίνην μάχαιραν dicere ſolitos.

CAP. XX.

PLVMBEVM gladium μεταφορικῶς Cicero ad Atticum ſcribens, vocauit iudicium infirmum: vel potius Diogenem in hoc quoque ſequutus, cuius vocem referebat, iiſdem verbis, quibus orator ille vſus fuerat, eandem rem expoluit: tranſlatis ſcilicet, reique declarandae valde accommodatis: neque enim altiorem plagam ex ea materia gladius imponere poteſt: cum acies eius facile retundatur. apud Laërtium quoque in voce, qua Diogenes inſimulauit formoſum adoleſcentem decorumque, qui deformia indecoraque loqueretur, mentio eſt gladij huius: inquit enim, non reſpondere orationem ipſius ſignificans corporis ſpeciei, non te pudet ex eburnea vagina plumbeum gladium educere? ſpectauit tamen ille potius materiae illius, e qua factus gladius eſſet, tenuitatem: cum, contra ex ebore magni pretij re confecta vagina foret, quam non eſſe illum ad vulnerandum valde aptum cogitauit: verba Graeca huius ſententiae haec ſunt. οὐκ αἰσχύνῃ ἐξ ἐλεφαντίνου κολεοῦ μολυβδίνην ἕλκων μάχαιραν.

De more veterum diſputatur, qui ſuis in agris plerumque buſta ſibi facere conſuerant.

CAP. XXI.

M. CICERO pro Sex. Roſcio, ſpoliatum eſſe illum omnibus fortunis a procuratore quodam Chryſogoni oſtendere volens, ac ne glaebam quidem agri ei relictam, qui antea fructuoſiſſimis praediis abundabat, inquit. Cui, de tanto patrimonio, praedo iſte nefarius, ne iter quidem ad ſepulchrum patrium reliquiſſet: humabant enim mortuos in agris veteres, quod teſtatur Liuius in vj. libro ab vrbe condita, vbi commemorat interrogationes, quibus populares homines *Seſtius Liciniuſque*, primores patrum, productos in contionem, fatigabant: illic enim verba haec ſunt. Vt ſinguli prope ccc. ciuium poſſiderent agros: plebeiq; homini vix ad tectum neceſſarium, aut locum ſepulturae, ſuus pateret ager. perſpicitur id etiam e lapidibus, qui ante ſepulchra ponebantur: eorum enim cum magna multitudo tota Italia inueniatur, in omnibus inciſum eſt ſpatium ſoli, quod conſecratum eſſet: nam quot pedes in fronte: quotque in agro caperet illic indicatur. quod etiam tetigit Horatius in ſatyra, cum inquit. Mille pedes in fronte trecentos cippus in agrum Hic dabat. Idem autem mos Graecorum quoque erat, vnde cum alicuius luxuriem mendicitatemque ſignificare volunt, antiqui ſcriptores, & ipſi quoque ita loquuntur. Aeſchines igitur effudiſſe patrimonium omne Timarchum declarare volens, huius etiam rei mentionem fecit: inquit enim matrem

eius

eius filium oraſſe, ne fundum certum quendam alienaret, vt ſi nihil aliud inde commodi caperet, ſaltem haberet vbi mortua condi, ac ſepeliri poſſet, ne ipſi quidem praedio eum peperciſſe. Ariſtophanes quoque Ἐκκλησιαζούσαις cum Praxagoram induceret communionem omnium bonorum laudantem, oſtendentemque quam iniuſte tunc res diſtributae forent, hoc attigit: μηδὲ γεωργεῖν, τὸν μὲν, πολλήν: τῷ δ' εἶναι, μηδὲ ταφῆναι. quot igitur ad diuerſas res probandas argumenta docerentur ex inſtituto hoc priſcorum, multis auctorum teſtimoniis, patefactum eſt, non tantum mos ipſe illuſtratus.

Quod vernaculum videtur verbum in patria noſtra lingua, oſtenditur manaſſe huc e Graeco ſermone.

CAP. XXII.

NON pauca Graeca vocabula in patrio noſtro ſermone inueniuntur, quae coniunctionem huius linguae fuiſſe quondam cum illa teſtantur: neque enim eius generis ſunt, vt vicinis temporibus ab eruditis viris huc importata videantur, ſed ita trita ſermone imperitiorum, vt diu in hac coaluiſſe appareat. ore namque potius vulgi, & idiotarum, quam exquiſite loquentium iactantur: Quod enim dicimus, cum opinionem alicuius de aliqua re contemnimus. ac falli ipſum magnopere ſignificamus, eum abbacare, manifeſto inde ductum eſt: idem namque verbum: eodem intellectu, ac nulla paene re variatum, vſurpatur ab Homero: In iiij. enim libro Odyſſeae, vbi Helena labores periculaque commemorat, quae Vlyſſes, cum in vrbem Troianorum irrepſit, ſuſtinuit, affirmans eum ſordido pallio indutum: mulctatumque toto corpore verberibus, a nullo cognitum fuiſſe: ſe autem ſolam hominem cognoſſe: ac qui ſuſpicione aliqua ducti, quinam foret diuinare voluiſſent, omnes erraſſe: nec verum eorum vllum tetigiſſe, hoc ipſo verbo vſus eſt, dicens. οἱ δ' ἀβάκησαν πάντες: ἐγὼ δέ μιν οἴη ἀνέγνων τοῖον ἐόντα.

Quod Quintilianus exempli loco poſuit, Erutius Antoniaſter, oſtenditur a Cicerone ſumptum eſſe: ratioque poſterioris nominis explicata.

CAP. XXIII.

QVINTILIANVS cum in viij. libro, exemplis comprobans, quod dixerat: vim rebus aliquando ipſam verborum humilitatem afferre, hoc poſuit. Erutius Antoniaſter, intellexit (vt opinor) locum hunc ex oratione Ciceronis pro Vareno. qui citatur a Priſciano in viij. libro. Lucilius ille Septimus diceret. etenim eſt ad L. Craſſi eloquentiam, grauis & vehemens & volubilis: Erutius hic noſter, Antoniaſter eſt. ita namque legitur in ſcriptis antiquioribus eius grammatici libris: quorum magna copia extat. cum excuſi aliter habeant: mendoſique ſint. Antoniaſter autem eſt imitator Antonij oratoris & qui ſe ad rationem ipſius adplicuerit. quamuis puſillum quiddam, vitioſumque in ſe habere videatur hoc nomen: & ὑποκοριστικῶς dictum eſſe appareat. eſt autem ita ab Antonius conformatum nomen, vt a paraſitus, paraſitaſter, quod apud Terentium in Adelphis eſt: & a Fuluinius Fuluiniaſter: ita enim in antiquo, & fideli libro legitur, non Fuluiaſter: de Philotimo enim liberto loquens: cuius litteris non omnino fidem habendam eſſe oſtendit, inquit. Solet omnino eſſe Fuluiniaſter ideſt Fuluinij ſimilis. Videndum etiam eſt in exemplo Ciceronis, an L. ille Septimius legi debeat, pro Lucilius Septimus. in his enim rebus crebro peccabant veteres librarij, totius rationis ignari: & tamen quid notae illae ſignificarent ſtulte interpretari volentes.

Sententia multorum Virgilij verſuum e II. Georgicorum declaratur accepta e Theophraſto, collatis ſingulis ſententiis inter ſe.

CAP. XXIIII.

SVMMO artificio ſcripſiſſe Virgilium libros de rebus ruſticis, quos, ſecutus Nicandrum Colophonium, qui & ipſe de cultu agrorum cecinerat, γεωργικὰ inſcripſit, vno omnium iudicio conſtat. Sumpſit autem multa in illis ab Heſiodo: nam quae in extremo primi libri de notis imbrium, ventorum, tempeſtatum, ac ſerenitatis praecepit, manifeſto ex Arato tranſtulit. veriſimile autem eſt, non contentum illum fuiſſe operis titulo, ſed plura etiam ab eiuſdem ſtudij Graeco poëta accepiſſe, quod

tamen,

tamen, ipſius ſcriptis amiſſis, indicare non poſſum, non ſolum autem eruditus poëta diligenter legit, vt opus ſuum ornaret, abſolutumque ad exitum perduceret, libros aliorum poëtarum, ſed philoſophorum etiam, qui de eiſdem rebus accurate egiſſent, vt Ariſtotelis, Theophraſti, id quod teſtimonio non nullorum locorum manifeſto tenetur. nam ſecundi eorum librorum primam, magnamque partem e Theophraſto vertit. intelligo autem cum inquit. Principio arboribus varia eſt natura creandis: Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipſae Sponte ſua veniunt, campoſque & flumina late Curua tenent. & quae ſequuntur: omnis enim haec accurata diuiſio politi illius, eruditique philoſophi eſt: qui in ij. libro de iis, quae oriuntur e terra, ſic praeceptionem illam auſpicatus eſt. αἱ γενέσεις τῶν δένδρων, καὶ ὅλως τῶν φυτῶν, ἢ αὐτόματοι, ἢ ἀπὸ σπέρματος, ἢ ἀπὸ ῥίζης, ἢ ἀπὸ παρασπάδος, ἢ ἀπὸ ἀκρεμόνος, ἢ ἀπὸ κλωνός, ἢ ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ σελέχους ἐστὶν, ἢ ἔτι τοῦ ξύλου κατακοπέντος. quod autem Virgilius, primis tribus modis expoſitis, atque exemplis confirmatis, addit. Hos natura modos primum dedit: his genus omne Syluarum fruticumque viret: nemorumque ſacrorum. Theophraſtus autem his verbis tradiderat: (neque enim hic enumerat, quae ſint huius, aut illius generis, ſed infra omnibus rationibus diligenter repetitis, id facit) πάντων δὲ ὁ μὲν αὐτόματος, πρῶτός τις: ὁ δὲ ἀπὸ σπέρματος, καὶ ῥίζης, φυσικώτατοι δόξειαν ἄν: ὥσπερ γὰρ αὐτόματοι καὶ αὗται: διὸ καὶ τοῖς ἀγρίοις ὑπάρχουσι. Ceteros quinque modos, quos vſum docuiſſe via quadam & ordine narrat: Theophraſtus vero τέχνης & προαιρέσεως eſſe affirmat, ſtatim Virgilius perſequitur. Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum Depoſuit ſulcis. qui eſt modus ἀπὸ παρασπάδος Graece vocatus. ſecundum intellexit, cum cecinit. Hic ſtirpes obruit aruo: Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos: qui eſt ἀπὸ ἀκρέμονος. Tertio loco Virgilius poſuit, in quo ſcrupulus non paruus eſt. Syluarumque aliae preſſos propaginis arcus Expectant, & viua ſua plantaria terra: videtur enim rationem quandam ſuam illic afferre, nec vllo modo reddere, quod non ſolum tertio loco, ſed ne quarto quidem praecepit Theophraſtus. cum dubitari non poſſit, quin qui quartus illi eſt, tertius ſit Graeco ſcriptori, cum dicat. Nil radicis egent aliae: ſummumque putator Haud dubitat terrae referens mandare cacumen: κλῶνας enim Graeci vocant ſummos arborum ramos: cacuminaque communi vocabulo, cum in fico appelletur pars illa κράδη. Quintum Theophraſti intelligens, ait. Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu) Truditur e ſicco radix oleagina ligno: quem philoſophus his verbis oſtendit. ἀπὸ τοῦ ξύλου κατακοπέντος εἰς μικρά. puto autem hunc modum apud Graecum auctorem in hoc tantum diſcrepare a ſuperiore, quod illic integer ſtipes ſeritur: hic autem conciſus, in pluresque partes diſſectus: exiſtimo enim nunc ξύλον vocaſſe, quod ſupra proprie, ſuoque nomine, appellauit σέλεχον: σέλεχος autem eſt ſtipes ipſe. vnde mirarer Virgilium, ſi hoc ſignificare voluiſſet, propaginis arcus & viua plantaria dixiſſe: alias igitur arborum naturas expectare arcus propaginis dicens, & viua plantaria cum ſua terra, videtur intellexiſſe quas in vitibus propagines appellabant: non vites tamen tantum, ſed aliae etiam ſtipes ita ſerebantur; malo enim ita factum ipſius interpretari quam dicere, quod ſine dubio falſum eſt, ita ipſum quartum Theophraſti modum explicare voluiſſe: ne videar ipſum negligentiae imperitiaeque inſimulare, a quo conſilio longe abſum. cum coner potius, ſi poſſim, defendere. Nam quod philoſophus, poſtremo modo poſito, ſtatim addidit: καὶ γὰρ οὕτως ἀναφύεται, neceſſario fecit, ne falſum id putaretur: habet enim in ſe admirationem, quomodo ſtipes in minutas partes conciſus, naſcatur: vnde Virgilius eandem difficultatem perſpiciens, inquit. mirabile dictu. quod vero poëta oleas hoc pacto germinare docet, id quoque infra tradidit Theophraſtus. Nec tamen lignum ita ſiccum accipere debemus, vt omnino exaruerit: certum namque eſt nihil inde germinare poſſe: nec philoſophus huiuſcemodi quicquam dicit: ſiccum enim lignum videtur Virgilius dixiſſe vacuum ab humore, cum radice careat, quae ſucum humo trahit: nam cortice ſegmenta illa nudata eſſe non oportet: quod ſi ille demptus fuerit, non poteſt radix erumpere: neque inde arbor fieri. quod admonuit etiam Theophraſtus, cum de olea, myrtoque diſſereret: quae hoc pacto naſcuntur: haec enim verba eius ſunt, de myrto ſupra locuti; δεῖ δὲ καὶ ταύτης, καὶ τῆς ἐλαίας, τὰ ξύλα διαιρεῖν, μὴ ἔλαττον σπιθαμιαίων, καὶ τὸν φλοιὸν μὴ διαιρεῖν.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XV.

Sententia Ciceronis collata cum ſententia Ariſtotelis de eadem re: declaratumque verius eſſe, quod a philoſopho dictum eſt.

CAP. I.

MAIOREM partem rerum antiquarum aliqua ſui parte laborare: minuſque correcta eſſe quam recentiora, inquit Ariſtoteles in ſecundo libro πολιτικῶν: quae ſententia vera prorſus videtur, & caute pronuntiata. verba ipſius haec ſunt: τὰ δὲ πλεῖστα τῶν ἀρχαίων ὅλως διημαρτῆσθαι τῶν νεωτέρων. Cicero vero initio diſputationis, quam miſit ad Varronem de Academicis quaeſtionibus, cum idem proferret, fidenter magis aſſeueranterque ait. Certe enim recentiſſima quaeque ſunt correcta & emendata maxime. quantopere autem rem multis modis augeat appatet, vt fortaſſe non omnino verum ſit, quod dicit: id quod in illa ipſa re, de qua tunc agebat Cicero maniſeſto, tenetur: plures enim qui ſe ad philoſophiae ſtudia contulerant, relictis ſententiis ſuperiorum, auctores nouae diſciplinae fiebant, quae ne dum emendatior integriorque foret, multis partibus deterior antiqua, imperfectiorque erat. Quod niſi mortales nimis ſe, ſuaque amarent, ac laborem ferre vellent, quod tradit Ariſtoteles verum profecto ſemper foret: nullum enim negotium eſt, rebus ab aliis inuentis, aliquid ſuo ſtudio addere: errataque ipſorum corrigere, ſed vitia hominum, quae indicaui, huiuſcemodique alia, hoc perpetuum eſſe non ſinunt. quare prudenter Ariſtoteles hoc in magna parte vſu venire affirmauit. Cicero autem exiſtimari poteſt ita dixiſſe, perſonae ſuae accommodans hanc ſententiam, ſeque ipſum culpa liberans, quod relicta vetere Academia, ſe ad nouam applicuiſſet.

Cum, & Plutarchus, & M. Varro libros ſcripſerint de liberis inſtituendis, oſtenditur ambos nonnulla notaſſe, quae obſunt ſtudiis litterarum: impedimentoque ſunt pueris ad diſcendum.

CAP. II.

PLVTARCHVS in libro de Inſtitutione puerorum admonuit etiam oportere tolerandis laboribus corpora adoleſcentium firmare: atque vtilitatem eius rei docuit: ſimilique valde apto ad rem demonſtrandam, praeceptum illud illuſtrauit. in quo tamen animaduertendum, inquit, ne nimio labore, aſſiduiſque exercitationibus, corpora puerorum ſicciora reddantur: quia id impediret ſtudia litterarum: defatigationes namque aduerſari diſciplinis percipiendis. hoc autem verum eſſe probat auctoritate Platonis, cuius haec verba adducit. Ὕπνοι, καὶ κόποι μαθήμασι πολέμιοι. ſumpta autem illa ſunt e vij. libro de Republica. quo loco, quum quaeſitum id ex eo foret, Socrates docet, quae potiſſimum aetas in his ſtudiis occupanda ſit: eamque eſſe tradit, quae adhuc ſoluta liberaque eſt neceſſariis exercitationibus: illo namque tempore: ſiue duorum: ſiue trium annorum id ſit, non poſſe quicquam aliud agi: cum id, quod conſequitur, ea de cauſa, quam verbis illis declarat, minime aptum ſit ſcientiis percipiendis. M. quoque Varro, cum & ipſe accurate praeciperet de liberis educandis: ſcripſit enim doctiſſimus ille vir copioſe de hac re, vt ex multis exemplis, quae ex eo libro ſumuntur a Nonio, perſpicitur, hanc partem diligenter perſecutus eſt: indicauitque multas res, quae obeſſent perceptioni bonarum artium: haec enim ipſius verba apud eum grammaticum leguntur. Remotiſſimum ad diſcendum formido, ac nimius timor, & omnia perturbatio animi: contra delectatio pro telo ad diſcendum: cum autem ambo hi eruditiſſimi ſcriptores remedia adhibere velint huic malo, alter eorum tollere videtur, quae corpus deterius faciunt: alter vero, quae animum ſtatim offendunt: turbidoque motu vexatum, minus habilem ad haurienda praecepta artium efficiunt.

Orationes duas, pugnantes inter ſe, quae nunc C. Salluſtio, & M. Tullio tribuuntur, videri eorum auctorum non eſſe.

CAP. III.

PLVRAS ſunt anni, cum mecum ſuſpicari coepi orationes, quae C. Salluſtij, & M. Tullij nomine circunferuntur, contrariae inter ſe, ac plenae maledictorum, veras eorum ſcriptorum non eſſe: nec ab illis ipſis vnquam habitas: ſed ab aliquo, exercitationis cauſa, conſcriptas. nec me tamen fallit Quintilianum aliter ſenſiſſe, qui huius, quae Salluſtij creditur bis, nomen ipſius ponens, mentionem fecit: & in quarto libro, quo loco ἀποστροφὴν notat, qua initio dicendi vſus eſt: auertit enim orationem a perſona audientium, & in aduerſarium contulit, & in [illegible] inquit, Et apud Salluſtium in Ciceronem. O Romule Arpinas: nec tamen non multum tribuo coniecturis, quae in animo meo opinionem illam excitarunt, cum multae ſint, & magni ſingulae ponderis. nam ſtilus in primis magnopere diuerſus a forma dicendi illorum videtur. quid enim in hac ipſa ſimile dictioni Salluſtianae, qua vtitur in hiſtoriae libris? ſed auſim etiam affirmare, cum aliter quoque intelligi poſſit ſtili diſſimilitudo, modos quoſdam loquendi in altera eſſe, qui non ſunt familiares Ciceronis. ſi accurate autem attendimus, formamque orationis notamus, cum par admodum ſimiliſque ſit, eiuſdem ſcriptoris ipſas iudicabimus. nam principia etiam ipſa, nulla re inter ſe diſcrepantia, augent hanc ſuſpicionem: ambo enim directa in aduerſarium ſunt. praeterea cum modica ſint, eandemque fere curſum habeant, ſtatim exclamatione vtuntur ac ſtomachantur, vt in priore. Vbi queram? quos implorem P. C. & in poſteriore. Quo me vertam P. C. vnde initium ſumam? Sed numeri quoque, praeter quam quod non valde dicere incipientibus apti, & ipſi parea admodum vel iidem potius ſunt: altera namque a tribrachy & anapaeſto orditur: altera vero ab anapaeſto, quae cuncta idem ingenium iudiciumque ſcriptoris redolent. Non nihil etiam me mouet, quod plures loci expreſſi a Graecis auctoribus illic ſunt, ſententiaeque ex illuſtribus locis ſumptae: videtur enim hoc tenuitatem ingenij ſignificare, vt in ea quae Ciceroni aſcribitur. Plerumque enim Reſp. priuatis inimicitiis creſcit: eſt enim Aeſchinis contra Timarchum, qui ait. Αἱ γὰρ ἰδίαι ἔχθραι πολλὰ πάνυ τῶν κοινῶν ἐπανορθοῦσι. & paulo poſt. Neque me cum iis conferri decet P. C. qui iam deceſſerunt, omnique odio carent & inuidia, ſed cum iis, qui mecum vna in Republica verſati ſunt: quod Demoſthenis eſt pro Cteſiphonte: eius enim haec ſunt verba. Οὐ μὲν γὰρ δίκαιον ἐστιν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τῶν πρὸς τοὺς τετελευτηκότας εὐνοίας ὑπαρχούσας προσλαβόντα παρ' ὑμῶν πρὸς ἐκείνους ἐξετάζειν καὶ παραβάλλειν ἐμὲ, τὸν ζῶντα μεθ' ὑμῶν: τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν πάντων, ὅτι τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὕπεστί τις, ἢ πλείων ἢ ἐλάττων, φθόνος, τοὺς τεθνεῶτας δὲ οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἔτι μισεῖ. Sed etiam ita ſententiae confuſae ſunt, vt non ſatis appareat, quo tempore dictae ſint; cum enim poſt necem Caeſaris habitae videantur ex reſponſione, quae ſine vlla dubitatione non ſolum poſt ciuile bellum, verum etiam poſt interitum ipſius acta fingitur, quomodo accipienda ſunt illa verba in Ciceronem coniecta? Qui tibi ante optimates videbantur, eoſdem nunc dementes, ac furioſos vocas: neque enim illo tempore laeſiſſet Cicero Pompeianos; neque in illos hoc crimen cadit. ſed etiam quomodo illa in eadem oratione ſupra dicta eſſe eo tempore poſſunt. Verum, vt opinor, ſplendor domeſticus tibi animos tollit: vxor ſacrilega ac periuriis delibuta, filia matris paelex, tibi iucundior, atque obſequentior, quam parenti par eſt. quae cum de illo ipſo tempore pronuntiata ſint, exploratum eſt Ciceronem ante interitum Caeſaris Terentiam dimiſiſſe, & Tulliolam illo regnante extinctam, cum tamen ſi diligenter attendimus, accuſatio ante bellum ciuile habita ſit; quod enim transfugam Ciceronem appellat, ad caſtra Pompeiana referri non debet, quod perſpicitur etiam ex verbis, quae crimen hoc purgant: videtur enim potius redigendum ad id tempus, quo Cicero inſimulatus eſt:, quod nunc pro plebe: nunc pro optimatibus ſtaret. Dion enim quoque ſcribit ipſum ea de cauſa αὐτόμολον ab inimicis vocatum. quod vero de Bibulo & Caeſare meminit, videtur eorum conſulatum indicare. Percipitur autem ex epiſtolis ad Atticum, multa Ciceronem in Bibulum dixiſſe: vt erat ingenio facetus dicaxque. Nam ſi poſt victoriam Caeſaris haec quoque habita eſt, quamuis nihil in ea legatur, quod certo id declaret, admirabile eſt res multo antea factas Salluſtium obiecisse: recentiora vero ac multo grauiora, tacuiſſe. Haec igitur omnia, huiuſcemodique alia, me olim excitarant, vt eſſe has declamationes quaſdam putarem. nam, quod non nihil etiam ad hoc ſignificandum valet, in antiquiſſimo libro controuerſiarum nomine illae indicantur. verum cum poſtea Vincentium Borghinum maximi ingenij, acerrimique iudicij virum, eiuſdem ſententiae eſſe inuenerim; id quod antea leuiter ſuſpicabar, firmiter credere coepi: multo enim plus ipſi tribuo quam omnibus ſimul argumentis: plurimis namque in rebus perſpexi acumen ipſius, & iudicij firmitatem: cum igitur idem illi in mentem prius veniſſet, quam

quid

quid mei iudicij de hac re eſſet accepiſſet, ac re diligenter animaduerſa ita tandem ſecum ſtatuiſſet, totus libenter in opinionem eius veni, a quo nunquam diſſentire vlla in re, nec volo, nec poſſum.

Valere, translatum ad aliud, πατεῖν, aliquando familiarem tritumque ſcriptorem aliquem habere. Idemque quandoque ſignificare quippiam pedibus terere ac conculcare.

CAP. IIII.

Qvod Latini tritum habere ſcriptorem aliquem dicunt, Graeci optimi auctores πατεῖν vocant: Ariſtophanes enim ἔφησεν hoc prorſus ſignificare voluit, cum Piſthetaerum induxit ita chorum eius fabulae, qui conſtabat ex auibus, dignitatem ſuam vetuſtatemque ignorantibus, obiurgantem: Ἀμαθὴς γὰρ ἔφυς, καὶ οὐ πολυπράγμων, οὐδ' Αἴσωπον πεπάτηκας: neque enim tantum, quod interpres putauit, valet id verbum non legiſti, ſed vt oſtendi, multum in ea lectione temporis non conſumpſiſti, neque Aeſopum triuiſti. Apud Platonem quoque in Phaedro, eodem pacto Socrates hoc verbo vtitur. Ἀλλὰ μὴν τόν γε Τισίαν πεπάτηκας ἀκριβῶς. Cicero cum pro L. Murena inquit: Forum preſſi, hoc videtur ſignificaſſe: ideſt ſe diu multumque illic verſatum eſſe. An autem quempiam πατεῖν alium Graeci dicant, cum proterere illum & conculcare, atque omni denique dignitate ſpoliare, ſignificare volunt videndum: hoc enim Cicero videtur verbum expreſſiſſe cum pro L. Flacco de Meandrio Tralliano inquit. Sin iſtum ſemper illi ipſi domi proterendum eſſe, & conculcandum putauerunt, deſinant putare auctoritatem eſſe in eo teſtimonio, cuius auctor inuentus eſt nemo. Athenaeus ſane videtur ita cepiſſe, qui in xv. libro, inquit, de Lacedaemoniis loquens. οἱ τὸν παλαιότατον τῆς πολιτικῆς κόσμον συμπεπατήκατε ἐξετραχηλίσθησαν: ſignificauit enim eos ſpreta vetere diſciplina corruiſſe. Plutarchus verò id intellexit cum ὑπὸ πόδας τίθεσθαι dixit, quomodo etiam nos patrio ſermone loquimur: in commentario enim, quo ſtudet probare, ne iucundam quidem eſſe vitam, quam inſtituit Epicurus, vbi tradit ipſum ferri non poſſe, cum puſilla quaedam officia amicorum verbis ampliſſimis in caelum tollat: premere autem ſolitus ſit, atque extenuare facta clariſſimorum virorum, his verbis vſus eſt. ἀλλὰ τὴν ἀπάθειαν οὐδὲ βουλόμενοι ἐπὶ τοῦ εὐδαίμονος περιλεῖν: τὰς μὲν Θεμιστοκλέους καὶ Μιλτιάδου πράξεις ὑπὸ πόδας τιθεμένους καὶ καταπτύοντας: ὑπὲρ αὐτοῦ δὲ ταυτὶ τοὺς φίλους γράφοντας.

Vetus modus loquendi, repugnans, vt videtur, praeceptis grammaticorum, indicatus: ſimulque declaratum, quid valeat Ariſtophaneo modo in epiſtola ad Q. fratrem.

CAP. V.

Fidelis eſt meus liber & integer illa quoque parte epiſtolae ad Q. fratrem, vt plurimis aliis, qua legitur vulgo. Cum ſcripſiſſem haec infima, quae ſunt mea manu, venit ad nos Cicero tuus ad cenam, cum Pomponia foris cenaret: habet enim foras, quomodo loqui conſuerant Romani homines: id autem teſtimoniis multis optimorum auctorum liquido intelligitur, qui eodem pacto aduerbium id loci eo tempore vſurpant. eeu Plautus in Moſtellaria. Promiſi foras. Ad cenam me ne te vocare cenſeas. & in Menaechmis. Hodie ducam ſcortum ad cenam, atque aliquo condicam foras. Terentius quoque in Eunucho: Homo quatietur certe cum dono foras. quod cum durum videretur erudito accurratoque interpreti: quaſi enim in loco videtur oſtendere. foras autem ex eo in alium locum trudi, rationem reddere locutionis eius conatus eſt, ſubtiliterque de hoc diſputauit. Videndum tamen, an cum dictum eſt promittere foras, non ſine cauſa id factum ſit: tunc enim motus intelligitur: valetque ſermo ille, promiſi me iturum foras: nam in Sticho etiam Plautus hoc pacto Pamphilippum, cum paraſito loquentem, induxit. ad cenam hercle alio promiſi foras. Quid foras? Foras hercle vero. & tamen infra cum promittere poſuit, cenare foris dixit, niſi vitium eſt in ſcriptura: ait enim paraſitus. Qui (malum) tibi laſſo lubet foris cenare. in eadem etiam fabula antea, quod eandem rationem habet, quam ſuperius illud, dictum eſt promittere ad aliquem: Haec enim verba Antiphontis ſunt. Et magis par fuerat me dare vobis cenam aduenientibus. Quam me ad illum promittere, niſi nollem ei aduerſarier. Verba vero haec, quae ſequuntur, mendoſa prius, cum olim purgarim: nec tamen emendationis eius rationes attulerim: videam autem adhuc in libris nonnullis eam maculoſam lectionem haerere, quae tunc merito a me eiecta fuit, accuratius

de eo diſputare volo: in mea enim editione, iiſque exemplaribus, quae inde fluxerunt, eſt. Dedit mihi epiſtolam legendam tuam, quam paulo ante acceperat Ariſtophaneo modo: valde me hercule & ſuauem & grauem, qua ſum admodum delectatus. quod verum omnino puto: accipio enim, Q. Ciceronem epiſtolam ad M. fratrem miſiſſe, verſibus ſcriptam: eoque genere numerorum, quod Ariſtophaneum nominatum eſt, ab auctore poëta illo, vel quod ipſo plurimum ipſe vſus ſit. eius autem carminis meminit Cicero in Oratore, cum ait. Ita factus eſt anapaeſtus is, qui Ariſtophaneus nominatur: nec non Dionyſius Halicarnaſſeus in libro de compoſitione verborum, vbi Demoſthenis exemplis confirmat inueniri in ſoluta oratione numeros: vtiturque verbis his ex oratione contra Ariſtocratem. μηδεὶς ὑμῶν, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι νομίσῃ με. quibus ſi addatur, inquit, pes, ſiue in initio, ſiue in medio, ſiue ad extremum, perfectum futurum tetrametrum Anapaeſticum, quod Ariſtophaneum vocant. ipſe autem in fine addidit, περαίνει: ſtatimque affirmauit aequale id factum verſui huic illius comici e fabula, cuius index νεφέλαι eſt: λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν παιδείαν ὡς διέκειτο. crebri autem illi ſunt apud eum poëtam. fieri autem poteſt, vt Q. hoc genere carminis epiſtolam conſcripſerit, cum valde poëmatibus delectaretur, ac prodente hoc literis M. Cicerone, auctoribus antiquis libris, firmiter credendum eſt: praeſertim cum verba, quae ſequuntur, indicare id videantur. nam veteres etiam illos Romanos homines conſueſſe verſibus epiſtolas ſcribere, teſtimonio Marci ipſius intelligitur, ita in epiſtola quadam ad Atticum ſcribentis. Mumium fuiſſe ad Corinthum pro certo habeo: ſaepe enim hic Spurius, qui nuper eſt mortuus, epiſtolas mihi pronuntiabat verſiculis facetis ad familiares miſſas a Corintho.

Videri Ciceronem modos quoſdam loquendi a fabulis Terentij accepiſſe.

CAP. VI.

QVAM ſtudioſus fuerit M. Cicero puri Terentiani ſermonis, hinc etiam facile intelligitur, quod multis locis id, quod dicere vult, verbis ipſius exponit. vt pro Sext. Roſcio, cum inquit. Et quia id eſt ſuſpicioſum, tam & ſi beſtiae ſunt, tamen in eam partem potius peccant. haec enim verba ſumpta eſſe ex Adelphis veriſimile eſt. quando Aeſchinus Parmenonem, plus quam volebat, ſibi obtemperantem nactus eſt. quamquam enim non innuiſſe ſe dicit, tamen hominem laudat, praecipitque, vt ita ſe quoque in reliquum tempus gerat. Eodem etiam pacto pro Deiotaro. ait enim. Quid poſtea? an Deiotarus re illa tempore non perfecta, continuo dimiſit exercitum. nam extremum hoc pronuntiatum eſſe apud eundem comicum a milite glorioſo, cum re infecta diſceſſit, nemo eſt qui neſciat. multum autem (vt opinor) hoc valuit ad falſum illud crimen explodendum, & niſi fallor, riſum mouit: quae ratio in iudicio quoque adhibetur, ac fructum fert: tamquam enim Deiotarus nullius conſilij homo eſſet, ac ſimilis Thraſoni, qui poſtquam ſtatim inſidiae non ſucceſſerint, non potuerit, retentis in armis inſidiatoribus, alio loco efficere, quod deſtinaſſet. De hoc etiam in xiiij. capite ſexti libri, aliis exemplis poſitis, diſputaui. Quare certior haec ſtabiliorque animaduerſio exiſtimari debet, cum idem tot auctoritatibus teſtimoniiſque confirmetur; niſi aliquis putet modos hos loquendi tritos fuiſſe omnium ſermone, & vtrumque auctorem, a conſuetudine peruulgataque ratione, illa cepiſſe: non, inferiorem aetate, a ſuperiore furatum eſſe.

Verba quaedam ex epiſtola ad Atticum longe aliud ſignificare declarata, quam id quod interpretes exiſtimarunt.

CAP. VII.

INCERTVM eſt quid ſignificarit Cicero, cum in epiſtola, quae nunc prima eſt ad Atticum, inquit: Vt mihi videatur non eſſe ἀδύνατον, Curium obducere. loquutus autem ſupra fuerat de Thermo, ac Silano, qui & ipſi prenſabant, ac conſulatum vna cum ipſo petebant. illos namque ait ſic inopes, & ab amicis, & ab exiſtimatione eſſe, vt id quod ſuperioribus verbis oſtendit, non videatur ipſi vnum ex iis eſſe, quae effici nequeunt. vt autem aliorum ſententias nunc praeteream, quae litteris mandatae ſunt: liberèque quod in mentem mihi venit exponam, ſuſpicor valere hic obducere, idem quod in v. quaeſtione Tuſculana valet, vbi Cicero de miſerabili interitu Theramenis loquens, inquit. Qui cum coniectus in carcerem. xxx. iuſſu Tyrannorum, venenum, vt ſitiens, obduxiſſet, & quae ſequuntur: ſignificat autem hic bibiſſet, & quaſi vno hauſtu abſorpſiſſet: nec non in xvj. libro epiſtolarum ad Atticum cum alio tranſtulit, ac dixit: viij. Kal.

igitur

igitur ad Sicam: ibi tamquam domi meae ſcilicet: itaque obduxi poſterum diem. Nam Plautum etiam vinum illo pro bibere in Amphitryone, olim admonui, & Horatius quoque ducere pocula Lesbij, & ducere ſucos nectaris eodem intellectu dixit. Hanc igitur vim eſſe puto & notionem ſuperioris loci, vt Cicero, cum Attico iocans, dicat. Poſtquam hi ſpoliati amicis, & nullius exiſtimationis homines, audent conſulatum petere, videmur etiam aequo animo pati debere, ſi Q. Curius, qui fortaſſe tunc dicebatur & ipſe petiturus, nomen dederit. ſi namque duobus illis locus eſt, non video cur non Curio etiam, quamuis turpi homini, locus eſſe poſſit. quod autem addit. Sed hoc praeter me nemini videtur, pertinet ad indicandas ſordes, & infamiam Curij, qui multo quam ſuperiores illi magis, his rebus neceſſariis ad conſulatum adipiſcendum, carebat: & turpiſſimus homo, infamiſque alea habebatur, vt nullus alius extaret, praeter Ciceronis ſtomachum, qui illum concoquere poſſet. Q. ipſius Curij, quem puto hic intelligi, mentionem ſecerunt, & Salluſtius, & Paedianus. nam Cicero etiam ipſum appellarat in oratione, quam habuit in toga candida contra C. Antonium & L. Catilinam competitores.

Indicatum, vnde expreſſa ſententia ſit, quam Cicero a principe Argonautarum in tragoedia pronuntiatam dicit.

CAP. VIII.

M. Cicero, cum in iiij. libro Tuſculanarum inquit. Quid ait ex Tragoedia princeps ille Argonautarum? Tu me amoris, magis quam honoris, ſeruauiſti gratia, videtur locum hunc Euripidis intellexiſſe. Ἀλλ' ἐπίφθονος λόγος διελθεῖν, ὡς ἔρως σ' ἠνάγκασε. Τόξοις ἀφύκτοις τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας. pronuntiantur autem haec verba ab Iaſone, iurgiis Medeae reſpondente. neque tamen hoc ille omnino apud Graecum poëtam dicit, quamuis intelligat ſe, vere poſſe dicere, quia perſpicit eſſe orationem inuidioſam & quae proficiſci exiſtimari poſſet ab ingrato animo, ab iis qui non multum viderent. quare non confidere ſe illi dicit, nec defenſionem in hoc argumento collocare. Ennius tamen videtur, quantum ex hoc verſiculo ſuſpicari licet, magis illi tribuiſſe: niſi potius aliquis arbitretur apud alium Tragicum poëtam, ſiue apud hunc ipſum altera in Medea, id quod expreſſit Cicero, pronunciaſſe Iaſonem.

Locus Ciceronis explicatus, qui importune poſitis interpunctionibus, impeditus erat: & fortaſſe maiore vitio laborabat.

CAP. IX.

INTERPVNCTIONES non ſuo loco collocatae: multiſque modis perperam notata oratio, verum ſenſum horum verborum e v. libro de Finibus impediunt. cum enim excuſi ita habeant. Cur haec eadem Democritus? qui vere falſoue quaereremus, dicitur oculis ſe priuaſſe. certe vt quam minime animus a cogitationibus abduceretur: patrimonium neglexit: agros deſeruit incultos: quid quaerens aliud, niſi beatam vitam, ſic interpungi inferiorem partem debere arbitror. Certe, vt quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit: & quae ſequuntur. vt hic intellectus ſit horum verborum. ſi prius illud incertum eſt, in ambiguoque ſeruatur: nam alij de eo aliter ſenſerunt: quod dicitur oculis ſe priuaſſe Democritus, hoc exploratum eſt, omniumque conſenſum meruit, neglexiſſe illum rem familiarem, vt quam minime animus a continua contemplatione rerum obſcurarum auocaretur. Horatium hoc quoque in epiſtola ad Iccium poſuiſſe vnicuique notum eſt. Porphyrius in primo libro περὶ ἀποχῆς non deſiiſſe narrat, qui luminibus ſe orbarint, deſiderio huius, nulla re interruptae contemplationis, qui ſane veriſimile eſt phyſicum hunc intellexerit: nomen namque eius non ponit. cum autem his verbis Graecis vſus ſit αἰτία τῆς [illegible], illa ipſa, ſi diligenter attendimus, videtur expreſſiſſe Cicero: quibus etiam alius, aetate maior, in ea re tradenda vti potuit, vnde Latinus acceperit. Sed accurate videndum eſt, an vitium quoque ſit in ſuperioribus verbis, & huiuſcemodi quidem, vt ſine ope meliorum librorum non facile corrigatur: inſpecta enim magnopere habeo verba illa, Vere falſoue quaereremus: nec video quid valeat illic Quaereremus. ipſe ſane ſi tantum mihi permittere fas iudicarem, libenter legerem. Qui vere falſoue, dicitur oculis ſe priuaſſe, atque ita omnem locum reſtitutum, maculaſque hinc deletas putarem; cum Plato quoque in iij. libro de Legibus, de nuntio incerto dubioque loquens, eodem pacto locutus ſit: ὁ δὲ λόγος, εἴτε ἀληθὴς, εἴτε καὶ ὅπῃ, [illegible]. de quo tamen, vt ipſis viſum fuerit, ingenioſi, eruditique viri iudicabunt.

Videri in extrema Eunucho, comedere longe aliud ſignificare quam putarit vetus interpres.

CAP. X.

ANIMADVERTENDVM diligenter, quid valeat, quod, in extrema Eunucho, Gnatho de milite, Phaedriae ac Chaereae dixit, quaſi benignitatem ipſorum aliquo munere compenſare volens. At ego pro iſthuc Phaedria & tu Chaerea, Hunc comedendum & deridendum vobis propino. intelligo inquam quaerendum eſſe, quae vis ſit eius verbi, comedendum, hoc loco. nam vetus interpres eius poëtae videtur putaſſe, pertinere hoc ad verum cibum, ſcribens, cum ceteris rebus: quaſi ſignificare voluerit poëta eſſe ab illis omne ipſius patrimonium abſumendum: vt ne ipſi quidem domino parcant. ſed videtur hoc mihi indignum ingenuis adoleſcentibus, potiuſque puto valere, quod praeberet illum ad contemptum: exponeretque ipſis lacerandum acutis dictis, voluptatemque ea ratione ex ipſo capiendam. hoc autem verum eſſe ipſemet poëta indicare videtur, qui addidit, & deridendum. quaſi haec declaratio quaedam fuerit antecedentis verbi, quod cum μεταφορικῶς hic vſurpatum ſit, voluerit notionem illius hac ratione explanare. vt crebro optimi quique & Graeci & Latini auctores facere conſuerunt. Fierique poteſt, ac mihi ſane veriſimile fit, vt eadem forma dicendi apud Graecum comicum eſſet: ornatumque hunc etiam orationis noſter reddere atque imitari voluerit. praeſertim cum Graeci videantur eo hoc verbum transferre ſoliti. Idem enim (niſi fallor) valet apud Diogenem Laërtium παραφαγεῖν, qui de Ariſtippo Cyrenaico inquit. ὁ δὲ Τίμων παρέφαγεν, ὡς θρυπτικόν. Timonem namque maledicum poëtam fuiſſe certum eſt, quem dicit vexaſſe illum, vt mollem ac delicatum philoſophum. eadem autem forma dicendi videtur Horatius in epiſtola ad Lollium vſus, cum inquit ⁓ qui Dente Theonino cum circumroditur, ecquid Ad te poſt paulo ventura pericula ſentis.

Illuſtris ſententia Ciceronis, qua docuit mortem pro patria gloriaque eſſe contemnendam, oſtenditur ab Homero accepta.

CAP. XI.

QVI ad fortiter aliquid faciendum: mortemque etiam, ſi oporteat, oppetendam, olim hortabantur, in memoriam iis, apud quos agerent, redigebant humanam imbecillitatem: nam praeterquam quod omnino mori neceſſe eſt, omni tempore impendent nobis caſus aliqui periculorum, qui vitam nobis eripere ſine vlla dignitate poſſunt. quare officium eſt prudentis viri, cum praeclara aliqua occaſio datur, honeſte velle occumbere. Cum igitur argumentum hoc multum valeat ad virtutem addendam, egregie illo vſus eſt Cicero in x. Philippica dicens. Quod ſi immortalitas conſequeretur praeſentis periculi fugam, non tamen eo magis ea fugienda videretur, quod diuturnior eſſet ſeruitus: cum vero dies & noctes omnia nos vndique fata circunſtent, non eſt veſtri, nominiſque R. dubitare, eum ſpiritum, quem naturae quis debeat, patriae reddere. Lyſias quoque, grandior illic orator, quam ſolet, in oratione, qua laudauit in contione auxiliarios milites Corinthiorum, qui in proelio eſſent interfecti, hoc argumentum arripuit, temporique illi ſuo accommodauit: dixit enim. εἰ μὲν γὰρ ἦν τοῖς τοὺς ἐν τῷ πολέμῳ κινδύνους διαφυγοῦσιν, ἀθανάτοις εἶναι τὸν λοιπὸν χρόνον, ἄξιον τοῖς ζῶσιν ἅπαντα χρόνον πενθεῖν τοὺς τεθνεῶτας: νῦν δὲ ἥ τε φύσις, καὶ νόσων ἥττων, καὶ γήρως: ὅτι δαίμων, ὁ τὴν ἡμετέραν μοῖραν εἰληχὼς, ἀπαραίτητος. L. autem Sylla apud Salluſtium eodem argumento vſus eſt in conſilio Volucis repudiando: ſeque ipſo ad virtutem confirmando: cum enim ille, propinquis hoſtibus, ſuaſiſſet vt noctu ſecum profugeret relictis ſuis, in aliis non nullis magno animo ait. Et ſi peſtis certa adeſſet, manſurum potius, quam proditis his, quos ducebat, turpi fuga, incertae, & forſitan poſt paulo interiturae morbo, vitae parceret. Plato quoque ita Socratem induxit loquentem in Apologia, vbi tamen non de bellicis periculis, ſed de morte, quae a iudicibus in foro expectatur, ſermo eſt, cum contemneret eos, qui magnopere ipſam timerent, atque omnia facerent, vt vitarent ὡς δεινόν τι οἰομένους πείσεσθαι, εἰ ἀποθανοῦνται. ὥσπερ ἀθανάτων ἐσομένων, ἐὰν ὑμεῖς αὐτοὺς μὴ ἀποκτείνητε. Sed cum multa vndique exempla collegerim, quibus eadem ſententia exponitur, cur non fontem ipſum indico? vnde illa manauit: videtur enim auctor huius argumenti fuiſſe Homerus, qui in xj. libro Iliadis inducens Sarpedonem, incedentem Glaucum ad pugnam, cum antea illum aliis rationibus excitaſſet, in extremo dicere. ὦ πέπον. εἰ μὲν γὰρ πόλεμον περὶ τόνδε φυγόντε Αἰεὶ δὴ μέλλοιμεν ἀγήρατ' ἀθανάτω τε Ἔσσεσθαι, οὔτε κεν αὐτὸς ἐνὶ πρώτοισι μαχοίμην,

μαχοίμην, Οὔτε κε σὲ στέλλοιμι μάχην ἐς κυδιάνειραν. Νῦν δ' ἔμπης γὰρ κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο Μυρίαι. ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν οὐδ' ὑπαλύξαι Ἴομεν, ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν, ἠέ τις ἡμῖν. Videtur autem Ciceron hunc potiſſimum locum adumbraſſe: & ab Homero ipſo, principe ipſius, hoc argumentum ſumpſiſſe, quamuis immutatis non nullis tempori ſuo ac perſonae Romanorum accommodarit, quod in primis declarant verba illa. Cum vero dies & noctes omnia nos vndique fata circunſtent: quis enim dubitare poteſt quin verterit Homerica haec. Νῦν δ' ἔμπης γὰρ κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο Μυρίαι. Clemens quoque in vj. libro Stromatum, quo loco furta Graecorum aperit, ſententiam horum verſuum, ipſos etiam illic ponens, docet cepiſſe Theopompum. cuius itidem verba haec adponit. εἰ μὲν γὰρ ἦν τὸν κίνδυνον τὸν παρόντα διαφυγόντας, ἀδεῶς διάγειν τὸν ἐπίλοιπον χρόνον, οὐκ ἂν ἦν θαυμαστὸν φιλοψυχεῖν· νῦν δὲ τοσαῦται κῆρες τῷ βίῳ παραπεφύκασιν, ὥστε τὸν ἐν ταῖς μάχαις θάνατον αἱρετώτερον εἶναι δοκεῖν. quantopere igitur grauis haec illuſtriſque ſententia celebrata ſit, & a Graecis & a Latinis ſcriptoribus patet. nam Clemens quoque, auctorem ducemque ipſius, quod mecum facit, Homerum agnoſcit.

Emendatus locus Ciceronis in X. Philippica: opinione tamen coniecturaque, non vllius antiqui libri auctoritate.

CAP. XII.

IN oratione hac ipſa Ciceronis, cuius proxime mentionem feci, locus eſt valde negligentia librariorum corruptus: in eodem enim ſunt vitio etiam manu ſcripti libri, quo formis excuſi: illum tamen arbitror ſatis tuto poſſe emendari: de quo tamen eruditi viri videbunt. Ita autem legitur in omnibus exemplaribus. Certi fines Macedoniae, certa condicio, certiſſimo modo erat etiam illius exercitus: cum Illyrico vero & cum Vatinij legionibus, quid erat Antonio? ipſe vero puto legi debere. Certus (ſi modo erat) etiam illius exercitus: corrigit enim quod dicere incoeperat. vt certi fines Macedoniae: certa condicio: Ita etiam certus illius exercitus: neque enim exercitum ipſius vllum fuiſſe vult, qui arripuerat imperium, inuitoque ſenatu in prouinciam profectus erat. ſed vt concedatur iure eum Macedoniam obtinuiſſe; dicebat enim ſe ſuccedere Hortenſio, contentus ea prouincia eſſe debuit, non in alienos fines irrumpere. Quid igitur ei cum Apollonia? quid cum Dyrrhachio? quae Illyrici vrbes ſunt. certi enim fines Macedoniae: certa condicio: quid denique cum P. Vatinij exercitu: nam ſi exercitum habuit, certum illum tuendaeque Macedoniae praepoſitum habere debuit, non alienum. quod ipſemet Cicero adiungit. Hanc huius loci lectionem, & veriorem & elegantiorem puto, ſi conferenda cum ea eſt. vnde nullum idoneum, conſilioque Ciceronis accommodatum ſenſum, elici poſſe arbitror.

Emendatus Horatij verſus de arte poëtica, qui nunc fere in excuſis omnibus libris corruptus eſt: ſimulque de moribus poëtae diſputatum.

CAP. XIII.

TVRPE (vt videtur) erratum: & quod facile fallere poſſet, occupauit verſum Horatij ex epiſtola de arte poëtica ad Piſones: id autem huiuſcemodi eſt, vt moribus potius poëtae notam inurat, quam ſtudio lectoris moram afferat. quod enim in excuſis pluribus libris eſt. At noſtri proaui Plautinos, & numeros, & Laudauere ſales: non conuenit tenuitati hominis, ac patre libertino nato. quod ſi ita locutus fuiſſet, exploſus vndique riſu eſſet, & ab omnibus merito exagitatus. id tamen magnopere ab ingenio ipſius abhorrebat, qui ſemper prae ſe tulit, ac confeſſus eſt, humilitatem ſuam. legi igitur debet, cum ſcriptis exemplaribus. At veſtri proaui: ſcribebat enim ad eos, qui antiqua nobilique familia orti eſſent. Nec tamen me fallit extitiſſe doctos & diligentes viros, qui putarint hanc eſſe ὑποφορὰν, pronuntiatumque hunc verſum, & dimidiatum alterum, non ea perſona poëtae, ſed ab alio, quem finxerit aduerſari huic ſuae ſententiae, auctoritateque maiorum niti in defendendis numeris & ſalibus Plautinis. magnopere me tamen mouet fides antiquorum librorum, praeterquam quod illud mihi duriuſculum videtur. Nam quod tantopere hic contemnit iocos Plautinos Horatius, ſaepe mecum cogitaui, proficiſci ne id potuerit a iudicio deprauato, quod amiſſus magna ex parte tunc foret lepos Latini ſermonis, ac vetus illa venuſtas inquinata, de quo multo antea Cicero cum Paeto queſtus fuerat in epiſtola, quamuis nouae calamitates ſequutae poſtea ſint, quae ſi quid reſtabat nobilitatis, paene omne deleuerint: ſiue maleuolentia animi, liuoreque id commiſſum ſit. Cicero certe,

cuius peracre iudicium fuit, & eruditio, vt in Romano homine, admirabilis, valde ab eo diſſentit. Inſimulat autem Horatius Lucilium quoque, ac contumelioſis verbis, in quo merito reprehenſus eſt a doctis, qui tunc viuebant, inſcriptis eius exagitandis vitiue. Sed ne Ennio quidem parcit, quamuis id tectius faciat, acerbe tamen: vt appareat non ferre ipſum potuiſſe laudem ac gloriam antiquorum poëtarum. & ſane videtur Flaccus ingenium ſatyricum habuiſſe: vnde genere illo carminis delectatus eſt, atque in eo plurimum valuit. Hoc idem videtur Marcellino meo, acutiſſimi ingenij viro, ac politiſſimae doctrinae, qui cum optimo patre, atque eruditiſſimo natus ſit, creditur ſummam ipſius in litteris atque in omni vita dignitatem adaequaturus: vel potius, ſi vita ſuppetet, longo interuallo ſuperaturus. Non fefellit autem ipſum malitia poëtae, ac ſummum ſtudium ipſius, notam aſpergere Ennio volentis, cum in epiſtola ad Auguſtum inquit.

» Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus,
» Vt critici dicunt, leuiter curare videtur
» Quo promiſſa cadant, & ſomnia Pythagorea.

Vocem Horatij, qua ſe ſimilem coti facit, oſtenditur prius editam fuiſſe ab Iſocrate.

CAP. XIIII.

IN eadem autem epiſtola, quod idem poëta de ſe moderate protulit: » ego fungar vice cotis, acutum Reddere, quae ferrum valet, exſors ipſa ſecandi. vel potius libere dixit non ſe tanti emere laudem ſummi poëtae, vt mentis conſiliique damno illam parare velit, non ab eo primo dictum eſt: magnus enim magiſter dicendi Iſocrates, cum quaeſitum eſſet ex eo, quomodo cum ipſe facultatem dicendi non habeat, alios bonos oratores efficiat, illud ipſum reſpondit: ſibique idem vſu venire inquit, quod cotibus. Verba autem Iſocratis haec ſunt, quae Plutarchus in vita ipſius ponit. ὅτι καὶ αἱ ἀκόναι, αὐταὶ μὲν τεμεῖν οὐ δύνανται· τὸν δὲ σίδηρον τμητικὸν ποιοῦσιν.

Verba Graeca inuenta oraculi editi Alexandro Epiri regi, quorum ſententiam T. Liuius expreſſit.

CAP. XV.

T. LIVIVS In viij. libro ab vrbe condita, oraculi, editi Alexandro, Epiri regi alterius Alexandri, Magni appellati, auunculo, meminit, idque interpretatur. ait enim. » Acciso a Tarentinis in Italiam data dictio erat, caueret Acheruſiam aquam: Pandoſiamque vrbem, ibi fatis eius terminum dari. Cum igitur oraculum ipſum inuenerim in Graecorum commentariis, non inutile eſſe putaui hic illud adnotare: conſtat autem duobus hexametris. Αἰακίδη προφύλαξο μολεῖν Ἀχερούσιον ὕδωρ, Πανδοσίην θ', ὅτι τοι θάνατος πεπρωμένος ἐστί. Plura vero, quae rem totam aperiunt, ac quemadmodum ille, dum fata fugeret, in media ipſa ruit, diligenter exponit Liuius. Eſt autem hic Alexander ille, quem cum mortuum audiſſent Athenienſes, miſerunt Cteſiphontem ciuem ſuum ad Cleopatram ipſius vxorem: Philippi autem regis Macedonum filiam, vt conſolaretur eam ob viri interitum: teſtareturque caſum illum moleſtum fuiſſe ciuitati. Quod narrat Aeſchines in oratione, qua Cteſiphontem ipſum accuſauit, cum probare vellet, non egere illum patrono Demoſthene in defenſione, ſed poſſe per ſe cauſam explicare: vt facultate dicendi praeditus, quod res illa ſignificauit: neque enim ſi infans eſſet, paſſus fuiſſet ſe ex omni populo deligi: fungique voluiſſet legati nomine eo munere, quod eloquentiam requirit, vt apta oratione copioſaque luctum minuere poſſet.

Ludus, qui noſtra adhuc in gente a pueris frequentatur: muſcaque caeca vocatur, oſtenditur a Graecis fluxiſſe: a quibus etiam eodem nomine appellabatur.

CAP. XVI.

LVDVS puerilis, qui in vſu veterum Graecorum erat, & in alias etiam terras manarat, vſque ad noſtra tempora apud nos permanſit, & quod non minus mirum eſt, quamuis diuerſa lingua, ab eadem re nomen traxit: ipſum enim illi ſuo ſermone χαλκῆν μυῖαν vocabant, vt teſtatur Pollux, qui in ix. libro Onomaſtici eum deſcribit: omnemque rationem ipſius tradit: noſtri vero pueri & ipſi muſcam appellant: non tamen aheneam, ſed caecam. Pollux igitur inquit ita olim exerceri ſolitum, vt

puer aliquis cum faſcia oculos obuoluiſſet, in orbem verſaretur, clamaretque, aheneam muſcam venabor: alij vero reſpondentes. venaberis, nec tamen capies, caederent illum ſcutica, e leui materia facta, donec aliquem e numero ipſorum comprehendiſſet. nam quod eſt in excuſis libris σώτιοι, arbitror corruptum eſſe: legique debere, σκύνει. Euſtathius quoque in xxj. Iliadis meminit huius ludi. quo loco quid valeat κυνάμυια declarat: illo enim contumelioſo nomine appellarat in acie Mars Palladem: & ea, quae de eo tradita ſunt a Polluce, immutatis aliquantulum verbis, exponit. nam quod ad hanc partem pertinet, in qua maculae aliquid ineſſe ſuſpicor, ille inquit. οἱ δὲ κύκλῳ ἱςῶτες, βίβλοις, ἢ καὶ χερσὶ, παίοντες ἀποκρίνονται, ἀλλ' οὐ λήψῃ. Sed idem etiam docet vnde χαλκῆ, ideſt ahenea muſca vocata ſit: tradens genus eſſe quoddam muſcarum, quae a colore aeris, illo modo a Graecis vocatae ſint.

Quod ab Homero de Menelao prolatum eſt, ipſum in dicendo ἀγόρευε παῦρα ſolitum, Ciceronem reddidiſſe pauca dicere. Declaratumque Halicarnaſſeum ex verbis illis praeceptum artis eius ſubtiliter elicuiſſe.

CAP. XVII.

CVM ſtudium eloquentiae non fuiſſe commune toti Graeciae priſcis temporibus, ſed proprium Athenarum affirmaſſet M. Cicero in libro de claris Oratoribus, atque id exemplo multorum eius gentis populorum verum eſſe docuiſſet, apud quos nullum vnquam oratorem extitiſſe memoriae proditum eſſet, cum de Lacedaemonijs idem dici non poſſe videretur, quos habuiſſe dulcem oratorem Menelaum carmine Homeri teſtatum eſſet, occurrit huic rei, quae ſententiae illi in vniuerſum prolatae aduerſabatur: affirmatque eum in numero magnorum oratorum haberi non poſſe, cum idem fuiſſe eiuſdem poëtae praeconio, breuis in dicendo perhibeatur: inquit enim. Menelaum ipſum dulcem illum quidem tradit Homerus, ſed pauca dicentem: breuitas autem laus eſt interdum in aliqua parte dicendi: in vniuerſa eloquentia laudem non habet. intelligere vero Ciceronem locum hunc e iij. libro Iliadis conſtat. cum poëta Antenorem Troianum, qui & ipſe temporibus illis eloquens habitus eſt, vt poſſet melius de eo iudicare, induxit cum Helena non nulla loquentem, ac quod dixerat ea probantem. Ἤτοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. ἐπεὶ οὐ πολύμυθος, Οὐδ' ἀφαμαρτοεπής. εἰ καὶ γένει ὕστερος ἦεν. vertit igitur Cicero ἀγόρευε παῦρα, pauca dicentem: quae ſane notio eſt horum verborum. Dionyſius autem Halicarnaſſeus, de arte dicendi praecipiens, putat verbis illis ſignificari, non plenam, neque abſolutam orationem ipſius fuiſſe: nec omnia denique ab eo dici ſolita eſſe, quae cauſa quam agebat, tempuſque illud poſtulabat: vnde vtile hoc praeclarumque praeceptum inde elici poſſe arbitratur: cum cauſa multa habet, quae pro ſe dici poſſint, non eſſe virtutem laudemque eloquentiae partem aliquam eorum relinquere, quae deſiderari poſſint: nec perfecte illam tractare.

Videri non nihil diſcriminis eſſe inter Ciceronem, ac Laërtium in voce Socratis commemoranda.

CAP: XVIII.

M. CICERO in v. libro Tuſculanarum, cum exempla poneret eorum, qui pro nihilo pecuniam duxerint, inquit. Socrates in pompa, cum magna vis auri argentique ferretur, Quam multa non deſidero inquit. Laërtius vero, qui vocem eam Socratis refert, non auri argentique copiam tradit ipſum in pompa proſpicientem id dixiſſe, ſed multitudinem rerum venalium, vt ſuſpicari licet, in foro. Verba haec ipſius ſunt. πολλάκις δ' ἀφορῶν εἰς τὰ πλήθη τῶν πιπρασκομένων, ἔλεγε πρὸς αὑτόν. πόσων ἐγὼ χρείαν οὐκ ἔχω. Quod ſi accurate attendimus, ſpectato auro tantum argentoque, non ſatis commode videri poſſet dixiſſe. Quam multa non deſidero: neque enim haec multa, ſed vna tantum res, atque eundem vſum habens. Praeterea videtur non nihil ſibi repugnare Cicero, qui paulo poſt vbi Xenocratis Calchedonij factum expoſuit, inquit, de quinquaginta illis talentis ab Alexandro ei dono miſſis: quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praeſertim, maxima. Si namque Athenienſes in pompa magnam vim auri argentique ferebant, non erat pecuniae illic paucitas. Verum autem hoc eſſe quod dixit, rarum ea tempeſtate aurum argentumque in Graecia fuiſſe, confirmatur etiam teſtimonio Athenaei, qui in vj. libro copioſe de hoc diſputauit: ſed aliorum etiam grauium diligentiumque ſcriptorum.

Diligenter

Diligenter ponderata verba quaedam in epiſtola Anacharſidis, quam Cicero expreſſit, cum illa non videantur reſpondere ſententiae Graecorum verborum.

CAP. XIX.

ANIMADVERTENDVS locus eſt, non multo ſupra haec verba, in epiſtola Anacharſidis, quam Cicero in Latinum vertit: eum enim ſic ipſe reddiderit. Munera autem iſta, quibus es delectatus, vel ciuibus tuis, vel diis immortalibus dona: non omnino ſenſum hunc Graeca, quibus Scythes ille vſus eſt, verba continere videntur. praecipue autem obſcurum eſt, quid ſignificare Cicero voluerit, cum inquit. Quibus delectatus es. ſi namque intellexit, quae e multis elegiſti: potioraque iudicaſti, non reſpondet hoc ſententiae auctoris. propius igitur arbitror ad ſenſum Anacharſidis M. Tullium acceſſiſſe, ſignificareque voluiſſe. quae tibi in omni vita placuerunt, quibuſque in comparandis ſtudium adhibuiſti. quamuis non ad eum ſolum in Graeca epiſtola verbum illud pertineat, ſed ad omnes (vt opinor) eiuſdem loci homines, beatos inquam ac fortunatos: ita enim illic eſt. Δῶρα δὲ, ὡς σὺ τρυφᾷς, ἀντιδωρέομαί σοι. ὑμεῖς δὲ ὅσοι παρακεχλίδηκε, εἰς χάριν τὴν αὐτῶ θέσθε θεοῖς. nam oſtendit ſe, ne aſpernari videretur liberalitatem opulenti viri, accipere munera illa, contraque iiſdem illum remunerari, conuerſaque ſtatim oratione ad populares eius, mandare ipſis vt diis immortalibus conſecrent: ita tamen vt inde laus ac dignitas Hannonis creſcat, cognoſcaturque illa ab ipſius munificentia profecta: hoc enim arbitror oſtendere εἰς χάριν τὴν: neque enim tetigit quippiam, quo contineatur mandaſſe illum Hannoni, vt ciuibus ſuis illa donaret, niſi forte aliquid vitij eſt in Graecis verbis: aliterque nunc ipſa leguntur, ac Ciceronis aetate legerentur. vis autem omnis, ratioque huius verbi ἐντρυφᾶν, cum a Gulielmo quoque Budaeo, doctiſſimo accuratiſſimoque viro explicata ſit, id quod oſtendit ille, hic valet ἐντρυφᾶν, quaſi ob copiam earum ipſis illuditis: & vbi etiam minime opus eſt, conſumitis. Quid enim mihi cum his rebus ſumptuoſis, duro & agreſti homini. apte autem in primis illo vſus eſt Plutarchus in apophthegmaſi, de Themiſtocle loquens, qui filium dicebat, quod matri illuderet, atque omnia gratificari ſibi, quae in mentem ipſi veniſſent, cogeret, plurimum poſſe omnium Graecorum: cuius etiam rei rationem ſubtiliter callideque ſubducebat. verba eruditi ſcriptoris haec ſunt. τὸν δὲ υἱὸν ἐντρυφῶντα τῇ μητρὶ, & quae ſequuntur.

Verſus Pacuuij indicatus, qui eandem paene ſententiam continet, quam chorus edit in Oedipode tyranno. confirmataque vetus lectio loci Ciceronis pro A. Cluentio.

CAP. XX.

QVOD chorus apud Sophoclem in Oedipode tyranno cecinit, calamitatem Thebani populi oſtendere volens, multis ac grauibus malis oppreſſi, nec viam rationemque vllam videntis, qua mala illa pelli poſſent. οὔτε γὰρ ἔκγονα κλυτᾶς χθονὸς αὔξεται, οὔτε τόκοισιν ἰηΐων καμάτων ἀνέχουσι γυναῖκες, vt intelligere licet paucis ipſius verbis, quae leguntur apud Nonium, commemorarat etiam Pacuuius Duloreſte: arbitrabantur enim priſci illi deos hominibus iratos ob aliquod impium facinus, fructibus terrae obeſſe; foetuſque animantium perdere, atque ita improbitatem mortalium vlciſci, donec homines ipſos placarent, ac ſcelus ipſum expiarent. Pacuuij verba, mirifice ſuperiori loco reſpondentia, ſunt haec. Nec grandiri frugum foetum poſſe, nec mitefcere. Quod autem in eadem tragoedia Sophocles inducit Oedipum, timentem iam ne ipſe Laium interfeciſſet, cogitantemque ſecum, ſi id factum eſſet in quot ſcelera imprudens incidiſſet: in aliiſque dicentem. λέχη δὲ τοῦ θανόντος χεροῖν ἐμαῖν χραίνω, δι' ὧνπερ ὤλετ'. ἆρ' ἔφυν κακός. paene etiam expreſſit Cicero, cum pro A. Cluentio Oppianici nefariam vitam, Saſſiaeque ſaeuiſſimae matris impudentiam demonſtraret. primum enim ait. Non denique illam Oppianici domum, viri ſui ſanguine redundantem, reformidat. & multo poſt in exagitandis augendiſque criminibus Oppianici. Qui eius vxorem, quem occiderat, in matrimonium duxerat. nam quod in priore loco domum lego, non dextram vt nunc excuſi, qui meliores habentur, habent, ſequor antiquos libros, in quibus, vt in his etiam, qui ſuperiore aetate impreſſi ſunt, ſcriptum eſt domum. Peccarunt igitur magnopere, qui emendare volentes, id, quod emendatione non egebat, illud deprauarunt. praeter autem fidem optimi exemplaris, non ſatis apte fortaſſe manus ſicarij redundare ſanguine diceretur, vt ampliora loca ſaepe a Cicerone redundare dicta ſunt. ita enim magna vis ſanguinis manans vndique, & fluctuans conſpicitur. In primo quoque de Diuinatione eodem pacto locutus eſt de ſomnio matris Phalaridis loquens. Ex his Mercurium e patera, quam

ra, quam dextra mano tenuerat, ſanguinem viſum eſſe ſundere: qui, cum terram attigiſſet, ſaleruelcere viderent ſic, vt tota domus ſanguine redundaret.

Ratio nominis cenſorum declarata, cuius auctor fuerat M. Varro: & qua paena afficere ſolerent eos, qui culpae affines forent, indicatum. Simulque locus Plauti emendatus.

CAP. XXI.

CENSORES, grauiſſimus Romae magiſtratus: quique populi moribus praeeſſet, vnde vocati forent, nec non qua paena afficerent eos, quorum facta vitamque non probaſſent, percipitur e locis quibuſdam optimorum auctorum, a veteribus grammaticis exempli loco poſitis. primum autem, quod ad vim nominis facit, verba haec M. Varronis de vita populi R. id explicantia apud Nonium leguntur. Itaque, quod hos arbitros inſtituerunt populi, cenſores appellarunt: idem enim valet cenſeri, & arbitrari. Quomodo autem animaduerterent in eos, quos culpae affines inueniſſent, traditum fuit a Cicerone in iiij. libró de rep. his verbis, ab eodem grammatico citatis. nonnullas autem inde maculas ioſtuli, nec tamen affirmarim omnino locum purgatum eſſe. Cenſoris iudicium nihil fere damnato offert, niſi ruborem. Itaque vt omnis ea iudicatio verſatur tantummodo in nomine, animaduerſio illa ignominia dicta eſt. Hoc autem confirmat quoque quod ipſe iudicium huius magiſtratus, cenſoriam notationem vocare conſueuit. Luſit igitur Plautus in hoc, Aulularia, cum Strobilum ſeruum officiis ſtrenui ſerui expoſitis, ita induxit loquentem. Qui ea curabit abſtinebit cenſione bubula. Nec ſua opera reddet vmquam in ſplendorem compedes. ita enim videtur legendum, non vt in excuſis libris inuenitur. abſtinebit cenſio ne bubula: quorum verborum ſenſus nullus eſt, vt iocetur in ea voce, ſignificetque longe diuerſam futuram paenam illam ab animaduerſione cenſoria: nam flagris, e corio boum factis, caedetur: non ignominia notabitur, qui muneri ſuo defuerit. Eoſdem hos ſignificauit M. Cicero, cum in epiſtola quadam ad Atticum, loquens de iis, qui ſecuti fuerant Caeſarem, bellum patriae inferentem, inquit. Omnes damnatos, omnes ignominia affectos. Neque tamen, vt arbitror, ſolis cenſoribus licebat notare affines alicui culpae, ſed alij etiam magiſtratus poterant ignominia afficere, quos ipſis viſum eſſet, cum cenſores ſolum valerent improbos ciues notare.

Vt Cicero aliquando: Excidiſſe verbum inquit μετεωρισμῶς, ita Graecos dicere ſolitos ἐκπεσεῖν: Platonemque, idem oſtendere volentem, euidentius adhuc dixiſſe, ἐκφυγεῖν.

CAP. XXII.

QVOD M. Cicero multis locis inquit, excidiſſe verbum ex ore alicuius, cum id elapſum potius temere, quam cogitate emiſſum videretur, quia parum accommodatum illic fuerit, in Graeco quoque ſermone vſurpabatur. vnde qui hoc commiſiſſent, ac ſe purgarent, ignoſci ſibi ea de cauſa aiebant oportere. Pro P. Sylla igitur, modeſtiam ipſius: linguaeque temperantiam indicans, inquit. Verbum ecquod vmquam ex ore huius excidit, vnde quiſquam poſſet offendi. Item in x. Philippica. Quod verbum tibi non excidit, vt ſaepe fit, fortuito: ſcriptum, meditatum, cogitatum, attuliſti. Sed aliis etiam in locis: quibus tamen exemplis, in re iam plana, ſuperſedebo. Ariſtoteles vero in iij. libro de moribus ad Nicomacum, vbi docet, poſſe etiam fieri, vt aliquis ignoret, quod gerat: nec vitium culpamque illius rei intelligat. vnde etiam inquit, quod valet ad hoc declarandum, cum poſtea arguuntur, affirmant in dicendo id ſibi excidiſſe imprudenterque elapſum. Verba ipſius auctoris haec ſunt. ὃ δὲ πράττει, ἀγνοήσειεν ἄν τις, οἷον λέγοντές φασιν ἐκπεσεῖν αὐτοῖς. Plato, cum idem ſignificare vellet, rem auxit: actumque dedit rei ſenſu carenti: inquit enim in Lyſide. ἐδόκει γὰρ αὐτὸν ἐκφυγεῖν τὸ λεχθέν. Quo etiam pacto priſci iuriſconſulti dicebant. Si telum manu fugit. de cuius orationis virtute diſſeruit erudite Cicero in iij. libro de Oratore dicens. Imprudentia teli emiſſi breuius propriis verbis exprimi non potuit, quam eſt vno ſignificata translato.

Graecas quoque mulieres conſueſſe, ſubere calceamentis inſerto, grandiorem ſpeciem corporis reddere.

CAP. XXIII.

MOS erat Graecarum mulierum in calceis ſuberem geſtandi, vt grandiores viderentur: eum autem noſtrae quoque ſibi aſciuerunt, ac ſine modo tractant. id perſpicitur ex longo carmine Alexidis comici, a Clemente Alexandrino in iij. libro Paedagogi poſito, capite quo docet. Non oportere Chriſtianum hominem,

versque

veraque pietate praeditum, cultui corporis valde indulgere: exponebat autem poëta ille infinitum ſtudium, variaſque artes, quibus vterentur mulieres in vitiis corporis celandis: quod vero ad hanc rem pertinet huiuſcemodi eſt. Τυγχάνει μικρά τις οὖσα. φελλὸς ἐν ταῖς βλαυτίοις ἐγκεκάττυται. Plinius in xvj. libro, quo loco de ſubere: vſuque ipſius diſputat, videtur ſignificare hyeme tantum, ipſo feminas vſas, quod concedi poſſet, vt valetudini aptum: & tamen ſtatim addit ea, quae indicant aliud etiam in hoc ipſas ſequutas, & conuenit teſtimonio comici, quod citaui. Plinij ipſiua verba haec ſunt. Praeterea in hibernu feminarum calceatu, quamobrem non infacete Graeci, cortices arborum appellant. Xenophon quoque in libro de tuenda re familiari, muliebris huius fraudis meminit: nec tamen, qua materia vterentur, vt maiores videri poſſent, quae puſillae forent, indicauit. inquit enim de vxore Iſchomachi. ὑποδήματα δ' ἔχουσαν ὑψηλά, ὅπως μείζων δοκοίη εἶναι ἢ ἐπεφύκει. Iidem autem Alexidis verſus citantur quoque ab Athenaeo in xiij. libro, quo loco de meretricibus copioſe diſputat: cum enim oſtendere vellet idem quod Clemens, artificium ipſarum in forma corporis fingenda: fucumque omnem ac fallacias, quas adhiberent, exponeret, vſus & ipſe eſt teſtimonio eius poëtae, qui accurate omnia commemorarat. initium vero eorum, finiſque, idem fere illic eſt, quod apud Alexandrinum auctorem: nam duo verſus, qui deſiderantur apud Athenaeum in principio, leguntur in exemplari ipſius calamo exarato: ita enim habet. Πρῶτον μὲν γὰρ πρὸς τὸ κέρδος καὶ τὸ συλᾶν τοὺς πέλας Πάντα τ' ἄλλα αὐταῖς πάρεργα γίνεται· ῥάπτουσι δὲ. & quae ſequuntur. Sed in iis etiam verbis, quae ſupra adduxi, varietas eſt, cum illic ſcriptum ſit. φελλὸς ἐν ταῖς βλαυτίοις ἐγκεκάττυται: quod enim in excuſis eſt καυκίοις, falſum ſine dubio eſt: βλαύτιον enim calceamenti muliebris genus eſt, quod teſtatur Pollux. vt βλαύτη quoque. Quare collatione vtriuſque loci: diligentique eorum animaduerſione, mendae non nullae, quae inſederunt illic, partim apud Clementem: partim apud Athenaeum, poſſunt (vt arbitror) deleri.

Quibus coniecturis ductus emendarit de opinione locum Clementis Alexandrini. De vinoque Ariuſio, quod, vt optimum, celebratum eſt ab antiquis ſcriptoribus, diſputatum.

CAP. XXIIII.

CVM pium, grauemque ſcriptorem, Clementem Alexandrinum, antequam illum librario atque operis excudendum darem, mecum legerem, locum offendi in aliis nonnullis, quem deprauatum putans, auſus ſum corrigere, ſine auctoritate meliorum librorum: re tamen cum ingenioſis eruditiſque viris antea collata, quos cum mecum facere, coniecturamque meam probare inueniſſem, fidentius antiquo ſcriptori, vetuſtate inquinato, manus attuli: volo autem nunc rem teſtatam relinquere, ne ſi forte lapſus ſim, mea nimia ſedulitas auctori illi obſit: neque enim diligentiae oſtentandae, aut mediocris eruditionis cauſa hoc facio, cum honeſtiſſimos ac doctiſſimos viros teſtes habeam ſtudij, quod in illo emendando poſui. In ij. igitur libro paedagogi, capite itidem ij. vbi docet, quomodo vino vti debeamus: copioſeque atque vtiliter diſputat de incommodis, quae ſecum affert ebrietas, cum prodeſſe etiam vinum modice ſumptum, temporeque affirmet, verba nunc haec ita leguntur. Οὐ πολυτελῆ μὲν οὖν τὸν οἶνον τὸν Χῖον, ἂν ἀπῇ: οὐδὲ τὸν ἀριούσιον, ὅταν μὴ παρῇ. & quae ſequuntur. in vetere tamen illo exemplari, quod ſolum habui, ſcriptum offendi ἀριούσιον: quod deprauatum putans, hoc modo correxi. Plures autem antiqui auctores Ariuſij vini, vt optimi, mentionem fecerunt. Plutarchus in commentario, quo diſputat vitam tantopere laudatam ab Epicuro, ne iucundam quidem eſſe, hoc pacto. ὁ μέν τις τῶν μισθῶν φίλων, μὴ θέντι Θεόγνιν, ὁ κύριος οὗτοι θεός, ὁ βασιλεύς, ὥσπερ ἐπιθυμῶν μισεῖ, ὅτι χρησάμενον αὐτῷ πρὸς τὴν καλῶν πρᾶξιν, ὁ πρὸς τὸ ἀπολαύειν, οὐδ' ὡς πλουτεῖν, τίς ἂν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ βούλοιτο μᾶλλον Λαΐδι συγγενέσθαι, καὶ πίνειν ἀριούσιον, ἢ κτείνας Ἀρχίαν, ἐλευθερῶσαι τὰς Θήβας. Strabo in xiiij. qui narrat a loco nomen illi hoc impoſitum eſſe, cum ager quidam aſper & importuoſus Chij inſulae, Ariuſius appellatus, ferat vinum optimum omnium Graecorum vinorum. Athenaeus quoque in epitome primi libri: nec non etiam Galenus. Animaduertendum autem, cum Virgilius quoque in paſtorali carmine meminerit huius vini. ita namque in vetuſtiſſimis exemplaribus legitur verſus ille: Vina nouum fundam calathis Ariuſia nectar. inueniri quoque libros, calamo exaratos, in quibus ſit Areruſia. quod teſtatus eſt in ſuis accuratiſſimis caſtigationibus probus & eruditus vir, Pierius Valerianus,

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XVI.

Argumentum Ciceronis ponderatum, quo probare voluit M. Caelium in corporis voluptatibus perditum non fuiſſe, vt accuſator arguebat.

CAP. I.

CVM M. Caelij accuſator, ipſum, vt deditum libidinibus, diſtractumque omni genere cupiditatum inſimulaſſet: refellere hoc crimen Cicero volens, ita argumentatus eſt: ſignoque vſus, quod illa ſalſo ei obiecta ſorent, eloquentia ipſius adoleſcentis, & genere dicendi copioſo ac graui, quamuis non inficias ierit amores, ac delicias, quae vocantur, Caelium aliquando oblectaſſe: nec tamen vmquam eum occupatum impeditumque tenuiſſe. cum autem acuti ingenij vir, inprimiſque diſertus, intelligeret infirmitatem eius argumenti: nonnulli enim aliquando inuenti ſunt, qui naturae vi, ſine vlla induſtria atque artificio, pares iis ſorent, qui multum elaboraſſent: immenſumque ſtudium in dicendo ponerent, ita illi occurrit, atque argumentum ſuum corroborauit: oſtendit enim in eo non ſolum ingenium apparere: quod ſaepe, etiam ſi induſtria non alitur, valet tamen ipſum ſuis viribus, ſed ineſſe orationem & bonis artibus inſtitutam, & cura vigiliiſque elaboratam: quorum duorum prius longum tempus, aſſiduamque curam poſtulat: neque enim artes praeclarae cito percipiuntur: alterum autem tunc ipſum cum tractatur, diligentiam & attentionem requirit. Nam verum eſſe, quod aduerſarij dicare potuiſſent, facile perſpicitur, ac plurimis exemplis confirmari poſſet. clarum autem in primis ac nobile eſt Demadis ac Demoſthenis: Demades enim cum eloquentia floreret, a natura inſtructus eſt, non laboribus, ac vigiliis expolitus: contra enim ea potius vita hominis inſtitutioque erat, quae naturale etiam id bonum corrumperet: niſi illud multum valeret, ac firmas admodum altaſque radices haberet. & meretrices namque (vt memoriae proditum eſt) alebat, & vino ſe paſſim obruebat. Demoſthenes vero & multum operae in arte dicendi percipienda adoleſcens poſuerat: & poſtea vir factus, aquam bibebat: totaſque noctes vigilabat. hoc autem aduerſus ambos a Pythea oratore, illis infeſto, dictum eſt: & monimentis poſtea litterarum a grammaticis traditum. Nam quod ad amores pertinet, in quibus fatetur Cicero ipſum aliquando verſatum fuiſſe, videndum eſt an Caelius Catulli riualis fuerit. ſi namque verum eſt, quod proditum memoriae eſt ab Apuleio, quam Lesbiam poëta ficto nomine appellat, fuiſſe Clodiam, vix dubitare de hoc poſſumus: familiaritas enim praecipue Clodiae, quod aperte narrat Cicero, infamiam attulit Caelio: cauſaque fuit omnium ipſius malorum: cum enim eodem tempore vixerint: Clodiaque haec impudica mulier fuerit, & multorum adoleſcentium amore flagrarit, veriſimile eſt hanc Clodiam illam fuiſſe, quam Catullus quoque amauit. Sed ipſe etiam poëta hoc oſtendere videtur: vel potius manifeſto declarat, ſi conceditur falſum illud ſimulatumque nomen hanc ſignificare: in hendecaſyllabo enim, quo cum Caelio queritur de flagitiis ipſius, quae corpus palam publicaret, ſe ſocium illum habuiſſe in eo amore narrat, ita ſcribens. Caeli Lesbia noſtra: Lesbia illa, Illa Lesbia, quam Catullus vnam Pluſquam ſe, atque ſuos amauit omnes. Nunc in quadriuiis, & angiportis, Glubit magnanimos Remi nepotes. proſtitutae enim pudicitiae hanc quamuis nobilem admodum mulierem, fuiſſe ex oratione Ciceronis intelligitur. Vnde quum Quadrantaria illa vocata ſit, cuius cognominis rationem Plutarchus exponit, M. Caelius creditus eſt auctor illius fabulae fuiſſe, quamuis id Cicero purget.

Mos Graecorum explicatus, qui buſtis myrtum imponebant: atque illo etiam modo mortuos ipſos ornabant.

CAP. II.

RAMVLOS myrti Graecos conſueſſe buſtis imponere, cum quaſi inferias facerent: atque ita ſolitos etiam mortuos decorare, indicio Euripidis intelligitur. qui in Electra ita inducit virginem hanc ipſam de ea re querentem, cum acerbitatem inimicorum accuſaret, qui ne mortuo quidem Agamemnoni paterentur debitos honores haberi: maneſque eius, iuſtis ex more factis, placari. Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἠτιμασμένος Οὐ πώποτ' οὐ χοάς, οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης Ἔλαβε: πυρὰ δὲ χέρσος ἀγλαϊσμάτων. Sed etiam poſt in eadem fabula ſenex, qui aluerat Agamemnonem, in ſermone Electrae oſtendit ſe, cum vocatus ad eam accederet, aliquantum de via deflexiſſe: atque ſepulchrum patris ipſius inuiſiſſe: nactumque illic, quam optabat ſolitudinem, et vinum libaſſe: ſepulchrumque eius, myrto impoſita, ornaſſe. Verba tragici poëtae haec ſunt. Ἦλθον γὰρ αὐτοῦ πρὸς τάφον, πάρεργ' ὁδοῦ, Καὶ προσπεσὼν ἔκλαυσ' ἐρημίας τυχών. Σπονδάς τε, λύσας ἀσκὸν, ὃν φέρω ξένοις, Ἔσπεισα: τύμβῳ δ' ἀμφέθηκα μυρσίνας. Nam myrto etiam ſolitos eoſdem ornare Deorum aras, ſatis notum eſt, ex ipſaque hac ſtirpe in laetitia etiam; ſecundiſque ſuis rebus coronas ſibi conficiebant; quod idem tragicus tetigit in Alceſtide, in qua fabula induxit Herculem, cum epularetur, capiti impoſitam habuiſſe coronam e myrto.

Defenſa vetus emendatio loci Ciceroniani contra reprehenſiones aduerſariorum: declaratumque coniecturam illam inanem non fuiſſe.

CAP. III.

QVID mei iudicij foret de integritate huius loci Ciceronis e ij. Philippica, annos ab hinc xvj. ſcriptis meis indicaui: quod enim in excuſis tunc erat. Sequebatur rheda cum lenonibus: comites nequiſſimi. coniecturis ductus putaui ita emendandum. Sequebatur rheda cum leonibus. Suſpicionis autem meae rationes diligenter tunc reddidi. Hieronymus poſtea Ferrarius, accuratus homo, & qui plurimum ſtudij in orationibus illis emendandis poſuit, a iudicio meo diſſenſit. quamuis, quod ego de opinione tantum dixeram, ille confeſſus ſit ſe ſcripto in libro inueniſſe. argumenta autem quibus nititur, vt vnicuique perſpicere licet, haec ſunt: primum enim maiorem numerum teſtium ſequitur: &, vt putat, ob vetuſtatem magis integrorum. deinde non arbitratur ſatis Latine dictum. Rheda cum leonibus, quemadmodum, qui diceret, Rheda cum equis, rheda cum mulis, pro mulis, aut equis iuncta, affirmat ſe non inueniſſe. Addit etiam, vt Cicero rem tam inuſitatam, ac portenti ſimilem, tam breuiter attingeret: nec vllos in ipſam orationis aculeos emitteret, adduci ſe ad credendum nullo modo poſſe: cui rei vt primum reſpondeam ὕστερον πρότερον, quamuis iam tum cauſam eius breui attulerim, ac Cicero ipſe ſuis verbis hoc oſtendat, dicens paulo ſupra. Scio me in rebus celebratiſſimis ſermone omnium verſari: eaque, quae dico, dicturuſque ſum, notiora omnibus eſſe, qui in Italia tum fuere, quam mihi, qui non fui: notabo tamen ſingulas res. & quae ſequuntur. res tam notas iis, qui audiunt, inque vi tam inſolentes, ac portentoſas ſatis eſſe tangere: atque hoc praecepta artis iubere Aeſchines quoque oſtendit contra Timarchum, his verbis. Περὶ μὲν γὰρ τῶν ἀγνοουμένων σαφεῖς ἴσως προσήκει τὰς ἀποδείξεις ποιεῖσθαι τὸν κατήγορον: περὶ δὲ τῶν ὁμολογουμένων οὐ λίαν ἔγωγε μέγα ἔργον εἶναι νομίζω τὸ κατηγορεῖν: ἀναμιμνῆσαι γὰρ μόνον προσήκει τοὺς ἀκούοντας. neque enim vllo pacto oportet, ſtimulis orationis admotis, exagitaret magis namque commouent auditorem ſimpliciter prolatae, quam magno verborum clamore amplificatae. Quod autem ad conſuetudinem ſermonis pertinet, non negarim ſi leonibus iunctam tantum rhedam ſignificare voluiſſet, hoc modo locuturum Ciceronem non fuiſſe, ſed longe alia mens ipſius fuit: augere enim improbitatem hominis ea ratione voluit, dicens rhedam cum leonibus. vt etiam infra locutus eſt, cum inquit. cur me tui ſatellites cum gladiis audiunt. nam dixiſſet fortaſſe cincti gladiis, ſi id tantum oſtendere voluiſſet, ac non inuidiam, crimenque augere. Eodem quoque pacto videtur locutus pro Archia cum ait. Noſtra ſemper feretur & praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus, depreſſa hoſtium claſſis: cum enim illic quoque valet σύν: amplificaturque magnopere victoria illa naualis, cum depreſſae claſſi hoſtium, interitus ducum nominatim adiungitur, nam rheda per ſe intelligebatur animantibus iuncta. declarata autem nouitate rei ac tamquam monſtro, expreſſius monſtrata atque exagitata eſt arrogantia Antonij. Nec me etiam perturbat maior copia librorum, quae aliter legit. ſi namque iudicio tantum fretus illo pacto corrigendum putaui,

quanto

quanto magis nunc teſtimonio exemplaris munitus quanto enim elegantior ſententia haec ſit, facile omnes videre puto. Ratio autem, quam excogitauit Ferrarius corrigendi locum illum (nam correctione prorſus egebat) quanto durior licentiorque ſit nullo negotio intelligitur. neque praeterea probo declarationem ipſius, qui vult Ciceronem pro comitibus nequiſſimis meritorios pueros intellexiſſe: neque enim illos in comitibus vmquam numeraſſet. Tantum vero faciens quantum illud fuit, non aliqua parte indicare eius orationis, qua omnem vitam Antonij diligenter notat, peccatum magnum fuiſſet oratoris: maioreque admiratione dignum eſt nihil dicere de eo, quod vituperare velis, quam parum dicere. Stat igitur (niſi fallor: & niſi me mea nimis delectant) emendatio illa: acriterque oppugnata omnem impetum aduerſariorum eluſit. nec de gradu deiecta eſt: quod enim Plinius hoc factum narrat ab Antonio, cum dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, quo diſcrepat ab eo quod hic a Cicerone, & in epiſtola ad Atticum traditur, negligentiae illius ſcriptoris aſſignandum puto. qui in temporibus lapſus ſit, vt in multis aliis rebus ſaepe peccat. & certe maior fides Ciceroni habenda eſt rerum, quae ipſius aetate factae ſunt, quam Plinio, qui multis poſtea ſaeculis vixit. id autem ipſa ad Atticum manifeſto tetigit. nam quin ita locus ille accipi debeat, nemo dubitat.

Monſtratus locus T. Liuij ad ſimilitudinem conformatus argumenti, quo vſus eſt apud Homerum Agamemnon, in exercitu ad pugnam hortando.

CAP. IIII.

T. LIVIVS, vt manifeſto multis locis expreſſit ſententias quaſdam Homericas, ita in vj. ab Vrbe condita libro videtur locum eius poëtae adumbraſſe, cum in turbulenta illa contione, quam facit a Manlio Capitolino habitam, ita inducit illum plebem ſtimulantem: animumque ipſi addentem. Numerare ſaltem quot ipſi ſitis: quot aduerſarios habeatis. ſi ſinguli ſingulos aggreſſuri eſſetis, tamen acrius crederem vos pro libertate, quam illos pro dominatione certaturos: quot enim clientes circa ſingulos fuiſtis patronos, tot nunc aduerſus vnum hoſtes eritis. A multitudine igitur, numeroque, quo illi valde nobiles ſuperabant, quirites excitare voluit: certamque ipſis ſpem victoriae polliceri. Vſus autem tunc fuit Manlius argumento valde vtili, conſilio ſuo peragendo, & animis pauperum contra nobiles commouendis; nam Ariſtoteles in iis, quae ſunt cauſa ſeditionis; augentque animos populatium ad inſidiandum, hoc quoque poſuit; quod vocauit διὰ καταφρόνησιν, cum ſcilicet, ſpectatis viribus ſuis, & aduerſariorum, incipiunt ipſos contemnere, intelligentes ſe facile poſſe illos ſuperare. vt autem facilius eos perſuaderet, atque id quod aiebat, verum eſſe declararet, vincere ſcilicet ipſos magnopere numero, in memoriam ipſis redegit, quod ſaepe antea animaduertere potuerant, quum ipſos illos nobiles colebant, vt ipſorum praeſidio in rebus ſuis vterentur: domique diligenter ſalutabant: hoc enim ipſis rem patefacere, & quaſi ante oculos ponere poterat. Homerus igitur ſimili quadam ratione vtitur: cum enim in ij. libro Iliadis Agamemnonem facit exercitum, quem imperio ſuo regebat, alloquentem: & quod dedecus ſubiiſſent, quia Troianos diuturno bello profligare non potuiſſent, quamuis pauciores illi forent, oſtendentem, addit. Si namque nos Graeci ac Troiani, induciis factis, velimus numerum vtriuſque gentis recenſere: Troianoſque deligere ſine ſociis: nos vero in decurias diuidamur, ſumamuſque ex eorum numero ſingulos, qui ſingulis centuriis vinum miniſtrent, multae centuriae egerent miniſtro. ex quo intelligere licet, quanto plures Achiui Troianis ſint. verſus ipſius poëtae hi ſunt. Εἴπερ γάρ κ' ἐθέλοιμεν Ἀχαιοί τε Τρῶές τε Ὅρκια πιστὰ ταμόντες, ἀριθμηθήμεναι ἄμφω Τρῶας μὲν λέξασθαι ἐφέστιοι, ὅσσοι ἔασιν Ἡμεῖς δ' ἐς δεκάδας διακοσμηθεῖμεν Ἀχαιοὶ Τρώων δ' ἄνδρα ἕκαστοι ἑλοίμεθα οἰνοχοεύειν Πολλαί κεν δεκάδες δευοίατο οἰνοχόοιο. Valuit autem hoc quoque multum ad rem patefaciendam, inflammandoſque animos Graecorum militum. Animaduertendum vero Homerum ſimile duxiſſe a re, cuius valde ſtudioſa gens illa erat: quamque ſaepius frequentabant, vt nullo negotio ſibi ante oculos illam ponere; indeque facilius veritatem ipſius, quod ſuadebat, intelligere.

Diligenter animaduerſus Euripidis locus in Hippolyto: de moreque veterum ſcribendi in tabulis diſputatum.

CAP. V.

APVD Euripidem nuncius, qui in Hippolyto coronato interitum filij miſero parenti ſignificauit, cum caſum illum omnem ordine narraſſet, in extremo ſermone ſuo innocentiam calamitoſi adoleſcentis defendere volens libere locutus eſt. dixitque

ſe non exiſtimaturum illum affinem fuiſſe ſceleri, cuius arguebatur, quamuis muliebre omne genus ſe ſuſpenderet, atque aliquis piceam in Ida monte ſtantem, litterarum impleret, quod exploratum haberet probitatem pudicitiamque Hippolyti. ſunt autem haec manifeſto ὑπερβολαὶ, quae a commoto animo crebro vſurpantur. verba poëtae, quibus extremam hanc ſententiam complexus eſt, haec ſunt. Καὶ τὴν ἐν Ἴδῃ γραμμάτων πλήσειέ τις Πεύκην, ἐπεί μιν ἐσθλὸν ὄντ' ἐπίσταμαι. Videndum igitur quid intellexerit poëta. num reſpexerit ad morem, quo priſci ſolebant in corticibus arborum nomina deliciarum ſuarum notare: quod teſtantur Graeci grammatici, & quam conſuetudinem tetigit Virgilius, in paſtorali carmine canens ⁝ teneriſque meos incidere amores Arboribus, creſcent illae, creſcetis amores. an potius quod in tabulis veteres ſcriberent. vt ſignificet tabellas, quas inuenit in manibus pendentis vxoris Theſeus. oſtendens, ſi infinita vis tabularum ſcriptarum referta ſit criminibus in Hippolytum, ſe nullam fidem ipſis, contra id quod certo tenebat, habiturum. Similis autem eſt oratio Plutarchi in commentario, quem ſcripſit aduerſus Colotem Epicureum, ignauiam illius familiae inſimulantis: eiuſdem tamen popularis laudis valde cupidae, ac leuia quaedam ſuorum officia factaque immoderate celebrantis: ait enim, ſi forte aliquis ipſius gentis huiuſcemodi quippiam feciſſet, quale Ariſtoteles, qui euerſam patriam dirutamque a Philippo rurſus condi inſtaurarique fecit: aut Theophraſtus, qui iterum patriam, a tyrannis oppreſſam, auctoritate ſua liberauit. vix Nilum tantum chartarum ſuppeditaturum fuiſſe, quantum ipſi in commemorandia illis factis conſumpſiſſent: ait enim οὐκ ἐπαρκέσειν ἂν οἶμαι πρότερον, φέροντα βίβλους, τὸν Νεῖλον, ἢ τοὺς ἀποκαμεῖν γράφοντας περὶ αὐτῶν. materiam autem ex qua chartae confici ſolebant, in Nili ripis naſci ſolitam; paginaſque ex Aegypto in alias terras comportari, certum eſt: id enim quoque videtur ſignificaſſe Cicero pro C. Rabirio cum inquit. Anditae viſaeque merces, fallaces quidem & fucoſae: chartis & linteis, & vitro delatae.

Diſputatum de oſtentis, quae Leuctricam pugnam anteceſſerunt: allatuſque Plutarbi locus, vbi eadem, quae a Cicerone recitantur.

CAP. VI.

IN oſtentis, quae Lacedaemoniis Leuctricam calamitatem portenderunt, haec etiam Graeci quidam auctores poſuerunt, quae Cicero in primo libro de diuinatione retulit his verbis. Lyſandri, qui Lacedaemoniorum clariſſimus fuerat, ſtatua, quae Delphis ſtabat, in capite corona ſubito extitit, ex aſperis herbis & agreſtibus: ſtellaeque aureae, quae Delphis erant a Lacedaemoniis poſitae, poſt naualem illam victoriam Lyſandri, qua Athenienſes conciderunt: qua in pugna, quia Caſtor, & Pollux cum Lacedaemoniorum claſſe viſi eſſe dicebantur, eorum inſignia deorum, ſtellae aureae, quas dixi, Delphis poſitae, paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt, neque repertae ſunt. Plutarchus quoque illorum mentionem fecit in libro, quo cauſam quaeſiuit, cur Pythia verſus facere deſierit, aitque, ordinem in eorum narratione, contrarium ſeruans. Οἱ δὲ ἀστέρες ἠφανίσθησαν, οὓς Λύσανδρος ἀνέθηκεν ἀπὸ τῆς ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίας· Ὁ δὲ αὐτοῦ Λυσάνδρου λίθινος ἀνδριὰς ἐξήνθησεν ἀγρίαν λόχμην καὶ πόαν, τοσαύτην τὸ πλῆθος, ὥστε κατακρύψαι τὸ πρόσωπον. Xenophon tamen in vj. libro rerum Graecarum, vbi hiſtoriam omnem diligenter narrat, neutrum horum tetigit: tantum commemorat Thebanis ſpem ad vincendum dediſſe oraculum, quo ſignificabatur Lacedaemonios deuictum iri, vbi monimentum virginum eſſet, quae dicerentur, quod vim paſſae a Laconibus quibuſdam eſſent, vita ſe priuaſſe. vnde buſtum illud ante pugnam ornarant: nec non quia Thebis allatum eſſet, omnia templa ſponte ſua aperta: antiſtitaſque dixiſſe ſigno illo victoriam declarari. Simulque in fano Herculis arma repente non apparuiſſe, tamquam Hercules arreptis illis ad opem ferendam ſuis acceſſiſſet: extremum autem hoc Cicero etiam eodem loco expoſuit: quamuis non nihil variarit: inquit enim. At eodem tempore Thebis (vt ait Calliſthenes) in templo Herculis valuae, clauſas repagulis, ſubito ſe aperuerunt: armaque, quae fixa in parietibus tum erant, ea ſunt humi inuenta.

Reſtituta verba nonnulla Graeca, quae deſiderantur in epiſtola quadam ad Atticum, vbi Homericis verbis fatetur ſe peccaſſe, qui Pomponio non paruerit: cauſamque illius erroris aperit.

CAP. VII.

CVM accurate legerem epiſtolam primam vij. libri ad Atticum, vna cum honeſtis nonnullis, ac doctis viris: veniſſemque ad eum locum, vbi dolet ſe a principio non audiſſe Pomponium, amiciſſime monentem: ſuadebat autem ille vt Pompeium

Caeſaremque

Caeſaremque ſimul complecteretur: nec alterius illorum tantum amicitia contentus eſſet, purgans errorem illum ſuum Cicero, inquit, vtens ſententia Homerica, valde celebri: verbiſque poëtae, quod in animo habebat, exponens: Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθε πατρίδος. ita enim in omnibus, quos vidi & excuſis & ſcriptis libris legitur, coepi ſuſpicari ne deprauatio aliqua peccatumque librarij in his Graecis verbis foret: nec enim videbam quomodo illic manere poſſet: & vnde aptum eſſet illud, πατρίδος. Sciens autem ſententiam hanc editam eſſe ab Vlyſſe in ix. libro Odyſſeae, cum commemoraret ſe ſpreuiſſe preces pollicitationeſque Calypſonis, quae ſummo ſtudio conata eſt illi perſuadere, vt apud ſe maneret: recordanſque reddidiſſe illum rationem ſui conſilij, cum affirmaret, nihil eſſe dulcius patria, neque parentibus: atque id quidem his verbis. ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων. ſtatim arbitratus ſum verba, quae poſt ſuperiorem integrum verſum initium ſunt conſequentis: antecedentque πατρίδος, deſiderari apud Ciceronem: omiſſaque eſſe a negligenti librario. atque eo magis id credidi, quia cum in epiſtola ad Caeſarem imperatorem vtatur eodem verſu Homerico, attulit illic cauſam ſuae illius firmitudinis animi, atque conſtantiae, dicens ὡς πηδὸν ἐκάλυψε μέλαινα: vt eodem pacto hic eodem verſu pronuntiato, rationem ſtatim reddiderit, cur non paruerit tunc conſilio Pomponij. Delectabar igitur animaduerſione hac: gaudebamque me tunc vidiſſe, quod olim me fugerat, accepi tamen poſtea a diligente atque erudito homine, qui praeſens adfuerat, Sebaſtianum Corradum, magnae doctrinae, ac politi ingenij virum, ante me de illo loco eodem pacto exiſtimaſſe, ac memoriae id in ſuis, in eos libros ſcholiis, prodidiſſe. cepi autem voluptatem ex ea re non paruam, quod in hoc etiam mihi cum eo conueniret, quem valde diligo, & a quo me mutuo diligi ſentio.

Quamuis Cicero tradat ſuperiorem aetatem Nequire pro non quire dixiſſe, Ennium tamen in hoc veterem conſuetudinem retinuiſſe.

CAP. VIII.

CVM in Oratore Cicero exempla poneret eorum verborum, quae maiores iam copulando iungebant, hoc etiam attulit. Nequire, pro non quire, Ennius tamen, qui in vetuſtis auctoribus numerari debet, ſolutis diiunctiſque his vocibus vſus eſt: eius enim hic verſus adducitur a Cicerone in epiſtola ad C. Trebatium: qui ipſe ſibi Sapiens prodeſſe non quit, nequicquam ſapit. nam ita legi locum eum debere, praeter antiquorum librorum fidem, quibus teſtibus vſus ipſe quondam deprauatum locum correxi, indicabat etiam Cicero ipſe, qui in iij. libro de Officiis, inquit. Ex quo Ennius. Ne quicquam ſapere ſapientem, qui ipſe ſibi prodeſſe non quiret: cuſtodiuit enim poëtae verba, quamuis menſuras carminis contempſiſſet. retinuit igitur eo in loco poëta, non valde concinnus, conſuetudinem ſuperioris aetatis: niſi putamus, cum ille viueret, non dum aures Romanorum hominum, fugientes moleſtiam illius ſoni, pro non quire coepiſſe dicere, nequire, quod erat ſuauius. cum autem commune hoc ſit omnium linguarum, vt varientur magnopere multo leuioribus in rebus, Latinum in primis ſermonem variis de cauſis, omni tempore, expoſitum fuiſſe huic rei, nullo negotio intelligitur. Polybius autem in iij. libro hiſtoriarum, commemorat illius aetatis, qua Romae fuit, ſermonem tantopere diſſimilem fuiſſe priſcae linguae Romanorum, vt non nulla etiam a diſertis hominibus, adhibita quoque animi attentione, vix intelligerentur: hoc enim protulit, cum interpretaturus eſſet primum foedus, quod feciſſet populus R. cum Carthaginienſibus, non multo poſt exactos reges: pollicitus namque ſe diligenter exquiſiteque omnia expreſſurum, difficultatem tamen magnam eam rem in ſe habere oſtendit.

Collecta plura vocabula, quibus Romani, partim vernaculis: partim peregrinis, oſtenderent homines gutturis ac ventris vitio deditos.

CAP. IX.

ANIMAVERTI, pluribus vocabulis veteres Latinos, quae tamen cuncta eandem formam haberent, appellaſſe homines deditos ventri. nam ratio eorum nominum iudicat eos plus cibi ſumere ſolitos, quam natura deſideret, vt qui voluptatem corporis ſequerentur, & eam quidem turpiſſimam: communemque nobis cum ſpurciſſimis beluis. vnde merito contemnerentur. & mandones igitur illi, & comedones, & edones, & a Graeco verbo formata voce, phagones vocabantur. Id autem teſtimonio M. Varronis planum fit, qui diuerſis in locis omnibus his no-

nominibus vtitur iiſdem modis: vt ſtudio atque opera Nonij intelligitur, apud quem haec eius exempla leguntur. Bimargo. Magna vt tremiſcat Roma, & magnae mandonum gulae. Item περὶ ἐδεσμάτων. Edones Romam, vt turba intendat annona. ſed, propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum, niſi volantem, non video. nec non Modio. Putat fore hoc, quod hinc comedonibus conuenit vſo. quibus notha voluptate cum edont, duntaxat gula gaudet. Lucilios quoque eodem hoc nomine ipſos inſimulat. cuius legitur hic verſus e ij. libro apud Donatum in Phormionem Terentij. Viuite glaucones, comedones, viuite ventres. Quod autem in ſecundo exemplo facete dictum eſt, ad augendam importunitatem huiuſcemodi hominum, videtur e Diphili Emporo ſumptum eſſe: illa enim quoque cum induceret in ea fabula quempiam ipſos accuſantem, in aliis multis, quae iniuriam eorum indicarent, de hoc queſtus eſt, his verbis. Ῥίψασκ' ἀπεχθῶ, καὶ τὰ δεῖ' οὐκ ἔστι. Βοᾶ δ' ἰχθῦς, οὐδ' ἐπιτρέψαι μ' ἐᾶν. Citatur autem longum comici huius, eleganique carmen ab Athenaeo in vij. libro, in quo hi duo ſenarij ſunt. Animaduertendum quoque non ſolum Philemonem fabulam docuiſſe, ἔμπορον vocatam, ſed etiam Diphilum. nam eum hoc nomine comoediam ſcripſiſſe teſtatur Plautus. vnde mercatorem ſuum vertit. inquit enim. Graece haec vocatur Emporos Philemonis. Eadem Latine Mercator Marci Accij.

Cur Romanus magiſtratus, qui vniuerſam Graeciam regeret, non Graeciae praetor, aut proconſul, ſed Achaiae vocaretur.

CAP. X.

QVI in Graeciam a Romanis cum imperio mittebatur, non Graeciae, ſed Achaiae, praetor proconſulve appellabatur. id autem e multis Ciceronis locis liquido percipitur. vt cum in epiſtola ad Ser. Sulpicium, inquit. Quare velim quidquid habent negotij des operam, quod commodo tuo fiat, vt te obtinente Achaiam conficiant. non ſolum autem Achaiae ciuitates regebat Sulpitius, vt ex epiſtolis quoque ad eum ſcriptis intelligitur, ſed vniuerſae Graeciae praeerat. Huius vero rei rationem reddit Pauſanias in Achaicis, dicens id inde natum, quia ſubegerunt Graeciam Romani, Achaeis Graeciae principatum obtinentibus: victis igitur illis vna reliquas reſpublicas ciuitateſque Graecorum in poteſtatem ſuam redegerunt. verba ipſius haec ſunt. καλοῦσι δὲ οὐχ Ἑλλάδος, ἀλλ' Ἀχαΐας ἡγεμόνα οἱ Ῥωμαῖοι. διότι ἐχειρώσαντο Ἕλληνας δι' Ἀχαιῶν, τότε τοῦ Ἑλληνικοῦ προεστηκότων. praeterea cum in epiſtola ad Atticum Cicero in medio Achaico curſu, inquit, idem loſellexit: non enim in Achaiam Cicero tunc, ſed in Graeciam, praecipueque Athenas proficiſcebatur. Polibius etiam accurate docet in ij. libro hiſtoriarum quomodo Achaeorum nomen primum inualuerit: in conſuetudineque eſſe coeperit pro omnibus gentibus Peloponneſum habitantibus: neque enim regionis ſpatio: vrbium ve multitudine praeſtabant, qui antiquitus proprieque Achaei vocabantur; ceteris incolis eius terrae: neque diuitiis, aut militari virtute, quibus rebus plerumque fieri ſolet, vt inferiores veterem appellationem amittant, ac ſuperiorum nomine oſtendantur. Huius igitur rei ille, nouae atque admirandae, cauſas illic diligenter attulit. quas hic, cum copioſe traditae ſint, commemorare non oportet.

Elegans vox Theophraſti, qua labem detrimentumque ſignificauit, quod animo a corpore importaretur.

CAP. XI.

CVM tamquam vas animi corpus ſit, maneatque in eo animus, ceu in domicilio quodam, deteriorem fieri praeſtantiſſimam noſtri partem coniunctione hac vitioris, ſignificare volens politiſſimus philoſophus Theophraſtus, ſimili vtebatur, ducto ab inquilinis, qui mercede data, tabernas domoſque aliquas habitant. Dicebat igitur non paruam mercedem animum corpori ſoluere habitationis: merces autem erat illa, quam oſtendi. ideſt maculae ſordeſque, quae ipſi a corpore illinuntur: mercedem vero ipſe intelligens, ἐνοίκιον appellauit. quo verbo vſus eſt etiam Plutarchus in Sylla oſtendere volens modicas ipſius fortunas in adoleſcentia fuiſſe: affirmauit enim ipſum in domo aliena habitaſſe non magno; quod ſatis certum indicium erat tenuitatis patrimonij. Romae namque domus amplae ingenti pretio conducebantur. vt apparet etiam ex his verbis Ciceronis pro M. Caelio. Sumptus vnius generis obiectus eſt, habitationis, triginta milibus dixiſti eum habitare. Verba Plutarchi haec ſunt. ᾤκει μὲν ἐπ' ἐνοικίοις, ἐνοίκιον δὲ τελῶν. Sententiam autem illam Theophraſti retulit Porphyrius Tyrius in iiij. libro περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων.

Emendatus locus Ciceronis in epiſtola quadam ad Atticum, vbi ignauiam L. Afranij conſulis notat.

CAP. XII.

MVLTA dixit in L. Afranium Cicero in epiſtolis, quas eo conſule ad Atticum ſcripſit: iniquoque admodum animo tulit, nequam hominem, ac nulla laude commendatum, tantum illum honorem conſecutum. vna autem e pluribus, quas illi inuſſit, notas, macula ſcripturae deleta eſt: nec perſpicitur, vt nunc in excuſis libris legitur, quid nam in turpi homine ille accuſarit. eum autem locus ille mendoſus me olim feſellerit, nunc eum purgare volo. Vbi igitur in formis impreſſis eſt. ille alter nihil ita eſt, vt plane quid erit neſciat, calamo exarati libri plures habent. vt plane quidem erit neſciat. quare, cum peccatum eſſe videatur ab imperitis librariis vno verbo diuiſo, ſi tutius ipſius partes compoſuerimus, vt opinor, mendum ſuſtulerimus. legi namque videtur debere. vt plane quid emerit neſciat: pecunia enim conſulatum ſibi parauerat, vt Cicero ipſe in alia epiſtola indicauit. quam pecuniam ei ſuppeditauit Pompeius: hoc enim ſignificare manifeſto voluit, cum inquit. Nunc eſt expectatio comitiorum, in quae omnibus inuitis trudit noſter Magnus A. filium, atque in eo, neque auctoritate, neque gratia pugnat, ſed quibus Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quae modo aſellus, onuſtus auro, poſſet aſcendere. emere autem magiſtratum, hominemque, mercede ac pretio ſibi illum parare, vt commoda tuis tuendis praeſto ſit: voluntatique tuae pareat, manifeſto valet, vt Cicero pluribus locis locutus eſt: Demoſthenes quoque verbo, quod huic reſpondet ad idem tranſlato, eandem rem ſignificauit. Valet igitur vox illa Ciceronis, tam inertem eſſe, ac rerum gerendarum imperitum Afranium, vt non intelligat ſe conſulem eſſe, ac ſummam auctoritatem in Rep. habere. Dion quoque in xxxvij. libro hiſtoriarum narrat Pompeium in hoc operam, & oleum perdidiſſe: quum enim, magna cum infamia ſua, curaſſet eum cum Q. Metello fieri conſulem, vt acta ſua confirmaret, nihil inde opis tulit: ille namque inquit melius ſaltare didicerat, quam res publicas adminiſtrare, ac regere.

Simile, quo vulgo vtimur, de periculo ardentis vicinae domus, frequens fuiſſe, & apud Latinos, & apud Graecos ſcriptores.

CAP. XIII.

QVI cauere ſibi antea quoſpiam debere admonent, quum malum pares illis ſimileſque inuaſit, ſimili plerumque vtuntur propinquarum aedium: cum enim aliqua conflagrare coepit, aegre incendium a proximis arcetur. Horatium in epiſtola poſteriore ad Lollium hac collatione vſum notiſſimum eſt, cum affirmaret eſſe diligenter defendendam contra criminatores innocentiam amicorum: praeter enim quam quod officium probi viri hoc iubet, ita quoque noſmet ipſos contra morſus inuidiae: maledictaque improborum tutos praeſtamus: inquit igitur. ecquid Ad te poſt paulo ventura pericula ſentis? Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. C. Salluſtius quoque ſimili hoc, quod facit, vt incommodum impendens prope oculis cernamus, ac poteſt quemlibet, tardum etiam hominem, excitare ad ſe muniendum, vſus eſt in iij. libro hiſtoriae, vt indicio veteris grammatici Flauij Soſipatri cognoſcimus: is enim locum eius citauit. Non tu ſcis, ſiquas aedes ignis cepit acriter, haud faciles ſunt defenſu, quin & comburantur proximae? T. praeterea Liuius in xxxj. ab Vrbe condita his verbis. Ex duabus coloniis, quae velut clauſtra, ad cohibendos Gallicos tumultus oppoſitae fuiſſent, cum vna direpta & incenſa eſſet, traiecturumque id incendium, velut ex continentibus tectis, in alteram tam propinquam coloniam eſſet, quid tandem praetori faciendum fuiſſe? Egregie autem vſus eſt hoc ſimili apud Polybium in xj. libro hiſtoriarum legatus quidam in communi concilio: nomen enim aut eius, aut gentis, a qua miſſus foret, dicere aperte non poſſum: cum illic neutrum eorum appareat: vſus autem in oratione, qua ſuaſit Aetolis, vt relicta Romana ſocietate, pacem facerent cum Philippo: cum enim oſtendiſſet multis de cauſis ſe adduci ad id munus obeundum, in illis etiam indicauit, ſe id ſua cauſa, reliquarum Graecarum ciuitatum facere: a quibus non poterat graue aliquod malum ac ſeritus denique abeſſe, quamuis expertes tunc eſſent eius periculi, ſi bellum, implicatis eo Romanis armis, diutius manſiſſet: in oſtendendo autem iuſto ſuo timore, dixit: verba enim auctoris ponam. Καθάπερ γὰρ ὑπὸ τοῦ πυρὸς, ὅταν ὑφάψῃ τις ἅπαξ τὴν ὕλην, οὐκέτι τὸ λοιπὸν ἐπὶ τῇ τούτου προαιρέσει γίνεται τὸ συμβαῖνον, ἀλλ᾽ ὅποι ἂν τύχῃ, λαμβάνει τὴν νομὴν, τὸ πλεῖον τοῖς ἀνέμοις κυβερνώμενον, καὶ τῇ τῆς ὑποκειμένης ὕλης διαφθορᾷ. καὶ πολλάκις ἐπ᾽ αὐτὸν τὸν ἐμπρήσαντα πρῶτον ἄφνως παραλόγως, τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ ὁ πόλεμος ὑπάρχει, ὅταν ἅπαξ ἐκκαυθῇ. & quae ſequuntur.

Cum M. Cicero, & Horatius nubem frontis μετωφρικῶς appellarint, Euripidem quoque declaratum eadem translatione vſum.

CAP. XIIII.

NVBES frontis, ſuperciliive μετωφρικῶς appellata eſt, ſeuerus nimis ac triſtis vultus, ſiue cogitatione aliqua maiore, aegritudineqoe perturbatus: vt enim nubes caeli ſplendorem ſerenitatemque maculat, ita haec triſtitia maerorque oris hilaritatem polluit. Cicero igitur in L. Piſonem, inquit. Neqoe tam fui timidus, vt qui in magnis turbinibus, ac fluctibus Reip. nauem gubernaſſem: ſaluamque in portu collocaſſem, frontis tuae nubeculam: tum collegae tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. eſt autem totus hic ſermo ἀλληγορία: futurae namque tempeſtatis nubes ſigna ſunt: ac ſpiritus ventique, fluctus excitant. Horatius quoque in epiſtola ſuperiore ad Lollium, & ipſe hoc verbum alio tranſtulit, dicens. Deme ſupercilio nubem. Sed Graeci etiam poëtae eodem pacto locuti ſunt. vt Euripides in Hippolyto coronato, vbi chorum, ita canentem induxit, viſa regina Phaedra valde animo perturbata: vultuque aegritudinem ſignificante. στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὔξεται. nec non chorus itidem in Phoeniſſis in extremo ſui cantus. ἀλλὰ γὰρ κρέοντα λεύσσω τόνδε δεῦρο συννεφῆ. Νέφος quoque eodem pacto appellatum eſt a Graecis, & nubes, nimbuſue a Latinis, nota mali, periculique alicuius, quod impendat ciuitati, ſiue certo homini, vt in illa nobili oratione vſurpauit id nomen Demoſthenes, & Polybius in oratione Agelai Naupacti, qua hortatus eſt Graecos, vt inteſtinis diſcordiis finem imponerent, niſi vellent praeda eſſe Barbarorum; eſt autem illa ad extremum v. libri; intellexit autem obſcure ipſe arma Romana; eius verba haec ſunt, ὡς ἐὰν ἅπαξ τὰ προφαινόμενα νῦν ἀπὸ τῆς ἑσπέρας νέφη προσδέξησθε τοῖς κατὰ τὴν Ἑλλάδα τόποις, ἐπισκιάσαι καὶ λίαν ἀγωνιῶ ἴσως .& quae ſequuntur. Veluti etiam Latinum nomen cepit politus noſter, ingenioſuſque poëta, cum cecinit. Fra tanti amici lumi, Vna nube lontana mi diſpiaequa.

Quaedam vox, quam lepidam concinnamque exiſtimauit Cicero, oſtenditur irriſa, exploſaque fuiſſe a Plutarcho.

CAP. XV.

QVOD M. Cicero, prolatum in hiſtoria a Timaeo, vt acutum lepidumque commendat, id Plutarchus dictum antea ab Hegeſia, vt inſulſum frigidumque reprehendit atque exagitat. Latinus ſcriptor in ij. libro de natura Deorum inquit. Concinneque, vt multa, Timaeus, qui, quum in hiſtoria dixiſſet, qua nocte natus Alexander eſſet, eadem Dianae Epheſiae templum deflagrauiſſe, adiunxit. Minime id eſſe mirandum, quod Diana, quum in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, afuiſſet domo. Plutarchi vero verba, idem contemnentis, in Alexandri vita, haec ſunt. Ἐγεννήθη δ' οὖν Ἀλέξανδρος ἱσταμένου μηνὸς ἑκατομβαιῶνος: ὃν μακεδόνες λῷον καλοῦσιν ἕκτῃ καθ' ἣν ἡμέραν ὁ τῆς ἐφεσίας ἀρτέμιδος συνεπρήσθη νεὼς, ὡς Ἡγησίας ὁ μάγνης ἐπιπεφώνηκεν ἐπιφώνημα κατασβέσαι τὴν πυρκαϊὰν ἐκείνην ὑπὸ ψυχρίας δυνάμενον: εἰκότως γὰρ ἔφη καταφλεχθῆναι τὸν νεὼν, τῆς Ἀρτέμιδος ἀσχολουμένης περὶ τὴν Ἀλεξάνδρου μαίωσιν. An delectatus eſt Cicero commento hoc, vt ſubtiliter excogitato? nec animaduertit, in quo editum foret: neque enim in hiſtoria locus videtur eſſe fictis fabulis. Plutarchus vero, triſtis vir, ac ſeueri ingenij, non potuit ferre tam turpem aſſentationem. & cum accuſare ipſam vellet, luſit in vitio illius oſtendendo: huiuſcemodi enim ſine modo prolata mendacia; inſulſaeque ſententiae, frigus afferre dicuntur: cuius frigoris tantam vim eſſe dixit, vt extinguere poſſet incendium illud, quo templum deflagrauit: proprium autem erat Hegeſiae & conſtructione verborum, & inſulſitate ſententiarum peccare, irridendumque ſe praebere: hic enim eſt Hegeſias ille Magnes, quem accuſauit Cicero in Oratore perfecto: nec non Halicarnaſſeus in libro de compoſitione verborum. Neque tamen puto, quamuis longe alius tradatur auctor eius vocis a Plutarcho, in hoc memoria lapſum Ciceronem: fieri enim poteſt, vt poſt Timaeus in hiſtoria poſuerit, quod ante illum edidit, ac monimentis litterarum mandauit Hegeſias.

Verba nonnulla, quae domi noſtrae nata videntur, oſtenduntur hos radices egiſſe a Graeco ſermone.

CAP. XVI.

TESTATVS alibi ſum, multa verba, quae in conſuetudine noſtri ſermonis nunc ſunt, videri ducta eſſe e Graecorum lingua: atque id ſatis claris exemplis confirmaui. Addi autem illis poteſt, quod vulgo dicimus, de quopiam, qui nulli labori parcens, rem ſuam procurat auguſtam; arrabattarſi: eo enim verbo intelligitur feſtinatio quaedam, creberque motus corporis: Graecis enim quoque ῥαβάττειν idem valet, vt teſtimonio veterum grammaticorum intelligitur: quorum nonnulli affirmant ſignificare ſurſum deorſumque curſitare: alij autem ſonitum edere, ſtrepereque manibus ac pedibus. Praeterea quod, cum ſignificare volumus aliquid celeriter, ſummaque feſtinatione iactum eſſe, dicimus in vnattimo, videtur & ipſum inde fluxiſſe. eſt namque hoc (niſi fallor) quod illi aiebant ἐν ἀτόμῳ, aliquantulum corruptum. ἐν ἀτόμῳ autem valet ipſis momento temporis: & vt ratio eius ſermonis declarat, in ſpatio temporis, quod diuidi ſecarique non poteſt. Simile huic eſt, quod cadauera beluarum eiecta, vocamus carognie, a foetore: Graeci enim χαρώνια loca quaedam terrarum appellant, quae exhalant foedus odores, ac ſunt, tamquam aditus quidam fauceſque inferorum. inde igitur vocabulum noſtrum conformatum puto. quod moleſtus odor mortuorum proiectarumque beluarum, idem quod loca illa praeſtat: faciatque ne illac tranſiri ſine moleſtia poſſit. Videntur autem Latini Charonem, portitorem inferorum, appellaſſe orcum vnde turbam illam nouorum ſenatorum, qui poſt necem Caeſaris, fraude Antonij, in ſenatum irruperant: a Romaniſque hominibus, ipſos deſpicientibus, ac numine illo irridentibus, dicebantur orcini, Plutarchus in Antonio, Latinum nomen exprimens, appellauit χαρωνίτας. Suetonij verba in Auguſto, id memoriae prodentia, haec ſunt. Senatorum affluentem numerum, deformi & incondita turba: erant enim ſuper mille & quidem indigniſſimi, & poſt necem Caeſaris per gratiam & praemium allecti, quos orciuos vulgus vocabat, ad modum priſtinum & ſplendorem redegit. Plutarchi vero haec, idem commemorantis. πολλοὺς δὲ βουλευτάς· οὓς δὲ κατῆγε πεφυγαδευμένους, καὶ καθειργμένους ἔλυσεν, ὡς δὴ ταῦτα τῷ Καίσαρι δόξαντα. Διὸ τούτους ἅπαντας ἐπισκώπτοντες οἱ Ῥωμαῖοι χαρωνίτας ἐκάλουν· ἐλεγχόμενοι γὰρ εἰς τὰ τοῦ νεκροῦ κατέφευγον ὑπομνήματα.

Latrones antiquitus ſtipatores appellatos: emendatuſque ſimul M. Varronis locus, vbi a Graeco rationem huius nominis ducit.

CAP. XVII.

LATRONES, non ſolum appellatos a veteribus, qui in praetereuntes impetum facerent, verum etiam cuſtodes corporis, ac milites mercede conductos, & antiqui grammatici teſtantur, & exemplis pluribus Plauti percipitur: cum enim in milite glorioſo illum ipſum cum paraſito ita induxit loquentem. Videtur tempus eſſe vt eamus ad forum, Vt tu tabellis, quas conſignaui hic heri, Latronibus ego denumerem ſtipendium. Nam rex Seleucus me opere orauit maximo, Vt ſibi latrones cogerem, & conſcriberem, manifeſto hoc intellexit. M. autem Varro in vij. libro de lingua Latina, verſu Plauti citato, vim huius verbi interpretatur, ac plures eius rationes adfert: inquit enim in Cornicula (haec autem comici eius poëtae fabula eſt, quae periit) Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio. Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum, quos poſtea a ſtipatione ſtipatores appellarunt. & qui conducebantur: ea enim merces Graece dicitur λάτρον. ab eo veteres poëtae non numquam milites appellabant latrones. quod item, vt milites, cum ferro, aut quod latent ad inſidias faciendas. Hunc autem Varronis locum ſcripſi, vt in vetuſtiſſimo illo: longeque excuſis meliore, libro inueni. nam in impreſſis Graecum verbum aliter legitur: κέρδος enim illi habent mendoſe, vt multis modis intelligere licet. valere autem illud Graecis mercedem teſtimonio quoque eius gentis grammaticorum planum fit. Heſychius enim in lexico λάτρον interpretatur μισθόν. & λάτρις qui mercede ſeruit vocatus. & operam ſuam accepta pecunia alicui emancipat. Idem Plauti verſus adducitur a Nonio, ſed mendoſus. Sex. quoque Pompeius auctoritate ſua hoc confirmat, cuius haec verba ſunt. Latrones eos antiqui dicebant, qui conducti militabant, ἀπὸ τῆς λατρείας. nunc viarum obſeſſores dicuntur, quod a latere adoriuntur: vel quod inſidiantur latenter.

Confirmatur emendatio, qua maculam eluit, e nomine oppidi Siciliae in II. libro πολιτικῶν.

CAP. XVIII.

CVM ſuperiore anno libros Ariſtotelis de rep. multis locis purgatos, edendos curaui, in aliis plurimis mendis, quas auxilio librorum ſcriptorum deleui, coniectura ductus, correxi (niſi fallor) erratum librarij in nomine oppidi Siciliae, vbi Minos Cretenſium rex, mortem obiit: cum enim in ſecundo libro de ſitu Cretae diſputaſſet: egregieque illam inſulam poſitam ad regnum Graeciae obtinendum oſtendiſſet, addidit. Qua de cauſa imperium maris Minos occupauit: inſulaſque partim ſubegit: partim condidit. ad extremumque, cum Siciliae bellum intuliſſet, illic mortuus eſt prope Camicum: ita enim arbitror legendum. περὶ κάμικον. non, vt in excuſis prius erat, & ſcriptis etiam exemplaribus, περὶ κάμικον. Stephanus autem me impulit, » & Strabo, vt hoc auderem: nam Stephanus inquit. Κάμικος πόλις Σικελίας, οὗ ἦν κώκαλος » ἄρχων, ὁ Δαιδάλου. Strabo vero in vj. libro. καὶ τὴν ἀκρόπολιν δ' ἐξελεῖν θέλοντες πολλὰ καθάπερ οἱ κάμικοι τὸ κωκάλου βασίλειον, παρ' ᾧ Μίνως δολοφονηθῆναι λέγεται. quamuis in excuſo καμικεῖ perperam ſcriptum ſit. & in eodem libro poſt, vbi de Tarentinis diſſerit: commemoratque, quae gentes ea loca incoluerint ante aduentum Phalanti, illius vrbis conditoris: ait » enim. τούτους δ' εἶναι φασὶ τῶν μετὰ Μίνω πλευσάντων εἰς Σικελίαν, καὶ μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν » τὴν ἐν καμικοῖς παρὰ κωκάλῳ συμβᾶσαν, ἀπαράντων ἐκ Σικελίας. Cum igitur Strabo non ſolum regis Cocali, Minois filij, oppidum illud fuiſſe dicat, ſed adiungat inſidiis illic interfectum fuiſſe Minoëm, videtur dubitari non poſſe de veritate lectionis. nam Caminum vrbem Siciliae vocatam nuſquam legi.

Locus Ciceronis in primo de Oratore oſtenditur aliter legi in ſcriptis libris atque in excuſis legatur: Diſſeriturque de recta verborum compoſitione.

CAP. XIX.

QVAMVIS multum tribuerit M. Cicero rectae collocationi verborum: ac ſupra ceteros Romanos homines numeroſae orationi ſtuduerit, aliquando tamen tam accuratam diligentiam contempſit: incidit que in ſtructuram eam, quam vitioſam eſſe, ſummoque ſtudio declinandam Iſocrates, huius concinnitatis obſeruator mirificus, ac magiſter, putauit. quod etiam notat Quintilianus in ix. li» bro ita praecipiens. Videndum etiam ne ſyllabae verbi prioris vltimae, ſint primae ſequen» tis. Id ne quis miretor, Ciceroni in epiſtolis excidit. Res mihi inuiſae viſae ſunt Brute. & » in carmine. O fortunatam natam me conſule Romam. Hoc autem prius viderat admonueratque nobilis ille doctor, ſi illius verus erat liber, qui eius nomine quondam circunferebatur: in ſcribendo quidem certe ſummo ſtudio diligentiaque obſeruabat: in eo enim hoc quoque cum aliis huiuſcemodi multis praeceptum erat. vt interpres Hermogenis refert. μηδὲ » τελευτᾶν, καὶ ἄρχεσθαι ἀπὸ τῆς αὐτῆς συλλαβῆς, ἵνα δῆτα τάξω. ἄλογα κακά. Ἰδὲ Θαλῆς: exempla » enim eius vitij, vt putabat, poſuit. Adiungi autem his poſſet, quod a Platone in Lyſide di» ctum eſt. πεῖσμα μακρόν. & ab Ariſtotele in iiij. πολιτικῶν. ἔχειν σκηνάς. Quintilianus tamen cum e ſcriptis Ciceronis exempla huius culpae attulit, non vnam ſolum, ſed alteram etiam ſyllabam iteratam habentes locos, indicauit: & ſane hoc admonuiſſe videtur: multitudinis enim numero in praecipiendo vſus eſt. nam infinitis locis apud eum conſequens verbum incipit ab ea ſyllaba, in qua prior deſinit. Quod autem valde hoc attinet: a meque iam pridem obſeruatum eſt, admonere ſtudioſos volo. locum hunc e principio primi libri de Oratore ita le» gi in ſcriptis exemplaribus. Nam qui locus quietis & tranquillitatis pleniſſimus fore vide» batur, in eo maximae moles moleſtiarum & turbulentiſſimae tempeſtates extiterunt. eum ab excuſis abſit moles. quod ſi vera haec, integraque lectio eſt, tertium hoc exemplum eſt compoſitionis reprehenſae a Quintiliano: & ſane verbum id ſententiam implere videtur: rectiuſque atque accommodatius mihi videtur moleſtiarum dici moles, quam tempeſtates. vnde aptum ſit verbum illud, hoc ſublato, neceſſe eſt. quod ſi ſemel atque iterum ea repetitio Ciceroni excidit, potuit, etiam tertium ipſi effugiſſe: fortaſſeque putata eſt, raro vſurpata, aliquid habere concinnitatis. nam Plautus exiſtimari debet da induſtria, ſuauitatemque periequens, » in Pſeudolo ſcripſiſſe. Nunc noſtri amores: mores, conſuetudines. ſimileque huic eſt quod

Cicero

Cicero ipſe pro L. Muraena dixit. Quae tibi non deerat: erat enim diligenter ſcripta Calphurnia. nec tamen tantopere offendit aures moles moleſtiarum, quantopere ſuperiores illae: neque enim duae geminatae ſyllabae dictionem abſuluunt. quod demonſtratis a Quintiliano manifeſto contingit. Huiuſcemodi etiam eſt illud, quod plurimis locis pronuntiatum a M. Tullio eſt, neceſſe eſſe.

Declaratur, vt ſedere ſignificat aliquando in Latino ſermone cunctari & pigre ſe gerere, ita etiam καθῆσθαι in Graeco.

CAP. XX.

SEDERE, non ſolum habitu illo corporis manere, ac quieſcere ſignificat, ſed etiam negligenter ſe gerere in aliquo negotio. vt cum Cicero in Piſonem, inquit. An poteſt vlla eſſe excuſatio, non dicam male ſentienti: ſed ſedenti, cunctanti, dormienti, in maximo reip. motu, coniuli? id tamen ille vt apparet, non vno hoc tantum verbo ſignificauit: ſed praeterea duobus. vt eadem paena vis ſit trium verborum, quibus vſus eſt in accuſanda Piſonis inertia. Demoſthenes in prima Philippica, vt nunc illae appellantur, nam veteres Olynthiacas etiam in illis numerabant: cum Athenienſium ignauiam, torporemque reprehenderet, qui aſtutam rationem Philippi non attenderent: nec ſe cingi vndique ab illo praeſidiis, & quaſi circumuallari viderent: remediaue tanto malo non adhiberent, inquit. καὶ κύκλῳ πανταχῇ μέλλοντας ὑμᾶς, καὶ καθημένους, περιστοιχίζεται. Sophocles quoque ſuo verbo eodem pacto vſus eſt, cum inquit, χωρῶμεν, ἐγκονῶμεν, οὐχ ἕδρας ἀκμή. Comici etiam Latini eandem feſtinationem apte expreſſerunt, vt Plautus. cum inquit; Non enim nunc tibi dormitandi, neque ceſſandi copia eſt, & Terentius, cum inducit ſeruum ita ſibi ipſi ſtimulum addentem ad declinandas eri minas: Enimuero Daue, nihil loci eſt ſegnitiae, neque ſocordiae. Elegans etiam Bacchylidis carmen apud Halicarnaſſeum legitur, quo reprehenditur acriter ceſſatio haec, atque procraſtinatio, eodem nomine appellata: ac quid agendum ſit, eiecta ex animo hac pigritia docetur. haec autem verba lepidi illius, tenerique poëtae ſunt, tempori tamen tunc ſeruientis: ſpiritus namque in illis non paruus eſt. οὐχ ἕδρας ἔργον. οὐδ' ἀμβολᾶς, ἀλλὰ χρυσαιγίδος Ἰτωνίας χρὴ παρ' εὐδαίδαλον ναὸν ἐλθόντας, ἁβρόν τι δεῖξαι. non eſſe autem opus ſeſſionis: neque procraſtinationis dicens (vt opinor) ſignificat, non poſſe id effici ab hominibus inertibus: atque in aliud tempus rem differentibus. ſed munus eſſe quod requirat, ſi ad exitum perduci debet, ſtrenuos & acres viros. Ἰτωνίαν vero χρυσαιγίδα vocat Mineruam ab Itune monte. in quo illi aedificatum templum erat. vt Catullus quoque eandem deſcripſit in nuptiis Pelei celebrandis. Vnigenamque ſimul cultricem montis Itōnis.

Duo Ciceronis loci manifeſto mendoſi pro M. Marcello, de opinione reſtituti.

CAP. XXI.

DVO ſunt loci in oratione pro M. Marcello, qui (niſi fallor) eodem vitio laborant: atque ita corrupti ſunt, vt ſententia nulla commoda inde eliciatur. eos igitur diligenter excutiendos proponam, vt ſi, quod mihi videtur, aliis itidem viſum fuerit, maculae tam turpes inde eluantur. mendum autem eſt, quod particula negandi, vt videtur, in ambobus defecit. Prior igitur hic eſt. loquitur autem de rebus a C. Caeſare geſtis. Quae quidem tanta eſt, vt trophaeis monimentiſque tuis nulla vmquam allatura ſit finem aetas: nihil enim eſt opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & conſumat vetuſtas. prius tamen quemadmodum inuenerim in pluribus ſcriptis libris oſtendam: ſunt enim in quibus legatur. Vt nulla trophaeis, monimentiſque tuis allatura ſit finem aetas. quare arbitror legendum. Vt non nulla trophaeis monimentiſque tuis allatura ſit finem aetas. quam opinionem meam ita confirmant verba, quae ſequuntur, vt dubitari non poſſe videatur, quin negatio, reſtituta a me, antea deſideraretur. trophaea namque, & monimenta Caeſaris, cum humano opere, ac manu facta eſſent, non poterant fortunam reliquarum eiuſdem generis rerum, declinare. Sed hoc relicto, qui ſatis firmus videtur, poſteriorem videamus, qui hic eſt. Ingratus eſt iniuſtuſque ciuis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: vt etiam ille ſit melior, qui in acie cecidit, quam qui in cauſa animam profudit. corrigi enim hic quoque, eadem particula addita huic membro, animam non profudit, puto oportere, hoc ſenſu. vt ſi extiterint quidam acerbi Caeſaris inimici, ac valde cauſae ipſius dignitatique infenſi, quorum alteri in praelio occiſi ſint: alteri autem, errati venia impetrata, viuant: nec tamen placati illi reconciliatique tanto beneficio

ſint,

ſint, dicat magis ferendos, qui in pugna ceciderint, quam qui, in cauſa, quam tantopere pro-
barent, defendenda, animam non proiecerint: nec interfici potius in acie voluerint. hic autem
quoque vt ſupra; cauſa quam aſtet, integritatem huius lectionis confirmat: adiungit enim.
» Quae enim pertinacia quibuſdam, eadem aliis conſtantia videri poteſt, quibus verbis tamquam
« diſſoluit ac refellit, quod aliquis opponere potuiſſet. non recte ipſum anteponere animi obſti-
nationem: pertinaciamq; placabiliori naturae, & quae fortunae virtutique Caeſaris ceſſerit: ne
gat enim ipſum ſuo, veroque nomine hanc rem appellare: nec eſſe eſſe illam pertinaciam vocan
dam, cum finis eorum non malus vitioſuſque foret. pertinaciam autem intelligit, aut eorum,
qui in mala turpique cauſa obſtinati maneant, aut eorum illorum, qui liberati periculo mortis,
animo tamen in eadem voluntate perſeuerabant: culpam enim ſignificat hoc verbum. con-
ſtantiam autem appellat animum illorum, qui mori malebant in honeſte ſuſcepta cauſa quam
cedere, ac victori ſe committere: quae alio vocabulo, perſeuerantia quoque appellatur, vt teſti-
monio M. Varronis cognoſcimus, qui initio v. libri de lingua Latina ad Ciceronem, ita de vtra-
» que diſſeruit. Itaque, a qua re ſit pertinacia eum ſequitur, oſtenditur eſſe a pertendo: in qua re
» ſit impoſitum dicitur, cum demonſtratur, in quo non debet pertendi, & pertendit, pertinaciam «
» eſſe. quod in quo oporteat manere, ſi in eo perſtet, perſeuerantia ſit. nam inde etiam percipitur
deſiderari hic negandi particulam: ſine illa enim idem quod antecedente membro, conſequen-
te etiam hoc ipſo dictum foret. idem namque manifeſto valet in acie cecidiſſe, & in cauſa ani-
mam profudiſſe. Haec ego multo antea adnotaram: itaque non incommode poſſe putaram
vtrumque vulnus pulcherrimae orationis ſanari, cum poſtea animaduerti Gabrielem Faërnum,
magni ingenij virum: acrisque iudicij, alia ratione priorem illam plagam curaſſe: cum e-
nim diligentia ſua: ſtudioque, quod in optimis ſcriptoribus purgandis ponit, multas maculas
» ex hac oratione deleuerit, ita priorem illum locum excudendum curauit. Quae quidem tan-
» ta eſt, vt trophaeis monimentiſque tuis allatura ſit finem aetas. quemadmodum ſane ſcriptum
eſt in antiquiſſimo quodam libro, qui in Medicea bibliotheca ſeruatur: in quo haec oratio
cum paucis aliis ſcripta eſt, poſt libros duos de inuentione: vtroque enim pacto locus reſtitui-
tur: eademque ſententia ex ambabus his lectionibus elicitur. & ex hac ipſa, quae nullam vl-
lius operam amplius requirit: & ex illa, quae auxilium alicuius, vt integra foret, expectabat:
quod tamen cum latum ei (vt opinor) nunc ſit, non eſt deterior ipſa altera exiſtimanda.

Deleta macula e V. libro M. Varronis de lingua Latina.

CAP. XXII.

TESTIMONIVM hoc M. Varronis, quod modo citaui, admonuit me vt men-
dum tollerem e verbis, quae conſequuntur, in excuſis libris erudititiſſimi illius
ſcriptoris, aut deprauatis aut imminutis. ita igitur in non nullis legitur. Prio-
» rem illam partem vbi, cur, & vnde, ſint verba ſcrutantur, Graeci vocant ἐτυ-
» μολογίας: illam alteram ἀναλογίας. in aliis enim poſterius Graecum verbum
defecit. Antiquiſſimum illud exemplar, cuius ſupra quoque mentionem feci: cuiuſque iam
» fides (vt opinor) perſpecta ac conſtituta eſt, habet. illam alteram περὶ σημαινομένων. quae
manifeſto vera lectio eſt. quod e ſuperioribus verbis auctoris perſpicitur: intelligit enim par-
tem illam quam vocauit, in qua ra vocabulum ſit impoſitum. id autem ad ἀναλογίας non per-
tinet ſed notionem vimque vocabulorum valet.

*Macrobij locus mendoſus a mancus, & macula deleta, & exemplo poſito, re-
ſtituitur: quomodoque aliae turpes maculae inde etiam
detergeri poſſint, declaratur.*

CAP. XXIII.

MACROBIVS in v. libro Saturnaliorum, vbi de poculo, quod κισσύβιον a Grae-
cis vocaretur, diſputat, ac quae nominis illius ratio eſſet: plures enim fereban-
» tur, docet, inquit. vt in excuſis exemplaribus legitur. Qui autem ciſſybi-
» um, ex hedera factum poculum ἦν ἐκ κισσοῦ non dici arbitrantur, Euripidis
» auctoritate niti videntur, qui in Andromacha ſic ait. exemplum eius poëtae il-
lic deſideratur. In Andromacha vero huius poculi mentio nulla. quare conſtat locum
corruptum eſſe. legi autem debere in Andromeda teſtimonio Athenaei perſpicitur. vn-
de omnem illam eruditam accuratamque diſputationem, quam habuit de poculis, quae
Virgilius Graecis vocabulis appellauit, accepit Macrobius: quamuis, vt mos hominis eſt, a

quo

quo adiutus ſit, non indicet. Euripidis verba, quae illic poni debuerunt, haec ſunt. πᾶς δὲ ποιμένων ἔρρει λεώς. Ο μὲν, γάλακτος κισσύβιον φέρων σκύφον. πόνων ἀναψυκτῆρ'· ὁ δ' ἀμπέλων γάνος. tolli autem debere particulam negandi e verbis Macrobij liquido cognoſcitur: Euripides enim cum inquit, κισσύβιον σκύφος, videtur materiam oſtendiſſe e qua vas illud factum eſſet: in conuentu namque paſtorum, atque agreſtium ligneum vas adhiberi debuit. Scribi vero illic debere ἐν κισσύβιον ipſe puto, vt ex vltima parte Graeci nominis ab imperito aliqoo Latinum monoſyllabon, quod vim negandi habet, conflatum ſit. Non vnus autem hic tantum locus auxilio Athenaei, mancus ac deprauatus reſtituitur, ſed omnis illa diligens Graecorum poculorum explicatio: teſtimonia enim cuncta, quae citat Macrobius, nullo ſuo labore quaeſita, ſed a Graeco ſcriptore translata ſunt. In xj. autem libro Athenaeus examinandis vocabulis poculorum operam dedit: cunctaque ſummo ſtudio, ac diligentia explicauit. eorum vero partem tantum perſecutus eſt Latinus grammaticus, quae Virgilianae doctrinae explanandae conueniret. Huius igitur loci correctione omnem illam partem eius libri, laceram mirum in modum ac maculoſam, videor mihi reſtituiſſe, atque emendaſſe. cum, quomodo hoc nullo labore fieri poſſit, oſtenderim: non defecerunt enim tantum apud eum auctoritates ſcriptorum, ſed nomina etiam ſaepe fabularum operumque peruarſa ſunt. quibus omnibus malis facile illa ratione, opeque Graeci auctoris, ſuccurritur.

Duo M. Varronis loci emendati in V. libro de lingua Latina.

CAP. XXIIII.

FOEDA macula occupauit locum M. Varronis in v. libro de lingua Latina: quae tamen (vt opinor) rato deleri coniectura poteſt. nam antiquiſſimus etiam liber ea parte deprauatus eſt. vbi igitur quaerit, quod etymon habeant Veliae, qui locus in vrbe eſt, ita nunc vulgo legitur. Velias vnde eſſent, plures accepi cauſas: in quis, quod ibi paſtores palatini ex quibus ante tonſuram inuentam, vellere lanam ſint ſoliti. a quo vellera dicuntur. apparet autem ex ouibus legendum eſſe: peruerſionemque vnius litterae magnas hic tenebras offudiſſe; a vellendo namque Velias appellatas voluit, quicumque auctor fuit huius rationis. velli autem antiquitus ſolitas oues, non tonderi: vnde lanae ipſarum vellera vocatae ſunt, vt hic, ita in ij. libro de re ruſtica tradit M. Varro: inquit enim, lanam intelligens. Quam demptam ac conglobatam alij, vellera: alij, vellimna appellant. ex quorum vocabulo animaduerti licet prius lanae vulſuram, quam tonſuram, inuentam. Paulo poſt locus itidem corruptus eſt, qui eodem & ipſe pacto (niſi fallor) emendatur, ferente tamen hic auxilij multum vetuſtiſſimo illo exemplari, ſine quo reſtitui videtur nullo modo potuiſſe: cum enim ita paſſim legatur. Ab hoc quoque quattuor partes vrbis tribus dictae ab locis. Suburrana. Palatina. Exquilina. Collina. quinta, quod ſub Roma, Romilia. Sic reliquae tribus ab his, vt in tribuum libris ſcripſi. in illo ſic inueni (relinquam autem priorem partem, in qua diſcriminis nihil eſt.) Sic reliquae texta ab his rebus, quibus in tribuum libris ſcripſi. quod ſi ex texta, facias extra, omne (vt arbitror) mendum ſublatum erit: ſignificat enim vt Romiliam, tribum extra Romam, hic docuit vnde dicta ſit; ſic reliquas tribus, quae ſunt extra Romam, vnde nomen habeant, in libris tribuum ſe oſtendiſſe. quare nolle nunc eadem ſine cauſa repetere: reiicitque eo lectorem. nam ſenſum, qui ex peruulgatis verbis elici poterat, quis non intelligit falſum fuiſſe? Reliquas omnes tribus numero xxx. ab quinque his, quas nomine iam appellarat, vocatas.

PETRI

lo R. pro piſcatoribus Tiberinis: quorum quaeſtus non in macellum peruenit, ſed fere in aream Vulcani: quia id genus piſciculorum maiorum datur ei deo pro animis humanis: cum manifeſto piſciculorum viuorum legi debeat: quod comprobat etiam auctoritas calamo exarati libri, de antiquiſſimo deſcripti, qui apud me eſt. Repugnat autem inter ſe, quod prius erat, piſciculorum maiorum: cum eadem res nunc extenuetur: nunc augeatur, diuerſa ratione. praeterquam quod res animi particeps, viuaque, dari debuit pro anima conſeruanda: in vitaque retinenda, non expers illius: hic enim mos eorum ſacrorum erat. vt memoriae, quoque prodidit M. Varro in vj. libro de lingua Latina, cuius haec verba. Volcanalia a Volcano, quod ei tum feriae: & quod eo die populus pro ſe in ignem animalia mittit. Praeterea verbum adeſt valde opportunum in eodem illo libro, quod in impreſſis deſideratur: indicatur enim quis fuerit populus, qui eos ludos faceret a loco ſedeque, non a gentis tantum nomine: legiturque illic a populo Romano vrbano. Ludi autem hi, quod in vj. libro Faſtorum ab Ouidio traditur, vij. Id. Iun. fiebant: ita enim inquit. Tertia poſt Nonas remouere Lycaona Phoebe Fertur, & a tergo non habet vrſa metum. Tunc ego me memini ludos in gramine campi Aſpicere, & dici lubrice Tibri tuos. Feſta dies illis, qui lina madentia ducunt: Quique tegunt paruis aera recurua cibis. Animaduertendum autem in verbis Sex. Pompeij, quum inquit. Quorum quaeſtus non in macellum peruenit, ſed fere in aream Vulcani: videri quaeſtum valere hic ἄγρας, non κέρδος: puto enim ſignificare, quod caperent piſcatores illi, ſolitos portare non in macellum, vbi res menſis idoneae, ac quibus veſcerentur homines, vendebantur, ſed in aream fere Vulcani, vbi viui emebantur ab iis, qui ei deo pro anima vitaque ſua producenda conſecrabant: cum tamen in xiij. quoque libro doceat, qui ſint hi ludi: notaturque eodem hoc verbo, non tam aperte poteſt illic, quod hic (niſi fallor) ſignificat: haec enim ipſius verba ſunt, idem breuius exponentis. Piſcatorij ludi vocantur, qui fieri ſolent pro quaeſtu piſcantium menſe Iunio trans Tiberim. Cum vero ſupra ipſe affirmarim me librum habere Sex. Pompeij, ex ſcriptum de antiquiſſimo exemplari, totam rem accuratius vt fides eius auctoritaſque augeatur, commemorabo. Angelus Politianus in lxxiij. capite Miſcellaneorum, narrat ſe Romae accepiſſe a Manilio Rallo fragmentum quoddam Sex. Pompeij, ſane quam vetuſtum: nonnullaſque itidem pagellas eiuſdem exemplaris a Pomponio Laeto, quae omnia vt oſtendit illic, cum deſcripſiſſet, paucis ab hinc annis ego incidi in aduerſaria quaedam ipſius in taberna libraria, quibus continebantur etiam hae reliquiae Feſti, atque eius, manu Politiani cognita. tanta tamen ille celeritate in ſcribendo vſus fuerat, litteriſque adeo minutis, ac ſaepe etiam per notas totis vocibus indicatis, quod ſuum propriumque hominis erat, cum huiuſcemodi aliquid, quod ipſius tantum vſibus ſeruiret, in commentariis adnotaret, vt vix intelligi poſſint. illic igitur ita vt oſtendi, legitur.

De vetere ſitu Piſarum: formaque totius regionis, valde nunc immutata.

CAP. III.

MIRVM eſt quantopere locorum facies, ſitusque, vetuſtate mutetur: id autem teſtari nunc mihi libet, exemplo antiquiſſimae vrbis. Piſae enim Graecorum quondam oppidum, longe aliter ac nunc apparet, conditae fuerunt: cum enim opportuno loco nunc quoque vrbs poſita videatur, eo ipſo tamen tempore munitior admirabiliorque fuit: cingebant namque ipſam magna ex parte duo flumina, Arnus, & Auſer: quorum alterum mediam hodie ſecat: alterum vero longe diſceſſit, a moenibuſque ipſius abiit, nomine tantum ibi relicto: parua enim vis aquarum, collecta e fontibus quibuſdam, riuuliſque, alueum ipſius occupauit: Auſerque hodie vocatur. quo nomine prius fluuius, qui ex eo latere vrbem ſtringebat, appellabatur. ille autem mutato nomine Serchius, per agrum Lucenſem fluens, in mareque erumpens, vocatur. cum olim in Arnum influens, nomen illic amitteret. Factum autem id artificio humano traditur: alioque deriuatus Auſer, ne Piſanum agrum violaret: ſiue vt commoda quaedam vtilitateſque afferret, iis quo nunc e vetere alueo deriuatus, deductus eſt. Omnia autem haec res teſtimonio antiquorum ſcriptorum confirmatur, & Graecorum, & Latinorum: in primis autem carmine Rutilij cuiuſdam Galli, qui Roma diſcedens, capta vrbe a Gothis: marique iter faciens, vt omnem hanc inferam oram, ita etiam formam ſitumque eius vrbis deſcripſit. verſus quibus de vetuſtate ciuitatis loquitur plures ſunt: quibus vero de hoc, quod agimus, hi. Alpheae veterem contemplor originis vrbem. Quam cingunt geminis Anſer & Arnus aquis Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt Intratur modico frons patefacta ſolo. Sed proprium retinet communi in gurgite nomen, Et pontum ſolus ſcilicet Arnus adit. Strabo quoque in v. libro Geographiae diligenter omnia tradidit his verbis. ἡ δὲ πίσα κτίσμα ἐστὶ τῶν ἐν τῇ

» πλεονεκτοῦσα πανταχῆ, οἱ μετὰ Νέστορος ἐπὶ Ἴλιον στρατεύσαντες, κατὰ τὸν ἀνάπλουν, ἐπλανήθησαν: οἱ
» μὲν εἰς τὸ μεταπόντιον: οἱ δ' εἰς τὴν πισᾶτιν, ἅπαντες πύλιοι καλούμενοι: δυεῖν δὲ ποταμῶν κεῖται μετα-
» ξὺ, κατ' αὐτὴν τὴν συμβολήν. & quae ſequuntur, ad ortum eorum fluminum, curſumque
» pertinentia, de quibus alio in loco huius operis accurate diſſeram. Plinius quoque in iij. li-
» bro, capite itidem iij. Colonia Luca, a mari recedens: propiorque Piſae inter amnes Auſe-
» rim & Arnum: orta a Pelope Piſiſque: ſiue Atintanis, Graeca gente. Adiuuat etiam hiſto-
riam hanc, quod Ptolemaeus exitum in mare Auſeris amnis non ponit: nec ea parte, qua nunc
Serchius influit, fluuium vllum fauces habere docet. qui tamen ſileri non potuit: ſunt enim
nunc tempeſtoſa loca, interituque multarum nauium inſignia.

Locus A. Gellij reſtitutus. verſibus, qui apud eum deſiderabantur, indicatis: maculaque inde ſublata.

CAP. IIII.

A Gellio, qui primus in hoc genere ſcriptionis aliqua cum laude verſatus eſt, opem
quoque ferre volo: locumque in extremo ipſius opere mancum deprauatumque re-
ſtituere, non tamen a ſcriptis antiquiſque libris in hoc adiutus: quamquam maiorem
partem eius voluminis cum fideli exemplari contulerim: in eo namque poſtrema haec pars
defecerat: ſed coniectura tantum, opinioneque ductus. Quod igitur in excuſis libris eſt:
» Mutuabor ex Ariſtophanis eutonnpeſta pauca. puto legendum. Mutuabor ex Ariſtophanis
choro anapaeſta pauca, diiunctis vocibus; quae perperam coaluerant: &, vt Graecorum gram-
matici loquuntur, κατὰ διαίρεσιν. vbi vero inſta deſiderantur haec ipſa anapaeſta: inaneque
ſpatium relictum eſt, ſcribi arbitror oportere ita, continuata lectione. Verſus legis datae hi
» ſunt. Εὐφημεῖν χρὴ, κἀξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσιν Ὅστις ἄπειρος τῶνδε λόγων, ἢ γνώμῃ μὴ καθα-
» ρεύει: Ἢ γενναίων ὄργια μουσῶν, μήτ' εἶδέ τι, μήτ' ἐχόρευσε. An plures autem adhuc verſus poni
debeant, ſiue tribus his contentus fuerit Gellius, affirmare non auſim: neque enim hoc con-
iectura poſſum conſequi, & diligenter ponderata ſententia huius loci, contenderim hos i-
pſus intellexiſſe auctorem illum. horum certe ille trium notionem exprimit. inquit enim
» ſtatim poſt ſuperiora illa, quae correxi, verba. Et quam ille, homo feſtiuiſſimus, fabulae ſuae
» ſpectandae legem dedit, eandem ego commentariis his legendis dabo. vt ea ne attingat, neue
» adeat, profeſtum & profanum vulgus: a ludo muſico diuerſum. Initium hoc eſſa epirrhe-
matis e Batrachis Ariſtophanis notiſſimum eſt. vſus autem eſt hoc quoque loco Plutarchus in
libello, quo diſſeruit, ex rebus ne bellicis, an ex ſtudiis ſapientiae maiorem gloriam conſecu-
ti ſint Athenienſes, ita ſcribens: poëtas autem intellexit, & maxime tragicos. Βούλει δ' οὖν
» ἀνάγκας ὁ σάγωνος αὐτῶν, τὰ σύμβολα, καὶ τὰ παράσημα τῶν ἔργων κομίζοντας. ἰδίας ἑκατέρῳ πάροδον ἀ-
» ποδιδόντας, ἐξ ὧν μὴ δὴ προσιόντας ὑπ' αὐλοῦ, καὶ λύρας ποιητὰς, λέγοντας καὶ ᾄδοντας. Εὐφημεῖν χρὴ,
κἀξίστασθαι. & quae ſequuntur: quattuor autem continentes verſus poſuit.

Locus Ciceronis in epiſtola ad Atticum illuſtratus, ponderatis diligenter ſententiis illis.

CAP. V.

Cvm M. Cicero in epiſtola quadam ad Atticum ſcripſerit. Tabernae mihi
» duae corruerunt: reliquaeque rimas agunt, itaque non ſolum inquilini, ſed
» mures etiam migrauerunt. videtur aut neſciſſe, aut verum non putaſſe, quod
a veteribus nonnullis ſcriptoribus memoriae proditum eſt. mures beſtiolas eſ-
ſe, quae futura in primis praecognoſcunt. putrida namque iam domo, & pau-
lo poſt caſura, primi periculum prouident: relictiſque cauis illis, ac ſedibus quas incolebant,
quanta maxime celeritate poſſunt, inde aufugiunt, atque demigrant: neque enim Cicero,
ſi cognitum hoc habuiſſet, dixiſſet, mures, rimas agentes tabernas, poſtremos reliquiſſe: qui
diuinatione vtentes, inquilinos praeuenire debuerunt. Aelianus in primo libro de varia hi-
» ſtoria hoc narrauit. nec non Plinius his verbis. Ruinis imminentibus muſculi praemigrant.
Quod autem paulo poſt Cicero adiungit. Sed tamen ea ratio aedificandi initur, conſiliario
» quidem & auctore Veſtorio, vt hoc damnum quaeſtuoſum ſit, eſt hoc proprium prudentis ho-
minis, ſiquid incommodi acciderit, non tantum illud induſtria ſtudioque ſarcire, ſed etiam
arte quadam efficere, vt praeſtiterit malum illud accepiſſe. quod multo maiore in re declarat,
laudatque Polybius in v. libro hiſtoriarum. Cum enim maximo terraemotu Rhodus con-
quaſſata eſſet, ac muri ciuitatis magna ex parte: naualiaque corruiſſent: nec non coloſſus
ille

ille magnus euerſus eſſet, tanto conſilio narrat artificioque illos vſos, in calamitate illa inſtauranda; vt quod Cicero inquit, atque ipſe quoque exponit, prorſus contigerit. vnde ſapiens ſcriptor: ſemperque excitare homines ſtudens ad induſtriam, illud cogitans, exclamat. tantum inſcitia, & ignauia in vita hominum diſtat a ſtudio, ac prudentia, & priuatim, & publice, vt his res etiam ſecundae detrimenta importent: his vero contra calamitates meliorum rerum, emolumentique occaſio ſint. Quibus autem idem, quod Cicero dicit, verba ipſius haec ſunt, Rhodios ipſos laudantis. Οὕτως ἐχείριζον σεμνῶς, καὶ πραγματικῶς τὸ γεγονός, ὡς μὴ βλάβας: διορθώσεως δὲ μᾶλλον αὐτοῖς αἴτιον γενέσθαι τὸ σύμπτωμα. ſequuntur autem ſtatim ea, quae, vt potui, expreſſi. quibus etiam adiungitur ratio viaque, qua illi remedium adhibuerunt tot & tam granibus malis: miſſis enim legatis ad reges, & ciuitates, magnitudinem illius infortunij expoſuerunt: atque ita animos eorum affecerunt, vt certatim illi ampliſſima munera Rhodum miſerint: & non tantum ipſos opibus ſuis ſubleuarint, verum etiam ſe obligatos illis eſſe confeſſi fuerint.

Declaratur teſtimonio Poſidonij, Apicium accuſatorem fuiſſe P. Rutilij. qui cum probus ciuis fuerit, ab iniuſtis nefariiſque iudicibus condemnatus eſt.

CAP. VI.

QVESTVS eſt pluribus locis M. Cicero de damnatione P. Rutilij Rufi, ciuis optimi atque innocentiſſimi: nec tamen accuſatorem eius vmquam appellauit: aut quo nomine in iudicium ille vocatus ſit, oſtendit. eum autem mihi videor apud Athenaeum in iiij. libro inueniſſe. narrat enim, de Apicio loquens, luxurioſo homine, gutturiſque ac ventris vitio dedito, eum Rutilio exilij cauſam fuiſſe. illi inquam, qui Graeca lingua Romanam hiſtoriam ſcripſit. nam Cicero quoque in primo libro de Oratore, vbi de nefario hoc iudicio copioſe diſputat, affirmat enim doctum virum fuiſſe, ac philoſophiae deditum. Indigniſſimum autem fuit improbiſſimum hominem, atque in turpiſſimis voluptatibus perditum, accuſaſſe, & e ciuitate eieciſſe, ſanctiſſimum, ac temperatiſſimum virum. Miror tamen, ſi hac infamia tunc flagrabat Apicius, non tetigiſſe hoc Ciceronem, in deplorando foedo exitu illius iudicij, qui iudices ipſos tantopere vulnerauit: ac peſtiferos ſupplicioque dignos dixit. Eodem tamen loco Athenaeus videtur tradere alium etiam Apicium extitiſſe, qui eodem intemperantiae morbo laborarit: de quo affirmat ſe principio illius operis diſputaſſe: intelligit autem (vt opinor) locum in primo eorum librorum in quo affirmauit, vt ex epitome percipitur, vixiſſe illum regnante Tiberio. nam Apicium eum adoptaſſe Seianum, qui tantum gratia apud Tiberium potuit, certum eſt. hic vero manifeſto non fuit Rutilij inimicus. Athenaei verba in quarto, qui tamen citat eius rei teſtem Poſidonium in xlix. libro hiſtoriarum, ſunt haec. περὶ δὲ ῥωμαίοις μνημονεύεται ἀπίκιόν τινα ἐπὶ ἀσωτίᾳ πάντας ἀνθρώπους ὑπερακοντικέναι: οὗτος δ' ἐστὶν Ἀπίκιος ὁ καὶ τῆς φυγῆς αἴτιος γενόμενος ῥουτιλίῳ, τῷ τὴν ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἐκδεδωκότι τῇ ἑλλήνων φωνῇ: περὶ δὲ ἀπικίου, τοῦ καὶ αὐτοῦ ἐπ' ἀσωτίᾳ διαβοήτου ἐν τοῖς πρώτοις εἰρήκαμεν. Duo igitur extitere Apicij, ambo luxurioſi homines, & inſignes turpiſſimi vitij notis. niſi in Romana re commemoranda peccauit Graecus homo.

Quod autem eodem loco Cicero addidit, oſtendens iudicium illud ſine myſteriis rhetorum tractatum fuiſſe. Nemo ingemuit: nemo inclamauit patronorum: nihil cuiquam doluit: nemo eſt queſtus: nemo Remp. implorauit: nemo ſupplicauit, ſimilis huic loco eſt ille Demoſthenis contra Midiam, vbi de Euaeonis iudicio loquitur, qui Euaeon pulſatus a Boeoto quodam contumeliae cauſa, interfecit illum, & tamen cum cauſam diceret, condemnatus eſt: commemorat enim cum vna tantum ſententia graui damnatus ſit, ſua culpa illum abſolutum non fuiſſe: quod nihil eorum gerere in animum induxit, quae ſaepe eripiunt e maximis periculis reos. verba oratoris haec ſunt: ἀκούω γὰρ αὐτὸν ἔγωγε μιᾷ μόνον ἁλῶναι ψήφῳ: καὶ ταῦτα, οὔτε κλαύσαντα, οὔτε δεηθέντα τῶν δικαστῶν οὐδενός: οὔτε φιλάνθρωπον, οὔτε μικρὸν, οὔτε μέγα, οὐδ' ὁτιοῦν, πρὸς τοὺς δικαστὰς ποιήσαντα.

Vnde nomen impoſitum ſit Tityro paſtori contra Latinorum grammaticorum ſententiam.

CAP. VII.

TITYRO paſtori nomen inditum fuiſſe puto a fiſtula, qua in cantu ille vteretur: quamuis veteres Latini grammatici affirment Afrorum lingua hircum ita appellari. vnde cuſtos eorum eodem pacto vocatus ſit. Athenaeus enim in iiij. libro

» de fiſtulis coploſe diſputans, inquit. ὁ δὲ καλάμινος αὐλὸς τιτύρινος καλεῖται παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσιν, cuius rei auctorem ille habet Artemidorum Ariſtophaneum in ſecundo περὶ Δωρίδος. Id autem fortaſſe Virgilius ſignificare voluit, quum Meliboeum, alterum paſtorem,
» fecit ipſi dicentem. Silueſtrem tenui muſam meditaris auena: nam καλάμη Graecis culmus eſt. vt doctiſſimus poëta rationem eius nominis ita aperire voluerit. Praecipue autem, vt hoc verum credam ducor, quod Graecus ſcriptor in Italia hoc nomen frequentatum tradit a Graecis, qui Dorici generis hanc terram incolebant. vnde veriſimilius eſt Theocritum, qui ante noſtrum poëtam id nomen vſurpauit, ita paſtorem appellaſſe: illo enim ſermone vtitur. In eodem praeterea libro Athenaeus ante ſuperiorem locum narrat Ameriam Macedonem ἐν ταῖς γλώσσαις affirmare Tityrinum dici muſicum inſtrumentum, quod monaulon alio nomine vocaretur. nec tamen me fallit ita quoque beſtiolam appellatam, cuius meminit auctor libelli, quo deſcribuntur naturae hominum, ac mores: Theophraſto autem nunc ille falſo attribuitur: quo enim capite deſcribit blandum hominem, & qui omni in re aliis placere ſtude-
» at, inquit. ἀμέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι, καὶ τίτυρον κτήσασθαι, καὶ Σικελικὰς περιστεράς.

Declaratum quis fuerit Conon ille Virgilianus, in poculo coelatus: & de Alcone, cuius laudes paſſim canebantur, quaeritur.

CAP. VIII.

VETVS interpres Virgilij Seruius quandoque lapſus eſt in hiſtoria hominum, quorum meminit, eruditus, ac multae lectionis poëta: eum enim ille in paſtora-
» li poëmate cecinit. In medio duo ſigna, Conon. non intellexit Cononem Athenienſem, ſummum virum in bellicis rebus, Timothei item imperatoris filium, vt ipſe putauit: ſed valde peritum Geometriae hominem, magnaque cum laude in mathematicis verſatum, cognominem illius. Eius autem meminit quoque Archimedes in epiſtola, qua Doſitheo miſit librum ſuum περὶ τετραγωνισμοῦ παραβολῆς: oſtendit enim amicum Cononem ambobus fuiſſe, ac de interitu eius, paulo ante mortui, queritur. ini-
» tium vero epiſtolae hoc eſt. Ἀρχιμήδης Δοσιθέῳ. Ἀκούσας Κόνωνα μὲν τετελευτηκέναι, ὃς ἦν οὐδ-
» ἔτι λειπὼν ἁμὶν ἐν φιλίᾳ· τὶν δὲ Κόνωνος γνώριμον γεγενῆσθαι καὶ γεωμετρίας οἰκεῖον εἶμεν, τοῦ μὲν τε-
» τελευτηκότος ἕνεκεν ἐλυπήθημες ὡς, καὶ φίλου τοῦ ἀνδρὸς γενομένου, καὶ ἐν τοῖς μαθήμασι θαυμαστοῦ τινος. & quae ſequuntur. Inde autem ſuſpicari poſſumus alterum illum, quem Virgilius non appellauit, Archimedem fuiſſe: vt aliis etiam nonnullis coniecturis, ita hac, quod nobilis artifex, quos coniunctos amicitia fuiſſe, & in eodem ſtudio claruiſſe ſciret, in poculo illo coelato coniunxiſſet. In v tamen Ecloga eodem pacto in Alcone deceptus eſſe exiſtimari non facile poteſt. quamuis fuerit etiam Alcon faber: coelatorque poculorum, vt idem poëta teſtatur in Culice: vbi eum in nobiliſſimis artificibus numerat his verbis: nec pocula gra-
» tum Alconis referent, Boëthique toreuma. Nam quod ipſe commemorat fuiſſe illum ſagittarium, qui cum filij corpori ſerpentem applicatum vidiſſet, fretus arte ſua ita ponderarit ſagittam, vt beluam traſfixerit: nec in corpus pueri penetrarit. idem a Manilio poëta traditur in v. libro Aſtronomicon. vbi de ſagittae ſydere loquitur, ac praeſtantes quoſdam in vſu ipſius appellat, vt Teucrum, Philoctetam. non tamen nomen ipſius illic ponitur. quare ſi ita illum certo vocatum ſcirem, qui tam egregie arcu vteretur, omnino putarem hic eum ſignificatum fuiſſe: fuit enim factum illud laude, celebrationeque dignum: ac magis conuenit ei quod adiungitur de Codro rege Athenarum, qui pro ſalute patriae morti ſe obtulit. Alconis autem fabri mentio quoque eſt apud Athenaeum in xj. libro. vbi de poculo quodam, elephante vocato, diſputans, teſtimonio Damoxeni, comici poëtae, vtitur, qui Alconis huius opus id eſſe tradiderat: interrogatus enim quidam, quod nam potiſſimum id foret, reſpondet. Δίκρου-
» νον ἑλίκεντι, τρεῖς χωροῦν χόας Ἄλκωνος ἔργον. Alconis etiam cuiuſdam Spartiatae, ſummi viri atque herois, meminit Pauſanias in Laconicis: cui ampliſſimum monimentum aedificatum fuiſſe tradit in Dromo: ob quae tamen praeclara facta tantum dignitatis ille conſecutus ſit non narrat. vt exiſtimari poſſit an fuerit, qui hic intelligitur: tantum enim affirmat eum Hippocoontis filium fuiſſe: aliquid autem geſſerit in vita honore dignum neceſſe eſt. vt non ſine cauſa etiam duo fortiſſimi ciues duarum potentiſſimarum ciuitatum putari poſſint fuiſſe a poëta eodem verſu celebrati.

Reſtitutus

Reſtitutus locus in XIII. Philippica Ciceronis: qui temere, inculcatis eo nonnullis alienis verbis, deprauatus erat.

CAP. IX.

PONDERANDVS eſt diligenter locus e xiij. Philippica. quo Cicero refellit verba haec ex epiſtola M. Antonij. Nec Lepidi ſocietatem violare, piiſſimi hominis: oſtendere enim vult Lepidum falſo inſimulatum: finxiſſeque Antonium eum ſecum ſentire, vt ſuſpectum illum Senatui faceret, non quod vere ſocietatem vllam cum eo coiſſet. ait igitur, increpans hominem. Tibi cum Lepido ſocietas? aut cum vllo, non dicam bono ciue, ſicut ille eſt, ſed homine ſano? Id agis, vt Lepidum, aut impium, aut inſanum, exiſtimari velis, nihil agis, quamquam affirmare de altero difficile eſt, de Lepido praeſertim. quem ego metuam numquam: bene ſperabo dum licebit. & quae ſequuntur. Ego ſane tria verba illa, de Lepido praeſertim, tollenda hinc arbitror, vt omnem ſenſum huius loci perturbantia. ſcripta autem in margine alicuius libri quondam fuiſſe puto ab aliquo, qui, exitu huius rei cognito, hoc quaſi gloſſemate: confirmare voluerit veram illam vocem Ciceronis, qui emendans ſuperiorem ſententiam: intelligenſque crebras mutationes conſiliorum: abditaſque hominum voluntates, inquit. Quamquam affirmare de altero difficile eſt: addideritque hoc, quod communiter dictum verum erat, praecipue de leui, & inconſtanti homine Lepido vere potuiſſe praedicari: ipſe enim poſtea fractum Antonium e fuga recepit, ac bellum inſtaurauit. nullo autem modo conuenit ſententia illa perſonae Ciceronis, qui purgare tunc Lepidum volebat: nec iis etiam verbis, quae ſtatim de eo prolata ſunt. addit enim. Quem ego metuam numquam, bene ſperabo dum licebit: ſi namque is erat ille, de quo in primis affirmare difficile eſſet, metui non ſine cauſa poterat: reſpondent autem haec ſuperioribus illis verbis. Id agis vt Lepidum, aut impurum, aut impium, aut inſanum exiſtimari velis, quae autem in medio relicta ſunt, tamquam inculcata huc ſunt a Cicerone, eo conſilio, quod iam indicaui: ſiue inferioribus bis. id agis, vt Lepidum. & quae ſequuntur. quamuis enim ſublatis illis verbis, non tam vicinum viri nomen ſit, quo referatur pronomen, quem, cum tamen iterum ſupra Lepidus appellatus ſit, habet vnde pendeat. Hieronymus autem Ferrarius, qui cum ſcriptis pluribus libris contulit Philippicas has, ac multas ex ipſis maculas deleuit, queſtuſque magnopere eſt in ſequente oratione de genere hoc imperitorum, qui gloſſemata ſubſcribunt, aut aliquid quod vim declarationis habeat, de ſuo adduntque quique nonnulla hoc pacto loca bonorum auctorum deprauata indicauit, hoc non vidit: fugit enim illum licet accuratum lectorem horum librorum, vt alios etiam multos, quamuis ſatis perſpicuum erratum ſit: nec eum, qui intentis oculis, acriterque intueretur, fallere debuerit.

De natura T. Quinctij diſputatum. & quam aptae ſint ad fidem faciendam fictae etiam aliquando res declaratum.

CAP. X.

VT maioribus multo virtutibus ornatus: generoſique in primis animi fuiſſe intelligitur T. Quinctius, qui ereptam e manu ſeruituteque Macedonum Graeciam liberauit, ita acutum ingenium lepidumque habuiſſe facile perſpicitur: delectatuſque eſſe, prodente hoc memoriae T. Liuio, recitatione fabellarum: quod tamen tempore ille, & cum magnum fructum ferre poſſent, quamuis in rebus ſeriis tractandis, faciebat. multum namque fabulae, loco poſitae, ad perſuadendum valent: & in deliberationibus, praeſertim cum oratio habetur ad multitudinem, mirifice ſunt aptae. quod Ariſtoteles quoque in ſecundo libro de arte dicendi praecepit, exemplis vſus elegantiſſimis. In xxxv. igitur libro ab vrbe condita Liuius, vbi narrat Quinctium vanitatem Aetolorum refutaſſe, qui oratione ſua, mendaciorum plena, copias Antiochi regis celebrarant, hoc genere fidei faciundae vſum cum tradit his verbis, quae ab eo illic pronuntiantur. Eſt autem res ſimillima cenae Chalcidenſis hoſpitis mei, hominis & boni & ſciti conuiuatoris. apud quem, ſolſtitiali tempore, comiter accepti, cum miraremur vnde illi eo tempore anni, tam varia & tam multa venatio, homo non quam iſti ſunt glorioſus, renidens, condimentis ait varietatem illam, & ſpeciem ferinae carnis ex manſueto ſue factam. Alter locus eſt in conſequente libro, cum perſuadere vellet Achaeis non vtilem eſſe ipſis poſſeſſionem Zacynthi, cuius inſulae potiundae deſiderio flagrabant: eadem enim ratione viaque tunc quoque vſus eſt, ac ſimili abſtertere illos ab eo conſilio voluit. ita agens. Ceterum ſicut teſtudinem, vbi collecta in ſuum tegumen eſt, tutam ad omnes ictus video eſſe: vbi exerit

partes aliquas, quodcumque nudauit, obnoxium, atque infirmum habere, haud diſſimiliter vobis Achaei. & quae ſequuntur. Sunt igitur ambae narrationes hae illius generis, quod λόγοι vocatur ab Ariſtotele.

Quaeritur, cur in libro, quem ſcripſit de re pecuaria Virgilius, de ſuibus nihil praeceperit.

CAP. XI.

MAGNOPERE miratus aliquando ſum, diligenter legens tertium librum Georgicorum, quo Virgilius rei pecuariae praecepta tradidit, poëtam illum verbum de ſuibus manſuetis non feciſſe. quorum cura ſtudiumque magnum fructum afferre ruſticis hominibus: neque huius rei cauſam excogitare potui. M. certe Varro in libro de re pecuaria, copioſe diligenterque id perſecutus eſt: neque enim ſine aliqua culpa, iuſtaque reprehenſione, videtur poſſe, qui munus hoc ſuſcepit: profeſſuſque eſt docere, quae ad ſtudium illud pertinent, omittere bonam magnamque partem eius curae: in opere autem, quod abſolutum putatur, hoc commiſiſſe Virgilium admirationem habet: neque enim videtur debuiſſe ſermonem de foeda lutulentaque beſtia deſpicere. de qua etiam Homerus in Heroico carmine multa ceciniſſet: neque ipſum Iudaeorum ſuperſtitioni deditum fuiſſe ſcimus: aut ij, ad quos ſcribebat, prauis his opinionibus imbuti erant. omnia denique mecum ſaepe quaeſiui, quae inducere poëtam potuiſſent, vt ſilentio praeteriret vtilem neceſſariamque praeceptionem, nec aliquam huius rei probabilem cauſam inueni. quare quomodo ille purgari poſſit, & a negligentiae crimine defendi, docti acutique viri cogitabunt.

Quod apud Ciceronem eſt pluribus locis. Poſt homines natos, videri acceptum e poëmate Lucilij.

CAP. XII.

QVOD Cicero in oratione pro domo ſua iterum Poſt homines natos, inquit, rem augere volens, ſumptum eſſe arbitror e carmine Lucilij. videtur certe illud redolere poëticam locutionem: Lucilius namque in iiij. libro Satyrarum, vt veteres grammatici tradunt, ait. Samnis ſpurcus homo: vita illa dignus locoque Cum Pacidiano componier, optimus longe Poſt homines natos gladiator qui fuit vnus. M. Tullij ipſius verba ſunt. Quis prouinciam homini, poſt homines natos, turpiſſimo, ſceleratiſſimo, contaminatiſſimo, & quae ſequuntur. & poſt. At id, quod mihi crimini dabatur, non modo peccatum non erat, ſed erat res poſt homines natos pulcherrima. Sed etiam pro Milone, & in xj. Philippica eodem pacto locutus eſt. modus igitur loquendi (niſi fallor) inde ductus eſt, nam ſententia in ore omnium eſt, qui amplificare quippiam volunt, & ὑπερβολῇ vtuntur. Demoſthenes quoque id protulit in oratione de falſa & ementita legatione, dicens. ἴστε γὰρ δή που τοῦθ' ὅτι, ἀφ' οὗ γεγόνασιν ἄνθρωποι, καὶ κρίσεις γίνονται, οὐδεὶς πώποτ' ὁμολογῶν ἀδικεῖν, ἑάλω. Huiuſcemodi etiam eſſe putarem illud in primo libro de officijs, Hoc Herculi, Iouis ſatu edito potuit fortaſſe contingere: valde enim grandis, ac poëtica oratio eſſe videtur. niſi admonitus exemplari ſcripto, coepiſſem opinari mendi potius aliquid illic ineſſe: cum enim inde abſit illud edito, arbitror legi debere. Hoc Herculi, Ioue ſato, potuit fortaſſe contingere. quomodo ſane Cicero alias locutus eſt.

Illuſtratus locus in epiſtola illa M. Antonij, quam conſutauit Cicero:

CAP. XIII.

QVOD M. Antonius in epiſtola, quam miſit Hirtio & Caeſari dixit. Theopompum nudum, expulſum a Trebonio, confugere Alexandriam neglexiſtis. modus eſt loquendi ſimilis Horatiano illi, quo in ode Archytae Tarentini cecinit. Negligis, immeritis nocituram Poſt modo te natis, fraudem committere: & in extrema item, quae ſequitur. Mutare loricis Hiberis, Pollicitus meliora, tendis. Inſimulat igitur Senatum Antonius, & quaſi crimen illi obiicit, quod iniuſtum factum C. Trebonij comprobarit: neque, vt debebat correxerit, atque vindicarit. Id autem erat, quod neceſſitatem ille Theopompo impoſuiſſet, ſi ſaluus eſſe vellet, confugiendi Alexandriam: atque ita impetum ipſius in ſuam vitam declinandi. Theopompi autem huius Cnidij, C. Caeſaris familiaris, meminit Cicero

in xiij. libro ad Atticum his verbis. Seſtius apud me fuit, & Theopompus pridie: veniſſe a Caeſare narrabat litteras. Strabo quoque in xiiij. libro geographiae, vbi quos claros viros Cnidus tulerit, commemorat hunc appellauit, ita ſcribens. καθ' ἡμᾶς δὲ Θεόπομπος ὁ Καίσαρος τοῦ θεοῦ φίλος, τῶν μέγα δυναμένων. Plutarchus itidem in Caeſaris vita. cum ille poſt victoriam Pharſalicam perſequeretur Pompeium ait, ἐλευθέρωσε δὲ τῆς Ἀσίας Κνιδίους τε Θεοπόμπῳ, τῷ συναγαγόντι τοὺς μύθους χαριζόμενος, ἠλευθέρωσε. & quae ſequuntur.

Quaeritur de cognomine ſoceri M. Antonij, qui Bambalio vocatus eſt.

CAP. XIIII.

M. TVLLII verba ſunt e iij. Philippica, quibus etymon huius vocis Bamballo, indicatur. Tuae coniugis, bonae feminae: locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero: nihil illo contemptius, qui propter haeſitantiam linguae: ſtuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit. Eiuſdem autem mentionem fecerat antea in eadem oratione. Adamantius vero vetus grammaticus, quod ſententiae Ciceronis reſpondet, inquit. Atque bambalo, ψελλός. a Graecis autem ψελλοὺς vocatos balbos, & qui lingua haeſitarent, notum eſt: docentque grammatici ψελλίζειν, valere ἀσαφῶς λαλεῖν: addit tamen ille infra. Bambalo vero nominatus eſt ἀπὸ τοῦ βαμβαλίζειν, quod illi ῥιγῶν, interpretantes βαμβαλύτρειαν τὴν φωνήν: ἣν καὶ φαρμακεύτριαν nominant. Graeci grammatici tradunt βαμβαλίζειν valere tremere corpore propter frigus, atque horrere: huiuſcemodique aliquem dentium tremorem oſtendere arbitrantur voluiſſe Homerum, cum in x. Iliadis de Dolone iam capto, cecinit. ὁ δ' ἄρ' ἔστη τάρβησέ τε βαμβαίνων. tamquam metu ille impeditam linguam haberet, & cum vellet loqui, exprimere verba non poſſet, ſed balbutiret.

Quo vſus eſt Virgilius in paſtorali carmine, modus loquendi, oſtenditur acceptus eſſe a Graecis poëtis.

CAP. XV.

MODVS loquendi, quo Virgilius initio v. Eclogae vſus eſt, ita ſcribens: Boni quoniam conuenimus ambo, Tu calamos inflare leues: ego dicere verſus, e Graecorum ſermone ductus videtur: frequens enim ille eſt apud eius linguae poëtas: nouus autem & inuſitatus Latinis. Apollonius igitur in iij. libro Argonauticorum illo vſus eſt, ita de Mopſo augure canens. ἴδριες μὲν ἐπιφρασσάμενοι σιγῶν Οἰωνοί: ἴδριες δὲ συμφράζεσθαι ἰόντων. Sophocles quoque in Oedipode Tyranno tertia collatione, ita Tireſiam augurem inducens cum rege ipſo loquentem. Οὐκοῦν τὰ ταῦτ' ἄριστ' ἐφίεσαι ἐμέ.

Declaratum M. Varronem libenter verbum procudere ad aliud tranſtuliſſe: emendatuſque locus doctiſſimi ſcriptoris in hoc ipſo verbo maculoſus.

CAP. XVI.

ELEGANTER vſus aliquando eſt doctiſſimus vir M. Varro verbo procudere: atque a rebus, quae cudendo caedendoque producuntur, ad res tranſtulit, quae alia ratione animoque porriguntur: hoc enim verbum videtur proprium eſſe fabrorum aerariorum, qui crebris ictibus mallei ferrum extendunt. Apud Nonium igitur hoc eius teſtimonium legitur, in quo manifeſto ita cepit: e libro, quem ſcripſerat ἀπὸ τοῦ φαγεῖ μέγα. περὶ ἐδεσμάτων. Legendo & ſcribendo vitam procudito. quare corrigi poteſt erratum, quod apud ipſum eſt in excuſis libris in extremo vij. libro de lingua Latina: vbi conſilium ſuum aperit, quod finem illi diſputationi, ac libro imponere velit: cum enim formis impreſſi paſſim habeant. Sed quod vereor, ne plures ſint futuri, qui de hoc genere me, quod nimium multa ſcripſerim, reprehendant, quam quod reliquerim quaedam, accuſent: ideo potius iam reprimendum, quam producendum puto eſſe volumen. Legendum, accedente etiam huic lectioni, auctoritate antiquiſſimi libri, in quo ita eſt, quam procudendum. hoc autem eo libentius adnotaui, quod eruditum etiam accuratumque lectorem fallere potuiſſet peruulgata lectio: ſententia namque eadem eſt: minor tamen multo illo modo concinnitas venuſtaſque ſermonis: quae in tam magno ſcriptore, & amanda, & conſeruanda eſt. Lucretius quoque, in quo maxime integritas Latinae linguae, copiaque apparet, μετεω-

ρικῶς

• ſaepe idem verbum vſurpauit: cum enim, priſcam vitam exponens, originemque artium, proprie hoc verbo vſus ſit: ait enim. Et prorſum quamuis in acuta, ac tenuia poſſe, Mucronem duci, faſtigia procudendo, vbi de contemptu mortis agit: diſſeritque accurate aequo animo homines oportere mori, transfert illud, dicens: nouam nullam voluptatem procudi viuendo: eodemque pacto aliis non nullis locis.

Oſtenditur teſtimonio Lucilij, fuiſſe olim quendam, qui ſe exſecuerit, vt vxori dolorem inureret. quod peruulgata voce nos etiam a ciue noſtro factum, ridemus.

CAP. XVII.

QVOD vulgo dicere conſueuimus, cum quempiam irridemus, qui ſtulto genere vltionis vtatur: ſibique ipſi plus obſit, quam illi, in quem animaduertere vult, eum certum hominem, ciuem noſtrum, imitari, nomine illum appellantes: qui, cum vxori grauiter iratus eſſet: paenaſque ab ea capere improbitatis ipſius vellet, ſe non ſolum eunuchum fecit: verum etiam acuto cultro membrum procreationi aptum, abſcidit, videtur antiquitus alius ſimplicis ingenij homo, vel nullius potius, feciſſe. illum autem, vt ex tribus ipſius verſibus perſpicitur, qui apud Nonium teſtimonij loco citantur, Lucilius in vj. libro Satyrarum contempſit, & vt ab aliis etiam irrideri poſſet, fecit. Integer tamen locus non eſt: neque enim nomen ipſius illic legitur: neque vbi id acciderit commemoratur: omnia vere poëtam illum facetum perſequutum fuiſſe veriſimile eſt. ſed quod moleſtius eſt, in ſecundo etiam verſu macula eſt, quam cum delere non potuerim, aliis tollendam relinquo. apparet tamen, niſi fallor, ex iis, quae incorrupta reſtant, hunc ſenſum fuiſſe poëtae: iocarique illum, cum ſcripſit, voluiſſe. Verſus autem ſunt hi. Hanc vbi vult male habere: vlciſci pro ſcelere eius, Teſtam ſumit homo Samiam, ibi an vno telo, inquit, Praeceſſit caulem: teſteſque vna amputat ambo. Samiam vero teſtam, qua in hac re vti conſuerant, acutam fuiſſe, cum aliis etiam auctoritatibus confirmari poſſit, probat exemplo hoc ipſo Lucilij Nonius: vnde Catullus creditur hoc intellexiſſe cum inquit, in carmine de Attide, acuto pondere ſilicis. Fortaſſe etiam hi duo eiuſdem poëtae verſus, qui apud eundem grammaticum leguntur, vicini ſuperioribus erant: de eadem enim pene re ſermo eſt. oſtendit tamen qui loquitur ſe veriore genere animaduerſionis, relicto illo, vſurum. Dixi ad principium venio, vetulam, atque viroſam Vxorem caedam potius, quam caſtrem egomet me. nec me mouet, quod in vij. Satyrarum libro hos eſſe apud Nonium ſcriptum ſit: cum ſuperius exemplum e vj. ſumptum dicatur: hoc enim aſſignari poteſt negligentiae librariorum. praeſertim cum in maioribus rebus peccatum ſit. Animaduertendum praeterea illic a praecido praeteritum tempus praeceſſit formatum eſſe.

Faſtigium id eſſe in templis, quod Graeci ἀκρωτήριον vocant: eoque ſenſu Ciceronem cepiſſe, cum de honoribus C. Caeſaris loqueretur.

CAP. XVIII.

PARVM vidit (vt opinor). Hieronymus Ferrarius, qui in emendationibus ſuis in Philippicas Ciceronis, vbi de honoribus a Senatu Caeſari dictatori habitis agitur, cum M. Tullius dixiſſet. Quem is maiorem honorem conſecutus erat, quam vt haberet puluinar, ſimulachrum, faſtigium, flaminem. inquit, ſe putare, quod noſtra lingua baldachinum dicitur, latina faſtigium nominari: faſtigium enim hoc intelligens Plutarchus ἀκρωτήριον, inquit, ac quid eſſet indicauit. erat autem illud ornatus quidam ipſius domus, quem S. C. Caeſar obtinuerat, cum templorum ille ſacrarumque aedium proprius eſſet. Verba Graeci ſcriptoris haec ſunt. ἦν γάρ τι τῇ Καίσαρος οἰκίᾳ προσκείμενον οἷον ἐπὶ κόσμῳ καὶ σεμνότητι, τῆς βουλῆς ψηφισαμένης, ἀκρωτήριον, ὡς Λίβιος ἱστορεῖ: τοῦτ' ὄναρ ἡ Καλπουρνία θεασαμένη καταρρηγνύμενον, ἔδοξε ποτνιᾶσθαι, καὶ δακρύειν. Suetonius quoque idem ſignificauit, cum de prodigiis, quae necem ipſius anteceſſerunt, agens, ait. Calphurnia vxor imaginata eſt collabi faſtigium domus: maritumque in gremio ſuo confodi. Si idem igitur eſt faſtigium, quod ἀκρωτήριον, ἀκρωτήρια Graeci vocant ſimulacra quaedam hominum, aut aliarum animantium, quae in ſummis partibus templorum collocantur: vt duo ſunt apud nos impoſita molibus in poſteriore parte templi Diuae Reparatae, relictis baſibus ceterorum. vnde in lexico etiam Heſychij legitur, ἀκρωτήρια τὰ ἐπάνω τῶν ναῶν ζώδια ἀνατιθέμενα. Hoc tamen non nihil aduerſari videtur: quod quodam loco Vitruuius, cum membra, quae ſupra capitula columnarum collocantur, enumeraret & Latinum & Graecum verbum poſuit, ſcribens. ideſt epiſtylium,

Zophori,

Zophori, coronae, tympana, faſtigia, acroteria. Sed illud fortaſſe magis attendendum, an
veſtigium aliquod huiuſcemodi Cicero hic intellexerit: ſiue potius id quod ſignificauit in iij.
de Oratore, vbi de faſtigio templi Iouis Capitolini loquitur: T. quoque Liuius, & Taci-
tus, cuius haec ſunt verba: Faſtigio Capitolij examen apum inſedit. Illud enim vide-
tur fuiſſe forma quaedam tecti, diuerſa ab ea, quae in priuatis domibus eſt, vt culmen ipſius
mediam frontem templi diuidat, & aquae dextra ſiniſtra dilabantur. vnde etiam, qui id re-
fert: ſpeciemque illius habet, ornatus quidam ſupra ianuam eminens, in ſacellis deorum, fa-
ſtigium nunc & ipſum ab architectis appellatur. In nomiſmate ſane Q. Catuli cum forma
Capitolij deſcripta ſit, inciſis his litteris. D a n t c. C a p i t. ea parte, qua oſten-
di, tamquam adfixum eſt, quod faſtigium eſſe arbitror: reſpondet certe illud mirifice narratio-
ni Plutarchi: videturque adnexum eſſe, & (vt ait) προσκείμενον, ampliſſimo illi aedificio.

Bonum, quod Catullus cum contemptu in paupere vita celebrat aduerſarij, idem a mendico homine in ſignificanda aſpera ſua tenuique vena cum dolore illic eſſe, declaratum.

CAP. XIX.

QVOD Catullus in Furium dixit, quem aſtuta quadam fallacique ratione proba-
re voluit beatum eſſe, cum egeret, atque aſperum victum coleret. A te ſu-
» dor abeſt: abeſt ſaliua. Muccuſque, & mala pituita naſi. ſere prolatum etiam
» eſt ab Antiphane comico: cuius hi ſenarij leguntur apud Athenaeum in epito-
me ſecundi libri, pronuntiati a paupere homine, vel potius mendico. qui ta-
men non delectaretur victu illo, ſed vt res ſuas malas oſtenderet, & quam duriter viueret, in-
dicaret, illa omnia exponebat. inquit igitur.

Τὸ δεῖπνον ἐστι μᾶζα, κεχαρακωμένη
Ἀχύροις, πρὸς ὀλίγων ἐξεπτισμένη
Καὶ βολβὸς εἷς, καὶ παροψίδες τινές:
Σόγχος τις, ἢ μύκης τις, ἢ τοιαῦθ᾽: ἃ δὴ
Δίδωσιν ἡμῖν ὁ τόπος ἄθλι᾽ ἀθλίως
Τοιοῦτος ὁ βίος ἀπύρετος, φλέγμ᾽ οὐκ ἔχων.

Et quae ſequuntur. narrat igitur vitam illam inopem, quam degeret, habere hoc in ſe boni,
quod a febri vacua eſſet, cum pituitam non haberet: demumque morbis expoſita non foret,
carens excrementis: illos namque gignere copiam epularum: humorumque redundantiam
medici teſtantur.

Quam rationem ſecutus eſt M. Cicero in Q. Fratre laudando: poſitis namque virtutibus ipſius, ſtatim contraria earum vitia ſuſtulit, eandem Iſocratem in celebrandis priſcis Athenienſibus tenuiſſe. Idemque paene ab ambobus dictum eſſe.

CAP. XX.

PRAECLARAM grauemque ſententiam, a Cicerone in epiſtola illa ad Q. fra-
trem incluſam, quae libri inſtar eſt, & quia longiſſima eſt, & quia optimorum
praeceptorum pleniſſima, conformatam arbitror ad ſimilitudinem Iſocrateae
vocis: praeter enim quam quod notio viſque ambarum ſimilis admodum eſt:
par quoque, vel idem potius, ornatus ac forma dicendi in vtraque conſpicitur.
M. Tullius igitur, cum inſtituta multa Quinti laudaſſet: dixiſſetque ad extremum, eſſe quo-
cumque ille venerit, & publice & priuatim maximam laetitiam, quod multum valuit ad il-
lum ornandum: ſignumque eſt egregiae cuiuſdam integritatis, gaudij illius iuſtam eſſe ve-
» ramque radicem oſtendens, inquit. Cum vrbs cuſtodem, non tyrannum: domus hoſpitem,
» non expilatorem recepiſſe videatur. Graecus autem ſcriptor, politus in primis: ornandae-
que patriae ſtudioſus, laudibus antiquorum Athenienſium aetatis ſuae homines ad illos imi-
» tandos excitare ſtudens, ita in Panaegyrico locutus eſt. καὶ μᾶλλον ἐπιθυμοῦντας ἡγεμόνας ὁ δῆ-
» μος αὐτοὺς προσαγορεύεσθαι: καὶ σωτῆρας, ἀλλὰ μὴ λυμεῶνας ἀποκαλεῖσθαι. Vt igitur ſimiles admodum
inter ſe loci facile conferantur, & vt vera rectaque ratio regendi ciuitatea priuatorumque for-
tunas adminiſtrandi, celebrata a duobus prudentiſſimis ſcriptoribus, magis peruulgetur, haec
adnotaui:

adnotaui: nam nimis multos opulentos homines contra ſe gerere, magno priuatorum malo
» ſaepe intelligitur. quod exprobrauit ipſe atrociſſimis verbis C. Verri, dicens. Cum in op-
» pidis & ciuitatibus amicorum, non legatum Populi Romani, ſed tyrannum libidinoſum, cru-
» delemque praebueris.

Vt Cicero in orationibus duabus, confutato figmento poëtarum, docuit, quae ſint verae furiae, ita Aeſchines oſtenditur eodem argumento vſus.

CAP. XXI.

M. Tvllivs in L. Piſonem, incidiſſe illum, ac Gabinium ipſius collegam in eas
paenas, quibus dij immortales impios & conſceleratos afficiunt, oſtendere volens,
cum ignominia notati eſſent a Senatu: in odiumque omnium ordinum veniſſent,
errorem multitudinis, ac ſtultorum refellere coactus eſt: qui, fabulas poëtarum ſequentes,
putarent eos ſolos ſupplicio affici: paenaſque iuſtas dare ſuorum ſcelerum, qui furiis exagitarentur:
interpretarique conſilium, ac mentem poëtarum, qui illa finxerant. Inquit igitur.
» Nolite enim putare P. C. vt in ſcena videtis, homines conſceleratos, impulſu Deorum, terre-
» ri furiarum taedis ardentibus: ſua quemque fraus: ſuum facinus: ſuum ſcelus: ſua audacia,
» de ſanitate ac mente deturbat. hae ſunt impiorum furiae: hae flammae, hae faces. Idem
autem Aeſchines contra Timarchum in iudicio protulit: vt videatur Latini oratoris locus e
Graeco expreſſus: eodem certe principio in errore illo tollendo: eademque figura dicendi am-
» bo vſi ſunt: ſic enim quoque egit Aeſchines. μὴ γὰρ οἴεσθε ὦ ἀθηναῖοι τὰς τῶν ἀδικημάτων ἀρ-
» χὰς ἀπὸ θεῶν, ἀλλ' οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων ἀσελγείας γίνεσθαι: μηδὲ τοὺς ἠσεβηκότας, καθάπερ ἐν ταῖς τραγ-
» ῳδίαις ποινὰς ἐλαύνειν, καὶ κολάζειν δᾳσὶν ἡμμέναις, ἀλλ' αἱ προπετεῖς τοῦ σώματος ἡδοναὶ, καὶ τὸ μηδὲν
» ἱκανὸν ἡγεῖσθαι, ταῦτα πληροῖ τὰ λῃστήρια. Sed in cauſa etiam pro Sex. Roſcio Cicero eandem
» rem perſecutus eſt, atque iiſdem paene verbis expoſuit; vbi de ſcelere parricidij agit. Noli-
» te enim putare, inquit, quemadmodum in fabulis ſaepe numero videtis, & quae ſequuntur.

Exempla quaedam illuſtria breuium collationum allata, ſiue imaginum: & a Latinis & a Graecis ſcriptoribus ſumpta.

CAP. XXII.

Vm diligenter Quintilianus in viij. libro de collationibus, quas Graeci παρα-
βολὰς vocant, diſputaſſet, addidit ad extremum. Sunt & illae breues.
» Vagique per ſyluas more ferarum. Et illud Ciceronis in Clodium, Quo ex
» iudicio, velut ex incendio, nudus effugit. Demetrius autem Phalereus has
εἰκόνας vocat. plura autem apud Graecos quoque nobiles oratores huius conciſae collationis,
quae tamen vim habent maximam, exempla inueniuntur, vt Demoſthenes
pro Cteſiphonte. cum declarare volens, atque ante oculos audientium conſtituere, improbitatem
Aeſchinis, qui ex diuturno ſilentio, tempus idoneum nactus, ſubito apparuit, ac dicere
coepit, ſimilem eum vento alicui, qui repente flare incipit, faciens, inquit; ὥσπερ πνεῦμα. nec
» non in eadem nobili oratione querens de inſidiis, ac fraude aduerſariorum, ait. οὐχὶ τῶν κα-
» τηγόρους τούτους ὥσπερ θηρίον μοι προσβεβληκότων. Iſocrates quoque, ſcriptor egregius, apte illa
vſus eſt ὥσπερ καρποὺς dicens, in libro quem miſit ad Philippum Macedonem. oportere enim
inquit, omnes, qui ipſi regi ſuaderent, haec illi facta proponere quae vtrumque, tamquam fructum
terrae ferre poſſent, voluptates ſcilicet admirabiles, & honores ſempiternos: accommodatum
etiam Ciceronis hoc eſt e xiij. Philippica, & elegans in primis imago, qua facit, vt
rem ipſam oculis cernamus: perfidiam enim ac ſcelus Pompeiani ſerui accuſans, inquit.
» Qui domini patrimonium circumplexus, quaſi theſaurum draco, agri Lucani poſſeſſiones occupauit.
Cum autem ſpiritus ac ventus omnis variis modis cogitari poſſit, vt ſunt diuerſa
ipſius opera: ſupraque docuerim ſummum in Graecis oratorem ſimile ab illo ſurgente duxiſſe:
cum ortus venti ſit ſubitus, ab eodem ſpirante: nauimque impellente, Plato imaginem formauit
in tertio libro de Rep. dicens opus eſſe rationi cuidam ſe tradere, & quocumque illa
» tamquam ventus, tulerit, eo accedere. verba ipſius haec ſunt. ἀλλ' ὅπη ἂν ὁ λόγος ὥσπερ πνεῦ-
» μα, φέρῃ, ταύτῃ ἰτέον. Cicero vero in Bruto de Ser. Galba loquens, eiuſdem deſinentis, in al-

toque

ctoque nauem ſubito deſtituentis, imagine vſus, ait. Dein cum otioſus ſtylum prehenderat, motuſque omnis animi tamquam ventus, hominem defecerat, flacceſcebat eius oratio. T. autem Liuius in xxxxiij. libro ab vrbe condita cum ait. Eumenem claſſemque eius, tamquam vento illatas naues, ſine cauſa & veniſſe & abiiſſe. videtur ſignificare claſſem illam, cum ſoc is opem non tulerit: paruoque temporis ſpatio illic manſerit, videri potuiſſe, non conſilio eo veniſſe, ſed tempeſtate delatam fuiſſe: naues enim, cum vi ventorum aliquo adpelluntur, ſtatim ceſſantibus illis, abeunt.

Declaratum ita induci ſolitum Telephum in ſcenam a tragicis triſtem taciturnque, vt comici poſtea, cum triſtitiam ingentem, ſilentiumque ſignificare vellent, exemplo illo vterentur.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EM.

CAP. XXIII.

TELEPHVS, vt ſuſpicari licet, inductus fuerat ab aliquo vetere tragico mirum in modum tacitus: oculiſque terram intuens, vt qui magnum aliquod vulnus a fortuna acceperunt, eſſe conſueuere: qui enim in altera ſcena verſati ſunt, cum magnopere aliquem maeſtum & quaſi mutum ſignificare voluit, exemplo ipſius vtuntur, ſimilemque eſſe cum Telepho aiunt. vt Amphis comicus in Plano (ita enim fabulam quandam appellauit) cum arrogantiam ſpiritusque eorum, qui Athenis piſces venderent, inſimularet: diceretque difficiliores aditus ad eos eſſe, quam ad ſummos magiſtratus: quique imperium haberent, quod emptorem ſpernerent: nec dignum, cui reſponderent, iudicarent, inquit. Πρὸς τοὺς στρατηγοὺς ῥᾷόν ἐστι μυριάκις Προσελθόντ᾽ ἀξιωθῆναι λόγου Λαβεῖν τ᾽ ἀπόκρισιν, ὧν ἐπερωτᾷ τις ἢ Πρὸς τοὺς κατεράτους ἰχθυοπώλας ἐν ἀγορᾷ. Οὓς ἂν ἐπερωτήσῃ τις ἢ λαβόντι τι τῶν Παρακειμένων, ἔκυψεν ὥσπερ Τήλεφος Πρῶτον σιωπῇ. & quae ſequuntur. Alexis itidem in Paraſito (hoc enim quoque comoediae nomen) voracem quendam, lurconemque accuſans, qui ſilens, quaecumque adpoſita forent, abſumeret: ac ſiquid quaeſitum ex ipſo eſſet, capite tantum annueret. ait. Καλοῦσι δ᾽ αὐτὸν πάντες οἱ νεώτεροι Παράσιτον ὑποκόρισμα: τῷ δ᾽ οὐδὲν μέλει. Δειπνεῖ δ᾽ ἄφωνος Τήλεφος νεύων μόνον Τοῖς ἐπερωτῶσίν τι: ὥστε πολλάκις Αὐτὸν κελεύειν τὰ Σαμοθρᾴκι᾽ εὔχεται Λῆξαι πνέοντα, καὶ γαληνίσαι ποτέ: Χειμὼν ὁ μειρακίσκος ἐστὶ τοῖς φίλοις. totum enim lepidi poëtae carmen, quod illic legitur, elegantiae cauſa ponere volui. loquitur autem de illo tamquam de turbine ac procella menſarum. Quum autem nullum vmquam docendi aliquid tempus alienum ſit: ſupraque ſcripſerim ſcena ſine diphthongo, ſecutus conſuetudinem Graecorum, non me fallit ſcaena etiam antiquitus ſcribi ſolitum. nam & in Florentino exemplari Pandectarum ita ſcriptum eſt: & Vulſiniis lapidem antiquum vidi, in quo haec inciſa ſunt.

L. COMINIVS L. F. AN. C. CANVLEIVS L. F.
T. TVLLAVS T. F. XANVS L. HERRIVS L. F. LATINVS
IIII. VIR. THEATRVM ET PROSCAENIVM DE SVA
PECVNIA FACIVNDVM COERAVERVNT.

Qui homines vocati ſint in fabulis ab Euripide cum contemptu, ἀγάλματα ἀγορᾶς: quomodoque nos eoſdem vernacula lingua appellare conſuerimus.

CAP. XXIIII.

ΑΓΑΛΜΑΤΑ ἀγορᾶς eleganter Euripides in Electra vocauit homines, qui cum magnum formoſumque corpus habeant, nullius conſilij ſunt: nec ſtudio operaque ſua proſunt quicquam rei publicae, quaſi ad ornatum tantum fori aptos: oblectandiſque oculis ſpectantium a natura factos. eodem autem paene pacto nos quoque patrio ſermone huiuſcemodi homines vocare conſueuimus, qui ſpecie tantum corporis inſignes, nullaque virtute instructi, ſuperbi ambulant: ducto enim nomine a machinis quibuſdam, quae certis ludis publicis per vrbem circunferuntur, illos Be ceri, appellamus. quo igitur loco ſapiens ille tragicus induxit Oreſtem laudantem virtutem coloni, cui data nuptum erat Electra: ille namque cum tenuis homo eſſet, atque glaebis ſubigendis deſtinatus, magnitudine tamen animi, aliiſque virtutibus praeditus erat: diſputantemque nullam certam notam eſſe virtutis hominum, ſubductis diligenter eius rei rationibus, increpans eos, qui temere de hac re iudicarent, inquit. Οὐ μὴ φρονήσεθ᾽, οἳ κενῶν δοξασμάτων Πλήρεις πλανᾶσθε:

πλευραῖσι· τῶν δ' ὁμιλίᾳ βροτῶν Κρείττους καὶ τοῖς ἔσθλοις οὐδ' εὐφρονῶς· Οἱ γὰρ τοιοῦτοι τὰς πόλεις οἰκοῦσιν εὖ Καὶ δώματ'· αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν, Ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσιν. Idem praeterea poëta in ſabula, quae vetuſtate periit: vocabatur aotem primus Aotolyeus, cum inueheretor iu athletas: ſtudiumqoe eorom acerrime aceuſaret, quod iu ſe plura grauiaque mala coutineret: nihil autem boni gigneret, ait, illos io aetatis flore lueolentos eſſe, & ſtatoas ſimulacraque ciuitaus ambulare: ſenectute autem oppreſſos iacere, in oulloque booo re eſſe. longum autem ipſius carmen, peſſimum huc ioſtitutum emendare volentis, magoumque errorem ex animis Graecorum ſuorum euellere, legitur apod Athenaeum io v. libro: verſus vero, qoibus eos ita irriſit, contuoielioſiſque ſimilibus notauit, hi ſunt. Λαμπροὶ δ' ἐν ἥβῃ, καὶ πόλεως ἀγάλματα Φοιτῶσ'· ὅταν δὲ προσπέσῃ γῆρας πικρὸν Τρίβωνες, ἐκβαλόντες οἴχονται κρόκας. Sed etiam io fabula, a ſe vocata Hippolytus, eum maledieeret noptis, quas ſtatim iogreſſas domos virorum, illi coguutur, eas magnis ſumptibos ornare, appellauit ipſas, peſſimum ἄγαλμα. Mutato autem oomine vocauit alio loco, qui legitur apud Lycurgum oratorem cootra Leoeratem, liberos iuutiles reipublicae, πάντα χρήματα ἄξιος τῇ πόλει πεφυκότα. Quaerendum autem diligenter quid valeant verba haec Graeca io epiſtola Ciceronis ad Caſſium de D. quodam Sylla prolata, Quamquam πρόσωπον πόλεως amiſimus: ſimilitudioem enim aliquam cum ſuperiore locutiooe habent: ipſe puto ſigoificare illis Ciceronem damoum factum morte illius: mortuo enim illo amiſſa erat facies ciuitatis, quae expreſſa erat ab eo: in ipſoque tota conſpici potuit, ciuitatis autem, ideſt reipublicae, quae tunc eſſet: ac temporum eorum.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XVIII.

Declaratum verba, & foecunda, & ſterilia μεταφορικῶς vocata fuiſſe a M. Varrone: deletaque macula, quae locum illum inquinabat.

CAP. I.

VOCABVLVM, quod proprium eſt animantium, rei non modo animo, ſed etiam corpore carenti, tribuit M. Varro, niſi me opinio fallit: appellauitque verbum foecundum, quod pareret aliquid in viij. libro de lingua Latina, quo loco exponit, quae dicantur, cur non ſit analogia: quod enim nunc illic in excuſis libris legitur. Duo enim genera verborum: vnum ſecundum, quod declinando multas ex ſe parit diſparilis formas, vt eſt lego, legis, legam: ſic alia. Alterum genus ſterile, quod ex ſe parit nihil. vt eſt. etiam. vix. magis. cur. arbitror mendoſum eſſe, legique debere. vnum foecundum, non eſt tamen haec mera coniectura, quamuis multis modis argumentari poſſim ita eſſe deprauatam vocem corrigendam, vel ſaltem a contrario verbo. quod eadem ratione vocat ſterile: veſtigia namque huius lectionis manent in antiquo exemplari: habet enim illud ferundum. vt paruo librarij lapſu locus olim corruptus ſit, quem poſtea magis contaminarit, qui parum erudite emendare voluit.

Videri ſermones Platonis M. Varronis aetate eundem ordinem habuiſſe, quem nunc retinent: declaratumque quomodo notis diſtingui locus apud Varronem ipſum poſſit.

CAP. II.

AB ordine numeroque, in quem digeſti erant, ſignificauit M. Varro ſermones Platonis, qui dialogi appellantur: hoc autem manifeſto intelligitur his ipſius verbis ex viij. libro de lingua Latina. Tartarino, a tartaro dictum. Plato in quarto, de fluminibus, apud inferos quae ſint, in his vnum Tartarum appellat. quare Tartari origo Graeca: ita enim interpungi orationem arbitror oportere. non vt in excuſis libris: in quibus hoc pacto diſtincta eſt. Plato in quarto de fluminibus: nec enim libros vllos eruditiſſimus, ac politiſſimus ſcriptor de fluminibus edidit. intelligit autem ſermonem, qui altero nomine Phaedon vocatur: qui etiam nunc locum eum in ordine tenet: ciuſque ipſius haec verba, in oratione, quam habuit ſanctiſſimus, ac maximi animi vir Socrates apud iudices illos impuros, poſita. Τούτου δ᾽ αὖ καταντικρὺ ὁ τέταρτος ἐκπίπτει εἰς τόπον πρῶτον δεινόν τε καὶ ἄγριον, ὡς λέγεται. & ſupra hunc locum. ὃ καὶ ἄλλοθι, καὶ ἐκεῖνος, καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ποιητῶν, τάρταρον κεκλήκασι.

Vox Timothei, illuſtris ciuis Athenienſis, quam celebrat Cicero, diligenter examinata, cum a Graecis etiam ſcriptoribus litteris prodita ſit.

CAP. III.

VERBA haec M. Tullij ſunt e v. libro Tuſculanarum, vbi tenuitatem victus laudat. Timotheum, clarum hominem Athenis, & principem ciuitatis, ferunt, quum cenauiſſet apud Platonem: eoque conuiuio admodum delectatus eſſet, vidiſſetque eum poſtridie, dixiſſe. Veſtrae quidem cenae non ſolum

 in praeſentia

In praeſentia, ſed etiam poſtero die iucundae ſunt. Et Plutarchus autem in commentario, quem inſcripſit ὑγιεινὰ παραγγέλματα: & Athenaeus in x. libro narrant cenaſſe apud Platonem in Academia Timotheum, ſummum virum in rep. Athenienſium: tenuique ac parca cena admodum delectatum fuiſſe: eundemque, cum poſtridie incidiſſet in Platonem, eleganti voce politoque homine digna, indicaſſe quantopere gauiſus eſſet modico illo apparatu. nec tamen omnes veteres ſcriptores eodem pacto eum locutum ferunt. Plutarcho ſane & Athenaeo conuenit cum Cicerone: Plutarchus namque ait. ὡς οἱ παρὰ Πλάτωνι δειπνήσαντες καὶ εἰς αὔριον ἡδέως γίνονται. Athenaeus vero. ὡς οἱ παρὰ Πλάτωνι δειπνοῦντες καὶ τῇ ὑστεραίᾳ καλῶς γίνονται. Addit tamen Athenaeus, Hegiſandum in commentariis ſic tradere Timotheum locutum. ὑμεῖς ὦ Πλάτων εὖ δειπνεῖτε μᾶλλον εἰς τὴν ὑστεραίαν, ἢ τὴν παροῦσαν ἡμέραν. Et ſane, ſi diligenter attendimus, non minus conuenire quadrareque videtur haec vox homini, qui morum eorum ac temporum vitio cotidie in delicatiore prolixioreque apparatu verſaretur. qua voce exponitur ita cenare ſolitus philoſophos illos, vt maiorem voluptatem poſtero die quam in praeſentia capiant: eſcae enim illae vulgares, cum ſumuntur, iucundae eſſe non poſſunt iis, qui ſuauioribus, atque exquiſitioribus dapibus aſſueti ſunt: ſuauitas autem illarum intelligitur poſtero die, quia nec corpori dolorem vllum afferunt: nec animi muneribus obſunt, vt varietas copiaque ciborum, quae, mentem impedit: nam qui vilibus epulis diu vſi ſunt: tenuique victu delectantur, & in praeſentia & poſtero die ſe belle iucundeque habere poſſunt. Vnde Polemo Athenienſis, magni nominis philoſophus: eleganſque morum formator, ſuadebat hominibus, cum cenatum irent, vt curarent ea in praeſentia tantum, ſed in craſtinum quoque diem cenam illam iucundam redderent. qui manifeſto nihil aliud ſignificare voluit. hoc autem apud Athenaeum legitur, qui eodem loco, inquit. Ἀρίστων δὲ ὁ φιλόσοφος ἐν ἐρωτικῶν ὁμοίων δευτέρῳ Πολέμωνά φησι τὸν Ἀκαδημαϊκὸν παραινεῖν τοῖς ἐπὶ δεῖπνον πορευομένοις. φροντίζειν ὅπως ἡδὺν πότον ποιήσονται, μὴ μόνον εἰς τὸ παρὸν, ἀλλὰ καὶ εἰς αὔριον.

Commemoratur nimium amorem ornandi patriam in hiſtoria, cauſam fuiſſe Ephoro Cumano, vt contemneretur: eumque dum hoc pacto dignitatem aliquam ipſi acquirere voluit, magis obſcuritatem ipſius atque inertiam indicaſſe.

CAP. IIII.

ACRA quoddam deſiderium ſcriptores rerum tenet ornandi patriam: locaque, in quibus nati ſint in hiſtoria appellandi. hoc vero facile intelligi poteſt ab iis, qui ſcripta ipſorum accurate legunt: prouehit enim aliquando eo, quamuis honeſtum videatur ſtudium hoc, vt contemni illos & ſpectaculo omnibus eſſe faciat. quod Ephoro Cumano, qui accepit diſciplinam ab Iſocrate, contigit: cum enim in narratione aliarum rerum non haberet res a patria geſtas, quas commemoraret: nec imperare ſibi poſſet, vt eam indictam relinqueret, in hanc vocem erupit. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Κυμαῖοι τὰς ἡσυχίας ἦγον. quod animaduerſum ab acutis ingeniis riſum ipſis mouit: &, ne dum dignitatem aliquam obſcuro oppido verbis illis afferret, magis ipſius ignobilitatem patefecit. Quod ſi accurate perſpicimus, locus ille T. Liuij in x. libro ab Vrbe condita, quo aduerſam pugnam Cleonymi, ducis Lacedaemonij, cum Venetis exponit: narratque eum exutum magna parte nauium, ab eodem ſtudio celebrandi ſuos profectus eſt: quamuis enim caſus ille memorabilis ſit: reſque omnino ſcitu digna, non libenter tamen ſoler ille auctor aliena facta cum rebus Romanis immiſcere. vt ipſe met pluribus locis oſtendit. nam quod addit. Roſtra nauium, ſpoliaque Graecorum, in aede Iunonis veteri fixa, multos ſupereſſe qui viderint: ac Patauij monimentum naualis pugnae, eo die quo pugnatum eſt, quotannis ſolemni certamine nauium flumine in oppidi medio exerceri, manifeſto indicat voluntatem ſuam: neque enim tam minutas res grauis ſcriptor tanta diligentia perſecutus eſſet. quod autem ad Ephorum pertinet, id memoriae proditum eſt e Strabone in xiij. libro Geographiae.

Argumentis comprobatur, teſtimonioque veterum grammaticorum, Ciceronem meros principes dixiſſe e ludo Iſocratis exiſſe, non innumeros.

CAP. V.

QVOD olim emendaui in ij. libro de Oratore: nec tamen argumentis vllis confirmaui: arbitror vere, recteque reſtitutum fuiſſe: cum enim antea hic locus ita legeretur. Ecce tibi exortus eſt Iſocrates, magiſter iſtorum omnium: cuius e ludo, tamquam ex equo Troiano, innumeri principes exierunt. antepenultimae vocis

mae vocis primas duas ſyllabas deleui, atque ita ex illa meri feci. Nonius igitur, cum Merum valere ſincerum oſtenderet, hoc quoque exemplo vius eſt: manifeſtoque ita legit. Praeterea Varro in ij. libro de re pecuaria, eodem ſignificatu idem verbum cepit, ſcribens. *Si neque vetulae ſunt: neque metae agnae.* nec non Plautus in Milite. qui locus magis adhuc Ciceroniano huic ſimilis eſt. Meri bellatores gignuntur, quas hic praegnantes fecit. magis autem voluiſſe videtur Cicero nobilitatem, quam multitudinem Iſocratis diſcipulorum demonſtrare. nam neque ex ipſius ludo: neque ex equo Troiano infinita vis principum egreſſa eſt, ſed vt ex equo ligneo delecti ex omni exercitu: vtrique duces, ita e ſchola ipſius perfecti abſolutique auditores exierunt: principes autem intelligo excellentes viros, & in ſuo ſtudio magnos. quamuis principibus in rep. viris, & regibus quoque ac tyrannis, praecepta dicendi dederit Iſocrates: quod aduerſarij etiam ipſi obiiciebant, cum amplum patrimonium eum habere, ac poſſe magna onera in rep. adiuuanda ſuſtinere, affirmarent. ipſe autem hoc teſtatur in oratione περὶ τῆς ἀντιδόσεως his verbis: *οὐ γὰρ ἰδιώτας μόνον φασί μοι γεγενῆσθαι μαθητάς, ἀλλὰ καὶ ῥήτορας, καὶ στρατηγούς, καὶ βασιλέας, καὶ τυράννους.*

Reſtitutus locus Ciceronis pro M. Marcello de opinione, qui temere, repetita ſuperiore particula: eoque inculcata, vbi locum non habebat, deprauatus erat.

CAP. VI.

NON contemnenda (vt arbitror) coniectura ductus, affirmatim mendoſe legi locum hunc in oratione pro M. Marcello: neque ſolum in excuſis, verum etiam in ſcriptis libris: cum enim non longe a principio, rationem reddat illius, quod antea dixerat, idque totum explicet, inquit. vt eſt in cunctis exemplaribus. Intellectum eſt enim, mihi quidem in multis, & maxime in me ipſo, ſed paulo ante in omnibus, cum M. Marcellum Senatui, Reique p. conceſſiſti, commemoratis praeſertim offenſionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatemque Reip. tuis, vel doloribus, vel ſuſpicionibus anteferre. ipſe vero puto, vna tantum ſyllaba ſublata: id eſt praepoſitione, quae eſt ante Omnibus, legi debere: Intellectum eſt enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipſo, ſed paulo ante omnibus: oſtendere enim vult, quod ipſe multo antea cognouerat. vt qui acumine ingenij, prouidentiaque, multitudini praeſtaret: atque id viderat (vt narrat) & multorum exemplo: praecipue autem ſui ipſius, paulo antea facto illo: poſtremo, cum M. Marcellum Senatui, Reipublicaeque conceſſit, cognitum fuiſſe ab omnibus: vt dubitari amplius non poſſet a quopiam de mente voluntateque Caeſaris, quamuis intimos ſenſus ipſius non noſſet. reſpondet igitur quod inquit, Omnibus, ſuperiori pronomini mihi: & eſt ἀντίθετον ipſius: cum enim ſupra dixerit Mihi quidem, ſatis certo inde intelligitur deſiderari, quod illi reſpondeat. nam ſi, vt nunc paſſim legitur, legeretur, quis non videat ſententiam illam veram futuram non fuiſſe? neque enim, cum ignouit M. Marcello, ignouit omnibus: reſtabat enim Q. Ligarius, & alij plures, quibus C. Caeſar vehementer iratus erat: nec redire illos Romam patiebatur. nunc autem ſignificat, fuiſſe illud factum tam certum indicium, teſtimoniumque animi ipſius, vt poſtquam ignouerit acerrimo ipſius aduerſario: multoque plus tribuerit patribus conſcriptis, pro illo rogantibus, quam doloribus, aut ſuſpicionibus ſuis, manifeſto teneatur ipſum auctoritatem Senatus, dignitatemque Reip. ſuis propriiſque offenſionibus anteferre. Declarant etiam ita legi debere, ſuperiora verba quorum ſententia confirmatur verbis his, quae ſupra poſui: quaeque vitio hoc laborare ſignificaui: ait enim. Ergo, & mihi meae priſtinae vitae conſuetudinem C. Caeſar interclusam aperuiſti: & his omnibus ad bene de omni Rep. ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti: quomodo enim vtrumque eorum factum ſit, infra diligenter docet. Accuratius autem pluribusque de hoc diſputaui, quia auctoritate veterum librorum lectio haec non ſtabilitur. opus igitur fuit argumentis illam, cum tota ex opinione pendeat, munire.

De more veterum R. diſputatum, qui ſexagenarios de ponte deiiciebant: declaratumque de hoc etiam antiquitus quaeri ſolitum.

CAP. VII.

IN oratione pro Sex. Roſcio M. Cicero T. Roſcio Capitoni, vt crimen obiicit, quod contra morem maiorum minorem annis lx. de ponte in Tiberim deiecerit. mos igitur hic ac totus locus, qui habet in ſe obſcuritatis non parum, videtur aperiendus:

commode autem id fiet, & cum auctoritate aliqua, ſi M. Varronis locum, qui a Nonio adducitur, huc attulero: ille enim de vita populi R. libro ij. ſic inquit. Honeſtam cauſam religioſamque patefecerit. cum in quintum gradum peruenerant, atque habebant lx. annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi, atque orioſi: ideo in prouerbium quidam putant veniſſe vt diceretur ſexagenarios de ponte deiici oportere. ideſt quod ſuffragium non ferant, quod per pontem ferebant. non intelligit igitur M. Tullius pontes proprie ita appellatos, quibus ſcilicet fluuij altiores tranſeuntur, ſed qui ob ſimilitudinem eodem nomine vocarentur, ac Romae fieri ſoliti eſſent, vt illac multitudo in campum penetraret: hos enim quoque ita vocatos percipitur etiam verbis his Ciceronis e iij. libro de legibus. Pontes etiam lex Maria fecit anguſtos. ſed alter etiam M. Varronis locus, ab eodem grammatico citatus, & moris huius, & nominis, mentionem facit. ſi tamen macula, quae inſedit, antea eluatur: cum enim in excuſis Nonij libris ita nunc legatur M. Varro Sexageſi. Vix ecfatus erat, cum more maiorum vltro carnales arripiunt, de fonte in Tiberim deturbant. de ponte videtur omnino, vna immutata littera, legendum. Reſtat ſcrupulus in poſteriore hoc loco Varronis, & illo Ciceronis pro Sex. Roſcio, quod in ambobus Tiberis appellatur. Nam antiquitus etiam de hoc quaeri ſolitum: variaſque moris huius iam tunc rationes allatas Sex. Pompeius in xvij. libro teſtatur, quamuis locus ille mancus lacerque ſit: neque tantum in excuſis libris, ſed in eo etiam, quem de vetuſtiſſimo exemplari Politianus deſcripſit. quia tamen illic, quae reſtiterunt integra ſunt, cum in excuſis ſint valde corrupta, totum eum locum adſcribam: poſtquam enim docuit, quae fuerint mulieres, Scraptae vocatae, ſic illic eſt. cum in excuſis nunc, excepto primo verbo, quod illic deſideratur, reliqua coniuncta ſint cum ſuperioribus, quae nihil eo pertinent. Moleſtum autem eſt poſt id verbum, quod primum erat in ea ſententia, quae declaratur, in exemplari fragmentum fuiſſe: multaque illic deſiderari: quod notis, vt conſueuit, Politianus indicauit. Sexagenarios per flumen, ac mare in patriam remitteretur. Sunt qui dicant poſt vrbem a Gallis liberatam, ob inopiam cibatus, coeptos lx. annorum homines iaci in Tiberim: ex quo numero vnus, filij pietate occultatus, ſaepe profuerit patriae conſilio, ſub perſona filij: id vt ſit cognitum, ei iuueni eſſe ignotum, & ſexagenariis vita conceſſa. Latebras autem eas, quibus arcuerit ſenem, ideſt cohibuerit & celauerit, ſanctitate dignas eſſe viſas, ideoque arcaea appellata. Sed explorariſſimum illud eſt cauſae, quo tempore primum per pontem coeperunt comitiis ſuffragium ferre iuniores, conclamauere, vt de ponte deiicerentur ſexagenarij, quia iam nullo publico munere fungerentur, vt ipſi potius ſibi, quam illi deligerent imperium: cuius ſententiae eſt etiam Sicinius Capito. Vanam autem opinionem de ponte Tiberino, confirmauit Afranius in Repudiato. Praeterea M. Varro in vij. libro de lingua Latina, vbi docet quid valeat in vetuſto verſu, quem totum interpretatur, Argei, inquit. Argei, ab Argis. Argei fiunt e ſcirpis ſimulacra hominum xxiiij. Es quotannis de ponte Sublicio a ſacerdotibus publice deici ſolent in Tiberim: ſic enim legitur in antiquiſſimo illo, & optimo exemplari, cum excuſi ſint ea parte multis modis depravati. nam quod in illis legitur ſcirpeis virgultis, factum eſt quia in exemplari ſcriptum eſt ſcirpeis: vt ſaepe, & in vetuſtis libris, & in lapidibus inuenitur. poſita diphthongo illa ei pro i. quod non attendentes non nulli, addiderunt virgultis imperite. Intelligitur autem hinc manifeſto longe aliud etymon afferre nominis Argeorum Varronem, quam fecerit illi, quorum opinionem Sex. Pompeius retulit.

Indicatum Graecum hominem ſimile quiddam dixiſſe voci Q. Catuli, cum Clodianos iudices exagitauit.

CAP. VIII.

ACVTAM Catuli vocem in Clodianos iudices, qui, pecunia corrupti, manifeſti facinoris reum abſoluerant, cum tamen iidem antea, tamquam vim timentes, vt ſenere iudicare poſſent, viderentur praeſidium a ſenatu poſtulaſſe, retulit Cicero in primo libro epiſtolarum ad Atticum hoc pacto. Quorum Catulus cum vidiſſet quendam, quid vos, inquit, praeſidium vobis poſtulabatis? an ne nummi vobis eriperentur, timebatis? In oratione quoque de Aruſpicum reſponſis, nulla mentione Catuli facta, ita eoſdem mercennarios iudices Cicero notauit. Quibus olim erepti eſſent nummi, niſi a Senatu praeſidium poſtulaſſent. Huiuſcemodi autem quiddam Graecus homo antea pronuntiarat: vt indicio Plutarchi cognouimus, qui primo capite ij. libri συμποσιακῶν, quo loco de iocis ſubtiliter atque erudite diſputat, cum docere vellet inueniri, qui vitia quaedam corporis obiici ſibi in riſu non moleſte ferant, narrat ita

affectum

affectum animo fuiſſe Antigoni regis amicum : eum enim regem talentum popoſciſſet, nec obtinuiſſet, petiit vt comites ſibi, ſpiculatoreſque traderet, ne in via ſibi inſidiae fierent, ita tangere regis auaritiam volens. tunc Antigonus iuſſit humeris pecuniam eam portaret: erat autem ille gibberus.

Imagine vſum Ciceronem, periodum longiorem dixiſſe tamquam crepidinem quandam, ſuſtinere ac regere prolixam diſputationem, quo verbo etiam Graeci ſcriptores μεταφορικῶς vtuntur.

CAP. IX.

VALDE apte Cicero Graeco verbo: a Latinis tamen in ſuum ſermonem recepto, μεταφορικῶς vſus eſt: habet tamen ille eius magnis illius linguae ſcriptores auctores ac magiſtros: cum enim dixerit in Oratore. Deinde omnia, tamquam crepidine quadam, comprehenſione longiore ſuſtinentur. Plato quoque in v. libro de legibus ait. Σωτηρίας τε γὰρ ἀρχὴ μεγίστη πόλεως αὕτη γίγνεται: καὶ ἐπὶ ταύτης ἐστὶ κρηπῖδος μονίμου, ἐποικοδομεῖν δυνατόν. Sed etiam Xenophon in primo libro ἀπομνημονευμάτων temperantiam celebrans, fugamque corporis voluptatum, ipſam eſſe inquit crepidinem omnis virtutis. verba eius haec ſunt. ἆρά γε οὐ χρὴ πάντα ἄνδρα, ἡγησάμενον τὴν ἐγκράτειαν ἀρετῆς εἶναι κρηπῖδα, ταύτην πρῶτον ἐν τῇ ψυχῇ κατασκευάσασθαι. Praeterea Euripides Ἡρακλείδαις hoc verbum & ipſe alio tranſtulit, de origineque familiae, vt de fundamento domus, locutus eſt: ita enim Herculem ipſum cum Theſeo induxit loquentem. Ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους Ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους. nam ſuo proprioque nomine valere hoc verbum ſolum ac fundamentum, quod aedificium ſuſtineat regatque, certum eſt. Animaduertendum autem apud Ciceronem in proximo exemplo, quod antecedit haec verba, mendum eſſe. quod ſane ſine ope meliorum librorum aegre tolli poteſt: cum enim in omnibus excuſis, & ſcriptis legatur. In alienos inſanus inſaniſti, quem locum hic habeat ſecunda harum dictionum, non video.

Explicatus locus Ciceronis in epiſtola quadam ad Atticum, qui venuſtum lepidumque ſenſum habet.

CAP. X.

CVM olim, ſecutus fidem optimi exemplaris, locum hunc in epiſtola ad Atticum purgarim, nec quomodo accipiendus ſit, oſtenderim, nunc, quem verum eſſe putem illius lectionis ſenſum indicabo: video enim quoſdam eum temptare, qui ſubtilitatem illius ſententiae vt arbitror, non perſpiciunt. In ſecunda igitur epiſtola vij. libri, quo loco de inualetudine Pomponij agit: de multiſque eius epiſtolis vno tempore Brundiſij acceptis, loquitur, quae omnes erant ipſius manu, inquit. Nam Alexidis animum amabam, quod tam prope accedebat ad ſimilitudinem tuae litterae: manum non amabam, quod indicabat te non valere. Alexidem autem puerum fuiſſe, cuius opera Pomponius aliquando in ſcribendis epiſtolis vtebatur, conſtat. Hic igitur Alexis (niſi fallor) cum Titus morbo impeditus, ſua manu, vt conſuerat, ad M. Ciceronem ſcribere non poſſet: ipſeque munus illud obire deberet, nitebatur effingere manum Pomponij, ne intelligeret Cicero aliena manu ſcriptas litteras eſſe, ac ſuſpicaretur, vt res erat, grauiter laborare Atticum: indeque magnum dolorem ſentiret. quare inquit Cicero ſe animum illius amare: probareque ſtudium, atque optimam voluntatem, qui tantum diligentiae poneret in ſe fallendo, ſollicitudineque liberando: quia tamen, non ita licuit illi exprimere manum Attici, quin ipſe diſſimilitudinem litterae cognoſceret, addit, ſe non amare manum illius deprehenſam, quod erat indicium inualetudinis Attici. nam ſtuduiſſe id facere Alexin: multumque induſtriae in eo poſuiſſe, declarant verba illa, quod tam prope accedebat ad ſimilitudinem tuae litterae: perſpicitur enim ex ipſis mira cupiditas efficere id molientis pueri. cur autem tantopere tunc in eo laborare debuit, niſi ea de cauſa, quam ſignificaui: vt ſcilicet imponeret Ciceroni. qui tamen error iucundus illi, vtiliſque fuiſſet, ſi exitum habuiſſet. Hoc pacto, vt opinor, fides auctoritaſque optimi exemplaris defenditur: & acutus lepiduſque ſenſus ſuauiſſimi ſcriptoris percipitur.

Monſtratus locus apud Homerum, quem obſcure tetigit Ariſtoteles in III. libro ἠθικῶν νικομαχείων: vbi de naturalibus cupiditatibus diſſerit.

CAP. XI.

IN iij. libro de moribus ad Nicomachum Ariſtoteles, vbi de cupiditatibus,
quae natura nobis inſitae ſunt, diſſerit: cum primas eius generis appellaſſet fa-
mem, ſitimque, addidit duabus his, vſus principis poëtarum teſtimonio, Ve-
nerem: neque tamen omni aetati accommodatam illam, eſſe affirmauit, ſed a-
duleſcenti tantum: in viridique aetate conſtituto, paene neceſſariam eſſe ſigni-
ficauit. Cum quis autem apud Homerum hoc dixerit non oſtendat: nec interpretes, aut Grae
ci, aut Latini, horum librorum quicquam de hoc laborent, operaepretium me facturum pu-
taui, ſi locum obſcure tactum, indicaſſem: eoque lectorem duxiſſem. verba tamen prius Ari-
» ſtotelis ponam. πᾶς γὰρ ἐπιθυμεῖ, ὅταν ἐνδεὴς ᾖ, ξηρᾶς ἢ ὑγρᾶς τροφῆς: ὁτὲ δ' ἀμφοῖν: καὶ εὐνῆς, φησὶν
» Ὅμηρος, ὁ νέος καὶ ἀκμάζων. In poſtremo igitur libro Iliadis a Ioue miſſa Thetis, vt Achilli ſigni-
ficaret, offendiſſe illum apud deos immortales: in primiſque apud ſe, quod Hectoris corpus
ſuis non redderet: nec modum vllum in illo dilacerando teneret, ita filium alloquitur: accu-
ſans eum quod aegritudine confectus ac moerore, res etiam vitae neceſſarias oblitus ſit.
» Τέκνον ἐμὸν τέο μέχρις ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων Σὴν ἔδεαι κραδίην: μεμνημένος οὔτε τι σίτου Οὔτ' εὐ-
» νῆς. ἀγαθὸν δὲ γυναικί περ ἐν φιλότητι Μίσγεσθαι. verbum igitur tantum inde ſumpſit philoſo-
phus, quo vno tamquam ſigno, agnoſci poſſe locum ſententiamque putauit. nam quod adiun
xit ὁ νέος καὶ ἀκμάζων, his verbis mentem poëtae declarauit: valentque tamquam Ariſtoteles
dixiſſet, omnem hominem, qui eius aetatis eſſet, ac firmum vegetumque corpus haberet.

Non ſemper fugere Demoſthenem concurſum litterarum vocalium, ſed aliquando etiam, vt valde illi tempori accommodatum, ſtudioſe perſequi.

CAP. XII.

IN oratore Cicero, vbi de concurſu vocalium diſputat, quem Graeci σύγκρουσιν
vocant, magna ex parte illum vt vitioſum, fugere Demoſthenem tradidit. quod,
quemadmodum ſaepe verum eſſe non negarim, ita contra eundem concurſum
hunc ipſum aliquando ſtudioſe ſectari non dubitarim affirmare. vtrumque igi-
tur ratione, ſummoque iudicio feciſſe Demoſthenem exiſtimare debemus, cum tantopere di-
ſpar diſſimiliſque ſibi ipſi reperiatur. cum praeſertim accuratiſſimus ſcriptor fuerit, ac reliquos
omnes arte diligentiaque ſuperarit. nam perſecutum Demoſthenem aliquando fuiſſe vocalium
concurſionem hi loci manifeſto declarant. In prima enim, quae nunc vocatur Philippica,
rationem reddens cur claſſium apparatus tempore numquam fieret: ludorum vero curatio,
quamuis operoſa res, ſtatos dies ſeruarat: iamque poſteriorem hanc partem explicaſſet, addidit,
» αἱ δὲ τῆς περὶ τοῦ πολέμου καὶ τῆς τούτου παρασκευῆς, ἄτακτα, ἀόριστα, ἀδιόρθωτα, ἅπαντα. cum
tres igitur continentes hic ſint concurſus, ac, quod moleſtius adhuc eſt, eiuſdem vocalis, atque
ipſius quidem, quae grandem ſonum habet, quis putaret hoc vmquam accuratiſſimum in com
ponendis verbis oratorem temere ac ſine cauſa feciſſe. nam inſuauiores hos concurſus eſſe te-
» ſtatur in ix. Quintilianus his verbis, vbi & ipſe de compoſitione diligenter diſſerit. Tum voca-
» lium concurſus, qui cum accidit, hiat & interſiſtit, & quaſi laborat oratio: peſſime longe, quae
» eaſdem inter ſe litteras committunt, ſonabunt. Praeterea ſimilis huic alter ille locus in tertia.
» ἀλλ' ἅπαντα ταῦτα, ἄχρηστα, ἄπρακτα, ἀνόνητα ὑπὸ τῶν πωλούντων γίγνεται: oſtendit enim eximia
quaedam bona. copiamque rerum earum, quae facilem victoriam facerent, corrumpi ab iis
qui, mercede empti a Philippo ſint, & quaeſtui habeant rempublicam. Poſſem & aliis exem-
plis vti, quae liquido demonſtrant captaſſe ſummum oratorem concurſionem vocalium: ſed
his, quae apertiſſima, & maxime inſignia ſunt, contentus ero. Quid igitur cauſae eſſe cenſe-
bimus, cur tantopere aliquando Demoſthenes ſtuduerit huic concurſioni, quam alibi declinat
ac vitat? tempus ſcilicet ipſum, quod hoc poſtulabat: fortuito namque id, inconſiderateque
factum exiſtimandum non eſt. Cum omnis igitur vocalium concurſus hiatuſque ſonantior ſit,
praeſertim cum extremae litterae antecedentis: primaeque inſequentis eaedem ſunt, vocique
augendae, clamorique tollendo haec littera in primis aptiſſima ſit, quae in ſuperioribus exem-
plis colliſa inter ſe eſt, quum dilatato ore, ſpirituque ſurſum lato pronuntietur, voluiſſe De-
moſthenem hoc pacto magis ferire aures eorum, qui audirent, putandum eſt: claraque voce ad-
iutas ſententias magis animo ipſorum haerere.

Declaratum

Declaratum ſententia, quam in epiſtola quadam edidit Horatius, prius vſum fuiſſe Aeſchinem in Demoſthenem: ac de praeclaro omni loco eius oratoris diligenter diſputatum.

CAP. XIII.

QVOD Flaccus in epiſtola ad Bullatium, inquit, irridens illos, ſtulteque ſentire oſtendens, qui mutatis ſedibus, vitam moreſque ſubito ſe mutaturus crederent: eaque de cauſa Athenas nauigarent. Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt, ab Aeſchine antea, Demoſthenem criminante, in oratione contra Cteſiphontem, dictum eſt. haec autem verba Graeci oratoris ſunt, qui ornatum etiam verborum huic ſententiae addidit. οὐδ᾽, ὅς τις ἰδίᾳ εἶναι φαῦλος, οὐδέποτ᾽ ἦν ἐν μακεδονίᾳ κατὰ τὴν πρεσβείαν καλὸς κἀγαθός· οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε: luſit enim in ſimilitudine nominum, quibus parum variatis, diuerſae res eo ſermone appellantur: vocari autem formam hanc, lumenque orationis παρονομασίαν, notum eſt. Eſt autem omnis ille locus non tantum luminibus verborum ornatus, verum etiam ſententiis acutiſſimis corroboratus: cum enim crimini dediſſet Demoſtheni, quod ſeptima die poſt filiae mortem hoſtias immolauiſſet, in amplificanda re illa, quae, ſi verum quaerimus, nullam culpam in ſe habuit, pluribus ſtatim continentibus enthymematibus vſus eſt: & ita paruam rem magnam fecit, atque in magnum odium aduerſarium vocauit. extremum autem eorum id eſt, quod ſupra poſui. Vidiſſe autem totius huius loci artificium, grauitatemque Ciceronem, ac mirifice probaſſe, apparet his verbis e iij. libro Tuſculanarum: cum enim rem expoſuiſſet, propter quam Aeſchines in Demoſthenem inuectus eſſet, adiunxit, locum illum ponderans: vtenſque ea ratione, quae διαίρεσις vocatur a magiſtris dicendi. At quam rhetorice, quam copioſe, quas ſententias colligit? quae verba contorquet? vt licere quid vis rhetori intelligas. & ipſe in vi maximi oratoris ſignificanda, non paruo animi ardore vſus.

Quid valeat apud optimos auctores ποιεῖν ὕδωρ declaratum: Elegansque vox Socratis, patientiſſimi hominis recitata. quae modo hoc loquendi continetur.

CAP. XIIII.

VALET in Attico ſermone ποιεῖν ὕδωρ, quod de Ioue dici conſuetum eſt, pluere: imbremque in terra effundere. Ariſtophanes σοφὴν ita chorum inducit loquentem: a ſignoque affirmantem pluuiam paucis diebus futuram, quod fungi in lucerna conflarentur, qua etiam nota indicioque eiuſdem rei, vſum poëtam noſtrum fuiſſe in Georgicis, conſtat. Οὐχ ὁρᾷς ὅπως οὐχ ὁμιχλῶν πλήρεις τὸ πλεῖστον ὕδωρ ἀναγκαίως ἔχει τὸν θεὸν ποιῆσαι. Ἔπειτα γοῦν περὶ λύχνους οὗτοι μύκητες. Φιλεῖ δ᾽ ὅταν ᾖ τοιουτονί, ποιεῖν ὑετὸν μάλιστα. Auctor quoque libelli, quo deſcribuntur naturae, moreſque hominum: vnde vocatur χαρακτῆρες, ita locutus eſt capite, quo exprimit imaginem garruli: oſtendit enim illum, quando alia ſermonis materia deeſt, hoc etiam dicere. ſi pluerit, ſata laetiora futura: maioreſque fructus latura. ita autem inquit. καὶ ὁ ποιήσας ὁ Ζεὺς ὕδωρ, τὰ ἐν τῇ γῇ βελτίω ἔσεσθαι. Sed etiam exemplum huius locutionis ponam, in quo lepida vox ſapientiſſimi viri continetur. qui abſurdos aſperoſque mores vxoris patienter admodum tulit: Athenienſem autem Socratem in primis inde maximam laudem cepiſſe, notum eſt. vt memoriae igitur a Diogene proditum eſt in eius vita, cum Xanthippa ipſi antea maledixiſſet: poſtea autem aquam in eum effudiſſet, non ne inquit ille amicis hoc futurum dixeram. ὅτι ἔλεγον Ξανθίππην βροντῶσαν, καὶ ὕδωρ ποιεῖν: vix enim Latine hoc pronuntiari poſſe puto, vt maneat in ea voce lepos atque elegantia, quae in ea, his verbis pronuntiata, percipitur. nam tonitrus imbrem antecedere certum eſt: a ſimilitudine autem vox iurgantis mulieris importunuſque ille clamor, eo verbo exprimebatur, quo nos quoque in patrium ſermonem importato, vtimur, cum idem ſignificare volumus: mulierculas enim cum concitate loquuntur: ac de aliqua re magnopere queruntur, dicimus brontolare, non ab eadem tantum re ſimili ducto, ſed etiam eodem Graeco verbo vſurpato.

Indicatum

Indicatum, quod in hiſtoria Taciti deſideratur, de latebris Sabini: vxoriſque ipſius, optimae feminae, conſtantia ac ſumma virtute, apud Plutarchum in commentariolo de amore narrari.

CAP. XV.

TACITVS in xx. libro hiſtoriarum, vbi de bello, commoto a Claſſico: defectioneque Galliarum agit, de Iulio Sabino, qui ſe comitem illi adiunxerat cum Iulio Tutore: infeliciqne euentu conſiliorum eius loquens, inquit. Sabinus feſtinatum temere bellum pari formidine deſeruit. vtque famam exitij ſui faceret, villam, in quam perfugerat, cremauit: illic voluntaria morte interiiſſe creditus. Sed quibus artibus latebriſque vitam per nouem mox annos traduxerit: ſimul amicorum eius conſtantiam, & inſigne Epponinae vxoris exemplum, ſuo loco reddemus. quod pollicetur igitur non ſeruat: neque poſt hunc locum verbum, aut de Sabino, aut de vxore ipſius, facit. vel potius partem hiſtoriae, qua quod promiſerat, fideliter ſoluit, tempus abſumpſit: mutilam enim illam eſſe, multiſque modis mancam, apparet. omnis igitur memoria earum rerum periiſſet: coniugaliſque amoris, atque aſtutiae muliebris, praeclarum exemplum extinctum foret, niſi Plutarchus in libro, quem de amore ſcripſit: ἐρωτικὸνque vocauit, accurate totam rem expoſuiſſet. quamquam ne illic quidem locus integer, plenuſque eſt. nam vetuſtas quoque illi obfuit: hiſtoriaeque huius non parua pars apud Graecum quoque ſcriptorem defecit: non pauca tamen reſtant, miſerabiliter commemorata, quae eximiam pietatem fidemque erga virum huius feminae demonſtrant. illa autem ipſe, vt a pluribus intelligi poſſint exprimere, & in Latinum vertere conabor: digna enim eſt mulier, cuius, & nomen celebretur: & factum omnibus ad imitandum proponatur. Cum enim in eo ſermone pater affirmaſſet, poſſe ſe iuga innumerabilia muliebris amoris, firmi conſtantiſque, referre, oſtendit ſe vnius tantum commemoratione contentum fore: quod eorum ipſorum aetate: regnanteque Veſpaſiano, factum eſſet: Iulius enim Tutor, inquit, qui Gallicae defectionis auctor fuit, & alios multos ſocios eius conſilij habuit, & Iulium Sabinum, adoleſcentem ſummo loco natum, & diuitiis gloriaque ſupra ceteros mortales abundantem. cum vero rem magnam temptaſſent, fine ſuo exciderunt. videntes autem ſe paenas cito daturos, partim ſibi manus attulerunt: non nulli vero, qui fugae ſe dederant, capti ſunt. Sabino ceterae res, ad id conſilium idoneae, facultatem dabant eripiendi ſe Romanis, & ad Barbaros confugiendi. Vxorem tantum, quam duxerat, omnium mulierum optimam, neque ſibi imperare poterat vt relinqueret: neque in longinquas terras ſecum aſportare facile erat. illam autem, inquit, Galli ſua lingua Epponinam vocabant: Graece vero eandem, expreſſa vi eius nominis, poſſet qui vellet, Heroida appellare. Cum igitur ille in agro haberet ſpecus, condendis pecuniis ſub terra extructas, quas duo ſoli liberti cognitas habebant, reliqua omni familia a ſe remota, vt veneno ſibi mortem allaturus: duobus tantum fidis aſſumptis, in ſubterranea ea loca deſcendit: miſitque Martalium libertum ad vxorem, qui nuntiaret ipſum medicamentis interemptum, incenſa villa, vt corpus illic crematum crederetur: volebat enim vero luctu vxoris, lamentationeque vti, ad confirmandam famam de morte ſua, quod contigit: illa enim proiecto humi corpore, cum gemitu, & muliebri eiulatione ſpatio trium dierum, noctiumque, ſine cibo manſit. Quod cum accepiſſet Sabinus, veritus ne illa penitus ſe perditum iret, iuſſit clam ſignificare ei Martalium, ipſum viuere: atque occultari: rogareque, vt adhuc ad breue ſpatium in luctu perduret: omniaque faciat, ne ſimulatus ille dolor deprebendatur. Cetera igitur a muliere, quae poſcebat id tempus, aptaque erant ad caſus illius opinionem, miſerabiliter tractata ſunt: cum autem deſiderio videndi virum arderet, tenebris ad eum acceſſit: rediitque. Quo ex tempore, cum alios id factum falleret, paene apud inferos cum viro congreſſa eſt: excepto tantum ſpatio ſeptem menſium, quo cum Sabinum & veſtimento, & tonſura, & capitis tegumentis, vt cognoſci non poſſet, conformaſſet, ſecum ipſum Romam duxit. Cum vero irritum fuiſſet id inceptum in Galliam rediit: & maiorem partem temporis cum eo ſub terra viuebat: raro tamen in vrbem accedebat, poteſtatem ſui faciens & amicis, & cognatis mulieribus. Quod vero in primis admirabile fuit, cum praegnans eſſet, ac communibus balneis vteretur, non tamen vterum gerere cognita eſt: medicamentum enim, quo comam mulieres inungentes, reddunt eam flauam, rutilamque, habet vnguen, aptum ad carnem gignendam, ſiue ad illam laxandam. vt ea de cauſa inferat tamquam dilatationem quandam ac tumorem. quo cum illa copioſo vnxiſſet reliquas corporis partes, tegere potuit tumorem ventris, efferentem ſe ac creſcentem. Appropinquante autem tempore partus, cum ad virum ſubiiſſet, ſicut leaena in cauernam, tolerauit ſola dolores illos: & natos pueros tamquam ſcymnos aluit: geminos namque edidit. eorum autem alter in Aegypto mortuus eſt: alter vero nuper Delphis

domi

domi noſtrae diuerſatus eſt, qui vocatur Sabinus. interfecit vero Epponinam Caeſar: caediſque eius iniquiſſimae paenas non multo poſt dedit, omni genere extincto. cum autem multa atrocia facinora tunc facta ſint, nihil tam triſte tulit principatus ille: veriſimileque eſt nullum magis facinus deos immortales auerſatos eſſe, quamuis cum ſupplicium de ea ſumeretur, ſpectatorum ex animo ſuſtulerit omnem miſericordiam fortitudo ipſius ac libertas. quo magis ad huc incendit Veſpaſianum: poſtquam enim veniam deſperauit, inſsit: vt cito infra terram mitteret: vixiſſe enimſſe iucundius ſub terra, ac tenebricoſis locis, quam regnante illo, in luce ac ſiderum aſpectu.

Lyſiae locus collatus cum loco Ciceronis propter ſimilitudinem rerum, quae eodem argumento diluuntur.

CAP. XVI.

M. CICERO pro Milone, cum Licinij indicium fide ſpoliaret, qui dixerat ſeruos Milonis, apud ſe ebrios factos, ſibi confeſſos eſſe, de interficiendo Cn. Pompeio coniuraſſe: deinde poſtea ſe gladio percuſſum ab vno de illis, ne indicaret, in aliis argumentis hoc etiam poſuit: quod leuem plagam, in corporis parte non opportuna leto, vel potius notam, in ſumma cute deſcriptam, veriſimile non erat a robuſto ſeruo, ad caedemque faciendam delecto, impoſitam, ſed ab eo auctore mendacij ad fidem faciendam deſcriptam.
» verba eius haec ſunt. Vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris
» putari. Eodem autem pacto accuſatoris improbitatem reprehendit is, cui ſcripſit defenſionem Lyſias, reo vulneris conſulto impoſiti, inuidiamque, quam illi vulneris nomine faciebat, diluit: docet enim ipſum tenuem admodum plagam, impreſſamque notam aliquam, grandi illo nomine appellare, ac reliqua omnia fingere, quibus ſe grauiter corpore affectum declaret.
» ὁ δ᾽ εἰς τοῦτο ἀκρυδαιμονίας ἥκει, ὥστε οὐκ αἰσχύνεται τραύματα ὀνομάζων τὰ ὑπώπια: καὶ ἐν κλίνῃ πε-
» ριφερόμενος: καὶ δεινῶς προσποιούμενος διακεῖσθαι, πάσχει οὐδὲν ἀνθρώπινον. Appellauit autem Lyſias ὑπώπια, qua voce maculae notaeque alicuius plagae oſtenduntur, quia ferro corpus ictum non fuerat, ſed teſta percuſſum.

Exempla duo duarum tenuiſſimarum collationum: quae tamen mirifice aptae fuerunt ad res eas illuſtrandas, quibus declarandis adhibitae ſunt.

CAP. XVII.

CATVLLVS in carmine, quo miſit ad Ortalum elegiam Callimachi, verſam a ſe in Latinum, cum ſimili declarare vellet habitum animi eorum, qui aliquam rem ſubito obliuiſcuntur, tenui ſane exemplo vſus eſt, & puſillo: lepido tamen mirificeque apto ad rem oſtendendam, & ante oculos paene eius conſtituendam: inquit enim, cum antea docuiſſet ſe effugere voluiſſe hanc culpam: nec committere vllo pacto, vt tamquam immemor mandati reprehenderetur.

» Vt miſſum ſponſi furtiuo munere malum
»   Procurrit caſto virginis e gremio.
» Quod miſerae oblitae molli ſub veſte locatum
»   Dum aduentu matris proſilit, excutitur,
» Atque illud prono praeceps agitur decurſu
»   Huic manat triſti conſcius ore rubor.

Cuncta autem diligenter exponit, vt conſueuit eruditus ingenioſuſque poëta, quae tempore illo contingunt: ornatque ſummo ſtudio locum, ac dignitatis aliquid ita ipſi acquirit.
» Sponſus vero procum, μνηστῆραque, illic valet: vt apud Horatium cum ait. Sponſi Penelopes.
» Ariſtophanis etiam verſus hic a Polluce citatur, in quo idem paene commemoratur a virgine, vt apparet. ἀλλὰ τὸ στρόφιον λυθὲν τὰ κάρυά μου ἐξέπεσε: ſtrophium enim erat muliebre cingulum. quo verbo poëtae quoque Latini vſi ſunt, vt hic ipſe, cum Ariadnae infelicem caſum
» deplorans, cecinit. Non tereti ſtrophio lactentia vincta papillas. & Virgilius in Copa. nam quod teres ipſum Catullus dicit, grammatici quoque teſtantur, στρόφιον eſſe στρογγύλον ζώνιον. Minutum etiam fuit, humileque in primis: idem tamen valde appoſitum, perſonaeque congruens, ſimile, quo declarauit Philemon comicus, ore coqui, ſtudium reliquorum conuiuatum in eripiendo ſuaui cibo vni eorum, qui primus, cognita voluptate illius, eum arripuerat: ollamque congrorum plenam manibus tenens proſiluerat: & orbe ſaepe facto cum ea fugitabat, aliis ſectantibus, partemque inde capere conantibus. Hanc igitur concertationem

ſignificare

ſignificare volens, & vt plane intelligeretur efficere, poëta ille inqoit. Simile fuiſſe atque eum gallina ceperit aliqnid ore, maius qnam quod ſubito deuorare poſſit: ipſa enim hoc atque illuc curſitat, tempns captans ad illud deuotandnm: altera autem baoc ſummo ſtudio ſectatnr: feſtinatqne praeripere. Induaerat autem lepidus poëta in Milite (ita enim fabula appellabatur) coquum, qui arte iodustriaque ſua coqnendi obſonia, ſibi valde placebat: in aliiſque multis, quae dignitatem eius oſtendebant, hoc his verbis dixerat.

» Ὅμοιον ἐρίθοις, ὄρνις ὅπως ἁρπάσῃ
» Τῶν καταπιεῖν μεῖζόν τι, περιτρέχει κύκλῳ
» Τρώγειν τοῦτο καταπιεῖν: περὶ δ' ἱπποδιώκει
» Ἑτέρα διώκουσα ταύτην: ταυτὸ ἦν.
» Τὴν ἀδελφὴν ὁ πρῶτος αὐτῆς καταμαθὼν
» Τὰς λοπάδας, ἀνεπήδων: κἀφευγε κύκλῳ
» Τὴν λοπάδ' ἔχων: ἄλλοι δ' ἐδίωκον κατὰ πόδας.

Falſo aliquando Ariſtotelem exiſtimatum praeciſe locutum: cum ad ſententiam implendam verbum nullum in oratione ipſius deſideretur, quod extra ſumendum ſit.

CAP: XVIII.

CVM breoitati in primis ſtuduerit Ariſtoteles: nec in oratione ſua qoicqoam inane, ac ſuperuacaneum eſſe paſſus ſit, cootigit aliqnando vt interpretes ipſius verbnm aliquod deſiderari in ſententia quapiam affirmarint, ſioe qno tamen perfecta illa abſolutaque erat: quod impleat eam verbum antea poſitum, vnde, quae ſeqonntur, adhuc apta ſint. Huiuſcemodi eſt (niſi fallor) locus hic
» e primo libro Topicorum. μετὰ τοίνυν ταῦτα δεῖ διορίσασθαι τὰ γένη τῶν κατηγοριῶν, ἐν οἷς ὑπάρ-
» χουσιν αἱ ῥηθεῖσαι τέτταρες διαφοραί: ſic eoim legitur in excuſis libris: cum poſtremnm verbum abſit a ſcriptis exemplaribus: ſitque declaratio Alexandri, vel potius (vt ipſe putauit) ſententiae complementum: vnns enim hic eſt ex illis, quem arbitratus eſt doctiſſimus inter-
» pres eonciſum eſſe: inquit enim. ἐλλιπὴς ἡ λέξις: ἐλλείπει γὰρ τὸ διαφορὰς τῶν προειλημμένων τι καὶ
» προτάσεων. Si licet autem, quod ſentio, contra tanti viri auctoritatem dicere, neceſſariam nullo modo pnto eſſe appendicem illam: nec praeciſe hic philoſophum locutum exiſtimo: quia repeti debet κατηγορίαι: qoattuor enim nomina, in quibus poſitum eſſe hoc ſtudium volt Ariſtoteles, recte atque appoſite vocari potuerunt ab ipſo κατηγορίαι: nec taotum hoc verbo iotelliguntur decem illa prima genera omoium rerum.

Declaratur quid valeat apud veteres auctores Virum virum legere: quo ſermone miliuare factum oſtenditur.

CAP. XIX.

DILIGENTER animaduertendus eſt mos Romanae militiae: videntur enim aliquando ſoliti in delectu habendo poteſtatem facere militibus, vt ſingnli ſingulos, notos ſibi: quorumque virtute confiderent, legerent: atque id potiſſimum eum pericolum aliquod maius inſtaret: atque aliquis grauior caſus vrgeret. & vt cum domi exercitum cogerent, ita fortaſſe etiam cum a parte copiarum pugna periculoſior cum hoſtibus erat committenda. vt qui ad expeditionem illam proficiſcerentur, a ſemet ipſis lecti forent, conſcij inter ſe mutuae virtutis. appellabaor autem boc, virum a viro legi, & ita ſane locuti ſont plures Latini optimi aoctores: nec tamen grammaticum vllum vmquam inueni, qui vim huius ſermonis explicaret. niſi fallor tameo colligitor e multis exemplis hoc valere, quod oſtendi, modum hunc loquendi. auctoritates igitur veterum ponam, vt melius res cognoſci, diiudicarique poſſit: ab hiſtoricis autem, quornm proprius is ſermo eſt, initiom dncam. T. Liuius in ix. libro ab vrbe condita. Et ad Vadi-
» monis lacum Etruſci lege ſacrata coacto exercitu, quum vir virum legiſſet, quantis numquam
» alias antea ſimul copijs: ſimul animis, dimicarunt. Caeſar libro primo de bello Gallico; Quos ex omni copia ſinguli ſingulos ſuae ſalutis cauſa delegerant. Tacitus in xvij. libro, vbi de conſilio Galbae agit, qui audita defectione legionum, adoptauit ſibi Piſonem, reme-
» dium eorum malorum fore id ratus. Apud freqnentem militum contionem imperatoria bre-
» oitate adoptari a ſe Piſonem, more diui Aognſti: & exemplo militari, quo vir virum legeret, prooantiat. Cicero quoque pro Milone illum vſurpauit. quo loco de comitatu Clodij loquitur,

quitur, quem delectum fuiſſe ad caedem faciendam dicit. Ille, qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat, tum neminem, niſi, vt virum a viro lectum eſſe diceres. Virgilius praeterea in xj. libro ita locutus eſt: qui tamen videtur aliter cepiſſe: nec a Troianis, aut Latinis, in acri illa pugna lectos eſſe ſocios periculorum: quorumque virtute niterentur, ſed potius ſingulos vtriuſque aciei legiſſe ſibi e numero hoſtium, cum quibus congrederentur ac fortiter dimicarent, aduerſarios: atrocior enim pugna videtur committi contra illos, quos iam nobis aduerſarios deſtinauimus. tota tamen res accurate attendenda: verba poëtae haec ſunt. Tertia ſed poſtquam congreſſi in proelia, totas implicuere inter ſe acies: legitque virum vir. Tum vero, & gemitus morientum. & quae ſequuntur.

Verba Strabonis diligenter examinata, quibus de origine Arni fluminis diſſerit, cum de eo falſum tradere videatur.

CAP. XX.

STRABO in v. libro Geographiae, quo loco de Piſarum, vetuſtiſſimae vrbis, ſitu loquitur: quae ipſius adhuc tempeſtate duobus fluminibus cingebatur, Auſure atque Arno: frontem fluuiorum eorum demonſtrans, de noſtro hoc inquit. ὧν ὁ μὲν, ἐξ ἀῤῥητίου φέρεται, πολὺς, οὐχὶ πᾶς, ἀλλὰ τριχῆ σχισθείς. Quae ipſius verba diligenter animaduertenda, ponderandaque ſunt: neque enim quod dicit, rei ipſi reſpondet, temere acceptum. Arnus namque initio ſui curſus tenuis eſt, exiguuſque amnis, non copioſus, vt ſit: nec in tres partes vllo pacto finditur, ſed totus integerque fertur, vel potius plurimis riuulis torrentibuſque, paruo quoque ſpatio in eum influentibus, amplificatur. nam in reliquo curſu grandes etiam nonnullos, pareſque ſibi recipit. hoc autem ita certum eſt, vt dubitari de ipſo nullo modo debeat. Cogitanti igitur mecum accurate quomodo eruditi ſcriptoris hiſtoria defendi poſſit, hoc ſuccurrit. non intellexiſſe Strabonem ortum principiumque fluuij apertum: & qui oculis cernitur, vbi ſcilicet erumpunt aquae. ſed in viſceribus montis clauſum: vaſque vnde ipſae funduntur: nec enim defuerunt phyſici, qui ex antris his, aquae plenis, & tamquam vaſibus, putarent caput ducere flumina. contra quos diſſeruit ſubtiliter Ariſtoteles in primo libro de rebus ſuperis. Ex iiſdem autem montibus, aut non omnino diiunctis, oriri fluereque tres amnes certum eſt. quorum tamen veri fontes capitaque magno interuallo inter ſe diſtant. ij autem ſunt Tiberis, Metaurus, & hic ipſe Arnus. quod ſi vniuerſae illae aquae, quae tres fluuios conficiunt, eodem hoc alueo latae fuiſſent, quanto grandior amnis futurus fuerit, facile intelligitur. quomodo aliter a mendacio grauis ſcriptor liberari poſſit non video. Neque tamen ab Arretio omnino fertur, vt inquit. nam longe ab ea vrbe in ſylua, quae vocatur Falterona, ortum habet. id autem oppidum, cum multum iam fluxit, in ſiniſtro latere diſtans a ſe, ſpatio iiij. milium paſſuum relinquit.

Diſputatur de ſimplicitate animi: anilique ſuperſtitione Pauſaniae ſcriptoris, qui litteris mandauit interfectum eſſe Caligulam ob violatum Cupidinem Theſpienſem. cuius etiam dei iram vult Neroni alio pacto obfuiſſe.

CAP. XXI.

MIRVM in modum ſuperſtitioſus ſcriptor Pauſanias paene putat C. Caligulam, ſaeuiſſimum principem, necatum, quod Cupidinem illum, fama celebrem, propter quem Theſpiae viſebantur, ſuſtulerit. quae res etiam, vt ille exiſtimat, exitium attulerit Neroni, qui in ſuas ſedes illum reportatum, iterum demolitus inde ſit. quaſi non cotidie hi atrociora multo & grauiora ſcelera ederent. cauſam autem fuiſſe interitus Caligulae aſportationem eius ſimulachri, vt facilius crederet inductus etiam eſt, quia quaſi deus ille mentem dederit ſtultiſſimo imperatori, vt fortem virum contumelia irritaret. cum idem (vt ſit) ſemper ſignum illi petenti daret cum ludibrio quodam & contemptu. vnde ille tantam contumeliam ferre non potens, vltus eſt iram ſuam nece imperatoris. Significat igitur Graecus hic breui, quod pluribus Suetonius commemorat: in vita enim ipſius, quo loco de iis, qui coniurationem in eum fecerunt loquitur, inquit. Primas ſibi partes Caſſius Chaerea, tribunus cohortis praetoriae, depopoſcit: quem Caius, ſeniorem iam, & mollem, & effeminatum, denotare omni probro conſuerat. & modo ſignum petenti Priapum, aut Venerem dare, modo ex aliqua cauſa agenti gratias oſculandam manum

» num offerre, formatam commotamque in obſcenum modum. Verba Pauſaniae haec ſunt
» e ix. libro, quo Βοιωτικὰ perſecutus eſt. Τὸν δὲ ἀσεβήσαντα ἐς τὸν θεὸν, ὁ μὲν ἀνθρώπῳ στρα-
» τιώτῃ διδοὺς αἰεὶ τὸ αὐτὸ σύνθημα μετὰ ὕβρεως χλευασίαν, ἐς τοσοῦτο προήγαγε θυμοῦ τὸν ἄνθρωπον,
» ὥστε σύνθημα διδόντα αὐτὸν διαχρήσασθαι. Addit autem quemadmodum eius dei voluntate, itaque, exiſtimari debet alterum quoque illum imperatorem, omni ſtupro nefariaque cupidine, ſe obruiſſe, quae res illi exitium maturauit.

Cum Virgilius, inquit, Tumere terras: & alio loco Turgere gemmas, uideri eum expreſſiſſe Graecum verbum ὀργᾶν.

CAP. XXII.

CVm Virgilius in ij. Georgicorum, vernam ſtirpium ſationem celebrans, in-
» quit. Vere tument terrae, & genitalia ſemina poſcunt, expreſſit (vt opinor) Graecum verbum ὀργᾶν, quo verbo hoc ipſum, quod tradit hic poëta, Graeci ſignificant. ductum autem id verbum eſt a partibus animantium, quae manifeſto, appetentes coitus, tument: indeque ad res, ſenſu carentes, translatum. vnde etiam Graeco ſermone ira eadem de cauſa (niſi fallor) vocata eſt ὀργή: quod ſignificauit etiam Horatius dicens, iecur bile tumere. Idem autem alio verbo Virgilius, cuius tamen eadem
» notio eſt, expreſſit. cum vij. Ecloga, inquit. Iam laeto turgent in palmite gemmae. Vnde Plautus vſus eſt turgere pro iraſci: vt in Caſina, cum Stalinum ſenem ita induxit de v-
» xore lepide loquentem. Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi. Graeci autem qui ſuo verbo intellectu hoc ipſo vſi ſint, plures ſunt. vt Theophraſtus multis locis, e quibus hic eſt in iij. libro de cauſis eorum, quae oriuntur e terra. quo idem praecipitur, quod primo loco a Virgilio aſſeueranter dicitur. vt videatur poëta locum hunc Graeci ſcriptoris expreſſiſſe: ἐὰν γὰρ δὴ φυτεύῃ εἰς ὀργῶσαν τὴν γῆν. Plutarchus quoque in ſympoſιακῶν libro iij. illo vſus eſt de taxo diſputans, cuius vmbra necat eos, qui ſub ea dormierint, praeſertim tempore anni,
» quo turget, vt flores fundat: inquit enim: ἱστοροῦσι γὰρ ὅτι καὶ σκιὰ σμίλακος ἀποκτίννυσι τοὺς ἐγκα-
» θευδήσαντας, ὅταν ὀργᾷ μάλιστα πρὸς τὴν ἄνθησιν, Hanc autem arborem intellexiſſe Lucretium arbitror, cum in vj. libro cecinit.
» Eſt etiam magnis Heliconis montibus arbos
» Floris odore hominem tetro conſueta necare.

Oſtenditur in Graeca comoedia ſententiam pronuntiatam ſimilem voci cuidam, quae vulgo fertur in patrio noſtro ſermone.

CAP. XXIII.

PERVVLGATA vox eſt in patrio ſermone: & quae prouerbij vim habet, qua negamus amorem tuſſimque celari poſſe. quod huiuſcemodi ſint hi morbi, alter animi: corporis alter, vt inuitis nobis intelligantur, & quaſi ſorices ſuo iudicio deprehendantur. Sententia ſimilis eſt apud Antiphanem comicum, ac paene eadem, niſi quod pro tuſſi ille vinum ponit: in altero enim conuenit ipſi cum iudicio eius, qui auctor fuit noſtri prouerbij: affirmat namque cetera omnia poſſe quempiam occulere duobus exceptis. Si vinum inquam potarit, aut in amorem inciderit: ambo enim haec indicari, & oculorum vi, & orationis. vt inficiantes haec detegant, atque omnibus
» perſpicuos reddant. verſus Graeci hi ſunt. Ὦ κρῆτα Φειδία Ἅπαντα τἆλλα τις δύναιτ' ἂν
» πλὴν δυοῖν· Οἶνόν τε πίνων εἰς ἔρωτά τ' ἐμπεσών· Ἀμφότερα μηνύει γὰρ ἀπὸ τῶν βλεμμάτων Καὶ
» τῶν λόγων τ' αὐτοῦ· ὥστε τοὺς ἀρνουμένους Μάλιστα τούτους καταφανεῖς τούτοις ποιεῖ, leguntur autem in Epitome primi libri Athenaei.

Quae vis ſit huius aduerbij Miſere apud Terentium pluribus locis.

CAP. XXIIII.

ACCVRATE videndum eſt, quid valeat miſere Terentio, cum in heautou timorumeno ita induxit Syrum loquentem. Nam quodam miſere offendi militem Eius
» noctem orantem: & ſane in peruetere illo exemplari Petri Bembi declaratio eius verbi huiuſcemodi legitur. Nimis: quia omne nimium non bonum. alibi. eam miſere amat:

amat; haec enim illic in margine leguntur. vti autem ipſum ad id comprobandum teſtimonio eiuſdem poëtae ex Adelphis patet: illa enim verba ſunt Aeſchini, duram immiſericordemque ſententiam Micionis patris accuſantis. Sed in eadem ſcena poſt idem eodem intellectu
„ iterum illud vſurpauit, dicens. Neſcio, quia tam miſere hoc eſſe cupio verum, eo vereor
„ magis. quam locum illum in heauton timorumeno eodem pacto arbitror, & legendum, & ac-
„ cipiendum. Vt ſtultae & miſere omnes ſumus religioſae. ideſt miſerum in modum. non igitur ſequor iudicium illius, qui ita interpretatus eſt vt oſtendi: nec rationem, quam reddidit eius ſermonis veram puto. ſed omnibus his locis ſignificare puto miſere, quod apud Demoſthenem pro Cteſiphonte ἀθλίως. cum inquit, exitum eius belli, quo implicatus erat cum Athenienſibus, inuenire non potuiſſe Philippum, quamuis imperatores ipſorum male pugnarent, atque in proeliis ille ſuperior foret: quia bellum ipſum, praedoneſque, multa rebus i-
„ pſius detrimenta inferrent. ἀλλὰ καίπερ ἀθλίως καὶ κακῶς τῶν στρατηγῶν τῶν ὑμετέρων πολεμούν-
„ των αὐτῷ, ὅμως ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πολέμου, καὶ τῶν λῃστῶν μυρία ἔπασχε κακά: Significat enim illic ἀθλίως (niſi fallor) infeliciter & calamitoſe. quod conſequente eiuſdem naturae verbo videtur declaraſſe. qui igitur perditum in modum ac nullo conſilio aliquid gerunt, illi dicuntur miſere id facere, quemadmodum etiam locutus eſt C. Caſſius in epiſtola ad Ciceronem:
„ cuius haec ſunt verba. Nam Baſſus miſere noluit mihi legionem tradere.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XIX.

Mos veterum explicatus, ſeruandi corpora mortuorum in melle, quod ſepulturae genus laudatum oſtenditur a Democrito.

CAP. I.

IN III. libro Lucretius copioſe ſubtiliterque diſputans contra eos, qui mortem perhorreſcerent, & tamen videri vellent aequo animo debitum naturae ſoluere: dicerentque ſe ſolum indignari ac fremere, quod futurum foret, vt poſt mortem aut putreſcerent, aut igne conficerentur, aut a feris dilaniarentur, eaque de cauſa affirmarent ſibi mortem moleſtam eſſe: vltimumque illud tempus horribile, docet eos ſtulte ſentire, nec cogitare corpus morte oppreſſum, ſenſu carere: quod ſi ſenſu praeditum foret, eundem dolorem ipſum perpeſſurum in his etiam ſepulturae generibus: quae magnopere expetuntur: & ſumma ſaepe antea cura ſtudioque ab hominibus in vita parantur. In ea autem ſententia explicanda, variiſque hominum fortunatorum inſtitutis commemorandis, meminit etiam rationis eius, quae aliquando vſurpata eſt, & quam ducti aliqui viri mirifice probarant, in melle corpora condendi, vt ita incorrupta diu ſeruarentur, & in ea quoque non parum doloris, vt in aliis omnibus eſſe declarat. ſi verum eſſet, quod illi opinari videbantur: aut ſi omnino id non crederent, cauſam nullam haberent tantopere cogitandi quid de corpore poſt mortem futurum eſſet, & ea ſe cura macerandi. inquit igitur.

" Aut in melle ſitum ſuffocari. qui enim ſentiens, in melle conderetur, atque illic ſuffocaretur, dolore non vacaret: maleque omnino cum ipſo ageretur. Quod autem grauibus atque eruditis viris ritum hunc probatum tradidi, is fuit Democritus Abderites, quod teſtantur etiam ver-

" ba haec M. Varronis, quae apud Nonium leguntur. Varro Crono, περὶ ταφῆς. Quare He-

" raclides Ποντικὸς plus ſapit, qui praecepit vt comburerent, quam Democritus, qui vt in melle

" ſeruarent, quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream ſi centum denariis calicem mulſi emere poſſemus. In excuſis autem Nonij libris mendoſe pontificos pro Ποντικὸς legitur, quod correxi. nam quin ita legendum ſit dubitari non debet: a loco namque ita ille vocatus eſt: natus enim eſt Heracleae in Ponto, narrat tamen Laërtius, cum delicata veſte vteretur, & in cultu corporis magnum ſtudium poneret, nec non in inceſſu ſpeciem quandam retineret ac ſedato greſſu vteretur, Atticos ipſum, immutato leniter nomine, πομπικὸν ſolitos vocare: quae enim in pompa ferebantur ſplendoris ac magnificentiae plena erant. Ipſius quoque Cicero in epiſtola quadam ad Q. fratrem mentionem fecit. Quod vero ad rationem hanc ſeruandi corpora mortuorum pertinet, Xenophon quoque in v. libro de Rebus Graecorum narrat Ageſipolin Spartiatem, cum e Macedonia cum exercitu domum rediret, in vicinis Olynthi oppidi locis graui morbo correptum: mortuumque ſeptima die, in melle conditum, Lacedaemonem reportatum, atque illic regia ſepultura ornatum.

Emendatus locus Ciceronis in Oratore: idemque declaratus.

CAP. II.

IN Oratore M. Cicero ſedulo contra nonnullos emendatores veteris conſuetudi-

" nis loquendi diſputans, cum ſtomacho quodam, inquit. Atque etiam a qui-

" buſdam ſero iam emendatur antiquitas, qui haec reprehendunt. Nam pro

" Deûm atque hominum fidem, deorum aiunt: ita credo, hoc illi neſciebant, an

" dabat hanc licentiam conſuetudo? & quae ſequuntur in eam ſententiam: poſitis enim pluribus exemplis, quibus & contrahi illos caſus ſolitos declaratur, & plenos pronuntiari. addi-

ri. addidit, eidem rei incumbens. Et idem. (Naeuium autem poëtam intelligit) Namque Aeſclapi liberorum. At ille aliter in Chryſe, non ſolum. Ciues antiqui amici maiorum meûm, quod erat vſitatum, ſed durius etiam Conſiliûm ſocij: auguriûm atque extûm interpretes. In his autem verbis mendum eſſe puto: legique debere arbitror. At ille alter, quomodo infinitis locis Cicero locutus eſt, vt in iij. libro de Oratore, cum itidem citaret teſtimonia poëtarum. Quid ille alter. Quid petam praeſidi; & poſt reditum, in ſenatu. Nam ille alter Caeloninus Calnenſius ab adoleſcentia verſatus eſt in foro. Plautus quoque in Prologo Menaechmorum. Illum reliquit alterum apud matrem domi. Intelligit autem Pacuuium: ipſe namque fabulam Chryſem ſcripſit, quod liquido intelligitur e plurimis locis, quos adducit ex ea Tragoedia Nonius.

Locus C. Caeſaris emendatus, deleta macula e nomine herbae, qua Britannos narrat ſe inficere ſolitos.

CAP. III.

C CAESAR in v. libro de bello Gallico, Latino verbo vocauit herbam, qua Britanni corpus inficerent, vt e veſtigiis eius vocis, quae in antiquis libris adhuc apparent, intelligitur: in exculos enim barbarum vocabulum irrepſit. ita namque nunc vulgo legitur. Omnes vero ſe Britanni glaſto inficiunt, quod caeruleum efficit colorem: atque hoc horribiliore ſunt in pugna aſpectu. vetuſta autem exemplaria habent. Omnes vero ſe Britanni vitro inficiunt. quare videtur legi debere, luteo inficiunt: hoc enim nomen Romanum eſt eius herbae. quod integrum remanſit apud Vitruuium in vij libro, vbi quomodo colores fingi artificio poſſint, docet: inquit enim. Item qui non poſſunt chryſocolla propter caritatem vti, herba, quae luteum appellatur, caeruleum inficiunt: & vtuntur viridiſſimo colore. nam apud Apuleium corruptum eſt: nec non Dioſcoridem capite, quo de iſatide egit. quod adnotauit olim accuratus eruditusque in primis vir, Marcellus Virgilius in explicationibus, quibus, tamquam cumulo quodam, ornauit diligentem illum ſcriptorem, a ſe in Latinum ſermonem verſum: primus enim odoratus eſt Latinum huius herbae nomen. quod ſi veteres libros Caeſaris conquiſiuiſſet, multo audentius id affirmaſſet, atque hanc maculam e politiſſimo hoc ſcriptore deleuiſſet. Pomponius quoque Mela eodem Latino verbo vſus eſt. nam Iſatidem illam a Graecis appellatam conſtat. apud quem tamen eodem modo inquinatum illud eſt, vt in antiquis Caeſaris exemplaribus deformatum ipſum oſtendi; ita enim in excuſis libris nunc legitur, cum de moribus Britannorum & ipſe diſſerit. Incertum ob decorem, an aliquid aliud, vltro corpora infecti. Plinius vero in xxij. libro morem quorundam populorum illinendi faciem tradens, Gallico vocabulo herbam ſignificauit, qua in colore inducendo, quem volebant, vterentur mulieres Britannae. vnde, vt ſuſpicari licet, in ſcripta ſuperiorum auctorum manauit Plinianum illud verbum, cum apud illos Latinum, quo ipſi herbam, quam intelligebant, appellarant, corruptum foret. nec tamen animaduerterunt, qui hoc auſi ſunt, atrum colorem, non caeruleum, a Plinio indicari: longe enim alia herba infici in ſacris illis coniuges Britannorum, atque viri in bello potuerunt. quare non oportuit tam temere immutare, atque a veſtigiis veteris ſcripturae diſcedere; inquit igitur ille, id commemorans. Simile plantagini glaſtum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges nuruſque toto corpore oblitae, quibuſdam in ſacris nudae incedunt, Aethiopum colorem imitantes.

Iſocratis argumentum celebratur, quo ſe purgauit Philippo regi, quod res ipſius geſtas non ſcriberet: ſimiliſque huic Virgilij locus indicatur.

CAP. IIII.

QVI ad clarum aliquem virum: cuiuſque res aut bello, aut pace geſtae, laude dignae ſint, aliquid ſcribunt: nec ipſas toto pectore perſequuntur, & quaſi argumentum ſuae ipſorum ſcriptionis faciunt, aliquo modo apud illos offendunt: viderique poſſunt minime ſtudioſi eſſe eorum dignitatis: relictis enim aliis rebus omnibus, factis eorum celebrandis operam darent. auctores namque praeclarorum facinorum, cum pro aliorum ſalute commodiſque multum laborarint, putant debere cunctos mortales ſtudia ſua periculaque commemoratione earum rerum compenſare. Hoc vidit egregie ſcriptor eruditus Iſocrates: remediumque huic malo adhibuit. nam ad Philippum Macedonem ſcribens: ſuadenſque illi, vt, pacificatis rebus publicis, Graecorum bellum in Aſiam transferret, cum regis illius ipſius res, bello geſtae, multae magnaeque forent: quae poſcere videbantur, vt ab omnibus explicarentur: monimentiſque litterarum ab ingenioſis viris

mandarentur, ſe purgat, quod alias res agat, qui in primis illas ferre, ac poſteritati tradere poterat, docens non defuturos illi ſcriptores rerum ſuarum: huiuſcemodi namque eſſe facta ipſius: bellaque, vt inuentura ſint plures laudatores. quare poſſe ipſum, ſine damno: imminutioneque gloriae illius, aliis rebus incumbere. quae tamen & ipſae illi, ſi effectae fuerint, maiorem verioremque laudem tempore allaturae ſint. inquit autem, a ſe culpam hanc remouens: (recitat enim illic ſermonem, quem antequam librum ſcriberet, habuerat cum familiaribus ſuis de illo ipſo argumento) δοκῶ μοι τότε πρὸς αὐτὸν, ὅτι μᾶλλον σοι λόγων ποιητὴς οὐκ ἐπιλείψει ... : οὐδ' ἐγκωμιαστὴς τῶν πολέμων, οὐδ' διὰ σοῦ γεγενημένων (...) ὅλα ... προτρέπων ... πράξεις ... καὶ ... συμφέρουσαν, ... τυγχάνεις γεγενημένος. & quae ſequuntur. Virgilius autem & ipſe apte hoc fecit. & (vt ſuſpicor) exquiſitum hunc prudentemque ſcriptorem imitatus eſt: in ecloga enim, quam miſit ad Varum, virum fortem, bellicisque rebus clarum: cum, ſi amicus illi eſſet, videretur debere gloriae ipſius ſeruire: & tamen humile carmen conderet, ait. Nunc ego (namque ſuper tibi erunt qui dicere laudes Vare tuas cupiant, & triſtia condere bella) Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.

Torquere oculum, quod Cicero inquit, Graecos dicere διαστρέφειν ὀφθαλμόν.

CAP. V.

TORQVERE oculum, Cicero dixit in Lucullo, cum id ſignificare vellet, quod Graeci διαστρέφειν ὀφθαλμὸν dicentes, oſtendebant. vt videatur non rem ſolum eandem indicaſſe, verum etiam modum loquendi ipſorum expreſſiſſe. haec igitur verba Ciceronis ſunt, cum ſenſus numquam errare, nec falli, quod Epicuri decretum fuerat, diſputaret. Itaque Timagoras Epicureus negat ſibi vmquam, cum oculum torſiſſet, duas ex lucerna flammulas eſſe viſas. Ariſtoteles vero in viij. libri de motibus ad Eudemum fragmento, inquit, illud ipſum exponens. ὅταν ὁ ὀφθαλμὸς κινηθῇ, ὃ καὶ ἄλλως τε γίνεται, διαστραφέντος, ὥστε δύο τὸ ἓν φαίνεσθαι. Hinc autem conſuetudo ſermonis διέστραμμένον ὀφθαλμοὺς vocabat, qui vitio hoc oculorum laborabat: Latini eum ſtrabonem appellabant. quod teſtimonio quoque Athenaei confirmatur: cum enim de Callimedonte Athenienſi, qui cognomen ex piſce traxit, quo maxime delectabatur in cibo: Carabuſque vocatus eſt, loqueretur. ille namque hoc habitu oculorum erat, inquit. περὶ δὲ Καλλιμέδοντος τοῦ καράβου, ἦν καὶ φιλιχθὺς ἦν, καὶ διέστραπτο τοὺς ὀφθαλμοὺς τοιαυτὰς τὰ πολυπραγμονεῖν. verſus autem ipſius poſuit, quibus id vitium tetigit, ac lepide in eo iocatus eſt: vt ſtatim etiam Alexidis, qui & ipſe in eum facete luſerat: in neutro tamen eorum exemplorum hoc verbum eſt, cum rem ipſam potius cum contumelia deſcriberent. In oratione vero in L. Piſonem Cicero cum inquit, Reſpondes, altero, ad frontem ſublato: altero, ad mentum depreſſo ſupercilio. crudelitatem tibi non placere, aliud vultus vitium videtur indicaſſe, non diſtortionem hanc, deprauationemque, oculorum notaſſe. Quod vero afferri contra Epicurum ſolitum erat. ac Timagoras numquam ſibi contigiſſe dicebat, concedit Lucretius ita in iiij. libro diſſerens. At ſi forte oculo manus vni ſubdita ſubter Preſſit eum: & quae ſequuntur: neque enim verbo illo, quo Cicero, vſus eſt.

Ciceronis locus pro L. Flacco monſtratur expreſſus eſſe ex Iſocratis Panegyrico.

CAP. VI.

NON ſemel iam oſtendi diligentiam M. Ciceronis, ac ſtudium in vertendis elegantioribus multis ſententiis Graecorum ſcriptorum: atque illatum luce orationibus ſuis, reliquiſque ſcriptis, illuminandis. nam orationes etiam, quas habitas, domi poſtea accurate ſcribebat, ita exornabat: atque omni verborum ſententiarumque ſplendore expoliebat. Pro L. Flacco igitur, cum Athenienſium teſtimonium ornaret: dignitatemque eius vrbis atque auctoritatem extolleret, in aliis multis, inquit. Quae vetuſtate ea eſt, vt ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur: vt eorum eadem terra parens, altrix, patria, dicatur. qui locus manifeſto expreſſus eſt e Panegyrico Iſocratis: cum enim ſcriptorem Cicero admirabatur, & contra iudicia multorum, qui, aliter de illo ſentiebant, ſedulo defendebat. inquit autem ipſe, de laudibus Athenarum agens. ὥστ' ἐξ ἧσπερ ἔφυμεν, ταύτην ἔχοντες ἅπαντα τὸν χρόνον διατελοῦμεν, αὐτόχθονες ὄντες: καὶ τοῖς ὀνόμασι τοῖς αὐτοῖς, ὥσπερ τοὺς οἰκειοτάτους, τὴν πόλιν ἔχοντες προσειπεῖν: μόνοις γὰρ ἡμῖν τῶν Ἑλλήνων τὴν αὐτὴν τροφὸν,

καὶ

καὶ πατρίδα, καὶ μητέρα, καλοῦσι τροφόν. Plato dum coniunxit horum, cum in v. libro de Rep. non oportere tradit Graecos hoſtiliter inter ſe bellum gerere, ac ſaeuire: potiuſque cum acriùs contendunt, ſeditionem illam, quam bellum appellari debere, vt ſi contigerit eos vaſtare agros & domos incendere, intelligatur peſtiferam eam ſeditionem eſſe: neutroſque ſtudioſos ciuitatis, communiſque gentis fuiſſe: neque enim inquit vmquam auſi eſſent, altricem parentemque ferro violare, ac tondere: verbum enim, quo ipſe vtitur, exprimere volui. nam ait: οὐ γὰρ ἄν ποτε ἐτόλμων τὴν τροφόν τε, καὶ μητέρα κείρειν.

De togis Romanorum, quae, vt conijcere licet ex Athenaei loco, quadratae fuerunt.

CAP. VII.

TOGAE, Romanorum veſtimenta, quadratam formam videntur habuiſſe, vt ex Athenaeo perſpicere licet, qui in vi. libro, quo loco de ſaeuitia regis Mithridatis in togatos loquitur, inquit Romanos, oppreſſos ab ipſo in Aſia, quam occupauit, aut ad ſimulachra deorum confugiendo, aut, quadratis veſtimentis abiectis, ad pallia redeundo: antiquaſque patrias, iam relictas ab ipſis, agnoſcendo, vitam conſeruaſſe. verba Graeci ſcriptoris haec ſunt. τὴν δὲ ἄλλων ζημιῶν οἱ μὲν διὰ τῶν ἀγαλμάτων προσπεφεύγασιν: οἱ δὲ λοιποὶ μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια, τὰς ἐξ ἀρχῆς πατρίδας πάλιν ὀνομάζουσι. De calamitate autem illius temporis, rationeque euitandi imperium regium, Cicero quoque pro C. Rabirio locutus eſt, cum reum purgaret, quod Alexandriae ſuſcepta diſpenſatione fortunarum Ptolemaei: curatorque regius factus, habuiſſet nonnulla minime Romani hominis inſignia: inquit enim. Facilius certe P. Rutilium Rufum neceſſitatis excuſatio defendet, qui cum a Mithridate Mitylenis oppreſſus eſſet: crudelitatem regis in togatos, veſtitus mutatione vitauit. ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus noſtris virtutis, antiquitatis, prudentiae, conſularis homo, ſoccos habuit, & pallium: & quae ſequuntur. Sex. Pompeius teſtatur plura veſtium genera Romae fuiſſe, quae hanc formam haberent: haec enim eius verba ſunt. Recinium, omne veſtimentum quadratum.

Declaratus Virgilij locus e II. Georgicorum contra veteris interpretis ſententiam.

CAP. VIII.

QVAMVIS bonus auctor Seruius: in magnoque quondam honore habitus, non mihi perſuadeat valere verticem apud Virgilium aquilonem, illo in loco ij. libri Georgicorum, quo praecipit agricolis, ne oleaſtros inſerant, metuens caſus incendiorum, quibus ſtirps illa obnoxia. cur namque id magis boreas quam auſter: aliique venti detrimentum inferat? praeſertim cum acriores ſaepe, turbulentioreſque auſtri ſint. verſus poëtae quibus de hoc agit, hi ſunt. Praeſertim, ſi tempeſtas a vertice, ſyluis Incubuit; glomeratque, ferens incendia, ventus: ipſe enim ſignificare illic puto a vertice, a ſummis ſtirpibus: ſiue potius a ſuperiore caeli parte, nam docet omni tempore in agro conſito oleis poſſe grauia damna ignem, negligenter illic relictum, importare, praecipue autem cum vehementiores aliqui venti ſpirant, qui oliuetis incumbunt, a ſummis ipſarum ramis primo flantes: ipſoſque quatientes ac vicinis oleis admouentes: ex ardentibus namque iam, incendioque correptis, flammarum glomos ad alias tranſuehunt, atque ita integros ordines olearum abſumunt: totoſque agros deuaſtant. Nam turbinis, procellarumque naturam hanc eſſe ſignificauit etiam Homerus, cum in xj. libro Iliadis, impetum Hectoris in hoſtes, vehementiorem exprimeret: feciſſetque illum ſimilem procellae, in collatione, qua vſus eſt, verba poëtae ſunt. Ἐν δ' ἔπεσ' ὑσμίνῃ ὑπεραέϊ ἴσος ἀέλλῃ, Ἥ τε καθαλλομένη ἰοειδέα πόντον ὀρίνει. Scholion etiam vetus hoc teſtatur, citato alio loco poëtae, idem oſtendente, eſt autem hoc: ὑπεραέϊ ἀέλλῃ, ἀντὶ τοῦ τῇ ἄνωθεν ἐκ καθέτου φερομένῃ: ἥτις ἐστὶν ἀπαραφύλακτος, καὶ σφοδροτέρα, καὶ ἀλκχοῦ, πυρὸς δίκε ἐκ ψιλάδων. nam quod idem grammaticus ferens, interpretatur flans, ridiculum eſt: ſine dubio enim poëta magnitudinem incommodi: malique, quod, niſi antea prouiſum fuerit, accipitur oſtendens, inquit vehementiorem ventum ex alia in aliam ſtirpem flammam comportare. quod tranquillo caelo non fit, niſi paruum admodum interuallum inter oleas fuerit: tantum enim tunc ignis corripit illas, prope quas ab incautis paſtoribus ignis relictus fit, aut exciderit. ventum autem ferre incendia non paruum ſpatium ſolere certum eſt: atque id etiam docet Ariſtoteles in iij. libro de rebus ſuperis, vbi de conflagratione templi Dianae Epheſiae loquitur: quod ipſius tempeſtate in-

cenſum eſt: id enim tunc apparuiſſe: ab omnibúſque oculis cerni potuiſſe, affirmat his ver-
» bis: πολλαχῇ γὰρ ἡ φλὸξ ἐφαίνετο συνεχής, ἀποστίλβουσα χωρίς. Cum etiam in deſcribenda tempe-
» ſtate, quae claſſem Aeneae quaſſauit, Virgilius cecinit. Vnam, quae Lycios: fidumque ve-
» hebat Orontem, Ipſius ante oculos ingens a vertice pontus In puppim ferit, eodem (niſi fal-
lor) modo cepit: a verticeque intellexit, a ſuperiore, altioreque ſiue nauis, ſiue caeli parte. quod ne ipſe quidem Seruius reſpuit. quamuis non vna hac interpretatione contentus ſit: nam ait. A vertice, aut a puppi, quae vertex nauis eſt: aut ab aquilone, qui flat a mundi vertice: hoc eſt a ſeptentrione. Ventos vero a ſuperiore caeli parte principium motus ducere, certum eſt: teſtante hoc etiam Ariſtotele in ij. eorundem librorum.

Quomodo vim horum verborum ὑπερβολὴ & ἔλλειψις, Cicero exprimere conſuerit. Sententiaque e Protagora conuerſa a Cicerone, cum Graeca collata.

CAP. IX.

VERBA haec apud peripateticos frequentia, ὑπερβολὴ & ἔλλειψις, quomodo exprimerent, Latini auctores non habebant: nam exceſſum defectumque, quibus inferioris aetatis Ariſtotelis interpretes vſi ſunt, apud nullum eorum illo ſignificatu inuenias: quin enim Latinae voces ambae ſint, dubitari non poteſt: nec tamen eodem intellectu capiebantur, quo Graecae illae vſurpantur. Cicero multis locis, cum hoc interpretari vellet, nimium & parum dixit. vt in i. libro de Officiis, vbi rationem reddit eius quod dixerat, non eſſe adhibendam iram in puniendo, his verbis.
» Numquam enim iratus, qui accedet ad paenam, mediocritatem illam tenebit, quae eſt inter
» nimium & parum: quae placet peripateticis. Sed in orationibus etiam non ſemel. vt in x.
» Philippica. Et ſi in illius viri conſiliis, atque factis nihil, nec nimium, nec parum fuit vm-
quam. Vertens autem Platonis ſermonem, qui Protagoras vocatur, aut verba illa diſſimulauit: aut valde libere reddidit. nam ſermonem illum in Latinum vertiſſe M. Tullium teſtantur veteres grammatici. qui inde teſtimonia petunt: eorum enim adhuc aetate ſupererat, cum hoc noſtro ſaeculo perierit. haec igitur ex eo ſermone a Priſciano citantur. Quae igitur po-
» teſt eſſe indignitas voluptatis ad moleſtiam, niſi in magnitudine, aut in longitudine alterius
» vitius poſita. Platonis vero locus hic eſt. καὶ τίς ἄλλη ἀναξία ἡδονῆς πρὸς λύπην ἐστίν, ἀλλ᾽ ἢ ὑπ-
» ερβολὴ ἀλλήλων, καὶ ἔλλειψις. non facile autem mecum ſtatuere poſſum, quod conſilium Ciceronis fuerit reddentis, quod in Graeco eſt ὑπερβολὴ & ἔλλειψις, magnitudinem & longitudinem: niſi ſententiam verbis relictis ille ſecutus ſit. quam vtinam veram viderit. adiunguntur autem a Graeco ſcriptore ſuperioribus verba haec, quae vim habent declarandi notio-
» nem illorum. ταῦτα δ᾽ ἐστὶ μείζω τε, καὶ σμικρότερα γιγνόμενα ἀλλήλων, καὶ πλείω, καὶ ἐλάττω, καὶ
» μᾶλλον, καὶ ἧττον.

De Ilua inſula nonnulla cognitu digna referuntur: ac quomodo a Graecis olim appellaretur, oſtenditur.

CAP. X.

ILVA, non ignobilis Thyrreni maris inſula, quamuis parua ſit, a Graecis αἰθάλη, ſiue αἰθαλία vocata eſt: vt teſtatur etiam Plinius. inditum autem id illi nomen videretur a fornacibus, in quibus ferrum, cuius illa foecunda eſt: nec vmquam exhauſta parens, conficeretur: niſi Strabo traderet effoſſum illud ſtatim in continentem exportari, quia in inſula, proprietate quadam illius loci, nequeat liquefactum cogi. ab ardoribus certe, ignibuſque aliquo modo credi debet illa ita vocata. quamuis in Graecorum monimentis legatur Polybium in xxxiiij. hiſtoriarum libro narraſſe Lemnum quoque αἰθάλειαν appellatam: vt opinari licet, quod illinc erumperent ignes: vnde poëtae Vulcani fabricam illic eſſe finxerunt. a Latinis autem videtur illa Ilua dicta (quod nomen parum immutatum corruptumque permanſit) a Liguribus iluatibus appellatis. Strabo in v. Geographiae, de ipſa diligenter loquitur: qui illa etiam loca ſe viſiſſe, atque omnia oculis perluſtraſſe affirmat. nam quomodo etiam portus ipſius appellaretur, magnitudinis immenſae: & in quem magna illa Turcarum claſſis, quae regi Gallorum Franciſco auxilium tulit, ſe recepit, docet: Argoum enim dictum oſtendit a naui Argo. quod & ipſa eum ſubierit: cum enim nauis ea vocem edidiſſet, non prius Iouem placatum Argonautis fore quam ipſi necem Apſyrti expiarint, rationem eius rei, docente Circe, Argonautae ſedem Circes

ces quaerentes, illuc deuecti ſunt. quo in portu, cum ſpatium aliquod temporis manſiſſet, ipſi nomen dedit. adiungit autem in littore quoque vicino inueniri lapillos variis coloribus diſtinctos, qui ortum inde habuiſſent: conformatique eſſent e guttis ſudoris congelatis: cum enim illic Argonautae manerent in littore ſe lauabant: ſtrigilibuſque corpus fricabant. accepi autem ipſe adhuc multos illic huiuſcemodi calculos repperiri. qui locum olim fabulae dederunt. nam dux reip. noſtrae Coſmus locum purgauit: atque inde, arce aedificata, quae portum tueatur, piratas expulit: erat enim portus ille antea receptaculum praedonum, qui magno negotiatorum: oraeque totius maritimae damno illic inſidebant. atque in praeteruehentes impetum faciebant. Videtur autem hiſtoriam hanc, ſiue potius fictam rem, commenticiamque, ſumpſiſſe Geographus ab Apollonio Rhodio. qui in iiij. libro Ἀργοναυτικῶν hoc exponit: canitque Argonautas, relictis Stoechadibus inſulis contra Maſſiliam poſitis, eo acceſſiſſe. verſus ipſius hi ſunt. Στοιχάδας αὖτε λιπόντες ἐς αἰθαλίην ἐπέρησαν Νῆσον, ἵνα ψηφῖσιν ἀπωμόρξαντο καμόντες Ἱδρῶ ἅλις: χροιῇ δὲ κατ' αἰγιαλοῖο κέχυνται Ἴκελαι. ἐν δὲ σόλοι καὶ τεύχεα θέσκελα κείνων Ἐν δὲ λιμὴν Ἀργῷος ἐπωνυμίην πεφάτισται: Admiratione autem dignum eſt Strabonem in ij. libro de Aethalia, Iluaque, vt de duabus diuerſiſque inſulis loqui: cum tamen certum ſit vnam eandemque eſſe, quae ambobus illis nominibus appelletur. Haec autem ipſius verba ſunt, non magnas inſulas Tyrrheni maris, continenti propinquas, exponentis. πρόκειται δὲ αἰθαλία τε, καὶ πλανασία, καὶ ἴλουα, καὶ πιθήκουσαι, καὶ προχύτη, καὶ καπρία, καὶ λευκωσία, καὶ ἄλλαι τοιαῦται. Inducerer autem facile vt crederem id librariorum errore, culpaque contigiſſe: niſi viderem Ptolemaeum quoque in hoc Strabonem ſequi. qui ſeparatum de Ilua & Aethalia ſcripſit: longeque alias & ipſe eas eſſe exiſtimauit.

Quam apte Lucretius Varroque, verbum Aegrotare ad ea tranſtulerint, in quae verus morbus non cadit.

CAP. XI.

MAXIMVM afferre ſplendorem orationi translationes aptas apertum eſt: vt nullus fere alius ornatus tantopere ipſam expoliat atque illuſtret: ſunt igitur in antiquis ſcriptoribus: atque in omni denique ſermone, diligenter attendendae. Lucretius in iiij. libro cum incommoda, in quae incidunt amatores enumeraret, quae multa & grauia collegit, inquit etiam. : atque aegrotat fama vacillans. quod verbum manifeſto translatum eſt, & a corpore animantium ad rem inanimem comportatum. non dici autem facile poſſet quantopere illic conueniat, & quam vim habeat, ad vitium illius rei oſtendendum. Eodem hoc verbo μεταφορικῶς vſus eſt M. Varro in x. libro de lingua Latina ad Ciceronem, ita ſcribens. Sed (vt dixi) hoc genere declinatio in communi conſuetudine verborum aegrotat & languescit. Sed etiam in i. libro de vita populi R. eodem pacto id vſurparat, vt exemplo hoc poſito ab Nonio, intelligitur, quo loco, quid valeat diſtrahere accurate docet. Diſtractione ciuium elangueſcit bonum proprium ciuitatis, atque aegrotare incipit & conſeneſcere. Plautus, cum idem, quod Lucretius, ſignificare vellet, & ipſe verbum aliunde ſumpſit: quod ſimile valde Lucretiano illi eſt: ita enim in Bacchidibus induxit Piſtoclerum, probum adoleſcentem, qui tamen in propoſito non permanſit: nec reſiſtere potuit illecebris meretricum, loquentem. : quia iſtaec lepida ſunt memoratu: Eadem in vſu: atque vbi periculum facias, aculeata ſunt. Animum fodicant: bona diſtimulant facta, & famam ſauciant. vt igitur famam exiſtimationemque amatorum aegrotare dictum eſt, cum ſe totos tradunt libidinibus: ita poſtulata meretricis, quia ſine damno pudoris effici non poterant, probi adoleſcentis famam ſauciare dicuntur.

Somnium de interfecto a caupone Megaris, commemoratum a Cicerone, oſtenditur legi etiam nunc apud Graecum auctorem.

CAP. XII.

IN I. libro de diuinatione Cicero, quo loco de diuinatione, quae ſomniis conſtat, agit, duo a Stoicis ſomnia commemorari ſolita, ſcriptiſque celebrari, tradit. vnum de Simonide Lyrico, qui ab eo quem humanerat vetitus eſt nauigare: alterum de interfecto a caupone Megaris. poſterius autem hoc his verbis exponit. Cum duo quidam Arcades familiares iter vna facerent, & Megara veniſſent, alterum ad cauponem diuertiſſe: ad hoſpitem alterum: qui vt cenati quieſcerent, concubia nocte viſum eſſe in ſomnis, ei qui erat in hoſpitio, illum alterum orare vt ſubueniret, quod ſibi a caupone interitus

teritus pararetur: eum primo perterritum ſomnio ſurrexiſſe: deinde cum ſe collegiſſet, idque viſum pro nihilo habendum eſſe duxiſſet, recubuiſſe. tum ei dormienti eundem illum viſum eſſe rogare, vt quoniam ſibi viuo non ſubueniſſet, mortem ſuam ne inultam eſſe pateretur, ſe interfectum in plauſtrum a caupone eſſe coniectum, & ſupra ſtercus iniectum, petere vt mane ad portam adeſſet, priuſquam plauſtrum ex oppido exiret. Hoc vero ſomnio eum commorum mane bubulco praeſto ad portam fuiſſe, quaeſiſſe ex eo quid eſſet in plauſtro, illum perterritum fugiſſe, mortuum erutum eſſe, cauponem re patefacta paenas dediſſe. tota autem haec res, parum variata, expoſita eſt a Graeco ſcriptore, cuius verba citantur a Suda, vbi exemplis docet, valere quoque τιμωρεῖν ſubuenire, atque opitulari. qui & ipſe id memoriae proditum a Chryſippo inquit. nec tamen de familiaribus duobus, qui vna iter facerent, loquitur: aut Arcadem illum interfectum eſſe oſtendit. Sed Megarenſem quempiam id vidiſſe in ſomnis narrat. atque ita rebus non nullis immutatis: in reliquis autem conſentiente Graeca narratione Ciceronianae inquit: (adponam enim omnem eum locum: huiuſcemodi namque locos inter ſe conferre mirifice vtile puto, vt quomodo verba multa ſententiae in Latinum eleganter vertantur, intelligatur.) λέγει γοῦν Χρύσιππος ὡς μεγαρέως καταχθέντος τινὶ, χρυσίου ζώνην ἐπιφερόμενον πεπληρωμένην: ἀπέκτεινε δ' αὐτὸν πανδοκεὺς ὁ ὑποδεξάμενος ἐπιθυμήσας τῷ χρυσίῳ: ἀφ' ἑσπέρας ἐνεφόρησεν ἐφ' ἁμάξης ἀγούσης κόπρον: ὑπερεβάλετο δὲ ταύτῃ τὸν πεφονευμένον. ἡ τοίνυν ψυχὴ τοῦ τεθνεῶτος, ἐφίσταται μεγαρεῖ τινὶ, καὶ λέγει ὅσα τε ἔπαθε, καὶ ὑφ' ὅτου, καὶ ὅπως ἐκκομίζεσθαι μέλλει, καὶ κατὰ ποίας πύλας. ὁ δὲ οὐκ ἀκούσας ἐκθύμως τὰ λεχθέντα: πρῳαίτερος δὲ διαναστὰς, καὶ παραφυλάξας, τοῦ ζεύγους ἐπελάβετο, καὶ ἀνίχνευσε τὸν νεκρόν. καὶ ὁ μὲν, ἐτάφη: ὁ δὲ, ἐκολάσθη.

Quod a Themiſtocle Cicero dictum commemorat, oſtenditur a Xenophonte litteris mandatum eſſe: qui tamen auctorem eius vocis clariſſimum illum virum non appellat.

CAP. XIII.

QVOD M. Cicero pro Archia, inquit. Themiſtoclem, illum ſummum Athenis virum, dixiſſe aiunt: cum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cuius vocem libentiſſime audiret, eius, a quo ſua virtus optime praedicaretur. non memini me vmquam legiſſe apud Graecum vllum auctorem. Plutarchus ſane in commentario, quo diſputat, an ſenis officium ſit Reip. dare operam, hoc a Xenophonte dictum oſtendit: elegantiſſimus autem ille philoſophus id in Hierone appellato poſuit: ita enim inducit Simonidem cum rege illo loquentem: dicentemque, eius loci homines ſuperare priuatos in his voluptatibus, quae auribus percipiuntur: ſuauiſſimo enim inquit acroamate, laude numquam caretis.

Duo loci Themiſtij, qui negligentia librariorum maculoſi erant, emendati.

CAP. XIIII.

LONGE aliter legitur locus e paraphraſi Themiſtij in ij. librum naturalis auſcultationis in ſcripto exemplari, quam in excuſis libris legatur: ac ne forte negligentia impreſſoris id factum putetur, quater id immutatum verbum eodem modo illic ſcriptum eſt. notio praeterea ipſius illius (niſi fallor) magis accommodata eſt. totam tamen rem indicabo: eruditiſque ponderandam atque executiendam proponam. Quo igitur in loco cauſas rerum pluribus modis afferri docet in ſingulis generibus cauſarum, inquit. vt in impreſſis legitur. πολλὰ, ὁ καθ' αὑτὸ, ὁ κατὰ συμβεβηκός: καθ' αὑτὸ μὲν γὰρ αἴτιον τῆς ὑγιείας, ὁ ἰατρός: ἀλλ' ἐπειδὴ συμβέβηκεν αὐτῷ κακουμένῳ εἶναι, αἴτιον ἂν καὶ κακούμενον εἴποιμεν τῆς ὑγιείας. Hanc autem ſcripturam videtur quoque ſequi Hermolaus, quamuis ſatis duriter locum interpretetur: quo genere ſermonis ille delectabatur: inquit enim. Per accidens recuratus: poteſt enim accidere, vt is medicus ſit etiam recuratus. licebit igitur dicere recuratum aliquem fuiſſe cauſam ſanitatis. nomen autem hoc inſolens ſuſpicor eum conformaſſe e Catulliano verbo, quum ille ait. Et me recuraui otioque & vrtica. quod tamen quomodo reſpondeat voci illi Graecae videndum. cum igitur ita libri peruulgati habeant, in illo calamo exarato eſt. ἀλλ' ἐπειδὴ συμβέβηκεν αὐτῷ ἀκουομένῳ εἶναι, αἴτιον ἂν καὶ ἀκουόμενον εἴποιμεν τῆς ὑγιείας. quam lectionem veriorem iudico: ſenſus vero ipſius apertus eſt. vt medicus ἀκουόμενος ſit, cui aegrotus dicto audiens eſt: niſi enim audiret medicum qui aegrotat: praeceptiſque ipſius pareret, non morbum a ſe depelleret. neque tamen auditus propter ſe curauit: potuit enim aliud, quod ad morbum leuandum non

faceret

faceret, imperare, vt non ſequatur omnino, eum cui dicto audientem aliquis ſe praebet, curate. id autem aliquando contingit atque euenit. Infra etiam, vbi cauſas has, quarum alterae propter ſe ſunt: alterae autem ex accidenti, & ſeparatim poni, & coniungi ncctique tra-
» dit, eodem modo in non malo illo exemplari ſcriptum eſt. ita namque habet. συμπλέκωνται
» μὴ ὁ ἀκονιμωνος ἰατρὸς αἴτιον τῆς ὑγιείας ἀλλ' ὡς ἰατρός: χωρὶς δὲ ὁ ἀκονίμωνος αἴτιον. cum impreſſi
ſuperius id verbum illic quoque retineant. Non multo poſt etiam manifeſto locus corruptus eſt, qui tamen (vt arbitror) ſatis tuto corrigi & emendari coniectura poteſt: an autem maculam illam viderit Hermolaus, incertum eſt: nec enim verba Graeca expreſſit, ſed aliud, quod ſane illic quadraret, addidit. atque ita tamquam ſcopulum illum vitauit. Themiſtij ver-
» ba haec ſunt deformata. ἐκ ὧν ὡς τῆς ὕλης, οὕτως ὁ χαλκὸς αἴτιος τοῦ διαδημένου, καὶ ἁπλῶς χαλκός. ille
» reddidit: Aurum enim hoc cauſa eſt & materia rei effigiatae: & non ſolum hoc aurum, ſed
ſimpliciter aurum. a certa quadam re, cuius exemplo vſus eſt Themiſtius, ad commune tranſiens. legi igitur (niſi fallor) debet διαδουμενόν. cuius etiam ſtatuae ex aere, ab eodem artifice factae, paulo infra mentionem fecit paraphraſtes. Diadumenum autem nobilem Polycleti ſtatuam fuiſſe conſtat, teſtimoniis multorum veterum auctorum. nam Plinius quoque
» in xxxiiij. libro ita de illa locutus eſt. Polycletus Sicyonius, Ageladis diſcipulus, Diadume-
» num fecit molliter iuuenem C. talentis nobilitatum. Alter praeterea locus deprauatus eſt in eodem nomine ſtatuae in iij. eorundem librorum, vbi tamen exemplar ſcriptum integrum eſt: docens enim partem verius infinitam appellari poſſe, quam totum, inquit. ὁ γὰρ ὕλη μᾶλλον τοῦ συναμφοτέρου: καθάπερ ὁ χαλκὸς τοῦ διαδεδεμένου. cum prorſus διαδουμενοῦ legi debeat. cum quoque locum Hermolaus, certa hac ſtatua non appellata, generis nomine vſus ait. Quemadmodum ſtatuae pars eſt aes. Idem tamen in gloſſematis Plinianis oſtendit ſe cognitum habuiſſe Diadumeni, quem vittatum diadematumque interpretatur, mentionem a Themiſtio factam: nam, vt teſtatus ſum, alias hoc nomen apud eum integrum eſt.

Artificium locutionis illius, Et quiſquam dubitabit? qua vſus eſt Cicero pro lege Manilia, explicatum.

CAP. XV.

QVOD Cicero iterum dixit in oratione pro lege Manilia. Et quiſquam dubitabit? videtur ſimile illis, quibus ab oratore prolatis, Ariſtoteles affirmauit impelli non parum ad aſſentiendum eos, qui audiunt: aſtuta enim haec ratio eſt eorum qui agunt, vt dicentes. An eſt quiſquam qui hoc ignoret. ſiue. Cuncti mortales ſciunt, prae pudore cogant auditores fateri illo modo ſe rem habere: vult enim vnuſquiſque ſe participem haberi eius, quod reliquos tenere audit. inſimulat autem illic Ariſtoteles eos, qui domi ſcribebant orationes, quod ad faſtidium vterentur hoc non malo praecepto ad fidem faciendam, ſiquis modice id faciat, Iſocratem, vt ſemper arbitratus ſum, notans: ſiue alios quoſpiam, qui crebrius id ponerent in orationibus ſuis, quas aliis ſcribe-
» rent. inquit igitur Cicero. Et quiſquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc tranſmit-
» tendum ſit. qui ad omnia noſtrae memoriae bella conficienda, diuino quodam conſilio, na-
» tus eſſe videatur? ac poſt. Et quiſquam dubitabit quid virtute profecturus ſit, qui tantum
» auctoritate profecerit? neque enim ita locutus fuit, vt qui dubitatione illa digna non putaret,
» ſed etiam pro A. Cluentio; Et eſt quiſquam, qui cum haec cognouerit: ſuſpicari poſſit Op-
» pianicum iudicio oppreſſum, & circumuentum eſſe innocentem? ſed ne quis ambigeret. interrogatio etiam ipſa per ſe magnam vim habet ad perturbandum, ac ſtatu mentis aliquando mouet aduerſarium. Nam Virgilius in ij. Georgicorum multis iam demonſtratis, quae vtilitatem illius ſtudij declararent: conſtitutoque eo, quod ornare voluit, addidit.
» Et dubitant homines ſerere, atque impendere curas?

Explicatus locus Ciceronis e primo de finibus: declaratumque, cum delapſam de caelo dixit, graecum hoc verbum διιπετῆ, ipſum expreſſiſſe.

CAP. XVI.

IN primo libro de finibus Cicero, ita Torquatum, cum rationem Epicuri explica-
» ret, induxit loquentem. Tum vero, ſi ſtabilem ſcientiam rerum tenebimus,
» ſeruata illa, quae quaſi delapſa de caelo eſt ad cognitionem omnium regula, ad
» quam omnia iudicia rerum dirigentur, numquam, vllius ratione victi, ſententia deſiſtemus.

deſiſtemus. quibus verbis ſignificauit Epicuri librum, cuius index erat, περὶ κριτηρίου, ἢ κανών: eius enim quoque meminit Laërtius. illi autem libro cum plurimum tribuerent Epicurei: atque eum in primis inſpicerent, non humano ingenio, ſed diuino confectum, ac de caelo delapſum oſtendere ipſum volentes, διοπετῆ appellabant. quod verbum manifeſto expreſſit Cicero dicens, delapſum de caelo. nam in primo libro de natura deorum caeleſtem dixit: haec enim eius verba ſunt. Cuius rationis vim atque vtilitatem ex illo caeleſti Epicuri de regula & iudicio, volumine accepimus. Graeco vero hoc verbo Graecos Epicureos vſos indicat, quod ipſorum aduerſarij, contemnentes eos, qui tantopere admirarentur id opus: tamquo grandi nomine appellarent, ipſum hoc vſurparent. vt Plutarchus in commentario aduerſus Coloten Epicureum. οὐ γὰρ Κολώτῃ μὲν ἐξῆν ἀρτι προσεφώνησε, καὶ χεῖρας ὁ χάρης, ὅτι σὺ διοπετὴς ἀναγνῶναι κατήνεσ. valere autem vnum illud iunctum verbum, quod Cicero pluribus expreſſit, apertum eſt. Euripides quoque ipſo vſus eſt in graui carmine, & quod egregie teſtatur infirmitatem noſtri corporis. quod carmen ab erudito in primis eodem ſcriptore, vitaeque noſtrae conformandae ſtudioſo, non ſemel citatur: eſt autem hoc. Ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκας, διοπετὴς ὅπως Ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα· Μικρὸν δὲ σῶμα, καὶ μίμημα δαιμόνιον.

Emendata quaedam verba Ciceronis e Timaeo, conuerſo ab ipſo. quae nunc apud Nonium leguntur.

CAP. XVII.

VERTISSE M. Tullium in Latinum ſermonem Timaeum Platonis notum eſt: eius autem operis reliquiae quaedam nunc de vniuerſitate inſcribuntur: antiqui vero grammatici cum eius libri teſtimonium citant, Ciceronem Timaeo dicunt. nam illius libri loci quidam ex iis quoque partibus, quae perierunt, ad teſtimonium vocantur. vt hic ipſe a Nonio, apud quem valde corruptus, & contaminatus eſt. oſtendam autem ipſe, quomodo emendandum putem: nec non verba Platonis, quae ita M. Tullium reddidiſſe atque expreſſiſſe opinor, indicabo. Nonius igitur in libro de indiſcretis generibus inquit: vt in excuſis legitur. Curriculum neutro genere. Cicero Timaeo. Rare igitur & mente diuina ad originem temporis curris curriculum inuentum eſt ſolis & lunae. Suſpicor autem primum tollendam vocem eſſe curris: quae manifeſto mendoſa eſt, & omnem ſenſum perturbat. Deinde e primo verbo, & ipſo (vt videtur) deformato, fieri debere arbitror ratione. vt totus locus ita ſincere fortaſſe, legatur. Ratione igitur & mente diuina, ad originem temporis, curriculum inuentum eſt ſolis & lunae: ſic enim reſtitutus reſpondebit verbis illis Platonis. ἐξ οὖν λόγου καὶ διανοίας θεοῦ τοιαύτης πρὸς χρόνου γένεσιν ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα, ἐπίκλην ἔχοντα πλάνητα, εἰς διορισμὸν καὶ φυλακὴν ἀριθμῶν χρόνου γέγονεν. & quae ſequuntur. in ſpatio autem illo poſita erant, quod nunc inane relictum eſt apud Ciceronem, cum circiter xxx. verſuum Graecorum interpretatio defecerit. & (vt liquido apparet) propinqua erant illi loco, cum conuerſio recepta (vt in excuſis nunc legitur) ait. Ita vim ſuam natura conuertit: illa enim quoque in antiquo fidelique exemplari aliter leguntur: ſic enim in illo eſt. Ita ius natura conuerteret. vt pauca omnino verba deſiderentur in medio eorum, quae apud Nonium reſliterunt, & initio hoc perturbato, quod apud interpretem ipſum conſeruatum eſt. nam poſt ſuperiora verba Graeca ſequitur apud auctorem. σώματα δὲ αὐτῶν ἑκάστων ποιήσας ὁ θεὸς, ἐπέθηκεν εἰς τὰς περιφορὰς, ἃς ἡ θατέρου περίοδος ᾔειν, ἑπτὰ οὔσας ὄντα ἑπτά. σελήνην μὲν εἰς τὸν περὶ γῆν πρῶτον, ἥλιον δὲ εἰς τὸν δεύτερον ὑπὲρ γῆς. extremorum autem horum verborum interpretatio Ciceroniana apud ipſum ſalua incolumiſque eſt.

Epeum, fabricatorem equi Troiani, coquum etiam fuiſſe.

CAP. XVIII.

EPEVS, qui valde celebris fuit equi Durei, quo captum eſt Ilium, fabrica, tenuiore etiam in ſtudio verſabatur: coquus enim erat, & Atridis aquam ferebat: vt teſtati ſunt Graeci Latinique poëtae, prodentibus hoc memoriae veteribus auctoribus. nam ſcripta eorum poëtarum, quibus id tradiderant, periere. M. igitur Varro in vij. libro de lingua Latina, inquit. Plautus. Epeum fumificum, qui legioni noſtrae habet coctum cibum. Epeum fumificum, coquum, ab Epeo illo, qui dicitur ad Troiam feciſſe equum Troianum, & Argiuis cibum curaſſe: hic enim eſt ordo horum verborum in antiquiſſimo libro, cum in excuſis exemplum poëtae infra legatur. meminit ſane Plautus Epei in his fabulis, quae reſtant, vt fabri tamen, non vt coqui. haec namq; verba ſunt in

Bacchidibus,

Bacchidibus, a Chryſalo pronuntiata. Nam ego has tabellas obſignatas, conſignatas quas tero, Non ſunt tabellae: Sed equos, quem miſere Achiui ligneum. Epeius eſt Piſtorlerus. Athenaeus quoque in x. libro, de obſcuro epigrammate Simonidis agens: vimque illius explicans, commemorat circumferri in fabulis, hoc fuiſſe munus Epei. Praeterea in templo Apollinis pictam fuiſſe Troianam fabulam, in qua pictura Epeus Atridis aquam fert. quod etiam teſtimonio Steſichori poetae confirmabatur, qui ita de Epeo in ode quadam cecinerat. ὤκτειρε γὰρ αὐτὸν, ὕδωρ αἰεὶ φορέοντα Διὸς κούρα βασιλεῦσι. cum autem Steſichorus perpetuo ipſum narret regibus aquam tuliſſe: Athenaeuſque itidem Atridis munus illud obiiſſe referat, aptius fortaſſe veriuſque Varro Atridis quam Argiuis dixiſſet: neque enim veriſimile eſt omnibus eius gentis ipſum potuiſſe miniſtrare. Niſi forte ille, vt faber, magnique ingenij vir, inſtrumentum aliquod inuenit, rationemue excogitauit, qua exercitus Graecorum, poſtquam peruenit ad Troiam, aqua abundaret; nam Plato in pluribus ſuis ſermonibus Epei Panopei mentionem fecit, vt ſummi opificis; numerauitque ipſum in illis, qui clari, celebreſque forent in imaginibus, ſtatuiſque fabricandis. Animaduertendum etiam, cum equum δούρειον ligneum ceteri accipiant, Euripidem aliud etymon huius vocabuli afferre: putareque δούρειον vocatum a ſpiculis armiſque, quae condita in eo erant: δοῦρα namque, affirmantibus hoc etiam antiquis grammaticis, & δόρατα & ξύλα valent. locus tragici poëtae hic eſt e Troadibus, loquente Neptuno, qui prologi perſonam agit.

Ὁ γὰρ παρνάσιος
Φωκεὺς Ἐπειὸς μηχαναῖσι Παλλάδος
Ἐγκύμον' ἵππον τευχέων ξυναρμόσας
Πύργων ἔπεμψεν ἐντὸς ὀλέθριον βάρος.
Ὅθεν πρὸς ἀνδρῶν ὑστέρων κληθήσεται
Δούρειος ἵππος, κρυπτὸν ἀμπίσχων δόρυ.

Platanum in agro noſtro ſua ſponte naſci, contra id, quod memoriae prodiderunt veteres: Stoechadiſque itidem magnam vim apud nos oriri.

CAP. XIX.

NOSTRA haec regio Romanis hominibus ob aſperitatem montium: ſyluarumque denſitatem, non valde nota frequentataque erat. quod multis modis intelligi ac perſpici poteſt: in aliis enim huius rei argumentis ſtirpes quoque non nullae hic gignuntur, quas veteres peregrinas eſſe Italiae, tradiderunt. Platanum certe Plinius huc importatam ex alieno orbe dicit: ac de illa, vt externa arbore loquitur, & quae animi cauſa expetita ſit: ſtudioſeque hic conſita: cuius tamen ſylua, ſponte ſua nata, in agro noſtro eſt. nam cura hominum platani illae ſatae credi non debent, cum ſemper nouae aliquae illic exoriantur: locuſque, vbi naſcuntur, remotus ab vrbe, & cultura omni delicatiore ſit. quod ſi loca haec celebrata quondam fuiſſent, numquam latuiſſet tam grata arbor: & magno ſtudio ex longinquis vſque terris petita. Saltus autem, vbi exiſtunt ingenio eius terrae platani, eſt prope confluentem Saeuae & Arni: qui nunc poſſidetur a ſacris virginibus a Roſano vocatis. indeque ſumunt multi, qui nobilibus ſtirpibus delectantur: amoenamque hanc, ac tantopere probatam veteribus, vmbram quaerunt. Theophraſtus ſane in Italia illam inueniri non negat: quamuis raram hic eſſe commemoret. vereor tamen ne de importatis aliunde locutus ſit, cum addat, non videri ſedem hanc noſtram, terramque eam gignere. Idem autem quod de Platano, de Stoechade quoque, nobili genere herbae, dici poteſt: cum enim Plinius in inſulis tantum eiuſdem nominis gigni ipſam tradat, apud nos quoque certis quibuſdam locis copioſe naſcitur; mons enim Albanus appellatus, non longe a dextro latere Arni inferiore valle, diſtans ab vrbe ſpatio xij. milium paſſuum, plenus ipſius eſt: ea tamen parte tantum, quae ad mare vergit. indeque officinae noſtrae petunt: non enim bonitate cedit illi, quod aduectum eſt a cognominibus inſulis. ſed etiam magna vis ipſius naſcitur in monte, qui inter Piſas, Lucamque interiectus eſt: Diuique Iuliani nunc appellatur. nomen ſane huic herbae inditum eſt a terra, in qua ſolum olim naſci credebatur: quod etiam apud nos vulgo retinet. inſulae autem Stoechades e regione Maſſiliae, ita appellatae ſunt, quod στοιχάς, directoque ordine poſitae: a vicinis enim longeque quondam florentibus Graecis nomen habuere. nam Ligures antea eas incoluiſſe videtur ſignificare Apollonius, qui in iiij. libro Ἀργοναυτικῶν, ita cecinit. Ἀλλὰ διὰ πῶς τῆς δὲ πόρεξ ἁλός: ἀμφί τε γαίας Λιγύων: νήσοις τε λιγυστίδας αἳ καλέονται Στοιχάδες, ἀργῴος περιώσια σώματα τοῖς Νημερτὴς πέμπαν. nunc autem, amiſſo vetere nomine, Iſole d'Ieri vocantur, numero tres.

Sententia

Sententia, qua vſus eſt Cicero pro Ligario, oſtenditur accepta fuiſſe a Graeco auctore.

CAP. XX.

QVOD M. Cicero in peroratione pro Ligario, inquit, confirmans opulentiſſimum
virum in vſu eius virtutis, quae propria ipſius videbatur: homines ad deos nul-
la re propius accedere quam ſalutem hominibus dando, ſumptum ab eo fuit e
peruulgata voce in Graeco ſermone: cuius meminit Strabo in x. libro, laudans
» ipſam ac vere dictam affirmans: ait enim εὖ γὰρ εἴρηται καὶ τοῦτο, τοὺς ἀνθρώπους μά-
» λιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεοὺς, ὅταν εὐεργετῶσι. praeſtantiſſimum autem aſt omnium beneficiorum ſa-
lutem dare. Pro Milone vero in hoc ipſo modo loquendi, qui eſt, proxime accedere ad ali-
» quos: valereque imitari ac reddere illos, luſit Cicero dicens. Proxime ad deos acceſſit Clodi-
» us, propius quam tum, cum ad ipſos penetrarat: cuius de morte tamquam de cerimoniis vio-
» latis, quaeritur. quamquam verius legi, integriuſque puto locum illum ſine praepoſitione
ad: & quia ita ſcriptum oſtendi in quibuſdam calamo exaratis libris: & quia Priſcianus, cuius
aetate minus corrupti erant antiqui auctores, ita locum legit.

*Inſtitutum quoddam Ceorum, quod litteris mandatum eſt a Cicerone, oſten-
ditur tactum etiam eſſe ab Apollonio Rhodio: ab ipſiuſ-
que interprete plenius exponi.*

CAP. XXI.

IN primo libro de diuinatione M. Cicero moris cuiuſdam inſtitutique mentio-
nem fecit, quod haberent incolae inſulae Cei. originem vero eius, cauſamque
omnem diligenter explicatam, inueni apud interpretem Apollonij in ij. libro
Ἀργοναυτικῶν. quam tamen poëta quoque ipſe luculenter perſequutus eſt. inquit
igitur Cicero, ſimili hoc quod agebat, confirmare volens. Vt enim Ceos ac-
» cepimus ortum caniculae diligenter quotannis ſolere ſeruare: coniecturamque capere, vt ſcri-
bit Ponticus Heraclides, ſalubris ne, an peſtilens annus futurus ſit, & quae ſequuntur. illic
» autem commemoratur hiſtoria haec. Cum ſidus, canis vocatus, ardore ſuo cycladas combu-
reret: diuque ſqualores magni agrorum: ſterilitaſque extitiſſet, qui vnam ex illis inſulis, Ceo
vocatam, incolebant, admoniti ab oraculo, Ariſteum Apollinis ac Cyrenae filium acceſſierunt
e Phthia, qui aſcitis quibuſdam Arcadibus eo ſe contulit, atque illic ſacellum Iouis Icmaei
aedificauit, vt imbres in terram effunderentur: nec non caniculam quoque placauit, legem-
que fixit, vt Coi quotannis ortum caniculae captis armis ſeruarent, atque imolarent ipſi ho-
ſtias. vnde eteſiae ſpirant: quae aeſtiuo tempore, maximiſque caloribus terram ſuaui frigore
reficiunt. atque ita Graeci liberati ſunt magno malo: nec fructus agrorum amplius ſqualori-
bus interempti ſunt. Verba autem, quibus id, quod exponitur a Cicerone, narrauit, haec
» ſunt. καὶ ἐνομοθέτησε κατ' ἐνιαυτὸν τοὺς κείους μεθ' ὅπλων ἐπιτηρεῖν τὴν ἐπιτολὴν τοῦ κυνός. Iiſdem
autem veriſimile eſt vſum fuiſſe Heraclidem, vnde rem ipſam accepiſſe ſe oſtendit M. Tullius.
niſi quod de armis ille tacet. quae tum ſolita tunc eſſe Ariſtei mandato, exponit Graecus ille
interpres. nam extremum hoc poëta quoque breui narrauit: apud quem etiam nulla mentio
» armorum eſt: inquit enim κεῖθι δ' ἔτι νῦν ἱερῆες Ἀντολίων προπάροιθε κυνὸς ῥέζουσι θυηλάς.

*Verba Graeca Democriti allata, quae expreſſit Cicero in V. Tuſcula-
na: maculaque e Latinis ſublata.*

CAP. XXII.

IN v. libro quaeſtionum Tuſculanarum Cicero, quo loco ignobilitatem, vacui-
tatemque gloriae docet non eſſe pertimeſcendam, id quod conſtituere volebat,
grauis viri, valdeque ab inani hac laude alieni, auctoritate ac teſtimonio con-
firmans, inquit. vt nunc in excuſis libris legitur. Veni Athenas, inquit De-
» mocritus, neque me quiſquam ibi agnouit. abeſt autem ab antiquo, ac ſatis fideli exemplari
aduerbium id loci. ibi. & ſane ſuſpicor vacare, additumque a quopiam fuiſſe, qui declarare
quod nulla declaratione egebat, ſtuduerit. intelligitur namque illud: nec poni illic neceſſa-
rio debuit: potius enim ſupernacaneum & inane eſſe videtur. in verbis certe Democriti Grae-
cis, quae expreſſit Cicero, non legitur quod ipſi reſpondeat. illa autem apud Laërtium in vi
ta magni

ta magni huius phyſici leguntur: colligens enim facta voceſque ipſius, e commentariis ſuperiorum auctorum Diogenes, affirmat ab illis quoque memoriae proditum eſſe: veniſſe Democritum Athenas: nec ſtuduiſſe cognoſci: vt qui gloriam contemneret. nec non Socratem cognoſſe, nec ab eo cognitum fuiſſe, addit autem ipſius quoque verba, id ipſum narrantis. ἦλθον γὰρ φησὶν εἰς Ἀθήνας· καὶ οὔτις με ἔγνωκε. quae manifeſto ſunt, ea quae expreſſit Cicero.

Grauis ſententia M. Druſi, qua tradidit omnes qui Remp. violaſſent paenas eius ſceleris dediſſe, oſtenditur in Graeco etiam ſermone celebrata fuiſſe.

CAP. XXIII.

IN Oratore ſuo M. Cicero praeclaram ſententiam C. Carbonis trib. pl. In concione editam, poſuit: cum tamen ſtructuram verborum, numeroſque ipſius, non grauitatem ponderaret. Dixit autem ille, orationem conuertens ad eum, quem primum id protuliſſe affirmat. O M. Druſe, patrem appello. tu dicere ſolebas, ſacram eſſe Remp. quicumque eam violaſſent, ab omnibus eſſe ei paenas perſolutas. Quin igitur hoc honeſte vereque dictum ſit, nemo dubitat. Rei vero nugatoriae ac leui tribuit hoc, vt riſum ſpectatoribus moueret, venuſtiſſimus Graecorum comicorum Menander: cum enim in fabula, quam vocauit Δύσκολον, induceret coquum, mali aliquid a ſe molientem, ita eum loqui fecit: ſimul autem ſibi, ſociiſque eius artis, ille proſpexit. Οὐδεὶς μάγειρον ἀδικήσας, ἀθῷος διέφυγε· ἱεροπρεπὴς πῶς ἐστὶν ἡμῶν ἡ τέχνη. Videtur igitur grauis Romanus ciuis Graeci poëtae ſententiam aemulatus eſſe: illincque tranſlatam, vbi minime conueniebat, in ſuam ſedem comportaſſe. vel potius: hoc enim magis veriſimile eſt, vetus aliquis Graecus ſcriptor antea illa, de Rep. loquens, vſus fuerat. vnde ioci cauſa Menander eam ſumpſit: ad ſtudiumque tenue ac ſordidum tranſportauit: vnum enim hoc eſt eorum, quae materiam iocorum comici habent. vt ab accuratis quoque Graecis auctoribus memoriae proditum eſt. Latinus autem orator in eodem negotio ſeruans, tantum vt vtilem Reip. ad ſeditioſoſque, ac conſceleratos ciues coërcendos aptam, exprimere illam potuit.

Examinatum verbum Catulli, qui contumeliae cauſa mulierem ligneam vocauit: declaratumque Graecos quoque par huic verbum aliquando eodem modo capere.

CAP. XXIIII.

IN hendecaſyllabo in Furium Catullus, cum nouercam eius ligneam vocauit, corpus ipſam durum atque aridum habere (vt opinor) ſignificauit. Alexis quoque comicus, cuius hic verſiculus legitur apud Athenaeum, Ἀκρολίπαροι τὸ δ' ἄλλο σῶμ' ὑπόξυλον, Graeca voce, Latinae reſpondente, idem vitium in hominibus quibuſdam notauit: qui cum ſumma cute nitidi forent, reliquum corpus aſperum, ac ligni naturam referens, gerebant. nam iuncta prima voce illi, quos deſcripſi, videntur indicari. potuit autem id cura, ſtudioque obtineri: vix enim aliter fieri videtur poſſe, vt qui corporis alias partes duras exuctaſque habeat, extremo corpore nitidus & quaſi vnctus ſit. Lucretius quoque, quo loco ingenium amatorum declarat, qui verbis minuere, atque in bonum conuertere labes corporis ſuarum deliciarum ſolent, ſcribens. naeuoia ac lignea, δορκάς, idem profecto intellexit: mulierem ſcilicet, quae naeuorum plena eſſet: eſt enim quoque macula formae naeuus: eandemque exarefacto ac duro corpore, appellari ab illis dorcadem: quae belua gracilis eſt, & pelle coloribus diſtincta. Xenophon in Oeconomico, cum fecit Iſchomachum Socrati narrantem, quomodo vxori perſuaſerit, ne fucatis coloribus, aliiſque huiuſcemodi fallaciis vteretur, vt formoſior videretur quam eſſet, vocauit in ratione ſua fallaci exponenda, ὅρμους ὑποξύλους, monilia, quae ſolida non forent, ſed intus lignum pro auro, lacunaſque, haberent.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XX.

Collatus Demoſthenis locus cum T. Liuij loco: cum vterque indignationem quandam: ſtomachumque, generoſi animi deſcriberet.

CAP. I.

QVALEM animi motum fuiſſe docet Demoſthenes Athenienſium, quum ſe deceptos eſſe a Philippo viderunt, qui aſtuta inutilique pace ipſos, ne impedirent conatus ſuos, auxiliumque ferrent Phocenſibus, ſopiuerat, talem affirmabat Antiocho eſſe animum Macedonum regis alterius, cognominis illi, Thoas legatus Aetolorum, cum ſuaderet ipſi, vt exercitum in Graeciam comportaret: ac bellum illic contra Romanos gereret, oſtendens non defutura auxilia, ſocioſque, ad commune malum propulſandum: fremere enim vterque, atque indignari tacite, vtrumque dixit: nec pati poſſe indignitatem illius rei, cum tamen reſiſtere aperte atque erumpere ſtomachum non poſſent. Graeci oratoris verba in oratione pro Cteſiphonte haec ſunt, ciues ſuos alloquentis. ὑμεῖς δὲ, ὑφορώμενοι τὰ πράγματα, καὶ δυσχεραίνοντες, ἤγετε τὴν εἰρήνην ὅμως: οὐ γὰρ ἦν ὅ, τι ἐποιεῖτε μὲν [illegible] purgat enim ciuitatem: dignitatemque ipſius defendit, quae, cognito illo malo, remedia ei non adhibuerat: deſtituta namque ab aliis Graeciae ciuitatibus nihil moliri contra tantas Philippi opes ſola poterat. In oratione autem Annibalis ad Antiochum Aſiae regem, qui Magnus appellatus eſt, apud Liuium in xxxvj. libro haec leguntur. Fremere Philippum, & aegre pati, ſub ſpecie pacis leges ſeruitutis ſibi impoſitas. ille quidem, vt ferae beſtiae, vinctae aut clauſae, & refringere clauſtra cupientes, regis iram verbis aequabat: diutius enim manſit in ſtomacho Philippi demonſtrando Aetolus ille, vt qui incendere regem eum ad bellum vellet, & omnes vndique faces admoueret. nam ſimile quo vſus eſt, valde rem illuſtrat, & totam ante oculos ponit: Demoſtheni autem aliud tunc propoſitum erat. quare ſatis ipſi fuit docere iniquo animo id tuliſſe Remp. nec tamen obuiam ire potuiſſe. nam alterum argumentum, quo antea ad idem probandum vſus fuerat Annibal, quum inquit. Quae igitur res mihi fiduciam praebet coniungi nobis Philippum poſſe? vna, communis vtilitas, quae ſocietatis maximum vinculum eſt. poſitum in eadem oratione Demoſthenis eſt, tamquam ab Aeſchine vſurpatum: cum inſimulans ipſum mendatij fraudiſque, verbis illius ipſius poſitis, ait. οὐ γὰρ τὰ ῥήματα τὰς οἰκειότητας ἐκβεβαιοῦν, μάλα σεμνῶς ὀνομάζων, ἀλλὰ τὸ, ταυτὰ συμφέρειν: συμφέρειν δὲ Φιλίππῳ, καὶ Φωκεῦσι, καὶ ὑμῖν, ὁμοίως ἅπασι, τῆς ἀναλγησίας καὶ τῆς βαρύτητος ἀπαλλαγῆναι τῆς τῶν Θηβαίων. quod enim Demoſthenes interiecit, grandibus verbis id ab eo prolatum, diligens animaduerſio fuit, atque exagitatio orationis ipſius;

Modus elegans loquendi apud Aeſchylum declaratus.

CAP. II.

ΓΛΩΣΣΗΣ χάριν valet (vt opinor) apud Aeſchylum, vt ſunt homines garruli; ac libenter, quae ſciunt, loquuntur, nulla etiam propoſita vtilitate: locus eſt in Choëphoris, vbi poſt cognitionem factam, Electra atque Oreſtes inter ſe loquuntur, ac ſoror fratri gratulatur ſtimuloſque ipſi ad vlciſcendum patrem adhibet: Oreſtes autem a Ioue opem petit, precaturque, vt propitius illi facinori adſit: in hoc enim ſermone, cum commoti animo, vocem aliquantum extuliſſent, admonet chorus, vt temperantius agant: vocemque compeſcant, ne quis exaudiat: ac, quod illis perniciem afferret, omnia regnum illic obtinentibus aperiat, non inimico ſane animo: neque enim domi erat, qui odio ipſos proſequeretur, ſed libidine loquendi, ac nouas res enuntiandi. Verba grauia poëtae haec ſunt, a choro, qui conſtat e veteribus ancillis Clytemneſtrae, edita. Ὦ παῖδες, ὦ σωτῆρες ἑστίας πατρός, Σιγᾶθ᾽, ὅπως μὴ πεύσεταί τις, ὦ τέκνα, Γλώσσης χάριν δὲ πάντ᾽ ἀπαγγελεῖ τάδε Πρὸς τοὺς κρατοῦντας.

Diſputatum

Diſputatum de parte loci illius in epiſtola ad Atticum, quo narrat ſe multis acutis vocibus Clodium in Senatu fregiſſe.

CAP. III.

ACCVRATE videndum eſt, quid intellexerit Cicero verbis his, quae in altercatione quadam cum Clodio dixit, vt ipſemet in epiſtola ad Atticum narrat: nam quomodo nonnulli interpretati ſunt, non verum puto, nec recipi oportere. Surgit pulchellus puer, obiicit mihi, me ad Baias fuiſſe. falſum, ſed tamen. quid huic ſimile eſt inquam, quaſi dicas in operto fuiſſe. Quid inquit homini Arpinati cum aquis calidis? narra inquam patrono tuo, qui Arpinatis aquas concupiuit: noſti enim Marinas. Poſteriore igitur ioco (nam ſenſus prioris apertus eſt) ſignificat, aquas Arpinates dicens, calidas aquas, poſſeſſas ab Arpinate homine, quod tamen cum obſcurius eſſet, quaſi declarat addens: noſti enim Marinas, ita appellans poſſeſſas olim a C. Mario. Marinas namque inquit pro Marianas: ita enim quoque veteres locutos teſtantur grammatici. a Mario enim, Marinus & Marianus: vt ab Hirtio, Hirtinus & Hirtianus: ab Antonio, Antoninus & Antonianus: eadem enim eſt ratio omnium huiuſcemodi nominum. Agrum autem in illis locis habuiſſe C. Marium, è quo calidae aquae erumperent, memoriae prodidit Plutarchus in ipſius vita, narrans cum eligendus eſſet imperator contra Mithridatem: populuique diuiſus eſſet: pars namque ciuium Marium ipſum gerere id bellum cupiebat: pars autem L. Syllae fauebat, qui aduerſabantur Mario in comitiis dicere ſolitos: iubereque, vt ad Baias iret: atque illic aquis calidis ſe foueret, ſenio ac morbo confectus, vt ipſe quoque aiebat. adiungit enim. Erat enim illic Mario prope Miſenum magnifica domus, quae deliciis abundaret, victuſque haberet molliores quam viro conueniret, qui tot tantaſque res bello geſſiſſet. nonnulla praeterea addit, quae hic neceſſaria non ſunt: valent autem ad oſtendendam villae illius amoenitatem, & luxuriam eorum temporum, quae exiguo interuallo temporis mirum quantum creuit. purgat igitur ſe Cicero, narratque, ſi ad Baias etiam fuiſſet, quod tamen inficiari poterat: falſum namque erat, non tamen, quamuis Arpinas eſſet, ſe feciſſe rem abſurdam. cum C. Marius & ipſe Arpinas, duruique in primis homo, illic tamen fundum habuerit. nam quod iubet illum quaerere id a patrono ſuo, qui docere poterat, non eſſe nouum, Arpinatem hominem eo venire, cum Arpinates aquas, quarum C. Marius quondam dominus fuiſſet, concupiuiſſet, pertinet hoc ad eum quoque vulnerandum: manifeſtoque ipſum tangit. quem autem intelligat non auſim affirmare: ſuſpicor tamen Q. Fuſium Calenum: is enim Clodium praecipue tunc adiuuit, quod teſtatur etiam Cicero in viij. Philippica, nec non Aſconius Paedianus. ipſum tamen, aut alium, exarſiſſe deſiderio huius villae, nuſquam legi: nec mirum eſt, rem tam tenuem litteris non mandatam.

Demetrij Pharij vox acuta commemoratur, qua confirmauit vtilitatem iniuſti ſui conſilij, dati Philippo Macedoni.

CAP. IIII.

DEMETRII Pharij vocem nefariam commemorat Strabo: vtilem tamen magnopere (vt putabat) illi, cui conſilium dabat: cum enim in viij. libro γεωγραφικῶν doceret vrbem Meſſeniorum ſimilem eſſe Corintho: nam editus, praeruptuſque collis imminet ambobus oppidis: communi muro cum ipſis cinctus, arcis naturam habens: quorum alter vocatur Ithome: alter vero Acrocorinthum, addidit. vnde apte videtur Demetrius Pharius dixiſſe, cum hortaretur Philippum, vt ambas has vrbes praeſidiis firmaret, ſi Peloponneſi cupidus eſſet: ambobus enim, inquit, cornibus bouem tenebis. cornua vocans Ithomem & Acrocorinthum: bouem autem Peloponneſum. Animaduertendum autem, quamuis in excuſis Strabonis libris legatur. ὅτ' ... Δημήτριος ὁ φαληρεὺς πρὸς φίλιππον εἰπεῖν. me tamen non temere a Demetrio altero id dictum protuliſſe: arbitror enim negligentia librarij pro φάριος, φαληρεὺς factum eſſe: praeſertim cum cognomina haec plerumque praeciſe ſcribi ſolerent: vt ea de cauſa poſtea nomen celebre pro ignotiore captum ſit. nam tempora etiam repugnant: multo enim antea, quam Philippus hic regnaret, Phalereus mortuus erat. Demetrius autem Pharius, vt narrat in iij. libro Polybius, cum victus eſſet in acie a Romanis, relictis locis, in quibus regnabat, confugit ad Philippum Macedonem. apud quem reliquum vitae tempus degit, cum paulo poſt hoc conſilium datum interfectus ſit. Pharos autem, vnde ille vocatus erat, inſula erat contra Illyricum. de ipſo autem Illyriiſque triumphauit L. Aemilius, paulo ante quam Annibal in Italiam

irrumperet. Quod autem mendum apud Strabonem eſſe declarat: auctoremque omnino fuiſſe illius vocis, quem dixi, Polybius in vij. libri excerptis, idem exponens, manifeſto ipſi eam tribuit: narrat enim, re diuina facta: caeſiſque hoſtiis, cum vt moris erat, exta ad regem comportata eſſent, ipſum ſumptis illis in manus, cum inclinato capite aliquantum ſtetiſſet, interrogaſſe porrectis illis Aratum, quid ei viderentur ſignificare. vtrum arce ipſa, in quam, vt ſocij amicique Meſſeniorum venerant, exire: an ipſam tenere. ilicoque Demetrium hunc, qui praeſens aderat, quamuis id ex eo quaeſitum non foret, ſua ſponte dixiſſe. ſi auguris animum mentemque habes, celerrime iubeo exire: ſi vero regis ſtrenui, ſeruare: ne ſi nunc e manibus tibi illam elabi ſines, quaeras fruſtra poſtea occaſionem illam occupandi. cuius conſilij eandem rationem obſcure reddidit, quam ſupra e Strabone indicaui. adiungit autem Polybius quid Aratus, a rege interrogatus, an illa ipſa probaret, reſponderit. qui vt vir grauis, deterruit ipſum ſubtiliter a fide violanda, ad quam rem per ſe inclinatus videbatur. Verba autem Polybij hic ponam. quibus idem fere quod Strabo exponit. ὁ μὲν οὖν Δημήτριος αὐτόθεν ἐκ τοῦ προειρηκότος, εἰ μὲν μάντεως φρένας ἔχεις, ἔφη, ἐκχωρεῖν τὴν ταχίστην: εἰ δὲ βασιλέως πραγματικοῦ, τηρεῖν αὐτήν, ἵνα μή, νῦν ἀφεὶς, ζητῇς ἕτερον ἐπιτήδειον καιρόν: οὕτω γὰρ ἑκατέρων τῶν κεράτων κρατῶν, μόνως ἂν ὑποχείριον ἔχοις τὸν βοῦν. αἰνιττόμενος τὰ μὲν κέρατα, τὸν Ἰθωμάταν καὶ τὸν Ἀκροκόρινθον: τὴν δὲ Πελοπόννησον, τὸν βοῦν.

Nutrices eleganter appellatas a Catullo papillas, cum inquit. Nutricum tenus: improbeque feciſſe, qui id verbum inde eycere conati ſint.

CAP. V.

Eleganter admodum eruditus poëta Catullus, nutrices vocauit mammas papillaſque, vbi in nuptiis Pelei ac Thetidis doctiſſimo carmine celebrandis, cecinit. Illaque atque alia viderunt luce, marinas Mortales oculi nudato corpore nymphas, Nutricum tenus extantes e gurgite cano: cum enim nutrices plerumque dicantur αἱ τροφοί, partes corporis earum, quibus vtuntur in eo munere fungendo: infantibuſque alendis, apte videntur & ipſae illo nomine appellari poſſe, quod translationis genus eſt. nec tamen defuerunt, qui, huiuſcemodi concinnitatum ignari, quibus poëtae ornare ſua ſcripta conſuerunt, temptarint inde verbum hoc exturbare: aliudque minus illic aptum, eo inculcare: tanta eſt licentia impetitorum, cui omnibus viribus reſiſtendum eſt. nutricum autem tenus, inquit, vt Lucretius labrorum tenus. μέχρι Graeci eodem caſu ſeruato, dicunt. vt Plato in xj. libro de legibus loquitur, vbi de idoneo tempore celebrandarum nuptiarum praecipit. huius enim quoque rei iudicem exiſtimatoremque eſſe vult, qui nudis maribus ſpectatis: feminis autem vſque ad vmbilicum nudatis, de hoc ſtatuat. Verba haec politiſſimi ſcriptoris de ea re ſunt. τὴν δὲ τοῦ τῶν γάμων χρόνου συμμετρίας καὶ ἀμετρίας ὁ δικαστὴς σκοπῶν, κρινέτω γυμνοὺς μὲν τοὺς ἄῤῥενας: γυμνὰς δὲ ὀμφαλοῦ μέχρι θεώμενος τὰς γυναῖκας.

Quid valeat εὐχῆς ἄξια διαπράξασθαι apud Iſocratem: quibuſque verbis Cicero idem dicere videatur.

CAP. VI.

Cvm pro lege Manilia, de Mithridate rege loquens, Cicero inquit. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis numquam eſt auſus optare: itemque poſt, vbi de Cn. Pompeij felicitate diſſerit. Hoc breuiſſime dicam, neminem vmquam tam impudentem fuiſſe, qui a diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas Dij immortales ad Cn. Pompeium detulerunt: videtur expreſſiſſe quod Graeci dicunt, εὐχῆς ἄξια διαπράξασθαι: ſic enim locutus eſt Iſocrates in Panegyrico, accuſans Graecos, quod turpem ignominioſamque pacem cum rege Perſarum feciſſent: cum, ſi viri eſſe, ferreque magno animo incommoda belli voluiſſent, licuiſſet illis efficere res, quae potius a Diis optandae fuiſſent, quam humanis opibus effici poſſe ſperandae. ait igitur ἐξὸν ἡμῖν εὐχῆς ἄξια διαπράξασθαι. Nec non in libro, quem miſit ad Philippum Macedonem, quo loco de rebus geſtis illius, & quantopere in regno ſuo augendo felix fuiſſet, parens conſiliis Graecorum, qui cum eo viuebant, loquitur. ἀλλ᾽ εἰς ἐκεῖνος ἀνακεκτημένος οὐκ ἐλπίδα τὴν βασιλείαν πεποίηκεν, ἀλλ᾽ εὐχῆς ἄξια διαπέπρακται. Plato vero, quod huic par ſimileque eſt, εὐχαῖς ὅμοια dixit, ſignificans res, quas poſſumus potius taciti optare, quam aperte expetere. e v. enim libro de rep. haec ipſius verba ſunt. οὐκ ἄρα ἀδύνατά γε: οὐδὲ εὐχαῖς ὅμοια ἐνομοθετοῦμεν: & in vj. οὕτω γὰρ ἂν ἡμεῖς δικαίως καταγελῴμεθα, ὡς ἄλλως εὐχαῖς ὅμοια λέγοντες.

eodem

eodem quoque pacto locutus eſt Cicero pro L. Flacco, in Aſclepiadem teſtem dicens, turpiter mentientem. Quantum ſibi ablatum, homo impudentiſſimus, dicit, tantum numquam eſt auſus vt haberet, optare. Significat igitur optare, precari a Diis immortalibus: & a ſuperiore viro, maioriſque dignitatis, petere. vt vſus etiam hoc verbo eſt M. Varro, cuius verba haec leguntur apud Nonium, quamuis corrupta, ac miſerum in modum dilaniata. eo autem libentius exemplum hoc poſui, vt doctiſſimi ſcriptoris eodem tempore locum elegantem purgarem. ait igitur ille Marcipore. Et Diogenes κυνικός, qui ab Alexandro rege iuſſus optare, quid vellet ſe facturum. In exemplaribus autem Nonij legitur pro voce illa κυνικός, qui amicos, adeo omnia plena mendarum ſunt. nam huiuſcemodi Graecae voces more Graecorum: eiuſque ſermonis ratione ſcribi ſolitae erant. vt e ſuperiore loco, quem reſtitui eiuſdem auctoris, nec non ex hoc etiam intelligi poteſt. commemorat autem Varro verbis illis, quamquam ſententia plena non eſt, quod Cicero quoque in v. libro Tuſculanarum hoc pacto narrauit. At vero Diogenes liberius, vt Cynicus, Alexandro roganti vt diceret, ſi quid ſibi opus eſſet. Nunc quidem paululum inquit a Sole: offecerat videlicet apricanti.

Quae fuerint, ἠχεῖα in theatris appellata: correctuſque Vitruuij locus, in excuſis libris deprauatus.

CAP. VII.

MAGNO ſtudio efficere ſolitos veteres, vt theatra reſonarent: hiſtrionumque voces ad aures ſpectatorum auctiores, clarioreſque accederent, & teſtimoniis eruditorum ſcriptorum, & veſtigiis antiquorum theatrorum intelligitur. Id quoque ſignificauit in epiſtola quadam ad Q. fratrem Cicero, cum de Aſia prouincia, quae ab illo regebatur, vt de theatro quodam loqueretur: in qua quid fieret, vocibus eorum hominum celebratum, Romam vſque portaretur. Verba eius haec ſunt. Natura autem ita reſonans, vt vſque Romam ſignificationes voceſque referantur. Vaſa igitur quaedam aerea in eorum cellis collocabant ſumma cum ratione, quae hoc ipſum praeſtarent. illa autem inde ἠχεῖα vocabant: oſtendit enim nomen hoc ipſum eorum munus: vnde etiam quam Latini imaginem praeciſe dixerunt, iidem ἠχὼ appellabant. Eorum autem vaſorum meminit, pluribuſque locis Vitruuius, quamquam ſemel corrupto loco imperitorum audacia, vt puto, verbum hoc inde deletum ſit. aliudque Graecum itidem verbum, non tamen iſtic quadrans, pro illo poſitum. eſt autem is in quinto eius operis libro. cum enim nunc in excuſis legatur. Vti enim organa in aeneis laminis, aut corneis dieſi ad cordarum ſonituum claritatem perficiuntur, ſic theatrorum per harmonicem ad augendam vocem ratiocinationes ab antiquis ſunt inſtitutae. corneis ἠχείοις legi debet, vt ſcriptum fere inueni in antiquiſſimo & fideliſſimo exemplari. nam dieſi, quae dieſis, quid ſit & a Vitruuio ipſo non multo poſt, & ab iis qui de arte muſica ſcripſerunt, accurate traditum eſt, locum hic habere non poteſt.

Salluſtij ſententia quaedam de bello Iugurthae, diligenter ponderata.

CAP. VIII.

C. SALLVSTIVS quod inquit de Bello Iugurthino, quo loco de diſcordiis ciuitatis accurate copioſeque diſputat. Nam vbi primum ex nobilitate reperti ſunt, qui veram gloriam iniuſtae potentiae anteponerent, moueri ciuitas, & diſſenſio ciuilis, quaſi permixtio terrae oriri coepit. videtur extremis his verbis reſpexiſſe ad peruulgatam vocem nefarij hominis, qui ſe mortuo dixerat nihil ſua intereſſe, quid de orbe terrarum fieret, atque optarat vt terra igne permiſceretur. verbis autem Graecis tam ſcelerata ſententia edita, eſt haec. ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: quamuis Salluſtius cum quo permiſceri, ac confundi terram voluerit, non addiderit, ſed permixtionem tantum terrae appellarit: terram, vt opinor intelligens, vniuerſum hunc ornatum rerum, ac mundum ipſum: ſiue igitur id exprimere voluit: ſiue potius quod vulgo dicimus, omnium rerum tamquam Chaos quoddam fieri. eodem autem verbo Ciceronem vſum eſſe, cum συγκυκᾶν exprimere vellet in verſu Ariſtophanis comici notum eſt. inquit enim fulgere, tonare, permiſcere Graeciam. narrat igitur Criſpus cum ex nobilitate, quae antea concors plebem premebat, aliqui extitere auctores plebi, duceſque, vindicandi ſe in libertatem, ciuitatem omnem commotam: exortamque eſſe ciuilem diſſenſionem, quae ob magnitudinem imperij imitaretur permixtionem terrae, ac confuſionem omnium rerum. eſtque ſine dubio haec ὑπερβολὴ quaedam: nullo enim modo magnitudinem illius incommodi exprimere potuit, & ante oculos ponere quot quantorumque

malorum res illa origo cauſaque foret. Similis autem ac par huic, ſententia edita eſt a M. Varrone de vita Populi R. libro iiij. accuſante ambitionem quorundam improborum ciuium ſitimque ingentem conſequendorum honorum in ciuitate: qui, vt deſiderio illo ſuo potirentur, nulli rei parcerent. Verba ipſius, a Nonio grammatico citata, haec ſunt: & ipſa manifeſto ὑπερβολικῶς prolata. Tanta porro inuaſit cupiditas honoris pleriſque, vt vel caelum ruere, dummodo magiſtratum adipiſcantur, exoptent.

Purgatus locus in epiſtola Horatij ad Claudium Neronem.

CAP. IX.

PARVA ſcripturae macula corrumpit elegantem modum dicendi apud Horatium, & quo ſaepe vſus eſt M. Tullius: in epiſtola enim qua commendauit Septimium ſodalem ſuum Claudio Neroni, ſcripti, quos vidi, libri, ſatis vetuſti fideleſque, ita habent. nam cum rogat, & prece cogit, Scilicet vt tibi ſe laudare & tradere coner: non vt formis excuſi in quibus eſt: nam me rogat. locum autem deprauatum puto ab audaci aliquo & imperito, qui non videret reſpondere hoc alteri coniunctioni, quae infra in quinto epiſtolae verſu poſita eſt, vbi inquit. Munere cum fungi propioris cenſet amici: duo enim poſcebat Septimius, ac precibus ab Horatio impetrare ſtudebat, vt ſe fortunato viro laudaret ac traderet: praeterea ſtudio ſuo faceret, vt honeſtum aliquem locum apud eum obtineret. morem autem fuiſſe veterum, elegantiorum ſcriptorum, vt in huiuſcemodi partitione ita loquerentur, ac cum & tum dicerent, conſtat: quem etiam ſtudioſi Ciceronis, imitatoreſque orationis ipſius, nunc retinent. Huiuſcemodi autem quoque mendas e tam polito poëta delere non inutile puto, quamuis illae ſaepe maioris momenti ſint quam videantur: quod huic ipſi fortaſſe contigit: nam quam vim habet alterum cum, ſublato priore, non facile intelligitur: contra (ſi ita legitur) ſententia plana eleganſque admodum eſt.

Diſputatum accurate de duobus Catulli locis in carmine de Berecynthia, & Atti.

CAP. X.

DEVOLVIT lactes acuto ſibi pondere ſilicis. verſus hic e poëmate Catulli de Berecynthia & Atti, valde mihi ſuſpectus eſt: atque id duabus de cauſis, & quia numerus aptus non eſt: neque enim recipit ſecunda ſedes eius carminis ſpondeum: continenteſque quattuor productae ſyllabae celeritatem ipſius impetumque morantur, & quia diſcrepat ſecundum eius verbum a vetere lectione. nam quin notio eius nominis illic quadret: eleganterque lactes pro teſtibus poni potuerint, non inficiarer: huiuſcemodi enim quiddam in eadem re ſignificanda, quamuis hoc ipſo verbo vſus non ſit, pronuntiauit etiam Plautus in Milite: Vide vt tibi iſtic ſit acutus Cario culter probe. Quin iamdudum geſtit moecho hoc abdomen adimere. Hoc igitur adnotare volui, ſi forte veſtigiis ipſius indicatis, vera lectio indagari ab aliquo poſſit: cum enim doctiſſimum mihi atque elegantiſſimum hoc carmen videatur, puto ſtudioſos omnes illi purgando operam dare debere: vt autem nunc paſſim in impreſſis legitur, arbitror a correctore quopiam reſtitutum eſſe, qui vitium peruulgatae lectionis intelligens, ita emendare, rem ipſam ſecutos, voluerit: ei autem libenter aſſentirer, niſi libere nimis ille ab antiqua ſcriptura diſceſſiſſet: rationemque verſus contempſiſſet, qui in ſecunda ſede iambum, aut tribrachyn poſcit, vt diligenti animaduerſione huius puſilli poëmatis intelligi poteſt: & Terentiani quoque, qui accurate ſcripſit de metris, auctoritate. In libris autem qui primis temporibus huius inuenti excuſi ſunt, legitur, lectas. ipſe vero plures vidi calamo exaratos, in quibus aut iletas, aut illetas, ſcriptum eſt. ſed in quibus etiam illectas eſſet, offendi. verbum autem id, quod vitioſum puto, aut vna producta ſyllaba conſtare debet, aut duabus correptis, vt ita efficiatur aut iambus, aut tribrachys. nam quod auſi ſunt quidam primum quoque huius verſus verbum immutare, ac pro deuoluit, deuellit ſcribere, magnopere peccaſſe illos arbitror, qui certam, atque elegantem lectionem temptarint: ac ſine cauſa emendare volentes, deprauarint. Inquit enim hic doctiſſimus poëta a conſequenti deuoluit, pro amputauit. ſignificans teſtes ipſos abſciſſos, in terram deuolutos. quo verbo etiam vſus eſt in iambo in Rufum Bononienſem, ſordes ipſius mendicitatemque aecuſans: Quum deuolutum ex igne perſequens panem, A ſemiraſo tunderetur vſtore. Verſum praeterea eiuſdem poëmatis, quo loco vtilitate iam orbatus Attis comites hortatur, vt Deam illam colant, cuius ritus probarat: atque, vt in excuſis pluribus

» libris legitur. Hilarate aere concitatis erroribus animum, corruptum arbitror: quomodo autem emendari poſſe putem, quibuſque rationibus ductus, nunc indicabo, vt ſi iudicium meum eruditis probetur, tollatur haec macula e nitidiſſimo carmine. Suſpicor igitur ita legi de-
» bere, duabus vocibus aliquantum variatis. Hilarate erae citatis erroribus animum. In priore
» autem verbo reſtituendo coniecturam ſequutus ſum: verſus enim ratio docet illic vitium eſſe: poſtulat namque ſedes ea iambum, aut tribrachyn: habet autem in peruulgata lectione trochaeum. ſi vero (vt ego oſtendi) legatur, ſuus numerus ipſi reddetur. facile autem labi potuit librarius in deſcribendo, ob ſimilitudinem ſoni, in deprauata hac Latini ſermonis pronunciatione. quod vero ſublata praepoſitione, quae in excuſis huic verbo accreuit, citatis lego; mecum in hoc habeo quaedam ſcripta exemplaria: niſi autem pellatur inde para illa, verſum deprauabit: illic enim quoque iambus requiritur. Animaduertendum autem, quod non indiligentem lectorem poſſet perturbare, poſt comma ſtatim loco pariambi, qui pes breuibus duabus conſtat, poſitam eſſe productam ſyllabam: cum enim duobus ipſa temporibus conſtet, videtur vicem duarum breuium ſubire, quae & ipſae par interuallum habent. pluribus autem locis in hoc poëmate idem commiſit Catullus, vt quarto etiam ab hoc verſu, nec non
» xvj. cum cecinit. Rapidae ducem ſequuntur Gallae propero pede: aliiſque itidem nonnullis. Quod tamen Terentianus, cum legem huius carminis oſtenderet: quaeque pedum immutationes fierent doceret, non adnotauit. Sed nulla veriora praecepta huius rei eſſe poſſunt, quam obſeruatio huius carminis, a doctiſſimo poëta, ſummo artificio conſcripti. ſententiae autem ipſi magis (niſi fallor) quadrat haec lectio, quam eſſe hanc opinor: vt iubeat ipſos tripudiis, effuſiſque curſibus, exhilarare mentem Cybeles, quam eram vocat eadem ratione, qua ipſae famulae vocabantur. Sed in penultimo quoque totius poëmatis verſu, hoc ipſo nomine poëta ipſam appellat: cum directa ad eam oratione, precatur vt ſe ſuoſque omnes ab hoc inſaniae ge-
» nere tueatur, atque inquit. Procul à mea tuus ſit furor omnis era domo.

Ratio accuratorum magiſtrorum explicata in aliquibus expoliendis, quam egregie expreſſit Terentius.

CAP. XI.

ELEGANTER expreſſit Terentius in Adelphis morem diligentium praeceptorum, qui exempla aliorum vtuntur in his, quos ornare volunt, inſtituendis: nec ſolum oſtendunt eos, qui recte ſe in eo munere gerunt, vt ad eos imitandos incendant: verum etiam eos, qui labuntur, ac peccant, vt diſcant vitia declinare, & quantum poſſunt, inde ſe remouere. Induxit igitur Demeam rationem
» hanc omnem callido ſeruo, qua fingebat filium, ita exponentem. Nihil praetermitto: con-
» ſuefacio, denique inſpicere tamquam in ſpeculum, vitas omnium iubeo, atque ex aliis ſume-
» re exemplum ſibi. Hoc facito. Recte ſane. Hoc fugito. Callide. Hoc laudi eſt. Iſthaec res eſt.
» Hoc vitio datur. Probiſſime. Plutarchus quoq; in Demetrio commemorat Iſmeniam Thebanum, ſummum tibicinem doctoremq; accuratum eius artis, cum monſtraſſet diſcipulis & qui bene & qui male tibiis vterentur, ſolitum dicere. ſic vti tibiis oportet: contraque ſic vti minime oportet: vtrumq; enim diligenter notatum, perfectum abſolutumq; artificem reddit. Ariſtophanes quoq; in fabula, cui ab auibus nomen impoſuit, cum lepide vtilitates, quae ab eo genere caperentur, Piſthetaerum enumerantem induceret, in aliis etiam poſuit beneficio illarum nautas tuto nauigare. indicare enim aues vtrumque tempus, ſi quaeſitum ex ipſis ſit, & cum vela
» danda ſunt, & cum e portu non exeundum: inquit enim. Προερεῖ τις ἀεὶ τῶν ὀρνίθων μαντευομένῳ
» περὶ τοῦ πλοῦ· Νυνὶ μὴ πλεῖ, χειμὼν ἔσται· νυνὶ πλεῖ, κέρδος ἐπέσται.

Quod Cicero apud Agathoclem in hiſtoria legit de Hamilcare, Poenorum duce, capto, idem Diodorus Siculus oſtenditur memoriae prodidiſſe.

CAP. XII.

IN primo libro de Diuinatione Cicero, quo loco ſomnia ſaepe vera eſſe, atque exitum habere multis exemplis confirmat, hoc etiam ponit. Apud Agathoclem
» ſcriptum in hiſtoria eſt, Hamilcarem Carthaginienſem, cum oppugnaret Syra-
» cuſas, viſum eſſe audire vocem, ſe poſtridie cenaturum Syracuſis. Quum au-
» tem is dies illuxiſſet, magnam ſeditionem in caſtris eius inter Poenos & Siculos milites eſſe
» factam. quod quum ſenſiſſent Syracuſani, improuiſo eos in caſtra irrupiſſe: Hamilcaremque
» ab his viuum eſſe ſublatum. ita res ſomnium comprobauit. Totum autem hoc, quod breuiter narrat,

ter narrat, expoſuit accurate Diodorus Siculus in xx. libro hiſtoriarum: qui tamen nonnullis rebus a Cicerone diſcrepat: neque enim in ſomnis oſtendit Hamilcatem vocem illam audiſſe, quae diceret cenaturum ipſum poſtridie Syracuſis, ſed vatem inquit, inſpectis extis, hoc affirmaſſe: nec incommodum id acceptum ob ſeditionem in caſtris ſactam, ſed cum opportunum locum occupare vellet: eoque noctu cum exercitu accederet, atque iret, quod eo ducebat, anguſtum aſperumque foret, ab incondita turba lixarum, quae exercitum comitabatur, tumultum excitatum. praeſidium autem Syracuſanorum, quod eo antea miſſum fuerat, cognito conſilio hoſtium, auditaque trepidatione aduerſariorum, fretum loco, cognitioneque viarum, in perturbatos illos irruiſſe: ac partem eorum concidiſſe: partem autem e praeruptis rupibus, praecipites egiſſe, vt cum multi etiam ab equitibus conculcati preſſique ſint, magnam cladem acceperint Carthaginienſes. viuum autem Hamilcatem non a Syracuſanis, ſubito ex oppido egreſſis, ſublatum eſſe, ſed ab illis ipſis captum ac Syracuſas comportatum, vnde vox auguris comprobata ſit: addit enim ad extremum. ἀπεμαρτύρησε δὲ καὶ τὴν τοῦ μάντεως φωνήν: ὃς ἔφασκεν αὐτὸν εἰς τὴν ὑστεραίαν ἐν Συρακούσαις δειπνήσειν. quod etiam initio eius narrationis his verbis indicarat, docens eum voce illa confiſum, ſtatuiſſe aggredi, quod cum loci illius potitus eſſet, ſperabat ſe ſatis tuto tempraturum. Εὐθὺς δὲ καὶ προσβάλλειν ἐξ ἐφόδου τοῖς τείχεσι διεγνώκει, τοῦ μάντεως εἰρηκότος αὐτῷ κατὰ τὴν ἐπίσκεψιν τῶν ἱερῶν, ὅτι τῇ μετὰ ταύτην ἡμέρᾳ πάντως ἐν Συρακούσαις δειπνήσει. Animaduertendum autem eſt cum Agathocles illo ipſo tempore in Sicilia regnaret, eodem nomine vocatum etiam fuiſſe hiſtoriae ſcriptorem, qui tamen in longinqua terra natus eſſet, vnde ſe id accepiſſe Cicero teſtatur. eius vero Athenaaus quoque mentionem fecit in xiiij. libro his verbis. Μνημονεύει δὲ αὐτῆς Ἀγαθοκλῆς ὁ Κυζικηνὸς ἐν τρίτῳ τῶν περὶ τῆς πατρίδος.

Quid valeant verba illa in epiſtola ad Trebatium. Manibus gypſatiſſimis: moſque veterum traditus, qui noctu hoſtes aggreſſuri, & arma, & veſtimenta gypſo illinebant.

CAP. XIII.

Accvrate videndum eſt quid valeant in epiſtola Ciceronis ad Trebatium verba haec, ſumpta (vt opinor) e Medea Ennij. Quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi vitio illae verterent, quod abeſſet a patria: neque enim quicquam apud Euripidem inuenitur, vnde fabula expreſſa eſt, quod Medeae manus, partem ve vllam corporis, hoc aut illo colore tinctam fuiſſe, aut alio modo affectam oſtendat. ipſe ſane arbitror ſignificare verbis illis Ennium voluiſſe pulchritudinem corporis, candoremque: atque illum quidem fucatum, induſtriaque adiutum. nam gypſi candor eximius eſt, quod docet etiam Plato in Phaedone, quo loco inducit Socratem fabulam exponentem: ac terrae faciem variam, ſi e ſuperiore loco ſpectetur: diſtinctamque pulcherrimis coloribus, deſcribentem. inquit enim. τὴν δὲ, ὅση λευκὴ, γύψου ἢ χιόνος λευκοτέραν. nam hac etiam materia viſos veteres in ſe armiſque ſuis dealbandis, cum aggredi noctu hoſtes volebant, vt ſuos ab aduerſariis dignoſcerent, teſtatur Herodotus in Vrania: cum incommodum, quod accepiſſent Theſſali a Phocenſibus, aſtuto hoc conſilio, cuius auctor fuerat augur Tellias Eleus, exponeret. Verba eius haec ſunt. γυψώσας ἄνδρας ἑξακοσίους τῶν Φωκέων τοὺς ἀρίστους: αὐτούς τε τούτους, καὶ τὰ ὅπλα αὐτῶν, νυκτὸς ἐπεθήκατο τοῖς Θεσσαλοῖσι, προείπας αὐτοῖσι τὸν ἂν μὴ λευκανθίζοντα ἴδωνται, τοῦτον κτείνειν. Eandem autem rem commemorauit Pauſanias initio libri x. quo res Phocenſium tradit, & ipſe materiae huius mentione facta: inquit enim αὐτοί τε ἀληλιμμένοι γύψῳ, καὶ ἐνδεδυκότες ὅπλα λευκὰ ὑπὸ τῇ γύψῳ: notum autem eſt noſtra aetate cum huiuſcemodi aliquid fit, tunica linea armis impoſita milites eundem colorem, eadem de cauſa, repraeſentare ſolitos. a quo genere veſtimenti nocturnae illae etiam, furtiuaeque pugnae, hodie appellantur. Apud Athenaeum quoque locus Ergiae Rhodij e commentariis, quos ſcripſit de patria legitur, vbi narrat Iphiclum aſtute impoſuiſſe Phoenicibus, qui ante Graecos Rhodum tenebant: cum enim oraculum illis editum foret, ipſos eam terram poſſeſſuros, vſque ad id tempus, quo corui albi facti fuerint: & in crateribus piſces apparuerint, vtrumque callide ipſum: doloque vſum, effeciſſe: in coruis autem dealbandis hac re vſum ipſum docens, ait. ὁ δὲ Ἴφικλος, κόρακας θηρεύσας, καὶ ἀλείψας γύψῳ, ἀφῆκεν, & quae ſequuntur. Addidiſſe autem id Ennium mirari non debemus: haec enim erat conſuetudo veterum poëtarum in vertendis fabulis Graecorum, vt quaedam adiungerent: alia autem relinquerent: quod oportere etiam ipſos facere praecepit Horatius notiſſimo verſu. in verſibus enim his, qui duo adhuc eodem loco integri ſequuntur. Nam multi ſuam rem bene geſſere & publicam patria procul. Multi, qui domi aetatem egerunt propterea ſunt improbati, omiſit manifeſto Ennius

quod

quod apud Euripidem legitur: diuiſit enim Graecus poëta eos, qui non otioſi domi manſiſſent, ſed contra patrias reliquiſſent, in illos, qui procul ab oculis ſuorum ſe remouiſſent: & in illos, qui prope a domo viciniſque in locis abuiſſent, ita cauens. Οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν Σεμνοὺς γεγῶτας, τῶν μὲν, ὀμμάτων ἄπο: Τοὺς δ', ἐν θυραίοις. nam quin, θυραῖα dicens, propinquas ſedes intellexerit, dubitare non poſſumus: eodem enim ſenſu viurpauit hoc nomen in Hippolyto cum inquit. Πλάσσω γὰρ οὐδὲν πλεῖν: ἡ θυραῖα μὲν φρονήματ' ἀνδρῶν νουθετεῖν ἐπίσταται: Αὐτὴ δ' ὑφ' αὑτῆς πλεῖστα κέκτηται κακά. ſignificans poſſe homines alienis proximiſque vtilia praecepta dare: ſemet ipſos autem non facile conſilio adiuuare.

Variae notiones huius vocabuli σκάφη explicatae: cum primum videatur nauigioli genus ita appellatum.

CAP. XIIII.

ΣΚΑΦΗΝ apud Graecos vnum eſſe ex iis nominibus, quae plures diuerſaſque res ſignificant, vt κύων, πούς, infinitaque alia huiuſcemodi, teſtimoniis veterum ſcriptorum intelligitur: neque enim ita frequens vſus eſt huius nominis, cum aliud quam nauiculam valet, quam ſuperiorum illorum: quod etiam in latinis vocibus, illis reſpondentibus, contingere manifeſtum eſt. valet igitur σκάφη in eo ſermone, non nauigiolum tantum, quo ſenſu tranſiit in Latinorum conſuetudinem: Italicoque nunc ſermone celebratus, ſed cunam etiam, in qua infantes collocantur. exemplo autem Athenaei hoc confirmatur, qui, cum in xiiij. libro de elephanto, amore infantis pueri capto, loquens: docenſque enim fidum cuſtodem eius fuiſſe, narrat, infantem illum ſaturum a nutrice ſolitum in medio crurum ipſius conſtitui, inquit. ὅτ' ἂν ἡ τροφὸς ἐμπλέκηται αὐτῷ τῷ κάλλει, ἀνὰ μέσον τῶν ποδῶν τοῦ θηρίου τίθεσθαι αὐτὸ ἐν σκάφῃ. Infra etiam exponens iiſdem muneribus, quibus nutrices, ſolitam eam beluam puerum curare: cunamque mouere, cum ploraret, vt ſopiretur, inquit. ὅτι κλίνει τῇ προβοσκίδι τὴν σκάφην ἰδίαν, καὶ κατευνάζουσα αὐτόν. a formae autem ſimilitudine ita cuna eo ſermone appellabatur. vnde quoque (vt opinor) eodem nomine vaſculum vocabant, quo mulieres nunc lineas veſtes lauatum ferunt, aut madidas vt ſole exareſcant: nos patrio ſermone vaſſoio, vocare conſueuimus: hoc autem cognoſcitur e verſiculo quodam, quem edidit vetula mulier nomine Iambe, cum lauacro aſſidens, atque operi illi ſuo intenta, accuſaret Hipponactem, qui cum eo acceſſiſſet, attrectaret id vas, plenum lauae, atque euerteret. inquit enim. ἀνέτρεψ' ἄπελλε, τὴν σκάφην ἀνατρέψας. Hoc autem legitur apud Hephaeſtionem, qui ſcripſit de metris, vbi de Iambo loquitur: quaeritque vnde id nomen ipſi inditum ſit: oſtendens eo numero, qui fortuito anui illi excidit, valde delectatum poëtam illum, ipſo poſtea multum vſum, atque ab ipſa appellaſſe. Eodem etiam nomine par illi vaſculum vocabatur, in quo a venditoribus paruae quaedam merces exponebantur, vt Ariſtophanes accepit hoc verbum, cuius hic verſus eſt. Τὰς σκάφας, ὡς αἷς ἐπώλει τοὺς λόχας καθελκύσας. Vocatur praeterea σκάφιον a Graecis inſtrumentum coqui, quo ex ollis ius hauriunt, & ipſum (niſi fallor) a forma ita appellatum: Apud Athenaeum libro iiij. Alexis comicus hoc indicat, cuius haec verba ſunt pronunciata a coquo, qui querebatur ſe non poſſe in ea domo munus ſuum obire, cum & condimenta deeſſent, & inſtrumenta artis neceſſaria: multis enim iam dictis, addidit. οὐ ξύλον, οὐ σκάφιον, οὐ τήγανον Οὐχ ἱμονιάν, οὐ λάκκον, ἅλας, οὐ φρέαρ: & eodem in libro poſt Antiphanes. ἐπιπλέον δ' αὐλητρίδας Ἔχουσι μισθοῦ καὶ μαγείρους δώδεκα Καὶ δημιουργοὺς, μέλιτος αἰτοῦντας σκάφας.

Oſtenditur ſententiam, qua Horatius nimium ſui ipſius amorem accuſauit, celebratam fuiſſe in Graeco ſermone.

CAP. XV.

HORATIVS in iij. Satyra primi libri, cum, φιλαυτίαν accuſans, communne paene vitium omnium mortalium: ſtultumque & improbum hunc amorem eſſe affirmans, inquit. Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? videtur expreſſiſſe peruulgatam vocem in Graeco ſermone, cuius meminit Plutarchus in libro de ſecuritate animi, oſtendens eam ſane prolatam eſſe aduerſus curioſum: poſſe tamen ſatis apte eo transferri, atque illi quoque diſputationi accommodari. illa autem haec eſt. τί τ' ἀλλότριον ἄνθρωπε βασκανώτατον κακὸν ὀξυδορκεῖς: τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις. idem igitur manifeſto valet ſententia Flacci, quamuis ornet ipſam more poëtarum: ſimilibuſque in declarandis contrariis, augendiſque vtatur. nam apud ipſum peruidere ſignificare puto, oculis tranſire: nec attente contemplari: quod a contrario intelligitur: id autem verbum ad imitationem Graeci verbi παραβλέπειν videtur eſſe formatum, atque inde omnino tranſlatum.

Quiddam,

Quiddam, quod Cicero ſubtiliter venuſteque dixit, dictum antea fuiſſe eodem modo a Graecis oratoribus.

CAP. XVI.

SENTENTIAM hanc, ſatis acutam, poſitam in contione pro lege Manilia: Huius autem orationis difficilius eſt exitum, quam principium inuenire: in qua etiam contrarium contrario refertur, non primus Cicero protulit, ſed a Lyſia potius accepit, quam ipſe excogitarit: Lyſiae autem ipſius in primis acumen ingenij, inuentioque laudata eſt, ac ſummis laudibus ab eruditis ſcriptoribus celebrata. Initio igitur orationis, quam ille habuit contra Eratoſthenem (hanc enim ipſum ſuo ore dixiſſe: non alij recitandam ſcripſiſſe, quod plerumque conſuerat, memoriae proditum eſt) inquit. Οὐκ ἄρξασθαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι ὦ ἄνδρες δικασταὶ κατηγορίας, ἀλλὰ παύσασθαι λέγοντι. hoc tantum diſcriminis; quod de Cn. Magni dotibus, virtutibuſque Cicero id edidit: Graecus vero orator de rei flagitiis, atque ſceleribus. Cum igitur elegans haec vox in ore doctorum virorum ſit, & acuminis in ſe multum habere exiſtimetur, volui fontem indicare, vnde manaſſet. Inde igitur fluxit, vnde multae aliae ſubtiles ſententiae: praeclaraque orationis lumina exorta ſunt. Frequentatam autem ſolitam elegantem hanc ſententiam: multamque fuiſſe in ore diſertorum oratorum indicatur etiam ab Anaxila comico: qui cum de Cteſia quopiam, voraci homine, in fabula Chryſochoo loqueretur: eiuſque ingluuiem lepide ſignificaret, inquit. vt memoriae prodidit Athenaeus in x. libro. Δείπνου μὲν οὖν, ὡς λέγουσιν οἱ σοφοὶ, ἀρχὴν: τελευτὴν δ' οὐκ ἐπίσταται μόνος. Quod etiam de eodem in alia comoedia, parum immutatis verbis, protulit, Athenaeo itidem auctore. Nam illa vſum etiam Demoſthenem fuiſſe pro Cteſiphonte, cum Aeſchinis originem: ſordeſque parentum ipſius aperire coepit, notum puto, quia in illuſtri loco poſita eſt: ita autem ille verbis complexus eam eſt. Οὐκ ἀπορῶ δ' ὅτι χρὴ περὶ σοῦ καὶ τῶν σῶν εἰπεῖν, ἀπορῶ τοῦ πρώτου μνησθῶ.

De lepidiſſimis quibuſdam Platonis carminibus accurate diſputatum. quibus addita eſt venuſta Ode Anacreontis: nunc primum e tenebris eruta.

CAP. XVII.

LAERTIVS in vita Platonis, cum tradidiſſet Ariſtippum in iiij. libro de delicatis moribus veterum ſcripſiſſe, amore Platonem captum fuiſſe pueri, Aſteris vocati, vna cum quo rationi ſiderum operam dabat: ſed etiam Dionis Syracuſani, quem poſtea, virum factum, ad patriam liberandam impulit, addidit, indicare etiam amorem, quo flagraſſet, epigrammata nonnulla ab ipſo in illos facta: adiungitque ſtatim ipſa, quae ſane leporis atque elegantiae ita plena ſunt, vt nihil ſuauius eſſe, fingique poſſit. Animaduertendum autem in his, quae in Aſterem luſit, imperitia librariorum e duobus diſtichis vnum tetraſtichon eſſe factum. nam coniungi priora duo verſus cum poſterioribus nulla ratione poſſunt: ſententia namque diuerſa penitus eſt: in viuentem enim Aſterem primum diſtichon ſcriptum; in mortuum autem ſecundum. Primi argumentum hoc eſt. Suſpiciebat ſtellas cognominis illis puer. optat igitur amator, conuerſo ad eum ſermone: dicenſque aſpicere ipſum ſtellas, vt caelum fiat, vt poſſit illum, in ſe intuentem, pluribus luminibus ſpectare: ſtellae enim quaſi oculi caeli ſunt. ludit autem multis modis in tenero hoc carmine amans philoſophus. In ſecundo quoque iocatur in nomine. nam de ipſo vt ſtella loquitur: ἀστὴρ enim Graecis ſtella eſt. ſed dum viuebat, ipſum viuis hominibus eoum luxiſſe dicit: nunc vero, poſtquam mortuus eſt, veſperum mortuis. Vnam autem eandemque ſtellam Veneris hic diuerſis nominibus, variato ipſius ortu, appellari conſtat. Ita igitur legentur ſeiuncti hi verſus, contra ac nunc in excuſis libris notati ſint. Ἀστέρας εἰσαθρεῖς Ἀστὴρ ἐμὸς εἴθε γενοίμην Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω. In eundemque. Ἀστὴρ, πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἕσπερος ἐν φθιμένοις. Conarer ipſos exprimere, niſi metuerem ne inſanire viderer, qui ſperarem me tantae venuſtati reddendae parem eſſe. Aliud non minus venuſtum Platonis epigramma in Agathonem poſuit A. Gellius in xviij. libro noctium Atticarum: quamuis non omnino auctorem hunc politum philoſophum ipſius fuiſſe narret, licet multi veteres ſcriptores id affirmarint. illud autem a Laërtio quoque collectum vna cum aliis ibi legitur. His autem ſuauiſſimis politi philoſophi verſibus addere libet, ſuaue itidem, lepidumque Anacreontis carmen, quod, cum paucis ab hinc menſibus hac tranſiret Henricus Stephanus, Roberti filius, probus adoleſcens, ac liberali doctrina ſupra aetatem inſtructus, ipſe mihi dedit inuentum a ſe forte (vt aiebat)

in antiqui libri tegmine: venit enim ille ad me domum, & ingenij ſui dotibus commendatus, & graui etiam teſtimonio honeſtiſſimi viri ornatus: litteras enim ei ad me dederat Bernardinus Maphaeus Cardinalis, qui ſtudioſos omnes bonarum artium, quarum ipſe refertum pectus habet, amplectitur ac fouet. is igitur mihi munuſculum hoc, quo magnopere delectatus ſum, dedit. Si reliquae autem partes illius ſimiles huic erant, vere potuit Cicero dicere, totam Anacreontis poëſin eſſe amatoriam: confirmatque etiam breuitas numerorum horum, quod Demetrius de carmine quodam ipſius, inquit. Videri illud, vt erat, temulenti ſenis. Sed iam carmen ipſum ponamus.

Λέγουσιν αἱ γυναῖκες
Ἀνακρέων γέρων εἶ:
Λαβὼν ἔσοπτρον, ἄθρει
Κόμας μὲν οὐκέτ' οὔσας:
Ψιλὸν δέ σου πρόσωπον.
Ἐγὼ δὲ τὰς κόμας μὲν,
Εἴτ' εἰσὶν, εἴτ' ἀπῆλθον,
Οὐκ οἶδα: τοῦτο δ' οἶδα.
Ὡς τῷ γέροντι μᾶλλον
Πρέπει τὸ τερπνὰ παίζειν,
Ὅσῳ πέλας τὰ μοίρης.

Emendati duo loci in oratione pro Milone, auxilio ſcriptorum librorum, qui in excuſis maculoſi ſunt.

CAP: XVIII.

NOBILIS oratio Ciceronis pro Milone (quam cauſam diſertiſſimus patronus melius ſcripſit, quam egit) mendis nonnullis inquinata eſt, inſcitia librariorum, vel ſiniſtrorum potius quorundam correctorum inuectis: vbi enim importunitatem Clodij, multis ipſius patefactis ſceleribus, commemorat, inquit, vt in excuſis nunc eſt. Qui parietem ſic per veſtibulum ſororis inſtituit duce-
» re, ſic agere fundamenta, vt ſororem non modo veſtibulo priuaret, ſed etiam lumine: in ſcri-
» ptis enim pluribus exemplaribus legitur adhuc, limine: quam integram eſſe, ſinceramque lectionem puto: neque enim offeciſſe luminibus domus ſororis dicit Clodium, ſed aditum obſtruxiſſe, facultatemque illi eripuiſſe domus ſuae, primas etiam partes intrandi. veritatem au-
» tem ipſius confirmat locus hic alter pro A. Caecina. Quaero, ſi te hodie domum tuam rede-
» untem, coacti homines & armati, non modo limine tectoque aedium tuarum, ſed primo adi-
» tu veſtibuloque prohibuerint, quid acturus ſis? quamuis non omnino idem limen ambobus locis ſignificari videatur. Cum Franciſcus, nepos meus, iuris conſultus, & omni ingenua doctrina, nobilique viro digna, ornatus, legiſſet hanc animaduerſionem, ſignificauit mihi eſſe
» alium locum in Pandectis tit. de officio praeſidis. l. v. Ne tenuis vitae homines ſub praetextu
» aduentus officiorum, vel militum, lumine vnico, vel breui ſupellectili, ad aliorum vſum trans-
» latis, iniuria vexentur, praeſes prouinciae prouidebit. Qui locus moleſtiae multum exhibuit magnis interpretibus legum, ita vt diſſenſerint ipſorum non nulli magnopere in ſenſu inde eliciendo; confugerintque quidam eorum: & ij quidem acuti viri, & valde docti, ad ipſum coniectura emendandum, in quibus opinio Catellani Cottae valde laudata, in libro quem inſcripſit, Memoralium; quam etiam Ioannes Corraſius in commentariis in eam legem auctoritate ſua confirmat: Exiſtimauit igitur Cotta pro lumine, legendum eſſe, limine; in quo ego iudicium hominis probo: etſi a ſententia ſignificatuque non nullorum verborum leuiter ab eo diſſentio. Arbitror enim idem ſignificare voluiſſe Vlpianum aliis nominibus, quod M. Tullius ſuis: valereque apud eum vnico limine, vnico aditu, ac ianua; quia pauperum domus vnam tantum ianuam habent; non vt diuitum plerumque, & amplae, duas; qua occupata a comitibus praetorum, aut militibus, tenues illi homines priuabantur ingreſſu, & aditu ſui domicilij. Sed non multo quoque poſt alterum erratum eſt, quod & ipſum auxilio eorun-
» dem ſcriptorum librorum emendatur: cum enim paſſim legatur. Omitto ſocios: exteras na-
» tiones: reges: tetrarchas (vota enim feceratis, vt in eos ſe potius mitteret, quam in veſtras
» poſſeſſiones: veſtra tecta: veſtras pecunias) a liberis dico, a liberis medius fidius & a coniu-
» gibus veſtris numquam ille effrenatas ſuas libidines cohibuiſſet. legi videtur debere: veſtras
» pecunias: pecunias dico, a liberis, & quae ſequuntur: eſt enim notum lumen orationis, cum aliquis ſeipſum reprehendit: corrigitque iam editam vocem ac ſententiam, quae ad id, quod

volebat

volebat indicandum parum apta ſit: ſe enim hic Cicero ſtultitiae damnat, qui in ſceleribus Clodij explanandis, quae impendebant, ſi diutius vixiſſet, ereptionis pecuniae, non magnae ſane iacturae, & aequiore animo ferendae, mentionem feciſſet, addens ſtatim, quod multo maius eſſet, nec ferri a libero homine poſſet. Exempla huius exornationis, vehementer ad res amplificandas aptae, crebra apud oratores & Graecos & Latinos ſunt, vt pro Seſtio: hoc enim nunc ſuccurrit. Illo inquam ipſo die, die dico: immo hora, atque etiam puncto temporis eodem, mihi Reiquepublicae, pernicies: Gabinio & Piſoni, prouincia rogata eſt.

Locus Euripidis collatus cum loco Terentij: in quibus vterque poëta, collectis multis veriſimilibus, inducit ſuas perſonas confirmare, quod ſuſpicari coeperant.

CAP. XIX.

VIDIT eruditus ingenioſuſque iuuenis Bartholomaeus Barbadorus, quod Terentianus Clinia de amore ſuo, inquit metuens ne, abſente ſe, amica ſua corrupta foret, cauſaſque timoris exponens. Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exaugeant, a Creonte quoque Euripideo in Medea prolatum eſſe: mirifice autem elegantia huius Graeci poëtae, ſententiiſque delectatur, vnde multum opera ſtudioque ſuo ipſi profuit: collatum enim cum pluribus antiquis libris infinitis locis ipſum purgauit, ac ſublatis turpiſſimis maculis nitidiorem reddidit: prolatum autem, cum Creon ſe non ſine cauſa ſuſpectum habere ingenium mulieris eius oſtenderet: metueretque ne ſibi ſuiſque aliquid calamitatis ab ea impenderet: quare ipſam eiicere ex oppido vellet ait enim prouidus ille rex: non tamen in eo, quod vtile ſibi cognouit poſtea tenax. Ξυμβάλλεται δὲ πολλὰ τοῦδε δείματος. ſtatimque plures coniecturas affert, quibus confirmat ſe merito timere, hoc pacto. Σοφὴ πέφυκας, καὶ κακῶν πολλῶν ἴδρις Λυπῇ δὲ λέκτρων ἀνδρὸς ἐστερημένη Κλύω δ' ἀπειλεῖν σ', ὡς ἀπαγγέλλουσί μοι Τὸν δόντα, καὶ γήμαντα, καὶ γαμουμένην Δράσειν τι. Quod accurate etiam fecit apud Terentium adoleſcens ille dicens. Occaſio: locus, aetas: mater, ſub cuius imperio eſt mala. nam opiniones videtur appellaſſe coniecturas ipſas, & veriſimilia. vnde plura vterque poëta poſuit. veriſimilia namque, quod praecepit etiam in Partitionibus Cicero, cum ſingula ſuo pondere moueant, ſi videntur eſſe exigua per ſe, multum tamen, cum ſunt coaceruata, proficiunt. nam quod Terentius exaugere animum illas, inquit, cum metum intelligere vellet, arbitror animum ipſum appellaſſe, motum illum animi trepidationemque: animum enim videntur ſaepe vocaſſe veteres commotionem ipſius ac πάθος, quo tunc affectus eſt. In vetuſtiſſimo autem exemplari, quod Petri Bembi, doctiſſimi ac politiſſimi viri, fuit, haec declaratio illic legitur. Pro, quae me terreant: animum autem dicit, quam illi praeſens effecit metus, ſollicitam cogitationem.

Ariſtotelis locus in VIII. libro ἠθικῶν illuſtratus, indicato integro carmine Euripidis, quod illic fractum, exempli loco eſt poſitum.

CAP. XX.

IN viij. libro de moribus ad Nicomachum Ariſtoteles, initio diſputationis ipſius de amicitia, cum ſententias veterum exponeret, qui de illa re, alte principio ipſius ducto: magiſque apto de naturae obſcuritate quaerenti, quam de bonis rebus ac malis diſſerenti, carmen Euripidis poſuit, quo traditur ortum ipſius eſſe contrarietatem: eſt autem omnis locus hic ipſe. Ευριπίδης μὲν φάσκων. Ἐρᾶν μὲν ὄμβρου γαῖαν ξηρανθεῖσαν: Ἐρᾶν δὲ σεμνὸν οὐρανὸν, πληρούμενον Ὄμβρου, πεσεῖν εἰς γαῖαν: primus autem verſus, extrema ſui parte contaminatus, ne quempiam perturbet, cauſam totius rei aperiam: incidi enim in carmen ipſum integrum apud Athenaeum, ac longius quidem contextum: poëtae namque fabula, in qua legebatur, periit: ſed ne illius quidem nomen indicauit Athenaeus: Euripidis tantum elegantiſſimam hanc ſententiam eſſe affirmauit, quae poteſtatem Veneris extolleret ac celebraret. initium vero ipſius illic eſt hoc. Ξ οὐχ ὁρᾷς ὅση θεός, Ἣν οὐδ' ἂν εἴποις, οὐδὲ μετρήσειας ἂν Ὅση πέφυκε, καὶ ἐφ' ὅσον διέρχεται. Αὕτη τρέφει σε, κἀμὲ, καὶ πάντας βροτούς: Τεκμήριον δὲ μὴ λόγῳ μόνον μάθῃς Ἔργῳ δὲ δείξω τὸ σθένος τὸ τῆς θεοῦ. Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον Ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς, πληρούμενος Ὄμβρου, πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο: Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον ἐς ταυτὸν δύο Φύουσιν ἡμῖν πάντα, καὶ τρέφουσ' ἅμα Δι' ὧν. βρότειον ζῇ τε, καὶ θάλλει γένος. Perſpicitur igitur, nunc breuitati ſtudentem Ariſtotelem, ne longiuſculum carmen ſine vlla neceſſitate adiungere cogeretur ξηρανθεῖσαν, vnam vocem, pro dimidiato & integro

alteto

altero poëtae ſenario, de ſuo poſuiſſe: quae totum ſenſum plurium illorum verborum continet: neque enim aliud longo illo ambitu ſignificare voluit poëta, quam exarefactam, quod vno illo oſtenditur: more tamen poëtarum rem auxit atque exornauit. In ij. ſane libro ἠθικῶν, quae μεγάλα vocantur, integrum primum verſum poſuit, cum eundem hunc locum perſequeretur: reliquos tamen omnes, qui ſequntur, omiſit. Ad Eudemum vero prima tantum ipſius parte contentus fuit, ad aliam ſtatim eiuſdem tragici ſententiam tranſiens, quae idem probaret: inquit enim, ὅθεν εἴρηται Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖα, καὶ τὰ. Μεταβολὴ πάντων γλυκύ.

Quaeritur, quem intellexerit Cicero verbis quibuſdam, quibus in Hortenſio vſus fuerat.

CAP. XXI.

VERBA haec Ciceronis ex Hortenſio leguntur apud Nonium. Qui cum publicas iniurias lente tuliſſet, ſuam non tulit: de quo autem hoc pronunciatum illic foret, amiſſo libro illo, vixque paucis, quae inde citatae erant, ſententiis ſeruatis, aegre ſciri ac certo teneri poteſt. quadrat ſane id mirifice perſonae Ariſtogitonis Athenienſis: ipſe enim, cum magni animi vir, fortiſque foret, publicas iniurias lente admodum tulit: & cum ciuitatem ab iniuſto homine vexari, omnique dignitate ſpoliari cerneret, ſua nihil intereſſe putauit, quid de illis rebus fieret: idem tamen poſtea, cum Hipparchum ipſum tyrannum amores ac delicias ſuas temptare: Harmodiumque, cuius amore flagrabat, conciliare ſibi velle intellexit, ſuam hanc, priuatam, iniuriam non tulit, ſed adhibito ſocio illius conſilij puero illo, quem amabat, dolorem ſuum vltus eſt, ipſumque obtruncauit: Quod tamen in ea re laeſus, effecit magno animo Ariſtogiton, alij etiam eadem de cauſa effeciſſe memoriae proditi ſunt, qui & ipſi publicas iniurias nimis patienter tulerant: multorum enim exempla ponit Plutarchus in libro, quem ἐρωτικὸν appellauit, cum perturbationis huius vim, & quantopere immutaret animos hominum, oſtenderet. nam vt Ariſtogitonem Athenienſem, ita etiam Antileontem Metapontinum, & Melanippum Agrigentinum narrat, non aduerſatos eſſe tyrannis, cum omnes fortunas ciuitatis ipſos euertentes: omniaque furore quodam animi permiſcentes, vidiſſent: poſtquam vero ad amores puerosque ſuos animum adplicantes viderunt, vt aris ac focis, ipſis opem ferentes, ſalutis capitiſque ſui nullam rationem habuiſſe tradit.

Locus Ciceronis e libris de rep. explicatus: hiſtoriaque relata de ducibus Athenienſibus, qui cum nauali in pugna hoſtes viciſſent, ab iratis poſtea ciuibus, non iuſta de cauſa interfecti ſunt.

CAP. XXII.

ET autem, quem Cicero intellexerit, proxime notatis verbis, manifeſto non tenetur, ita quos idem ſignificet verbis his aliis e iiij. libro de Rep. ab eodem grammatico ad teſtimonium vocatis perſpicitur. » Quod inſepultos reliquiſſent eos, quos e mari, propter vim tempeſtatis excipere non potuiſſent, innocentes necauerint: hiſtoria namque nota eſt: tangitque crudele factum Athenienſium, qui dum religioni ſeruire: pietatique erga mortuos voluerunt, rem iniuſtam, ab omnique pietate alienam, commiſerunt. Exponit autem ipſam totam accurate Xenophon in primo libro rerum Graecarum. Cum enim viciſſent Athenienſium imperatores claſſem Lacedaemoniorum apud Arginuſas, cuius dux erat Callicratidas, ſtatim profligatis nauibus hoſtium, in fugamque verſis, partem ſuarum nauium cenſuerunt mittendam ad eas, quae in pugna demerſae eſſent, vt naufragia colligerent: mortuoſque exciperent: reliquas autem ad opprimendas hoſtium naues, quae pugnae non interfuerant, cum in anchoris ad Mitylenem ſtarent: Haec autem conſilia ipſorum ventus ſubito exortus, tempeſtaſque atrocior diſturbauit. e ducibus autem Athenienſium ſex, victores domum reuerſi, accuſatique, quod optime meritos de rep. inſepultos reliquiſſent, poſt multas contentiones iactationeſque condemnati ſunt, atque vltimo ſupplicio affecti. In quo etiam iudicio Socrates magnitudinem animi ſui, conſtantiamque declarauit: qui cum vnus eſſet eius magiſtratus, quem πρυτανεῖς vocabant: vnoque animo omnes impedirent impetum turbulentorum: nec poteſtatem illis facerent, vt ſententiae contra leges

ferrentur, ceteris metu perturbatis, clamoribuſque populi de ſententia deiectis, ſolus in mente permanſit: libereque ſemper dixit, ſe nihil facturum, quod legibus repugnaret. id autem memoriae prodidit, & Xenophon ipſe illo loco: & Plato in Apologia: nec non alij etiam Graeci auctores. Sed etiam, cum haec M. Varronis verba legantur apud Nonium: vbi plures eſſe ſignificationes vocabuli huius Solidum docet, quamuis illic etiam nomen eius, de quo loquitur, non ſit, ſatis aperte tamen cognoſcitur, intelligi Vlyſſem. ait igitur grammaticus ille. Solidum continuum, iuge. Varro Sexquiulyſſe. Nauibus xij. domo profectum, decem annos ſolidos erraſſe. Hunc autem numerum fuiſſe nauium Vlyſſis narrat Homerus in catalogo hoc verſu. Τῷ δ' ἅμα νῆες ἕποντο δυώδεκα μιλτοπάρῃοι. nam de ſpatio etiam temporis, quo errauit, dubitari non poteſt. cum autem illic nunc ſit, dum profectum, vitioſe: recte (vt arbitror) domo profectum emendaui.

Quali ingenio praediti inducerentur coqui a comicis: maioraque quam praeſtare poſſent, polliceri illos paſſim de ſe ſolitos.

CAP. XXIII.

COQVORVM nationem contumacem glorioſamque apud veteres fuiſſe teſtimoniis comicorum poëtarum intelligitur, qui huiuſcemodi ipſos in fabulis inducunt: & ſane, ſi diligenter attendimus, fieri aliter non potuit: qui enim artem ſuam magnopere expeti viderent, quomodo non ſibi multum tribuerent? atque ingenium ſuum oſtentarent? In primis autem garrulum vanumque finxit quendam eius generis hominem Philemon in Milite: atque artem ſtudiumque ſuum ſupra quam ferri poſſet, extollentem: cum enim multa iam, quae eo pertinerent, dixiſſet, addidit impudentiae plenam vocem, ſe rationem inueniſſe, qua homines numquam extinguerentur, cum mortuos iam, odore epularum a ſe conditarum, ad vitam reuocaret. verſus Philemonis hi ſunt. Ἀθανασίαν εὕρηκ' ἐγὼ τοῖς ἀθλίοις νεκροῖς. Ὅταν ὀσφρανθῶσι, ποιῶ ζῆν πάλιν. Coquus etiam Plautinus in Pſeudulo, & ipſe, non diſcrepans ab ingenio reliquorum, magnifice ſe iactans, atque artem ſuam celebrans, ſimilem ſententiam pronuntiauit, cum alios antea prae ſe ſpreuiſſet, atque eorum ſtudia irriſiſſet. Nam vel ducenos annos poterunt viuere Meas qui eſitabunt eſcas, quas ego condiero.

Indicantur plures Catulli loci, de opinione non ſatis proſpere emendati.

CAP. XXIIII.

INIQVO admodum animo ferendum eſt doctiſſimum, eundemque elegantiſſimum poëtam, Catullum, adeo mendoſum, laceruṁque inueniri: & quod dolorem auget, huiuſcemodi eſſe vulnera, quae illum confecerunt, vt ſanari non poſſe videantur, aut aegre admodum periculoſeque manus ipſis adhibeantur. nec dubitare poſſumus quin non nulli, praepoſteri homines, ac nullius iudicij, dum medicinam facere voluerint, plagas non paucas ipſius exacerbarint. Exempla erroris horum: incommodique, quod attulerunt, plura ponere poſſem. nec male (vt arbitror) operam ſuam collocaret: parum ve vtilitatis ſtudioſis afferret, qui in bonis auctoribus huiuſcemodi locos, concinnatos ab aliquibus indicaret. vt aut a melioribus felicioribuſque correctoribus aliquando purgarentur: aut ſaltem labibus vetuſtate importatis, nouae aſperſae maculae delerentur: id autem auxilio ſcriptorum librorum facile fieri, tutoque poſſet. in carmine, quo nuptias Pelei ac Thetidis celebrauit, poſterior horum verſuum longe aliter legitur in ſcriptis atque excuſis exemplaribus. Deſeritur Scyros: linquunt Phthiotica tempe. Graiugenaſque domos, ac moenia Lariſſea. nec tamen integrae lectionis veſtigia ita apparent, vt ad illam perueniri nullo negotio poſſit. ipſe igitur ipſa illa indicabo, ſi forte, quod mihi adhuc non licuit, ab acutioris ingenij aliquo: maioriſque eruditionis viro efficiatur. ita autem in plurimis legi. Grauinoniſque domos ac nitenis alacriſea. ne tamen, quod ad priorem partem purgandam pertinet, reticeam: videndum accurate arbitror an forte. Cranoniſque domos, legendum ſit. nam, quod ad alteram pertinet, quamuis non incommodus ſenſus ducatur ex, illo modo reſtituto loco, quia tamen multum diſcedit a veteribus his veſtigiis, non confido huic lectioni. In eodem etiam carmine, quo loco facit poëta Ariadnam, malas vndique ſuas res

exponentem

exponentem, vtentemque forma illa, quam magiſtri dicendi vocant [illegible], cum excuſi nunc habeant, Idaeos ne petam montes, primum verbum varie legitur in ſcriptis libris: ſunt enim qui Idmoneos habeant. vt & impreſſi etiam olim: alij autem aut Idoneos, aut Idmeneos. quare videndum adhuc arbitror de veritate lectionis. Sed infra etiam vbi narrat, qui ad nuptias illas celebrandas venerint. quod in excuſis fere eſt.

" Confeſtim Peneos adeſt: viridantia tempe,
" Tempe, quae ſiluae cingunt ſuper impendentes.
" Nereidum linquens claris celebranda choreis
" Nonactias: atque ille tulit radicitus altas
" Fagos. valde immutatum eſt extrema ſui parte in calamo exaratis libris, & antiquitus etiam excuſis, qui habent.
" Minoſium linquens doris celebranda choreis
" Nonacrios: namque ille tulit. & quae ſequuntur. vt appareat ita concinnatum locum fuiſſe a correctore quopiam, qui ſententiam tantum ſpectarit: veſtigia autem veteris lectionis neglexerit. multa autem huiuſcemodi ſunt apud hunc poëtam.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXI.

Inuenta Polybij verba, quibus Liuius teſtatus eſt memoriae ipſum mandaſſe, ductum fuiſſe Syphacem in triumpho: diſputatumque non valde gratum Titum videri erga illum ſummum hiſtoriae auctorem.

CAP. I.

T LIVIVS indicauit, non idem omnes rerum ſcriptores memoriae prodidiſſe de tempore, quo mortuus ſit Syphax rex in cuſtodia: non nulli enim, quos ſequitur ipſe, tradiderant eum non multo ante quam P. Scipio triumphauit, Tibure mortuum: alij vero poſt triumphum, ipſum fato functum ſcripſerunt. vt hoc quoque amplitudini eius triumphi: gloriaeque Scipionis non defuerit. narrat autem Liuius Polybium fuiſſe, qui poſterius hoc affirmarit. atque in ea re commemoranda his verbis vtitur. Hunc regem in triumpho ductum Polybius, haud quaquam ſpernendus auctor, tradit. Locus autem ille Graeci ſcriptoris, vbi hoc tradiderat, legitur adhuc in excerptis xvi. libri: expoſuit enim Polybius ingentem laetitiam Populi Romani ſtatim vt P. Scipionem ex Africa redeuntem vidit. nam cum poſtea triumphum egit, renouata memoria veterum malorum: poſitiſque periculis ipſis ante oculos, quae olim impendiſſent, dicit eos commotos penitus animo fuiſſe, ac totos ſe effudiſſe in gratibus agendis diis immortalibus, beneuolentiaque oſtendenda erga illum auctorem ſuae ſalutis, cauſamque tantae mutationis. additque ſtatim id, quod a T. Liuio redditum eſt. καὶ γὰρ ὁ Σύφαξ, ὁ τῶν Μασαισυλίων βασιλεὺς, ἤχθη τότε διὰ τῆς πόλεως ἐν τῷ θριάμβῳ μετὰ τῶν αἰχμαλώτων: ὃς καὶ μετά τινα χρόνον ἐν τῇ φυλακῇ τὸν βίον μετήλλαξε. verum igitur eſt, quod a T. traditum fuit, vt particula hac Graecae hiſtoriae conſeruata maniſeſto intelligitur. voluiſſem tamen Latinum auctorem eum, a quo tantopere adiutus eſt in non parua parte operis ſui, honeſtius (vt decebat) appellare. nam multa ipſum inde ſumpſiſſe: ſecutumque fere ſemper eſſe, quod ab ipſo de iiſdem rebus traditum fuit, nullo negotio intelligitur. Praeter autem grati animi officium, is vir fuit Polybius, & ſcientia artium maximarum: & vſu rerum multarum: peritiaque rei militaris, vt quouis honore verborum dignus fuiſſe videatur: magiſtrum enim habuit diſciplinae militaris Philopoemenem illum, ducem Achaeorum, clariſſimum imperatorem: & in proelio etiam illo ſtrenue ſe geſſit, quo Machanidam Lacedaemoniorum tyrannum Philopoemen vicit. nam Scipionem etiam minorem in bello vſum fuiſſe & conſilio & opera ipſius conſtat. quod ſi quis eſt, qui res geſtas apte litteris mandare poſſit: itaque eas exponere vt magnae vtilitates inde capiantur, is ſine dubio eſt, qui illic verſatus eſt. cum ipſe etiam in xij. oſtendat Timaeum, Caliſthenemque ſaepe lapſos eſſe, quia nullum vſum rei militaris habebant: nec loca, in quibus res geſtae erant vnquam ſpectarant. Quanto autem in pretio fuerint apud veteres Romanos ſcripta ipſius: & quam plena prudentiae conſiliique exiſtimata, hinc etiam intelligitur, quod M. Brutus in medio ardore belli ciuilis, paulo ante, quam pugnatum eſt in campis Pharſalicis, cum in caſtris Pompeij eſſet, epitomen ipſorum confecit. Sed neſcio quomodo plerique mortales huic culpae affines ſumus, vt fateri nolimus per quem profecerimus: magiſque proni ſimus ad errata reprehendenda, quam ad laudes alicuius celebrandas.

Aeſchyli locus indicatur ſimilis Ciceroniano illi, cum inquit: maxime optandum accuſatori habere confitentem reum.

CAP. II.

INDICAVIT M. Cicero quantum iacturae feciſſet in cauſa Q. Ligarij, quod factum inficiari non poſſet, nobili illa apoſtropha, qua in principio eius orationis conuertit orationem ſuam ad accuſatorem, atq; ita ipſum acriter appellauit. Habes igitur Tubero,

Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum, confitentem reum: quod enim ſtatim conceſſiſſet id, de quo magna primum controuerſia exoriri ſolet, magno labore aduerſarium liberarat. eadem autem ratio fuit Oreſtis, qui & ipſe matrem necaſſe confitebatur: nec in certamen de eo cum aduerſario veniebat. Cum igitur apud Aeſchylum in Eumenidibus furiae ipſae, ſceleris eius vltrices, primu Oreſtem interrogaſſent, an, quod ferebatur, matrem interfeciſſet: a ſeque id factum ille affirmaſſet, nec ſe poſſe vllo modo id negare, Deae illae quaſi exultantes: quantumque lucrifeciſſent, oſtendentes, addiderunt. verba autem Graeca ponam. Ἓν μὲν τόδ' ἤδη τῶν τριῶν παλαισμάτων. ſignificare enim (niſi fallor) voluerunt idem, quod Cicero, ſe vnum eorum iam, de quibus controuerſandum eſſet, obtinuiſſe. quod vero numerum illorum declarauit, atque id a ſtudio palaeſtritarum, tranſlato verbo, & erudite & eleganter poëta confecit. appellauit igitur παλαίσματα quaeſtiones controuerſiaſque, quas in foro tres exiſtere magiſtri dicendi docuerunt, vt Cicero.& in ij. de Oratore. Nihil eſt enim quod inter homines ambigatur, in quo non aut quid factum ſit, aut fiat, futurumue ſit, quaeratur, aut quale ſit, aut quid vocetur. & aliis etiam in locis. Ita namque arbitror locum accipiendum eſſe, quamuis in margine antiqui exemplaris hanc declarationem eius loci inuenerim ἡ μεταφορὰ δ' ἐστὶν ἀπὸ τῶν παλαιστῶν: οἱ γὰρ τρισὶν πτώμασιν ὁρίζουσι τὴν ἧτταν. nec tamen repugno, quin verum eſſe potuerit, quod dicit. Solitos veteres ſtatuere demum illos victos in palaeſtra, qui ter in terram cecidiſſent. Hoc certe ſignificant verba haec Platonis, quae ſunt in Euthydemo, ἔτι δὲ ἐπὶ τὸ τρίτον καταβαλῶν ὥσπερ πάλαισμα, ὥρμα ὁ Εὐθύδημος τὸν νεανίσκον. Quin etiam videor mihi hoc legiſſe apud optimum auctorem: & ſi locus nunc non ſuccurrit. praeſertim cum ſtatim, victis Eumenidibus, quod fruſtra ſibi inſultaſſent, cetera expediat Oreſtes: ac factum ſuum defendat. De vi autem Graeci nominis, & quo modo ſaepe veteres ſcriptores capere conſueſſent, ſupra in ſecundo libro diſputaui.

Quam lepide ſuauiterque, & Plautus & Demoſthenes rem turpem tetigerint: qui nuptiarum cotidianarum nomine, meretriciam vitam vocarint.

CAP. III.

PLAVTVS in Ciſtellaria lepide lenam induxit officium ſuum defendentem, cum a Silenio meretrice reprehenderetur, quod virginem, quam educauerat, quaeſtum corpore facere voluiſſet, ac non potius nuptum alicui dediſſet: oſtendens enim lena ſe id ipſum, quod illa ſuadebat, feciſſe: nec vmquam facere intermittere, irridet opinionem illius detrimentoſam: honeſto verbo rem turpem appellans. inquit igitur Silenium. At ſatius fuerat eam viro Dare nuptum potius. cui Lena. eia haec quidem ecaſtor cotidie viro Nubit: nupſitque hodie, nubet mox noctu: numquam ego hanc Viduam cubare ſini, nam ſi haec non nubat, lugubre Fame familia pereat. Demoſthenes quoque pro Cteſiphonte, cum ſordes Aeſchinis, turpitudinemque ſtirpis illius, aperiret, eodem pacto locutus eſt: ſimul enim foediſſimam notam inuſſit aduerſario, ac reprehenſionem iuſtam vitauit, in quam incidiſſet, ſi in iudicio obſcenis verbis vſus fuiſſet. rectis autem agens, & culpa caruit, & quod voluit nihilominus fecit: ac fortaſſe etiam magis, cum iocari videretur, non acerbo animo id ei exprobare. ait enim, oſtendens ſe dubitare vnde potiſſimum ordiendum eſſet. ὡς ἡ μήτηρ σοῦ τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις ἐν τῷ κλεισίῳ, τῷ πρὸς καλαμίτῃ ἥρωϊ, χρωμένη, τὸν καλὸν ἀνδριάντα, καὶ τριταγωνιστὴν ἄκρον, ἐξέθρεψέ σε.

Oſtenditur poſitis exemplis duobus, Terentium multos locos ſumpſiſſe a veteribus comicis.

CAP. IIII.

QVOD Terentius in Eunucho Thaidem induxit dicentem, cum de amatore ſuo quereretur, qui paruam ipſi fidem habebat. Atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet, iiſdem verbis prolatum antea fuerat ab eiuſdem ſtudij homine, atque in eadem ſcena verſato: locus enim hic Turpilij Demetrio citatur a Nonio. Nunc me ex aliorum ingeniis iudicat, intercapedo quorum amicitias leuat. & ſane multa ſumpſit Terentius a veteribus Latinis comicis, quod his ipſorum teſtimoniis, productis a grammaticis, intelligitur. nam totas ſententias verſuſque tranſtuliſſe ipſum e Plauto conſtat, cum multae eius poëtae fabulae reſtiterint. quod ſi reliquorum comicorum ſcripta haberemus, facilius hunc eorum ingeniis adiutum videremus. Nemo autem dubitare poteſt, quin hoc ſimile ſit ſuperioris; cum enim in extremis Adelphis ita fecit Micionem fra-

trem ſuum Demeam alloquentem : admirantemque tantam ſubito in eo factam vitae mutationem, vt qui antea triſtis quidam parcuſque fuiſſet, feſtiuus repente prodiguſque euaſerit.
» Quid iſtuc ? quae res tam repente mores mutauit tuos ? quod prolubium ? quae iſthaec
» ſubito eſt largitas ? Caecilius enim ἐξαβακχεύσας (vt indicio Nonij cognoſcitur) inquit. Mea
» caſtraria, quod prolubium ? quae voluptas ? quae te lactat largitas ?

Indicata vetus lectio loci illius M. Varronis, quo, qui nexi appellarentur, exponit, cum in excuſis libris ſit deprauatus.

CAP. V.

Locvs ille M. Varronis in vij. libro de lingua Latina, quo docet, qui nexi olim vocati ſint, multis modis corruptus eſt in excuſis libris: ſed ne in illo quidem ſincerus, quem ſaepe integrum fidelemque nactus ſum, quamuis immutatum aliquid ille habebat : diſcrepanſque a peruulgata lectione. verba igitur primum M. Varronis ponam, vt in excuſis nunc leguntur : deinde quid ſentiam de omni
» hac re, oſtendam. Liber, qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia, quam debebat, dum ſol-
» ueret, nexus vocatur, vt ab aere obaeratus. Hoc C. Pupillo vacare Sylla dictatore ſublatum
» ne fieret: & omnes, qui bonam copiam iurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti. in antiquiſſimo eſt, ceteris communi lectioni reſpondentibus. Hoc C. Popillio vncare Sillo dictatore: & quae ſequuntur. ſed in libris etiam qui primo tempore excuſi ſunt, legitur. Hoc C. Pollio vocare. Suſpicor autem, vt libere ſenſum animi mei aperiam, defeciſſe ſupra verbum dat. vt fortaſſe ita ſcripſerit Varro. liber, qui ſuas operas in ſeruitute dat pro pecunia, quam debebat. In nomine etiam Syllae dictatoris mendum eſſe puto : vereorque ne illud, & verbum, quod antecedit, cognomen aut vnum, aut duo Popillij fuerint: plures namque Romanos homines olim extitiſſe, qui duo cognomina habuerint, ex antiquis faſtis intelligitur. nam ſublatum hoc multis ſaeculis ante Syllam dictatorem fuit : neque tam durum ſaeuumque inſtitutum vſque ad tempora ipſius perdurauit : atque is etiam erat ille, qui vt plebi infeſtiſſimus, id potius confirmaturus eſſet, quam ſua auctoritate diſturbaturus. multo autem prius id ſublatum fuiſſe perſpicitur ex hiſtoria T. Liuij. qui narrat diligenter in viij. libro ab Vrbe condita, & quo tempore, & qua de cauſa nexi ſoluti ſint, cautumque ne in poſterum necterentur. de illis autem, & iniquitate foeneratorum, ante & in vij. & iiij. libro copioſe egerat. cum igitur purgare locum non potuerim, maculas pateſeci, & quam valui ad eas delendas, opem tuli.

Cum praefectum mulieribus a Graecis creari ſolere Cicero tradat, videri eum ſignificare γυναικονόμους.

CAP. VI.

» Verba haec Ciceronis ſunt e iiij. libro de Rep. citata a Nonio. Hic vero
» mulieribus praefectus reponatur, qui apud Graecos creari ſolet; ſed ſit cenſor, qui viros doceat moderari vxoribus. Videndum igitur an intellexerit γυναικονόμους : ita enim Graeci vocabant magiſtratum, qui mulierum ornatui praeeſſet. Plautus quoque in Aulularia, inquit. Moribus praefectum mulierum
» hunc factum velim, Graecam conſuetudinem ſequens : atque idem (niſi fallor) intelligens :
Cicero autem videtur in ea Rep. quam fingebat, hunc magiſtratum noluiſſe creari, ſed eam curam tradi cenſoribus, qui auctoritate ſua huic malo remedium adhiberent. Nam quod reponatur, inquit, niſi vitium illic eſt, valet (vt opinor) id verbum, omittatur : nec in noſtrum hunc ſtatum ciuitatis recipiatur.

Collatus Iſocratis locus cum loco Ciceronis. cum ambobus declaretur, victoriam, quae obtinetur bello ciuili, non omnibus probari.

CAP. VII.

Bellorvm ciuilium victores integram gloriam, plenamque non conſequi: nec ab omnibus ciuibus ſolere laudari : vt qui externos hoſtes ſuperarint, apertum eſt : quamuis enim aduerſarios vicerint, non tamen omnes, qui in contraria acie ſteterint, aut animo ſaltem iudicioque ab eorum conſiliis diſcrepant, poſſunt delere. quare reſtant non parua odia contra illos : multiſque incommoda

ciuitatis,

ciuitatis, quae belli impetu, ab ipſis excitati adminiſtratique, neceſſario eueniunt, dolori ſunt. ſignificauit hoc Cicero in Caeſarianis, cum C. ipſi Caeſari gratias agens, quod M. Marcellum conſeruaſſet ac reip. reddidiſſet, ex huiuſcemodi factis docuit eum veram ſolidamque laudem hauſturum, cum res ab eo bello geſtae, praeſertim ciuili, non omni omnium ore laudatum iri debeant, ſed contra inuenturae ſint qui aliquid in ipſis deſiderent, ac multa etiam libere reprehendant; inquit enim, obſcure hoc ipſum oſtendens. Erit inter eos etiam, qui naſcentur, ſicut inter nos fuit, magna diſſenſio, cum alij laudibus ad caelum res tuas geſtas efferent: alij fortaſſe aliquid requirent: idque vel maximum, niſi belli ciuilis incendium ſalute patriae reſtinxeris. Apertius autem hoc Iſocrates declarauit in libro, quem ad Philippum Macedonem miſit: cum enim exemplis oſtenderet, confidere illum debere, quae ipſe ſuadebat, poſſe efficere & ad exitum perducere, praeteritis etiam rebus Alcibiadis id probauit. qui cum e ciuitate eiectus eſſet, magnitudine animi ſui, perturbato totius Graeciae ſtatu, ciuibus neceſſitatem impoſuit, vt ſe redire paterentur, atque in patriam reuocarent. quibus rebus (inquit) ille magnam gloriam conſecutus eſt: non tamen omnibus probatam; vt enim induſtria ipſius atque vis animi merito laudari potuit, quia, quod voluit, perfecit. ita conſilium iure optimo vituperari: qui bellum patriae intulit, ac plurimis malis domitos ciues recipere ſe coegit. Verba politi ſcriptoris haec ſunt. Ἐκεῖνος μὲν ἂν πλείστων αἴτιος γενόμενος, κακῶν εἰς τὴν πόλιν. μεγάλης μὲν δόξης τυχών· οὐ μὴν ἐπαινουμένης ὑφ᾽ ἁπάντων. Iocaſta quoque ſuaſit filio Polynici, qui cum exercitu Argiuorum venerat, vt expugnaret Thebas, ne vellet cupidus eſſe huius gloriae; expoſitis enim prius malis, quae inde ſequerentur, ſi pergeret bellum inferre patriae; potituſque foret victoria illa, plena iuſtae reprehenſionis, addidit; μή ποτ᾽ ὦ τέκνον κλέος Τοιόνδε σοι γένοιτ᾽ ὑφ᾽ Ἑλλήνων λαβεῖν.

Ariſtotelis locus explicatus in VIII. ἠθικῶν. cuius ſenſum interpretes non perceperunt.

CAP. VIII.

IN viij. libro de moribus ad Nicomachum Ariſtoteles, vbi de voluptate loquitur, refellitque opinionem eorum, qui nullam corporis voluptatem expetendam eſſe dicerent, cum alias, quae ſcilicet honeſtae ſunt, toto pectore perſequendas affirmarent, inquit illas etiam ipſas, quas nimis damnarent, ſi modus in illis adhibeatur, bonas eſſe. quod vt probet verumque eſſe oſtendat, addit, generatim loquens; habituum animi motuumque, in quibus eius, quod melius eſt, exuperantia non inuenitur, neque in voluptatibus etiam, quae inde proficiſcuntur, gignunturque, exuperantiam vllam inueniri: contra autem, quorum habituum ac motuum extat exuperantia, & voluptatis etiam, quae inde manat, exuperantiam extare & quae ſequuntur. Verba ipſius auctoris, quae fideliter magis quam eleganter expreſſi, haec ſunt. τῶν μὲν γὰρ ἕξεων καὶ κινήσεων, ὅσων μή ἐστι τοῦ βελτίονος ὑπερβολὴ, οὐδὲ τῆς ἡδονῆς· ὅσων δ᾽ ἔστι, καὶ τῆς ἡδονῆς ἐστιν. Interpres igitur Graecus, quem ſequitur etiam noſter, putat vocem illam ὑπερβολὴν egere declaratione: adiungitque μοχθηράν, id eſt turpem ac vituperatione dignam, cum tamen id verbum ſua vi oſtendat vitium: nec requirat vt ſubſcribatur, quod culpae affinem illam eſſe rem doceat: neque enim ὑπερβολὴ bona inuenitur. in virtute namque nihil nimium eſſe poteſt, ſed quo magis habitus ille creſcit; ad ſummumque perducitur, eo magis perfectus abſolutuſque eſt: fortitudo enim quanto magis ſubit pericula, quae oportet; ſuſtinetque dolores, quos decet tolerare: cunctaque alia ſeruat, quae prudentia directaque ratio praecipit, tanto magis virtutis illius nomine digna eſt: idem in temperantia, liberalitate, ceteriſque virtutibus vſu venit. vnde etiam nimium voluptatum, quae inde proueniunt, capere non poſſumus: ab omnique periculo vacui ſumus, ne magis quam oporteat vſibus harum virtutum factiſque gaudeamus; contra autem res habet, vt Ariſtoteles infra accurate docet, in habitibus animi motibuſque, expoſitis huic malo ac culpae: voluptatis namque, quae inde efficitur, nimium quoque eſt. Id quoque Cicero cognouit: cum pro Plancio dicens, irriſit aduerſarios, qui ipſi obiicerent, ac tamquam crimen aliquod, vitio verterent, quod nimis gratus, memorque beneficiorum eſſet: docuitque in ea ipſa re, vt in reliquis virtutibus, nihil nimium eſſe poſſe, his verbis vtens. Quae cum ita ſint, iam ſuccumbam Laterenſis iſti tuae orationi; in eo ipſo, in quo nihil poteſt eſſe nimium, quoniam ita tu vis, nimium me gratum eſſe concedam: petamque a vobis, Iudices, vt eum beneficio complectamini, quem qui reprehenderit, in eo reprehendit, quod gratum praeter modum dicat eſſe. quaſi enim ita Cicero reſpondit maledicto Laterenſis, vt Agamemnonis ſeruus Menelao apud Euripidem Iphigenia in Aulide: cum enim tamquam probrum obieciſſet, quod nimis domino fidelis eſſet, ait, καλόν γέ μοι τοὔνειδος ἐξωνείδισας.

Quae

Quae ſit origo priſci huius verbi. Petere cibum e flamma.

CAP. IX.

PETERE cibum e flamma, quod de mendicis, infimiſque hominibus, vulgo dicebatur, quaerendum eſt vnde ortum habuerit. Nam illud Parmenonis in Eunucho in Gnathonem dictum, hanc vim habet ⁐ nam qui huic animum aſſentari induxeris, E flamma te petere cibum poſſe arbitror. eodem autem pacto videtur locutus fuiſſe Lucilius in xxvij. libro Satyrarum: haec enim eius verba leguntur apud Nonium, quae tamen aliquantum corrupta ſunt. Mordicus petere aurum & flamma expediat e coeno cibum. an e mora illo, ſtultaque ſuperſtitione, quod in rogum panem priſci imponerent? aliaque ad vitam neceſſaria, tamquam ipſis veſci poſſent mortui: cuius tamen ritus ſimilitudinem quandam nunc quoque agricolae noſtri retinent: illis autem rebus ex igne rapiendis inſiderent ſordidi quidam, & abiectae admodum condicionis homines, quod indicauit etiam in iambo in Rufam Bononienſem Catullus, cum mendicitatem illius, ſordeſque, declararet: ait enim. ⁐ Saepe quam in ſepulchretis Vidiſtis ipſo rapere de rogo cenam. Quum, deuolutum ex igne, proſequens panem, A ſemiraſo tunderetur vſtore. Vel potius inde ductum eſt, quod cum id non ſine maximo periculo fieri poſſit, qui aliunde haberet, vnde aleretur, numquam rationem illam tentaret; quare ſignificat poſtremam quandam egeſtatem, atque auiditatem eius, qui hoc faciat. Donatus, interpres Terentij, originem huius vocis non quaerit: tantum inquit: Hic intellige non ex foco, ſed ex medio igni, vel incendio flammae. nam antiquum verbum eſt. Cibum ex flamma petere.

De ſacrilegio Dionyſij Siculi, cui ille addidit impiam, ſed acutam vocem, diſputatum. Ciceronemque, qui id litteris mandauit, videri in loco, in quo id factum narrat, peccaſſe.

CAP. X.

IN III. libro de Natura deorum Cicero, cum impietatem Dionyſij tyranni ſceleraque commemoraret, narrat etiam ipſum, quum ad Peloponneſum claſſem appuliſſet, & in fanum veniſſet Iouis Olympij, aureum ei detraxiſſe amiculum, grandi pondere, quo Iouem ornarat, ex manubiis Carthaginienſium, tyrannus Gelo: atque in eo etiam cauillatum fuiſſe, aeſtate grauem eſſe aureum amiculum: hieme frigidum: eique laneum pallium inieciſſe, quum id eſſe ad omne anni tempus diceret. Hoc autem memoriae quoque prodidit Clemens Alexandrinus in libro, quo hortatur ad Chriſtianam pietatem Graecam nationem: προτρεπτικὸν ipſe vocat: ait enim. Διονύσιος μὲν γὰρ ὁ τύραννος, ὁ νεώτερος, θοιμάτιον τὸ χρύσεον περιελόμενος τοῦ Διὸς ἐν Σικελίᾳ, προσέταξεν αὐτῷ ἐρεοῦν περιθεῖναι, χαριέντως φήσας. τοῦτο ἄμεινον εἶναι τοῦ χρυσίου· καὶ θέρους, κουφότερον: καὶ κρύους, ἀλεεινότερον. nam quod M. Tullius vitium amiculi aurei indicatum ab eo refert, Clemens oſtendit ea voce Dionyſium bonum potius, commodumque lanei pallij, quod ipſi iniecit, declaraſſe. Diſcrepat praeterea a Cicerone, quod hoc ipſe tribuit Dionyſio filio, cum ille manifeſto patri ſcelus hoc aſſignet. de loco praeterea ipſis inter ſe non conuenit: Cicero namque in Peloponneſo hoc ipſum improbe feciſſe, cum Clemens tradat in Sicilia, in qua dominabatur, Dionyſium ſacrilegium hoc admiſiſſe. & ſane mirarer hoc eum in media Graecia auſum fuiſſe facere, ac gentem illam tam nefarium factum perferre potuiſſe. Vt autem libere quod ſentio aperiam, cum memoriae proditum ſit templum Iouis Olympij in Sicilia quoque fuiſſe, vereor ne hoc M. Tullio impoſuerit, vt legens apud aliquem ſcriptorem hoc factum eſſe in fano Iouis Olympij, ob dignitatem Peloponneſij fani, & non recordatus eidem deo aedificatum, dicatumque in Sicilia templum eſſe, putarit in Peloponneſo id ab Dionyſio commiſſum: addideritque ipſe, quod ad rem veriſimilem reddendam deſiderari videbatur. T. Liuius autem eſt, qui in xxiiij. libro tradit eodem nomine in Sicilia templum vocari, atque id duobus locis. Primum enim inquit, cum narraret, quae poſt Hieronymi caedem Syracuſis facta ſint. Armati locis patentibus congregantur: inermes ex Olympij Iouis templo ſpolia Gallorum, Illyricorumque, dono data Hieroni a populo Romano: fixaque ab eo, detrahunt. Deinde. Tunc Romanus exercitus ad Olympium (Iouis id templum eſt) mille & quingentis paſſibus ab vrbe caſtra poſuit. Sed etiam Diodorus Siculus, cum ordiretur narrare, quomodo Hamilcar, Carthaginienſium imperator, in poteſtatem hoſtium veniſſet: & quas re fretus exercitum prope Syracuſas admoniſſet, huius templi mentionem fecit, qui vt Liuius poſteriore hoc loco, ipſum appellat: Ita ſcribens. ἐπιβάλλετο καταλαβέσθαι σὺν πολλῷ τὸ ὀλύμπιον τόπον, κειμένου μὲν πρὸ τῆς πόλεως: εὐθὺς δὲ καὶ προσβάλλων ἐξ ἐφόδου

ἐξ ἰσίδος τῆς τέχνης δημιουργεῖν. Cum eſſent autem profecti Corintho, duce Archia, Graeci, qui Syracuſas condiderunt, iiſdem diis, quibus domi faciebant, templa illic conſecrarant: atque iiſdem cognominibus appellarant, vetere quodam ritu, de quo capite tertio libri v. diſputaui.

Aliud eiuſdem impuri hominis impium factum, eodem loco a Cicerone commemoratum, ſubtiliter examinatur.

CAP. XI.

STATIM Cicero, cum eiuſdem ſacrilegi hominis nefaria facta explicare pergeret, addidit. Idemque Aeſculapij Epidauri barbam auream demi iuſſit: neque enim conuenire barbatum eſſe filium, quum in omnibus fanis pater imberbis eſſet. Hoc autem in Graecorum commentariis non memini me legiſſe: Plutarchus tamen in libro de Iſide & Oſiride, Aegyptiorum diis, inquit Dionyſium auream comam Apollinis totondiſſe, quod valde ſimile huic factum eſt, vt idem fortaſſe ambo ſignificare voluerint, quamuis in perſona dei, quem violarit, atque improba etiam poſtea voce contempſerit, inter ſe diſcreparint: nec tamen non vtrique culpae affinis potuit eſſe tyrannus: nullam enim vmquam expilandi fana occaſionem ille omiſiſſet: nec acutae etiam voces, vt Sicolo, quibus improbitatem ſuam ornaret, an augeret, defuiſſent. Verba Plutarchi haec ſunt, reprehendentis eo loco conſuetudinem Graecorum, qui ex aere ſtatuas marmoreue, aut tabulas etiam pictas aliquorum deorum, ipſorum nomine appellarent: cum prorſus dij ipſi ab huiuſcemodi omni iniuria liberi forent, ὥσπερ, τολμήσας λέγειν, ὅτι τὸν ἀδελφὸν λαχὼν ἐξέδυσεν· τὸν δ' ἀσκήσαντα, χρυσοῦς βοστρύχους ἔχοντα, Διονύσιος ἀπέκειρε,

Eadem vocabula, & in Graeco, & in Latino ſermone, aliter ſaepe capi a diuerſis hominibus. quia res etiam, quae illis ſignificabantur, diſcrepabant eorum iudiciis.

CAP. XII.

VOCAVIT ſaepe Cicero fortunatos, quos docti viri, Graeco ſermone, dicunt εὐδαίμονας: cum tamen eoſdem vulgus εὐτυχεῖς appellaret: nomina autem in praeclaro hoc ſtatu hominum ſignificando diuerſa erant, quia ſententiis etiam inter ſe periti ab imperitia de ea re valde diſſentiebant: multitudo namque exiſtimabat copiam bonorum eorum, quae fortuna dilargitur, vitam beatam efficere, cum ſapientes magis in vi virtutum, rectiſque factis, illam poſitam iudicarent: nec vllo pacto vellent eos, qui abundarent his commodis, veteque fortunati dici poſſent, ſi vacui a virtute atque improbi forent, beatos eſſe. M. Tullius igitur conſuetudinem loquendi ſecutus eſt, cum in conuentu multorum verba faceret, & non philoſophorum more diſputaret, vt in oratione pro M. Marcello, cum inquit. Eſt vero fortunatus ille, cuius ex ſalute non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura ſit, laetitia peruenerit: intellexit enim manifeſto hic εὐδαίμονα, fortunatus dicens. cum vero inferioris aetatis homines eundem felicem vocent, Cicero hoc verbo vti conſueuit, cum εὐτυχῆ ſignificat, quod infinitis exemplis confirmari poteſt. nam quod in eadem oratione ait. Ceterarum tua recordabere, & ſi perſaepe virtuti, tamen plerumque felicitati tuae gratulabere, ſine dubio valet εὐτυχίᾳ. ſimilis autem huic locus eſt ille pro lege Manilia de L. Lucullo imperatore. Vt initia illa geſtarum rerum, magna atque praeclara, non felicitati eius, ſed virtuti: haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non culpae; ſed fortunae tribuenda eſſe videantur. Virgilius in ij. libro de rebus ruſticis hoc nomine intellexit εὐδαίμονα, ita canens. Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas: nec multo poſt eundem fortunatum appellauit, oſtendens vt ſcientia rerum optimarum, ita etiam ſecuritate otioque agricolarum confici vitam beatam: adiunxit enim. Fortunatus & ille, deos, qui nouit agreſtes. In v. autem libro Tuſculanarum quaeſtionum Cicero cum inquit, de Theophraſto loquens. Vexatur autem ab omnibus, primum in eo libro, quem ſcripſit de vita beata & quae ſequuntur, ita reddidit περὶ εὐδαιμονίας: is enim erat index eius libri: vt percipitur etiam ex Athenaeo, qui in xiij. libro, vbi inducit Cynulcum vexantem Myrtilum, quod amorem ornarat. in aliis etiam facit illum dicentem: nulla in parte imitari ipſum Theomandrum Cyreneum, quem prodidit Theophraſtus in libro περὶ εὐδαιμονίας, circumeuntem ciuitates ſolitum profiteri, ſe viam rationemque traditurum, qua poſſent homines fieri beati: & tamen illic, cum hoc ipſum (vt opinor) intelligeretur, eſt id Graecum nomen, quo proprie copia bonorum declaratur, quorum fortuna domina eſt, ideſt εὐτυχία.

Quo

Quot ſint notiones huius verbi Solarium, in Latino ſermone?

CAP. XIII.

SOLARIVM, non ſemper in Latina lingua idem valet: nec eadem vbique huius nominis notio eſt. nam ſignificare ipſum, quo horae declarantur, ὡρολόγιον vocatum a Graecis: quod Graecum vocabulum in noſtrum quoque ſermonem radices egit: in oreque multitudinis, aliquantulum tamen corruptum, nunc eſt, patet vel teſtimonio Ciceronis: cuius haec verba ſunt e ij. libro de Natura deorum. Aut cum ſolarium, vel deſcriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte, non caſu: quod autem ex aqua ſolarium dixit, κλεψύδραν a Graecis vocatum, quo ſane & ipſe verbo aliquando vſus eſt, intellexit. Significat etiam ſolarium, locum in ſummis aedibus ad excipiendum ſolem aedificatum: in quo, ad meridiem vergente, hieme apricari conſueuimus, vulgoque appellamus terrazzo. quod liquido percipitur ex his Plauti locis e Milite glorioſo, vbi Sceledrum, ſeruum militis, cuſtodem concubinae erilis, inducit dicentem nulla ratione e propinqua domo Philocomaſium penetrare in domum militis potuiſſe, inſciente illo: quia nihil illic eorum ſit, quae domos vicinas peruias faciunt, atque in illis ſolarium numerat: vnde non magno negotio in propinquas aedes pertranſitur. ait igitur. Neque ſolarium, neque hortum, niſi per impluuium ſcio. & poſt ſequente ſcena. Niſi mirum eſt facinus, quomodo haec nunc hinc tranſire potuerit. Nam certo neque ſolarium apud nos eſt: neque hortus vllus: neque feneſtra, niſi clatrata: eodem etiam ſenſu manifeſto cepit Caeſar Auguſtus, cum de purpurae colore nimis obſcuro quereretur: docente enim mercatore quomodo ſpectanda foret: iiſque verbis vtente, vt memoriae prodidit Macrobius, Erige altius, & ſuſpice, reſpondit ille acute. Quid ergo? vt populus R. dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum? editiſſima enim ea pars eſt totius domus. Ad ſolarium autem certus locus videtur Romae vocatus, valde celeber ac frequentatus: vt ſuſpicor, quia illic in pariete aliquo ratio horarum deſcripta foret: ad ſolarium autem, vt in campo, ideſt in loco propinquo ipſi: mentionem huius loci fecit Cicero pro Quintio, cum remouere etiam parricidij crimen his ſignis vellet. Vixit enim ſemper inculte atque horride: natura triſti ac recondita fuit, non ad ſolarium: non in campo: non in conuiuiis, verſatus eſt: nec non (vt arbitror) Cornificius in iiij. libro ad Herennium his verbis. Ita petulans es atque acer, vt ne ad ſolarium quidem idoneus, vt mihi videtur, ſed pene ſcenam: & in eiuſmodi locis exercitus ſis. Praeterea ſolarium vocatur vectigal, quod ſolueret, qui aedificat in publico ſolo. vt declarat Vlpianus libro xxxxiij. D. tit. viij. l. ij. In vrbe hoc etiam noſtra, antiqua lege inſtitutum erat, qui enim vellet, quod crebrum tunc erat, aedificare ſupra publicum iter, atque ita domum augere, cogebatur hoc facere; vnde, quia videtur id aliquid incommodi apportare, certe dedecoris multum, vectigal impedimentorum appellabatur. Principes autem noſtri, ornandae vrbis ſtudioſi; quod more Caeſaris Auguſti egregie, magnificeque praeſtiterunt, omnes has partes domorum ſeuera lege dirui iuſſerunt.

Videri apud Ciceronem ſignificare Tragoedias excitare, id, quod Demoſthenes τραγῳδεῖν vocauit.

CAP. XIIII.

DILIGENTER videndum, an quod Cicero inquit, in oratione pro Milone: Nunc eiuſdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat, valeat, materiem praebet ad inuidiam Miloni faciendam: factumque illius, quo necem Clodio attulit, agitandum, atque augendum: In tragoediis enim omnia amplificabantur, ac grandiora fiebant: τραγῳδεῖν certe ſaepe Graecis hoc ſignificat, vt e loco hoc Demoſthenis pro Cteſiphonte perſpicitur. ἀλλ' ἐφ' οἷς ἀδικοῦντά με ἔχεις τὴν πόλιν, ὄντα γε τηλικαῦτα, ἡλίκα νῦν ἐτραγῴδει, καὶ διεξῄει. docet enim ſi affinis erat rebus, quibus aiebat Aeſchines, oportuiſſe illum ſe in iudicium vocare: praeſertim cum tantae forent, quantas tunc ille more, tragicorum, exponeret ac commemoraret. Ariſtoteles quoque eodem pacto vſurpaſſe videtur hoc verbum in vj. libro naturalis auſcultationis, cum captionis illius, quae Achilles vocabatur, & a Zenone inuenta fuerat, mentionem faceret: oſtendebat enim ſophiſtes ille, ſi certo aliquo modo magnitudo diuideretur, id, quod velociſſimum foret, conſequi non poſſe rem maxime lentam, aitque, ὅτι οὐδὲ τὸ τάχιστον τετραγῳδημένον ἐν τῷ διώκειν τὸ βραδύτερον, vocat igitur volucre illud τετραγῳδημένον, quia grandi verbo auctum erat, cum fortiſſimi herois nomine appellaretur, qui & ipſe ceteros in curſu vincebat, ideſt Achillis: neque

enim

enim ſequor Simplicium, qui putauit ita dictam eſſe rationem illam, quia in eam perſonae, quemadmodum in tragoediam ac comoediam, Achillis ac teſtudinis inductae forent: hoc enim multis modis inane eſſe minimeque hic quadrare, intelligitur: neque enim ambobus his verbis, quorum alterum velociſſimum: alterum vero tardiſſimum ſignificat, reſpondet illud τιτρεχωδεμειν, ſed priori tantum aptatum eſt: neque teſtudo nomen viri eſt: perſonaeque, quae in fabulam inducatur. praeterea comoedia tenue poëma eſt, nec rebus augendis aptum, ſed conterendis potius. quare veriorem omnino ſententiam hanc eſſe puto. cumque Graeci veteres interpretes in explicandis obſcurioribus ſententijs Ariſtotelis acuti admodum ſint, has elegantias politi ſcriptoris: proprietatemque antiqui ſermonis, non magnopere vident.

Duo Ciceronis loci, qui a ſiniſtris quibuſdam correctoribus deprauati ſunt, reſtituti.

CAP. XV.

EXTITERE praeteritis temporibus non pauci: neque nunc etiam deſunt, qui locos non nullos bonorum auctorum, falſo mancos imminutoſque putantes, inculcatis eo vno, altero ve verbo, corruperint: id autem ea de cauſa factum eſt, quia Latini ſermonis proprietatem non intelligebant: vidiſſent enim profecto, ſi id tenuiſſent, nihil illic deſiderari, ſed plenam integramque eſſe eam lectionem. In aliis autem multis, qui ab imperitis ita ſunt inquinati, locus hic eſt pro Milo-
» ne: cum enim in excuſis nuper non nullis, qui fideliores aliis putantur, legatur. His lacri-
» mis non mouetur Milo: eſt quodam incredibili robore animi ſeptus; extremum hoc verbum ex ingenio (vt puto) additum eſt: neque enim in pluribus, quos vidi, ſcriptis libris inuenitur: neque in reliquis etiam impreſſis: abſolutam vero eſſe ſine illo, perfectamque ſententiam declarat, quod alibi Cicero eodem pacto locutus eſt, vt pro M. Caelio cum inquit. Ego, ſi
» quis iudices hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiae fuit, vt reſpueret
» omnes voluptates, & quae ſequuntur. Eiuſdem conſuetudinis exemplum hoc etiam eſt pro
» A. Cluentio. Tametſi in hunc hoſtili odio, & crudelitate eſt. Eadem inſcitia audaciaque imperitorum alterum etiam hunc vitiauit in L. Piſonem, non longe a principio partis eius o-
» rationis, quae conſeruata eſt: cum enim paſſim in excuſis legatur. Hic in errorem homines
» impulit: hic eos quibus erat ignotus, decepit, feſellit, in fraudem induxit, videtur illud in fraudem, abundare, & additamentum inutile eſſe. & vetera namque exemplaria non habent: & Cicero ſaepe vno illo, quod ſequitur, verbo, idem ſignificauit, vt in ij. Philippi-
» ca, cum inquit. Nihil queror de Dolabella, qui tum eſt impulſus, inductus, inluſus: &
» in epiſtola quadam ad Atticum. Senſeram, noram, inductus, relictus, proiectus ab iis: valet autem hic manifeſto inductus ὑπαχθείς: vt Demoſthenes locutus eſt in oratione περὶ εἰ-
» ρήνης, cum ait: ὡς ὑπαχθέντες ὑμεῖς, οὔτε συμφερόντως, οὔτε ἴσως, οὔτε καλῶς προεῖσθε φωκέας: & Iſocrates in libro, quem miſit ad Philippum Macedonem, vbi de Artoxerxe, Perſarum rege, loquitur, qui in inſidias traxit duces Graecarum copiarum liberalibus promiſſis, atque iu-
» reiurando: ipſoſque, perfidia vſus, interfecit. ait enim. Τελευτῶν ἐλπίσιν ὑπαγόμενος, καὶ τοὺς
» ὅρκους δοὺς, τῇ ἐκείνου στρατηγοὺς τοὺς μεγίστους, συλλαβὼν αὐτοὺς ἀπέκτεινε: quamuis enim formam hic patiendi habeat hoc verbum, actum tamen ſignificat. Locum autem in L. Piſonem deprauatum eſſe, aliterque legi in ſtilo exaratis libris, indicauit mihi Vincentius Borghinus, acri iudicio praeditus vir, ac liberali doctrina expolitus: cuiuſque infinitam diligentiam in elegantioribus litteris illuſtrandis monimenta ingenij ipſius teſtantur. nam declarat etiam hoc, ſupereſſe verba, quae ſuſtulimus, quia ſi illic legantur, corrumpunt formam illam dicendi: orationemque vehementiorem: moram enim quandam afferunt, impetumque illum oratoris retardant, qui ei loco maxime conuenit. Simile autem huic erratum pro Q. Ligario, fran-
» git & ipſum illic impetum dicentis: cum enim excuſi habeant. Nam quid aliud agis? vt
» Romae ne ſit? vt domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Brocco auunculo
» ſuo, ne cum eius filio, conſobrino ſuo, ne nobiſcum viuat? ne ſit in patria? num in patria
» eſt. ſuperant duo haec in extremo verba, quae repetuntur, & aliena illic maxime ſunt a forma dicendi concitata. Quanto autem acrior ſit oratio, quantoque magis perturbet aduerſa-
» rium, ſi ſit, vt eſſe debet, teſtantibus etiam antiquis exemplaribus, num eſt? nullum ne-
» gotium eſt intelligere.

Nouus orator, qui a Cicerone vocatus ſit: eundemque declaratum a Dionyſio καινὸν ῥήτορα appellatum,

CAP. XVI.

NOVVM oratorem Cicero quandoque appellauit eum, qui in ſimili, vel potius eodem argumento, noua quaedam, anteaque inaudita afferret, non qui primus auditus non foret: neque enim perſonam illius tantum, facultatemque dicendi, ſed cauſam agentem, muniiſque ſuum obeuntem, ipſum cogitat. In ij. libro Philippicarum cum inquit. Nec enim omnia effundam, vt ſi ſaepe decertandum ſit, vt erit, ſemper nouus veniam. Praeterea in Bruto, quo loco de ſua Hortenſiique ratione dicendi, ſtudioque diſputat. Maxime vero perſpecta eſt vtriuſque noſtrum exercitatio paulo antequam, perterritum armis, hoc ſtudium Brute noſtrum conticuit ſubito, & obmutuit: cum lege Pompeia, ternis horis ad dicendum datis, ad cauſas ſimillimas inter ſe, vel potius eaſdem, noui veniebamus cotidie. Declarat autem hoc in primis oratoris copiam inuentionemque, qui pari admodum, ſimilique in cauſa agenda, longe alius, diuerſuſque ab eo qui antea fuerat, appareat. Ita quoque locutus eſt Dionyſius Halicarnaſſeus in vita Lyſiae, cum ſcriptorem illum laudaret, praecipueque in exordienda oratione facultatem ipſius admirandam praedicaret: cum enim ducentas orationes aut plures, quae in iudicio foroque haberentur, confeciſſet, in earum nulla perſpicitur vſus principio parum idoneo: aut a rebus, cauſae propriis ſeiuncto, vt etiam non deprehenditur iiſdem argumentis rei probandae vmquam incubuiſſe: aut in eaſdem demum ſententias incidiſſe, ſed in ſingulis orationibus nouum oratorem ſe praebuit: ait enim. ὤφθη δὲ καινὸς ὁ ῥήτωρ ἐν καθ' ἕκαστον τῶν λόγων: antea namque accuſarat non nullos, qui cum paucas ſcripſiſſent orationes illis culpis obnoxij erant: nec iiſdem tantum locis in diuerſis orationibus vtebantur, ſed dicta ab aliis antea, omiſſa verecundia, vſurpabant. quod autem ad multitudinem forenſium cauſarum a Lyſia ſcriptarum pertinet, idem etiam Cicero in Bruto memoriae prodidit, ſcribens. Catonis autem orationes non minus multae fere ſunt, quam Attici Lyſiae: cuius arbitror plurimas eſſe. Nouum etiam hominem Romani vocabant ignobilem, & qui nulla commendatione maiorum, ſed ſuo labore, atque induſtria clarus, euaſerat, & magnos honores in rep. conſecutus eſſet: id, quod ab inimicis ſaepe M. Ciceroni obiectum fuit; cuius vocis notio cum Graecis ignota foret, vt Latinis cognita & perſpecta, declaratur diligenter ab Appiano, qui in hiſtoriae libro ſecundo his verbis hoc docuit: loquebatur autem de M. Cicerone. Καταλέγων δ' αὐτὸν ἐς ὕβριν τῆς ἀδοξίας, ἐπεκάλει ἐς μὲν ἀγνωσίαν γένους καινὸν ἄνθρωπον ὀνομάζων: καλοῦσι δ' οὕτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους.

Correctus Iſocratis locus in Philippo. qui in viri nomine deprauatus erat.

CAP. XVII.

ISOCRATIS locus mendoſus eſt in nobili illa oratione, qua Philippo Macedoni ſuaſit, vt reconciliatis animis Graecarum ciuitatum, inferret bellum Regi Perſarum: vbi enim docet, non defutura ipſi auxilia, regulorum etiam ſatrapumque, qui regi parebant, ſi exercitum in Aſiam comportarit, ait: vt nunc in excuſis libris legitur. καὶ μηνιδριέα γε τὸν εὐπορώτατον τῶν νῦν περὶ τὴν ἤπειρον, προσήκει δυσμενέστερον εἶναι τοῖς βασιλέως πράγμασι, τῶν πολεμούντων. cum ſcribi ſine dubio debeat: καὶ μὴν Ἰδριέα & quae ſequuntur: diſtinctis, ſeiunctiſque duabus vocibus, quae perperam coaluerant: erroreque librariorum compactae erant, & vt grammatici Graeci aiunt, κατὰ διαίρεσιν. Hidrieus autem Cariae dynaſtes fuit, Hecatomni filius, Mauſoli & Artemiſiae frater, cuius etiam meminit Diodorus Siculus in xvi. libro hiſtoriarum, hoc ſenſu ſcribens. Non multo ante haec tempora Artemiſia, quae regno Cariae duobus annis potita fuerat, e vita diſceſſit: frater autem ipſius Hidrieus ei ſucceſſit, qui ſeptem annis regnauit. Sed etiam Plutarchus in Laconicis apophthegmaſin, cum Ageſilai ſtudium in adiuuandis amicis proferret, qui ius etiam, vt illis ſeruiret, negligebat: commemorat enim breuem epiſtulam ipſius in manibus fuiſſe ad hunc Hidrieum Cara miſſam, quae id certo declararet.

De ardore animi, quo flagrarit Plato in optimis artibus perdiſcendis: longinquaſque terras ipſum hac de cauſa peragraſſe.

CAP. XVIII.

VERBA haec Ciceronis e libris de Republica, quibus declaratur quanto ſtudio
diſcendi flagrarit Plato, vt ne labori quidem vlli, aut impenſae pepercerit, ſed
longinquas etiam terras peragrarit, vt florentes aliquos illic doctrina, ingenio-
que, audiret, citatur a Nonio grammatico, eo loco, vbi diuerſas notiones ver-
» bi Contendo explicat. Sed audiſſe te credo, tuum vero Platonem, Socrate mor-
» tuo, primum in Aegyptum diſcendi cauſa: poſt in Italiam contendiſſe. Laërtius in vita ipſi-
us, qui & ipſe diu peregrinatum fuiſſe Platonem commemorat, tradit in Italiam primum i-
pſum veniſſe, vt Philolaum Eurytumque Pythagoreos audiret: indeque in Aegyptum ad pro-
phetas ſe contuliſſe. Idem tamen narrat, antequam in Italiam veniret Cyrenas nauigaſſe,
Graecorum oppidum in Africa, Theodori mathematici ſama excitatum, quorum antea ſtudio-
rum deſiderio captus, poſt interitum Socratis, vna cum reliquis Socraticis viris ad Euclidem Me-
gara acceſſerit: quae omnia memoriae prodita dicit ab Hermodoro, vnde illa acceperit.

Correcti duo loci in oratione pro Milone de opinione.

CAP. XIX.

QVAE mea opinio ſit de duobus Ciceronis locis, e nobili illa oratione pro Milo-
ne, hic aperire volo, vt ſi forte mendoſi ſunt, vt arbitror: coniecturaque mea
vera eſt, corrigantur. hoc autem eruditi ingenioſique viri videbunt, quorum
iudiciis exiſtimationibuſque, & hoc, & alia mea, committo. Vbi igitur di-
ſputat vter vtri inſidias fecerit: vtiturque in hac re indaganda Caſſiano illo, qui
ſemper quaerebat, cui bono fuerit, cum iam oſtendiſſet quot quantaque commoda ex interi-
tu Milonis Clodius aſſequeretur: declarare volens mortem Clodij Miloni obfuiſſe, inquit.
» At non P. Clodio mortuo vſitatis iam rebus obnitendum eſt Miloni, vt tueatur dignitatem
» ſuam: ſingularis illa, huic vni conceſſa, gloria, quae cotidie augebatur frangendis furoribus Clo
» dianis, iam morte Clodij cecidit. vos adepti eſtis nequem metueretis. hic exercitationem virtu-
» tis: ſuffragationem conſulatus: fontem perennem gloriae ſuae perdidit. Suſpicor igitur legi debe
re. At vero P. Clodio mortuo & quae ſequuntur: hoc ſenſu, vt adipiſcatur nunc T. Annius con
ſulatum. tueaturque exiſtimationem ſuam, cotidianis rationibus, vſitatiſque viis ſtudere co-
gitur: ſingularis enim illa, propriaque ipſius ratio, conciliandi ſibi animos bonorum, extin-
cta eſt: creſcebat enim cotidie gloria illius, quia magno animo reſiſtebat furoribus Clodianis:
impetuſque ipſius in omnem Reip. partem retundebat: ea etiam, quae ſequuntur, non ina-
nem eſſe ſuſpicionem meam (niſi fallor) teſtantur. ſi vero negandi particula illic ponatur,
non video qui idoneus ſenſus inde elici poſſit. Praeterea non multo poſt, vbi occurrit ei,
quod dici contra Milonem potuiſſet, necaſſe ipſum Clodium, quamuis viuere illum ſua in-
tereſſet: neque enim omnia, quae homines faciunt, faciunt conſilio ac ratione, ſed motu
ſaepe animi impulſi, vtilitates ſuas diſturbant: atque ait, oſtendens iratum Clodio eſſe non
» debuiſſe Milonem, aut acerbiore odio contra illum affectum. Quid enim odiſſet Clodium
» Milo, ſegetem ac materiam ſuae gloriae, praeter hoc ciuile odium, quo omnes improbos
odimus. coniectura itidem ductus puto legi oportere, praeter hoc commune odium: quod
enim ciuile odium ſit, mecum excogitare non queo: commune autem, vt ipſe interpretatur,
eſt quo probi omnes viri improbos, atque inutiles ciues, odiſſe ſolent, quale fuit quod Catul-
lus Vatinianum odium appellauit. niſi potius elegans atque eruditus, poëta vehemens acer-
bumque intellexit. Multo quoque infra M. Tullius eodem pacto locutus eſt, cum inquit.
» Etenim, & ſi praecipuum eſſe debebat, tamen ita communis erat omnium ille hoſtis, vt in
» communi odio paene aequaliter verſaretur odium meum. Suſpicor quoque locum hunc pro
Q. Ligario contrario paene ac ſuperiorem vitio laborare: cum enim paſſim nunc legatur.
» Haec ego noui propter communes neceſſitudines, quae mihi ſunt cum L. Tuberone, legen-
dum arbitror propter omnis neceſſitudines. & ſane antiquo in libro ſcriptum offendi. Pro-
pter hominis neceſſitudines. vt librarij lapſus appareat, qui ob ſimilitudinem harum vocum
peccarit.

Declaratum beneficia, quae in probos & honeſtos viros conferuntur, compenſari, ſine opera eorum, qui acceperunt: quia facta illa vulgo probantur, ac ſummis laudibus in caelum feruntur.

CAP. XX.

EXIMIAE illi ſententiae, qua M. Cicero pro M. Marcello vſus eſt, virtutem ipſius indicans, ac quantum poterat extollens, ſimilis aliquo modo eſt vox Graeci ſapientis, qui ſe reddere beneficium exiſtimauit, cum laudaretur ab omnibus, propter id factum, auctor in ipſum beneficij. Cicero igitur clementiam Caeſaris, liberalitatemque, commendare volens: & quantam laudem inde conſecutus eſſet, oſtendere, declarauit id ſignificans, magnam ex accepto beneficio ab ipſo glo-
" riam nactum eſſe Marcellum: exclamanſque inquit. Eſt vero fortunatus ille, cuius ex ſalute
" non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura ſit, laetitia peruenerit. Sit autem omni genere virtutis ornatus ac plane beatus, cuius ex bonis rebus tantopere ceteri gaudeant, oportet. Xenocrates vero Chalcidenſis, non minus ſanctitate vitae, quam doctrina clarus, cum duceretur a publicanis, quod Athenis vitam degens, vectigal inquilinorum non ſoluiſſet, liberatus eſt ex eorum manibus a Lycurgo oratore, qui indignitatem facti non tulit: &, vt erat iuſtus in primis ac ſeuerus vir, voluit etiam improbitatis ſuae paenas dare petulantes illos. Cum igitur poſtea philoſophus ille incidiſſet in liberos ſui liberatoris, ita ipſos allocutus eſt. Egregiam patri veſtro pueri optimi gratiam refero: cuncti namq; mortales ipſum laudant ob ea officia, quibus functus eſt aduerſus me: neque tamen id exiſtimari poteſt homo ab inani laude alienus, dixiſſe arroganter: ſed vt oſtenderet, qui fructus eſſet honeſtorum factorum: filiosque ad imitandum parentem excitaret. Lycurgus autem Athenienſis triſtis vir: vehemenſque atque acerbus accuſator eſt habitus. qui tamen innocentia ac grauitate vitae nemini ſui temporis ceſſit. eius mentionem Cicero iterum in Bruto fecit. extat quoque oratio ipſius, qua accuſauit Leocratem ciuem ſuum, quod periculoſis temporibus patriam deſeruiſſet, atque, exportatis inde ſuis bonis, turpiter Rhodum aufugiſſet. Idem etiam in iudicium vocauit, ac damnauit Lyſiclen, ducem Atticarum copiarum, cuius culpa accepta eſſet clades a Philippo in Chaeronea: eius autem accuſationis ſententiae quaedam, plenae acerbitatis, remanſerunt apud Diodorum Siculum in xvi. libro hiſtoriarum: ille namque cum infelicem exitum eius belli narraſſet, hoc quoque memoriae prodidit, ac ſpecimen quoddam grauitatis illius dare voluit, & quam vehemens & moleſtus accuſator eſſet indicare: vt enim probitate morum delectabatur, virtutique oppreſſae ſuccurrebat, ita nequitiam vehementiore odio proſequebatur: nec ferre vllo modo poterat flagitia improborum. Hoc autem (niſi fallor) iudicium intellexit Aeſchines in peroratione in Cteſiphontem, cum exemplis impelleret iudices ad imitandam maiorum ſeueritatem: qui timidos ciues, ac publicae ſalutis deſertores, paenis afficiebant: nec enim nomen aut accuſatoris aut rei ponit. poſt vnum autem recitatum, addit. ἕτερος
" δ' ἰδιώτης, ἐκπλεύσας εἰς ῥόδον ὅτι τὸν φόβον ἀνάνδρως ἤνεγκε πρώην ποτὲ εἰσηγγέλθη, καὶ ἴσαι αἱ ψῆ-
" φοι αὐτῷ ἐγένοντο· εἰ δὲ μία μόνη μετέπεσεν, ὑπερώριστ' ἂν ἢ ἀπέθανε.

Duo loci, duorum grauium ſcriptorum, Iſocratis Ciceroniſque, inter ſe collati.

CAP. XXI.

IN medio libro Iſocrates, quem ſcripſit ad Philippum Macedonem, oſtendens ſe praeclare intelligere orationem illam parem eſſe non poſſe, neque copia ſententiarum: neque luminibus orationis ſuperioribus ſuis ſcriptis, quia ob infirmitatem aetatis vndique illam ornare & expolire non poſſet, addidit non oportere tamen omittere praeclarum illud, & quod tantos fructus ferre poſſet, argumentum, quod ſi inquit aliud praeſtare non potero, ſaltem rem adumbrabo: ac rudem incultamque praebebo iis, qui conficere ac labore ſuo adiungere, quae deſiderantur, poſſint. Verba
" politi ſcriptoris haec ſunt. ἀλλ' οὖν ὑπογράψαι γ' οἶμαι χαριέντως τοῖς ἐξεργάζεσθαι, καὶ διαπονεῖν δυναμένοις.
Similis autem huic locus eſt ille Ciceronis in Bruto, quo commentarios C. Caeſaris laudauit, quamuis omnem ornatum orationis tamquam veſtem, illinc detractam eſſe fateretur: dixit-
" que; Sed dum voluit alios habere parata, vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ine-
" ptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris inurere: ſanos quidem homines a ſcribendo deterruit. Idem enim profecto vſu veniret illis, qui hypotheſin Iſocratis nouis argumentis amplificare: atque aptis illi concinnitatibus exornare temptarent: mente enim prorſus

ſenſuque

ſenſuqua caterent: nihil enim omiſit accuratus ſcriptor, ac ſummus artifex dicendi, quod illic quadraret: quamuis ita de ſe, ſuiſque viribus loquatur: ſed quod reliquit, iudicio, quo ſemper in eo auctum eſt, ſummaque prudentia ſcribendi, reliquit.

Indicatum, vt Cicero prauam rationem Appij regendi prouinciam oſtendit, vſus verbis medicorum, ita etiam Platonem, in ſimili re, tradenda, eadem ἀλληγορίᾳ vſum.

CAP. XXII.

IN prima epiſtola vi. libri ad Atticum Cicero, cum de rapinis Appij, exhauſtaque ab ipſo atque expilata prouincia verba faceret, ἀφαιρετικῶς locutus eſt: vſuſque verbis propriis medicorum, qui repletum nimis corpus exinaniunt ac purgant. nec Latinis tantum, ſed Graecis etiam non nullis: inquit enim. Sic Appius, cum ἐξ ἀφαιρέσεως prouinciam curarit: ſanguinem miſerit: quidquid potuerit detraxerit: mihi tradiderit enectam, προσανατρεφομένην eam a me non libenter vidit. Ab eadem autem arte verba tranſtulit Plato: idemque ſimile ſecutus eſt in viij. libro de Republica, cum de inſtitutis nefariiſque rationibus tyrannorum loqueretur, qui & ipſi, ſublatis e ciuitate probis honeſtiſque viris, hoc pacto ipſam purgant: praecipue autem inſigni aliqua virtute praeditis cladem interitumq; moliuntur, quorum virtutem aduerſam eſſe ſuis facinoribus iudicarint. cum igitur Socrates illic dixiſſet ſtruere ſemper inſidias aliquas vitae ipſorum tyrannum, donec ciuitatem purgarit, reſpondet Glauco: aliud dicens, aliud autem animo ſentiens, καλόν γε καθαρμόν, cui ſtatim ille. ναί, τὸν ἐναντίον ἢ οἱ ἰατροὶ τὰ σώματα: οἱ μὲν γὰρ τὸ χείριστον ἀφαιροῦντες, λείπουσι τὸ βέλτιστον: ὁ δὲ, τοὐναντίον. diuerſa enim penitus exinanitio iniuſti illius regis a purgatione medicorum eſt: medici namque quidquid corruptum eſt curatione illa tollunt, ac quod integrum eſt relinquunt: hic vero contra. Addidit Cicero Graecum verbum, quo medici vtuntur, cum inedia paene enectos aliquos reficiunt, vireſque ipſorum inſtaurant. Nam quod inquit id Appium non libenter vidiſſe, hoc quoque conuenit moribus medicorum, qui iniquo animo ferre conſueuerunt, aegrotos, a ſe prius curatos, alij medico tradi: praeſertim cum eorum curatio, morbi naturae ſeruientium, odioſa fuerit: eorum vero, qui poſtea adhibentur, ſuauis.

Videri Ciceronem pro Plancio alluſiſſe ad Homericam ſententiam, valde celebrem: & ab ipſo etiam alias nunc Graece: nunc Latine vſurpatam.

CAP. XXIII.

PRo Cn. Plancio Cicero cum honori illius ſuffragatas fuiſſe integras regiones oſtenderet: ac nomine etiam gentes illas ac terras appellaret, hoc pacto. Nemo Arpinas non Plancio ſtuduit: nemo Soranus: nemo Caſinas: nemo Aquinas, totus ille tractus celeberrimus, Venafranus, Alifanus: tota denique noſtra illa, aſpera & montuoſa: at fidelis, & ſimplex, & fautrix ſuorum, regio, ſe huius honore ornari: ſe augeri dignitate arbitrabantur, videtur alluſiſſe ad locum Homeri, cum Vlyſſem ille de Ithaca patria ita induxit, cum Alcinoo, rege Phaeacum, loquentem: neque enim vitium illius terrae, quod inficiari non poterat: quis enim inſulam eam aſperam eſſe neſciebat? caelauit, ſed maximo ipſius bono compenſauit, ita dicens. τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. poteſt autem aequo animo ferri loci aſperitas, ſi ciuitas ibi condita, dote hac praedita eſt: egregieque alit atque inſtituit adoleſcentes. M. Tullius igitur & ipſe de Arpino, vetere patria loquens, vicinitateque illa omni, ait aſpera & montuoſa: hanc enim naturam eſſe regionis illius conſtabat. vt autem Homerus oppoſuit, bonam illam eſſe altricem, ita ipſe, quod compenſaret id malum, fidelem ac ſimplicem, fautricemque ſuorum eſſe tradit: hae enim virtutes illi tempori conueniebant, & maximum fructum ferre Plancio potuerunt. Quod autem obſcurius hic fecit eruditus ſcriptor, aperte tractauit in epiſtola quadam ad Atticum, vbi verba ipſa poëtae poſuit: nam ait. Nam Arpinum quid ego te inuitem? Τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος: οὔτ' ἄρ' ἐγώ γε Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι. Cum igitur animo comprehenſam haberet ſimilitudinem eorum locorum, facile fiebat, vt, de Arpino loquens, Ithacae reminiſceretur: atque imitaretur ſententiam Homericam: cum enim domi actas iam cauſas ſcriberet quieto animo, huiuſcemodi concinnitates, quibus orationes ſuas ornaret, ipſi in mentem veniebant. Sed in primo quoque libro de Oratore verſum illum prio-

» rem his verbis expreſſit. Ac ſi nos, id, quod maxime debet, noſtra patria delectat: cuius rei
» tanta eſt vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis tamquam nidulum, affi-
» xam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret, quo amore. & quae ſequuntur.

Quid valeat apud Ciceronem aliquid Trahi pedibus: originemque huius ſermonis inueniri apud Homerum, non eam tamen, quam non nulli putarunt.

CAP. XXIIII.

PLEGANTES multi modi loquendi, ſignificatusque verborum concinniores,
qui non ſolum in vſu poſtea fuerunt Graecorum hominum, ſed a Latinis quoque
ſcriptoribus expreſſi ſunt, videntur e poëmate Homeri fluxiſſe: a poëta certe illo,
cuius diuina fuit ingenij vis: ac facultas dicendi admirabilis, vſurpati prius fue-
» runt: vt quod Cicero in epiſtola quadam ad Atticum inquit. Fratrem meum, &
» te, ſi habebo, per me iſta pedibus trahantur: ideſt omnem cogitationem iſtarum rerum abi-
» ciam, quamuis videam ipſas peſſime tractari ab improbis ciuibus, ac dilacerari. Item in alta.
» Nam de iudiciis quod quereris, multo laboro minus: trahantur per me pedibus omnes rei, i-
deſt ſtatui res forenſes non curare, ac per me iactentur, & male vndique habeantur omnes rei:
translatis enim verbis a rebus, quae vere id patiuntur, propter ſimilitudinem aliae, quae alia ra-
tione multum mali ſuſtinerent, trahi pedibus dictae ſunt. Homerus igitur in xvi. Odyſſeae,
quo loco fingit callidiſſimum virum Vlyſſem, filium admonentem, accurateque ei praecipien-
tem, quae ipſum facere oporteat domi, ne proci intelligant ſe rediiſſe: pararique, quae ad ne-
cem ipſorum faciant: in aliis non nullis, mandauit, vt quamuis videat ſe iniuriam pati a deli-
cata illa iuuentute: omnique genere contumeliae vexari, aequo animo patiatur: obliuiſcatur-
» que demum ſe filium eſſe. Hoc igitur exponens poëta dixit. Ἤν περ καὶ διὰ δῶμα ποδῶν ἕλκωσι
» θύραζε Ἢ βέλεσιν βάλλωσι, σὺ δ' εἰσορόων ἀνέχεσθαι. Hinc enim potius arbitror dictum eſſe mo-
dum hunc loquendi, quam vel a Vulcano Homerico, quem Iuppiter pedibus tractum e caelo
in terram iecit: vel ab eiuſdem Hectore tracto ab Achille, vt doctus vir in Prouerbiis cenſuit,
vbi pedibus trahere tamquam prouerbium explicat. Item vbi deſcribit in Odyſſea importu-
niſſimum mendicum: narratque quibus verbis ille auſus ſit, Vlyſſem domo ſua exturbare, in-
quit, ipſum etiam hoc illi minatum eſſe facere. Verba Iri haec ſunt.
εἶκε γέρον προθύρου, μὴ δὴ τάχα καὶ ποδὸς ἕλκῃ. Sed etiam infra, poſtquam ipſum Vlyſſes in
concertatione vicit, narrans poëta illum Vlyſſem domo ſua, illo pacto eieciſſe ait.
αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
» Ἕλκε δ' ἐκ προθύροιο λαβὼν ποδός.
Aperte igitur, & Irus minatus eſt ſe facturum, & Vlyſſes in ipſo fecit, quod in viro iniurio-
ſum eſt, & ignominiam non paruam prae ſe fert: Praeterea cum a politiſſimis ſcriptoribus
vſurpatum ſit, aliquid deſiderari, pro amiſſum illud eſſe, idem facundus in primis poëta ποθεῖν
eodem ſignificatu cepit, in xiij. libro Odyſſeae de Vlyſſe loquens, expoſito in Ithacam, cum
» recenſuit munera data ipſi a Phaeacibus: omniaque ſalua inuenit: inquit enim. Ὁ δ' ἄρα τρί-
» ποδας περικαλλέας, ἠδὲ λέβητας Ἠρίθμει καὶ χρυσόν, ὑφαντά τε εἵματα καλά Τῶν μὲν ἄρ' οὔτι πόθει.
Indicauit autem iam pridem Budaeus, diligentiſſimus eruditiſſimusque vir, ποθεῖν & ἐπιποθεῖν
a Graecis dici pro deſiderio rei amiſſae teneri: idemque poſſe in ſermone illo ζητεῖν & ἐπιζητεῖν.
Ciceronemque vtrumque verbum eodem loco, cum idem ſignificare vellet, expreſſiſſe oſten-
» dit: in oratione inquam pro Archia poëta, cum ait, conuerſa oratione ad accuſatorem. Hic tu
» tabulas deſideras Heracleenſium publicas, quas, Italico bello incenſo tabulario, interiſſe ſci-
» mus omnes. Eſt ridiculum ad ea, quae habemus nihil dicere: quaerere, quae habere
non poſſumus.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXII.

Explicatum illud Ciceronis e III. libro in Verrem. Poſcunt maioribus poculis: ac de more illo bibendi Graecorum diligenter diſputatum.

CAP. I.

SAEPE mihi eſt attingendus locus Ciceronis in Verrem de crimine
Lampſaceno: cum plenus ſit elegantiae: inſtitutaque multa Grae-
corum conuiuiorum contineat, quae diligenter ſcriptor eruditus
» exponit. vbi igitur, inquit. Fit ſermo inter eos & inuitatio, vt
» Graeco more biberetur: hoſpes hortatur: poſcunt maioribus po-
culis. extremis verbis puto Ciceronem ſignificare voluiſſe, quod
Graeci homines eo tempore, cum ſcilicet laetitia aliquantulum pro-
ceſſiſſet, τὴν μείζονα αἰτεῖν dicebant: intelligi enim arbitror opor-
tere, κύλικα: vt cum αἰτεῖν μείζονα κύλικα, valeat petere maius po-
culum, Ciceroni commodum fuerit illo modo reddere, quod idem poteſt, valetque: In co-
moediis autem, in quibus licentia bibendi ſaepe oſtenditur, crebro (vt opinor) haec verba
ponebantur. quod intelligere licet e veterum comicorum exemplis, quae apud Athenaeum
leguntur: in x. enim libro citatur hoc teſtimonium Sophili e fabula, quae vocabatur ἐγ-
» χειρίδιον. Συνεχὴς ἄκρατος ἐδίδοτο ἴσον ἴσῳ, πάλιν τὴν μείζω ᾔτουν. & paulo poſt alterum hoc
» Alexidis in ἀποκοπτομένῳ. Οὐ συμποσίαρχος ἦν γὰρ, ἀλλὰ δήμιος. Ὁ Χαιρέας, κυάθους προπίνων
» εἴκοσιν ἴσον ἴσῳ: πάλιν τὴν μείζω ᾔτουν. quod ſi totas lepidiſſimorum poëtarum comoedias ha-
beremus, & plura, & certiora huius moris exempla inueniremus. In ſeuero etiam poëma-
te, & plerumque pleno triſtitiae, ac doloris, mentio eſt huius hilaris inſtituti Graecorum:
Euripides enim in Ione ita inducit Creuſae ſeruum narrantem, quae viderat.
» Ἐπεὶ δ' ἐς αὐλοὺς ἧκον, ἐς κρατῆρά τε
» Κοινὸν, γέρων ἔλεξε· ἀφαρπάζειν χρεὼν
» Οἰνηρὰ τεύχη σμικρὰ, μεγάλα δ' ἐσφέρειν,
» Ὡς θᾶσσον ἔλθωσ' οἵδ' ἐς ἡδονὰς φρενῶν.
Plutarchus praeterea in Bruto, cum oſtenderet natali ipſius die: ſecundiſque in rebus ſoda-
les eius Graeco more bibiſſe: ac vinum libaſſe, & victoriae Bruti, & libertati populi Roma-
ni, addidit Brutum, confirmare adhuc ipſos in eo ſtudio magis volentem, popoſciſſe maius
» poculum: inquit enim. ἔτι μᾶλλον αὐτοὺς ἐβούλετο βεβαιῶσαι, ᾔτει ποτήριον μεῖζον. ſed apud
Homerum quoque veſtigium eſt huius ſermonis: cum fecit Achillem, videntem domi ſuae
ſibi chariſſimos viros, hortari Patroclum vt maius poculum afferret: haec enim verba poë-
» tae. Μείζονα δὴ κρητῆρα μενοιτίου υἱὲ καθίστα. Fuit autem ea parte fortaſſe Cicero breuior, &
aliquanto obſcurior, quia imitari voluit modum illum loquendi: durior enim plerumque
eſſe conſueuit, cum vertit ſententias aliquas Graecorum ſcriptorum. nam obſcuritatis non
nihil illic ſubeſſe declarat, quod eruditioribus temporibus alij aliter accipiebant, vt oſten-
» dit Paedianus, qui ait. Sunt qui producta o littera, poſcunt, quaſi ſaepe potant. ſed
» poſcunt prouocant intelligendum eſt. vt ſit ſenſus, prouocant ſe inuicem. Poſcunt, a pin-
» cerna petunt: maioribus autem poculis, vt ſubaudiatur, bibere quaerunt. Sequor autem
ipſe iudicium Aſconij: opinionemque ipſius veram eſſe puto: maxime cum dixit ſub audi-
ri debere, bibere. quamuis deſiderem in ipſo diligentiam, qua nobis expreſſum hoc fuiſſe
e Graeco indicaret.

Explicatus Ariſtotelis locus e IIII. ἠθικῶν Νικομαχείων: declaratumque, quae vis ſit huius verbi, παρασείειν.

CAP. II.

QVIDQVID in ſingulis virtutibus amplum eximiumque eſt, conuenire magnanimo viro docens Ariſtoteles in iiij. libro de moribus ad Nicomachum, primum id in fortitudine ita ſe habere his verbis, a contrario, confirmauit. οὐδαμῶς τ' ἂν ἁρμόζοι μεγαλοψύχῳ φεύγειν παρασείσαντι. Locum autem illum vertens Argyropylus, nec ſententiam philoſophi: nec vim extremi verbi, videtur expreſſiſſe: ita enim reddidit. Nulloque modo conuenit magnanimo pericula fugere ob timorem: poſſe enim ipſe arbitror hoc praeclaro animi habitu praeditum quempiam periculum maius fuga declinare, nec tamen maculae aliquid turpitudinisque tunc ſubire, quod generoſam beluam in fuga ſeruare memoriae proditum eſt: tradit namque hic ipſe leonem, cum hoc facit, non indecore: nec ſine dignitate aliqua id facere: Quod vero ad notionem verbi illius valet, ſignificat paene quod Plautus, inquit, in Epidico, demiſſis manibus: inducit enim ille militem quendam, ita loquentem. Imo ſi audias Meas pugnas, fugias manibus demiſſis domum. qui namque effuſe currunt, iactant manus. Ariſtoteles certe adiuuari curſum hac ratione teſtatur, verbo hoc ipſo vſus, in libro de Progreſſu animantium. quamuis illic verbum, quod intelligi hic videtur, addiderit: inquit enim. καὶ οἱ θέοντες θᾶττον θέουσι παρασείοντες τὰς χεῖρας. Machon autem comicus apud Athenaeum in vi. praeciſe locutus eſt, qui tamen idem videtur ſignificaſſe, motum certe ipſius concitatiorem intellexit: cum enim Diphili poëtae lepidum conſilium exponeret, datum Chaerephonti paraſito, ad cenam longe ab oppido, vbi nuptiae celebrabantur, eunti: cauſamque poſtea eius conſilij afferret, inquit. ἵνα μὴ παρασείων τὴν μακρὰν ἐκείνην Ὁδὸν βαδίζων, τὰς γνάθους διαστρέφῃ. Suaſerat autem ille, vt ex vtraque parte malas, quatuor clauis adactis, fulciret: periculum enim erat ne in tam longo itinere peragendo, dum totum corpus quaſſaret, malae diſtorquerentur: nec munus poſtea ſuum obire poſſent, atque ita omnis ille viae labor fruſtra ſuſceptus eſſet. Luſit autem Plautus lepide in hac re, immutatis partibus corporis, proque dimiſſis manibus, dimiſſis pedibus dicens: hi enim verſus ipſius ſunt in Pſeudulo, vbi inducit coquum artem ſuam efferentem: atque incredibilia quaedam Ballioni commemorantem. Vbi omnes patinae feruent, omnes aperio Is odos dimiſſis pedibus in caelum volat Eum in odorem cenat Iupiter cotidie. Odor dimiſſis pedibus? Peccaui inſciens, Quid eſt? quia dimiſſis manibus volui dicere: neque enim tantam contumaciam ipſius ferre amplius potuit leno: libereque ipſum reprehendit, cui, quemadmodum ſe purgarit, peccatum confitens, apparet.

Declaratum Cleanthem etiam quendam Samium fuiſſe einſdem opinionis, cuius Nicetas Syracuſius fuit: qui cenſuit caeleſtia omnia, ſuperaque, ſtare: terram autem ſolam in mundo moueri.

CAP. III.

IN Lucullo Cicero, cum Academicorum conſilium defenderet, qui, rerum obſcuritate cognita, temere aliquid affirmare nollent: ideoque aſſenſionem cohiberent, in ſignificandis tenebris, quibus omnia tecta & circumfuſa ſunt, expoſuit plures ſententias eruditorum virorum, magnopere inter ſe diſſidentes: in iiſque docuit extitiſſe etiam, qui, a reliquis omnibus, & doctiſſimis hominibus, & imperitis diſcrepans, arbitratus ſit caelum: quaeque in eo ſunt, manere: terram vero moueri. quo nihil abſurdius videbatur excogitari potuiſſe, ac magis repugnans opinionibus reliquorum. Verba ipſius haec ſunt. Nicetas Syracuſius (vt ait Theophraſtus) caelum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupera denique omnia, ſtare cenſet: neque praeter terram, rem vllam in mundo moueri: quae cum circum axem ſe ſumma celeritate conuertat, eadem effici omnia, quae, ſi ſtante terra caelum moueretur: atque hoc etiam Platonem in Timaeo dicere quidam arbitrantur, ſed paulo obſcurius. Huius autem admirabilis opinionis meminit quoque Simplicius in commentariis in ij. librum de caelo, cum Ariſtoteles ipſe in partitione quadam hoc quoque membrum poſuiſſet hoc pacto. cum conſtet, ſidera vniuerſumque caelum transferri, neceſſarium eſſe, ſiue ceſſantibus ambobus immutationem eam effici: ſiue ambobus motum ſubeuntibus. ait enim hoc factum eſſe, quia extiterint non nulli, quorum Heraclides Ponticus & Ariſtarchus meminerint, qui cenſuerint aſpectum eundem rerum ſuperarum conſeruari, quamuis caelum ac ſidera quieſcant: terra autem circum aequinoctiales orbes ab oc-

casu

caſu moueatur, nec tamen eorum nomen ponit. Plutarchus vero in libro, quem ſcripſit de forma, quae viſitur in orbe Lunae, & idem tetigit, & nomine etiam auctorem huius incredibilis ſententiae appellauit: neque tamen ipſi cum Cicerone in hoc conuenit: Cleanthem enim ille quendam Samium nominat, qui conatus ſit oſtendere, eadem effici omnia in caelo, quae nunc nobis apparent, poſito caelo ipſo manere: terram vero in obliquo circulo, & circum axem ſuum torqueri. Animadnertendum autem, quod Plutarchus ipſe, ac reliqui Graeci dicunt, φαινόμενα σώζειν, Ciceronem exprimere voluiſſe, cum inquit, eadem effici omnia. Nam, quod idem tradit quoſdam exiſtimaſſe Platonem etiam in Timaeo idem dicere, ſed paulo obſcurius, puto locum hunc eius libri intelligere. Γῆν δὲ, τροφὸν μὲν ἡμετέραν: εἱλουμένην δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον, φύλακα καὶ δημιουργὸν, νυκτός τε καὶ ἡμέρας ἐμηχανήσατο.

Declarati loci quidam Ciceronis: ijdemque emendati, e libris ipſius de Republica, qui leguntur apud Nonium.

CAP. IIII.

SENTENTIAM Ciceronis e vi. libro de Rep. grauem: vtilemque regendae ciuitati, & quae praeterea non careat ornatu aliquo orationis, libet hic adnotare: citatur autem illa a Nonio, quo loco docet plures notiones inueniri verbi comparo: atque id exemplis optimorum ſcriptorum confirmat. Quam ob rem ſe comparet hic ciuis ita neceſſe eſt, vt ſit contra haec, quae ſtatum ciuitatis permouent, ſemper armatus. non nullae vero maculae apud Nonium verba haec occuparunt, quas mihi videor ſatis commode ſuſtuliſſe. quod tamen melius docti & acuti viri, quorum auctoritati me totum dedo, iudicabunt. Verba praeterea haec eiuſdem, e ij. itidem eorundem librorum, ab eodem grammatico citata, quamuis ipſius nomen illic poſitum non ſit, apparet de Iuſtitia pronuntiata eſſe, atque hanc ipſam virtutem deſcribere. Quae virtus praeter ceteras, totam ſe ad alienas vtilitates porrigit, atque explicat: cum enim commune hoc ſit omnium virtutum, vt commoda aliena ſpectent: nec propoſitum habeant prodeſſe iis, qui praediti ipſis ſunt, iuſtitia in primis hoc habet: quae non tantum ſuas vtilitates non procurat, ſed damno etiam afficere illum, in cuius animo haeſerit, cum oportet, non dubitat. vnde alienum bonum vocata eſt: & veteres ſophiſtae ipſam vt detrimentoſam fugiendam dixerunt: praeſtareque iniuſtum quempiam quam iuſtum eſſe. quod ſi reliquae quoque nullum ſuum propriumque fructum ſequuntur, maiorem tamen ſplendorem dignitatemque afferunt, cum vis huius virtutis ſaepe ignotus obſcuruſque ſit. Ab eodem etiam alio loco ponuntur haec eiuſdem ſcriptoris verba, ſumpta ex eodem libro, quibus declaratur iuſtitiam fuiſſe, quam ſuperioribus verbis intellexerit. Iuſtitia foras ſpectat, & proiecta tota eſt atque eminet. quamuis illic perperam expectat legatur.

Locus M. Ciceronis pro Gallio, qui citatur a Quintiliano, diligenter animaduerſus: aliuſque itidem M. Caelij in Antonium, ab eodem rhetore adductus, emendatur.

CAP. V.

QVAS Cicero vocauit coronas languidulas in deſcriptione conuiuij luxurioſi, Plutarchus videtur ἰούλους appellaſſe: apud Quintilianum enim haec M. Tullij verba leguntur in viij. libro, vbi de lumine orationis, quod ἐνάργεια vocatur, diſputat. Videbar videre alios intrantes: alios vero exeuntes: quoſdam ex vino vacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes: humus erat immunda: lutulenta vino: coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium. In Pyrrho autem Graecus ille, grauis ſcriptor, cum acutam lepidamque rationem Metonis cuiuſdam Tarentini exponeret, reuocantis ciues ſuos ab arceſſando rege illo in Italiam ſtudentis, narrat ipſum, cum dies adeſſet plebiſciti faciendi: populuſque iam ſederet, ſumpta corona languida, & facula, vt mos ebrioſorum eſt, luceteque tibicina, in contionem ludibundum perueniſſe, atque ita, ſibi auditione facta, dixiſſe, quae ab illius habitus homine expectari non poterant, ac tempori illi, ſaluti que ciuium valde congruebant. verba Plutarchi ſunt, in quibus exemplum id eſt. Λαβὼν στέφανον τῶν ἰούλων, καὶ λαμπάδιον, ὥσπερ οἱ μεθύοντες: nos patrio ſermone coronas huiuſcemodi, floreſque, paſſos vocare conſueuimus. Locum vero eum Ciceronis ex oratione pro Gallio ſumptum eſſe, iudicio veteris rhetoris cognoui. Aquila namque Romanus, qui de luminibus orationis ſcripſit, cum exemplum poneret ſchematos, appellati a Graecis [illegible], illo vſus eſt. Tale pro Gallio de conuiuio luxurioſo.

luxurioſo. Vt clamor, vt conuicium mulierum, vt ſymphoniae cantus. Videbat mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes: partim ex vino vacillantes, partim heſterna potatione oſcitantes. Verſabatur inter hos Gallius, vnguentis oblitus: redimitus coronis. Humus erat lutulenta vino: coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium. cum autem vberius ipſum ponat hic auctor, collatione facile ille caſtigari poteſt. deſideratur tamen apud Quintilianum non nihil, quod integrum illic legitur. verum nomen ſchematis eſſe, quod oſtendi, certum eſt: ita enim appellatur, quod ſingulae res ſubtiliter explicantur: prima tamen littera eius nominis in excuſis corrupta eſt. Defendiſſe autem ſe Gallij cauſam, accuſante M. Calidio, Cicero ipſe memoriae prodidit in Bruto: ſed etiam verba quaedam ex eadem oratione citantur a Nonio, vbi docet, qui vocati ſint a Latinis etiam ſcriptoribus iogi. Admonet autem me quod Cicero inquit, quoſdam heſterna potatione oſcitantes, vt plures maculas tollam ex loco M. Caelij, quam adducit itidem Quintilianus in iiij. libro ex oratione in Antonium: deſcribit enim eum temulentum, vel potius ante oculos audientium ponit: magnae ſpei iuuenis, ſed turbulenti ingenij: crebroque conſilia de magnis rebus mutantis: in aliis autem multis, quae ipſius foeditatem aperiunt, haec etiam leguntur in antiquis exemplaribus. Quarum cum omnium voce tactuque oſcitaret, proximae cuiuſque collum amplexu petebat: in excuſis tamen libris eſt, quod non probo, nec conuenire illic vllo modo puto. vocem tactumque noſcitaret: nec enim ebrius Antonius, ſomnoque obrutus, noſcitare poterat vocem inclamantium: tactumue ferientium. cum contra clamore e profundo ſomno: ictune aliquo excitati, primo oſcitent. Quod vero ad ſententiam totius loci Ciceronis, quem ſupra poſui, facit. Plutarchus quoque in libro περὶ ἀοργησίας, vbi quibus ſignis intelligi poſſit iracundia furorque dominorum docet: habere enim excandeſcentiam acerbitatemque naturae, certas quaſdam notas, quae ipſam aperiant: vt a praetereuntibus intelligi etiam notis illis queat, an dominus aliquarum aedium luxurioſus ſit, in enumerandis iis ſignis, non nulla poſuit, quae eadem ſunt cum iis, quae a Cicerone tanguntur: quare libuit locum indicare. inquit enim. Διὰ τὴν μὲν ἀσωτίαν τῆς οἰκίας προσιόντες, αὐλητρίδος ἀκούομεν ἑωθινῆς, καὶ πηλὸν, ὥς τις εἶπεν, οἴνου καὶ στεφανωμάτων σπαράγματα καὶ κραιπαλῶντας ὁρῶμεν ἐπὶ θύραις ἀκολούθους, & quae ſequuntur. In primis autem conuenit, quod ſuppreſſo nomine auctoris, inquit, a quopiam dictum eſſe πηλὸν οἴνου: Cicero enim humum lutulentam vino dixit.

Euripidis ſententia inuenta, quae conuenit ſententiae cuidam Ciceronis: declaratumque, qui ſint diuites ex opinione Stoicorum.

CAP. VI.

M. CICERO In oratione Corneliana cum dixit (adducuntur autem inde plures ſententiae ab ipſo in Oratore ſuo.) Neque me diuitiae mouent: quibus omnis Africanos & Laelios multi venalicij mercatoreſque ſuperarunt, videtur expreſſiſſe ſententiam Euripidis, quam induxit quendam his verbis edentem. Μὴ πλοῦτον εἴπῃς: οὐχὶ θαυμάζω θεὸν, Ὃν χὠ κάκιστος ῥᾳδίως ἐκτήσατο. citantur autem hi duo ſenarij a Plutarcho in libro, quo praeparat adoleſcentes ad lectionem poëtarum: fabula namque poëtae vbi erant, periit vetuſtate. Plato quoque in v. libro de legibus, cum honorem omnem eriperet vulgaribus diuitiis, atque eodem argumento in illis contemendis vteretur, eodem reſpexiſſe manifeſto intelligitur: nam iiſdem etiam verbis vtitur: inquit enim. Πλουσίους δ' αὖ σφόδρα καὶ ἀγαθοὺς, ἀδύνατον, οὕς γε δὴ πλουσίους οἱ πολλοὶ καταλέγουσι: λέγουσι δὲ τοὺς κεκτημένους ἐν ὀλίγοις τῶν ἀνθρώπων πλείστου νομίσματος ἄξια κτήματα. Quod autem fieri non poſſe inquit, vt iidem homines, & valde diuites, & probi viri ſint: ſtatimque aperiendum cenſuit de quibus diuitibus loqueretur, id non ſine cauſa fecit: intelligebat enim alios eſſe hoc nomine digniores, quos docti homines, non vulgus, diuites vocarent: id, quod poſtea Stoici arripuerunt, vt Cicero multis locis teſtatus eſt. nam, quod in epiſtola ad Trebatium, inquit. Balbus mihi confirmauit te diuitem futurum, id vtrum Romano more locutus ſit, bene nummatum te futurum: an quomodo Stoici dicunt, omnes eſſe diuites, qui caelo & terra frui poſſint, poſtea videro, hoc prorſus valet. ſed in oratione quoque pro P. Seſtio, idem breuius tetigit, cum in Gellium, impurum hominem, & qui patrimonium deuorarat, inueheretur. Poſteaquam rem paternam ab idiotarum diuitiis, ad philoſophorum regulam perduxit. Neque tamen idiotae tantum bene nummatum diuitem appellarent, verum etiam Peripatetici: qui inſimulabant quoque eo nomine Stoicos, diſcedereque a conſuetudine ſermonis aiebant. Alexander Aphrodiſienſis in ſecundum librum Topicorum & ipſe contra illos ita argumentatur. Οὐ γὰρ ἀγνοοῦντες οὕτω τὰ ὑπάρχοντα τῷ σοφῷ, πλοῦτον ταῦτα λέγουσιν, ἢ κάλλος, ἢ εὐγένειαν, ἀλλὰ παραβαίνοντες τὴν κοινὴν μεῖον

γονέων λέγει: ὁ μὲν πλοῦτος, ἅ τε κάλλος οὐκ ἀπὸ ἀρετῆς, ἀλλ' ὁ μὲν ἀπὸ χρημάτων τε καὶ κτημάτων κατηγορεῖται & quae ſequuntur. ſed infra etiam in eodem libro alium locum indicat, vnde duci poſſunt argumenta contra hanc ipſorum incredibilem ſententiam.

Sublatum mendum e II. Ciceronis Philippica.

CAP. VII.

ARBITROR maculam eſſe in his Ciceronis verbis e ij. libro Philippicarum, quam tamen, qui intentis oculis orationes illas inſpexere: multumque operae in ipſis purgandis poſuere, non viderunt: quod enim in excuſis omnibus libris legitur. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caeſarem Pompeio ſuaſerim: ea velim reprehendas, ſi potes. Vnum, ne quinquennij imperium Caeſari prorogaretur: alterum, ne pateretur fieri, vt abſentis eius ratio haberetur, & quae ſequuntur, puto legi debere, ceteris omnibus ſeruatis, ne pateretur ferri: ita enim Cicero alibi locutus eſt, ſed ratio etiam ipſa, ſi accurate attendimus, hanc veriorem eſſe lectionem docet: auctoritate enim ſua Pompeius, ne id ferretur ad populum, impedire poterat: promulgatum autem, ne probaretur multitudini, vllis opibus efficere nequibat. In viij. libro Epiſtolarum ad Atticum, vbi Cn. Magnum accuſat, ac de peccatis eius maximis, & hac ipſa demum re, queritur. Idem etiam tertio conſulatu, poſtquam eſſe defenſor reip. coepit, contendit, vt x. trib. pl. ferrent, vt abſentis ratio haberetur. In libello quoque de ſenectute, cum olim in excuſis legeretur: Optimis auſpicijs ea geri, quae pro reip. ſalute gererentur: quae contra remp. fierent, contra auſpicia fieri, ſecutus veterum librorum fidem, emendaui, quae contra remp. ferrentur, contra auſpicia ferri.

Cur carpſerit Cicero verbum in epiſtola Antonij, quod iuſta reprehenſione carere videtur.

CAP. VIII.

NON reprehendiſſet fortaſſe M. Cicero verbum in epiſtola M. Antonij, vt nullo modo illi tempori: rebuſque atrocibus exponendis, aptum, niſi ab inimico prolatum id foret: ac niſi omnia, quae illic ab eo dicta fuiſſent, criminari atque explodere in animum induxiſſet: quod enim in ea fuerat. Quamobrem vos potius animaduertite, vtrum ſit elegantius & partibus vtilius, Trebonij mortem perſequi, an Caeſaris, contemnens exagitanſque Cicero ait. Vtrum inquit elegantius. Atqui hoc bello de elegantia quaeritur: nam Demoſthenes quoque in nobili illa oratione pro Cteſiphonte verbum, quod huic paene reſpondet, in re graui, & ad ſtatum Reip. pertinente, vſurpat. locus autem omnis huic admodum ſimilis eſt: inquit enim. Καίτοι σκέψασθε πότερον κάλλιον, καὶ ἄμεινον τῇ πόλει, διὰ τὰς τῶν βελτίστων εὐεργεσίας, ὅσας ὑπερμνήσθης: οὐ μὲν ἂν εἴποι τις ἂν ἄλλως, τὰς ἐπὶ τὴν παρόντα βίον γιγνομένας, εἰς ἀχαριστίαν, καὶ προπηλακισμὸν ἄγειν: ὃ πᾶσιν ἔνεστι μετ' ἀνοίας πράττουσι, τῆς παρὰ τούτων τιμῆς, καὶ φιλανθρωπίας μετέχειν. Vterque autem duorum horum praeſtantium oratorum duo verba poſuit: quorum alterum honeſtatem ſplendoremque: alterum autem vtilitatem commodumque referret: nec me tamen fallit, cum elegans neſcio quid delicati plerumque oſtendat, hoc in eo carpſiſſe Ciceronem: nam ſi honeſtius dixiſſet Antonius, nullo pacto notare id potuiſſet: in peroratione enim quoque pro L. Cornelio Balbo eodem pacto locutus eſt: nam inquit. Videte ne vtilius vobis & honeſtius ſit, illis ducibus errare, quam hoc magiſtro erudiri. Quod autem Antonius eodem in loco, odioſo verbo cauſam Pompeianorum victam ac profligatam, iugulatam μεταφορικῶς vocauit: Ciceroque ei parti reſpondit. Si eſſet iugulata, numquam exurgeret: quod tibi tuiſque contingat, execrans illum ſocioſque, Demoſthenes quoque exitium precans Aeſchini, idem his verbis in eadem cauſa pronuntiauit. ἅ σοι καὶ τοῖς σοῖς οἱ θεοὶ τρέψειαν εἰς κεφαλήν. nam tranſlationem ipſam criminari non potuit, cum aptiſſima ſit: & ab ipſo etiam aliquando vſurpata: tantum ipſum exagitat, quod pugnantia loquitur: cum putet, quam iugulatam dicit, poſſe reuiuiſcere. T. autem Liuius in xxxv. libro ſuperiore verbo, vt Antonius: vſus eſt, qui tamen (vt opinor) non tantum reprehenſione caruit, ſed laudem quoque meruit: ait enim. Is elegantius facturos dixit, ſi iudicio patrum, quam ſi ſorti eam rem permiſiſſent.

Indicatum

Indicatum, duas Graecas ſententias, quibus vſus eſt Cicero in epiſtolis ad Atticum, a Graecis etiam ſcriptoribus citari.

CAP. IX.

CVM epiſtolis Ciceronis purgandis operam dedi: quae infinitis maculis deformatae erant: ſententiaſque non nullas obſcuriores, Graecis praeſertim verbis illic prolatas, explicaui, non dum incideram in vocem illam, quae Graece, dulcedinem cuncta intelligendi ſuperare reteras omnes ſuauitates ſignificatur, apud ſcriptorem vllum eius nationis, quamuis leniter locum emendarim, ſequutus fidem optimi exemplaris: nunc autem, cum prouerbium illud a Graeco quoque auctore celebratum inuenerim, libuit locum indicare. Verba Ciceronis haec ſunt, e iiij. libro epiſtolarum ad Atticum. οὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντ' εἰδέναι: quare, vt homini curioſo, ita perſcribe ad me, quid primus dies: quid ſecundus: quid cenſores: quid Appius, quid illa populi Apuleia: denique etiam quid a te fiat, ad me velim ſcribas: antea enim libri excuſi habebant, ſingulari numero πᾶν, quod correxi, & ad multitudinis numerum retuli, quae vera eſſe lectio manifeſto nunc intelligitur. Themiſtius igitur peruulgatae huius ſententiae mentionem fecit in oratione quam vocauit Βασανιστὴν, cum oſtenderet ſe mirifico amore rerum ſuarum cognoſcendarum teneri: diſſentireque in hoc ab ingenio plurimorum, qui alienas res curioſe inueſtigant: ſuas propriaſque negligunt, ita autem locutus eſt elegans, eruditusque ſcriptor, Ἐγὼ δὲ ἐβουλόμην περιπεγράφθαι μοι τὰς πήρας, ἵνα τὰ ἐμαυτοῦ μόνον ἑώρων: τὰ τῶν ἄλλων δὲ μὴ δυναίμην: οὐκ ἔστι γὰρ (φασὶ) γλυκύτερον, ἢ πάντ' εἰδέναι, καὶ ἐγὼ φημι τἀγαθά, nam in ea re exponenda fabellam Aeſopi attigerat, qui tradidit ſingulos homines duas manticas geſtare: alteram, in pectore: alteram vero, in tergo: ambas autem rebus malis refertas eſſe, ſed anteriorem: alienis: poſteriorem vero, propriis illius, qui manticas illas fert. vnde fieri vt homines ſua ipſorum mala non videant: aliena autem acute atque exquiſite perſpiciant. quare optat ille politus vir vt manticae conuertantur, vt ſua tantum intueri valeat: aliena autem nullo modo: cuius praeclari deſiderij ſui, ac graui proboque viro digni, rationem reddit, communi illa ſententia, quam tamen aliquantulum emendat, vt qui putet non omnia ſcire iucundiſſimum eſſe, ſed res tantum bonas. Catullus igitur in extremo Iambo in Varum cum inquit, Sed non videmus manticae, quod in tergo eſt, reſpexit & ipſe ad fabellam Aeſopi: nec non Horatius in Satyra tertia ſecundi libri, dicens, Dixerit inſanum qui me, totidem audiet: atque Reſpicere ignoto diſcet pendentia collo: quam autem manticam Catullus, Graecus ille ſcriptor πήρας vocauit. Superiori autem ſimilis locus eſt hic in xiij. libro earundem epiſtolarum, quem etiam tunc aliquantulum deprauatum correxi, eodem fideliſſimi libri auxilio: nec enim adhuc in ea verba Graeca incideram, quae poſtea repperi apud Dionyſium Halicarnaſſeum, accuratum magiſtrum dicendi. Poſt verba igitur Ciceronis, quibus petit ab Attico, vt ſe iuuet conſilio, vtrum aperte improbum iuuenem, fratris filium, aſpernetur ac reſpuat, an aſtute in eo negotio ſe gerat, ac dolo vtatur, cum Pindari locum, illi ſententiae exponendae accommodatum, vſurpaſſet: verbaque Graeca eius poëtae, poſuiſſet, legitur: vt enim Pindaro, ſic δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν. cum autem indicaſſem locum illum tactum etiam eſſe a Platone in ij. libro Politiae, quo etiam firmo praeſidio Graeca verba, turpiter inquinata, facilius emendaui, extrema haec apud philoſophum illum elegantiſſimum non leguntur. Succurrit igitur huic rei Halicarnaſſeus, qui in libro de compoſitione verborum, inquit: καὶ ὅπως ποτὰ γνώμαν φαίην ἂν ἐγὼν ἀτρεκῶς: καὶ δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν. loquitur autem de tribus illis formis dicendi, quas χαρακτῆρας Graeci vocant, differentiiſque ipſarum: cum enim primam ſecundamque nominibus translatis vocarit: prioremque αὐστηρὰν: poſteriorem vero γλαφυρὰν appellarit, aut ἀνθηρὰν: tertiam, temperatam ex ambabus illis, quomodo vocet, ſe dubitare dicit: ſtatimque verba illa adiungit. In libris autem excuſis Ciceronis legebatur prius ἀτρεκὲς, mendoſe vt hoc etiam teſtimonio confirmatur: quid vero exiſtimem valere illic extrema duo verba indicabo, quamuis certi nihil de illis habeam, cum in reliquis carminibus diuiniſſimi eius poëtae locus ille non inueniatur: arbitror enim ſignificare, ἀτρέκειαν εἰπεῖν, vt verum fatear, & quemadmodum res ipſa ſe habet, aperiam: nam videtur labem aliquam afferre culpamque tam incerto animo de aliqua re eſſe: homineſque ea de cauſa id tegere conſuerunt: ipſe tamen veritatem eius rei poëta dixerat ſe velle patefacere, atque eum poſtea ſecutus M. Tullius, quid haberet ambiguum, libere indicauit.

Emolumentum aliam etiam notionem habere, quam vulgo putetur: nec ab vllo grammatico explicatam, teſtimoniis veterum comprobatum.

CAP. X.

EMOLVMENTVM non idem ſemper apud optimos Latinae linguae auctores valet. ſed non tantum res diuerſas poteſt, verum etiam contrarias: nunc enim quaeſtum ſignificat, aliquidue quod conducat: nunc vero quod operoſum eſt, ac magnum ſtudium requirit. probare exemplis ſignificare emolumentum, quod iuuet, neceſſarium non eſt, cum plerumque ita capiatur: alteram autem hanc eius notionem, nouam auribus multorum, ac difficilem primo futuram puto: auctoritatibus tamen allatis ipſam non repudiatum iri ſpero. C. igitur Caeſar, elegans rerum ſuarum ſcriptor, in primo commentario de bello Gallico, quo loco legationi ſuae reſpondentem Ariouiſtum commemorat ita dixiſſe. Praeterea ſe neque ſine exercitu in eas partes Galliae venire audere, quas Caeſar poſſideret: neque exercitum ſine magno commeatu, atque emolumento, in vnum locum contrahere poſſe, manifeſto ita cepit: neque enim emolumentum, quaeſtuſque vllus fit in contrahendo exercitu, ſed contra ſumptus ingens, atque iactura pecuniae immanis: neque id rationibus eius Regis, eique quod probare volebat, accommodatum vllo pacto erat. contra autem poſterior haec eius verbi vis, notioque infrequentior, mirifice quadrat ſententiae Ariouiſti: oſtenditque, quod tempus illud poſtulabat: quis enim non intelligit magnum impedimentum eſſe, exercitum e pluribus diuerſiſq; ſedibus in vnum locum contrahere: contractumque poſtea in alias terras ducere. Praeterea M. Varro eodem modo videtur id vſurpaſſe in iij. libro de re ruſtica, ac multiplex denique negotium, magnum emolumentum appellaſſe, cum Axium, tranſacto iam ſecundo actu, vt putabat, ita induxit loquentem. Nec de cocleis ac gliribus quaero, quod reliquum eſt; neque enim magnum emolumentum eſſe poteſt. ſignificat enim ſe nolle quempiam occupari in diſputatione de cocleis ac gliribus, quae reliquae partes erant ſermonis ad venationem pertinentis, quia cognitio illarum rerum obſcura difficiliſque non foret: nam valere illic emolumentum hoc quod dixi, non quaeſtum fructumque, manifeſto percipitur ex iis, quae ſtatim reſpondet Appius: reprehendit enim ille Axium, quod exiſtimet rem illam apertam proclinemque eſſe: ac non paruas difficultates in illa re, recta ordineque tractanda, eſſe declarat. Verba eius haec ſunt. Non iſtuc, tam ſimplex eſt inquit Appius, quam tu putas o, Axi noſter: nam & idoneus ſub dio ſumendus locus coclеariis & quae ſequuntur. Quis autem non aſſentiatur auctoritati duorum maximorum ſcriptorum? nam ne maculae aliquid illic ineſſe quis putet, teſtificor me vetuſtiſſimos libros vtriuſque auctoris vidiſſe: nec diſcriminis quippiam a recepta lectione illic inueniſſe. Conſtitueram ſatis, vt opinor, receptam, veramque lectionem, ſuperioris huius C. Caeſaris loci; animaduerti tamen poſtea deſiderari adhuc quiddam, vt firma penitus illa, certaque eſſe ab omnibus cognoſceretur; atq; hoc, quia vetus opinio docti viri, & clari in hoc genere ſtudiorum, aduerſabatur; qui temptauerat ipſam, & ad quoddam tempus deprauatam eſſe exiſtimarat; pro emolumento enim, legi debere, molimento, conſiſus iudicio, ſignificarat: quam ſententiam ſuam diuulgauerat, & quemadmodum multis aliis, ita etiam mihi ipſi Romae aperuerat, ac paene perſuaſerat; Vnde poſt editos meos hos libros non defuere, qui mihi illam laudarent, ac veriorem mea crederent; Quin etiam, cum Fuluius Vrſinus commentarios illos excudendos curaret, referens ſe multis partibus ad iudicium diligentis, & eruditi viri, in margine eorum adnotauit hanc Gabrielis Faërni emendationem. Cum autem iam excuderentur hi libri, quos in manibus modo habeo, antequam ad hunc locum peruentum eſſet totam rem per litteras Faërno ſignificaui, qui errorem ſuum agnouit; reſpondit que gaudere ſe, quod didiciſſet, locupletiorem fuiſſe, gemino ſignificatu huius nominis, Latinum ſermonem; tunc autem coniecturam illam, quamuis diſſeminatam refellere nolui; atque honori ipſius, exiſtimationique ſeruiui, amici hominis, & optime de lingua Latina meriti. Teſtis mihi erit totius huius narrationis, & is quidem magnus & grauis, quem ſupra appellaui, Fuluius, ad quem epiſtolam Faërni multo poſt miſi.

Quod accuſauit Catullus in amoribus ac deliciis ſuis, declaratur commune vitium eſſe omnium, qui formam ſuam valde expeti vident: atque imbecillo conſilio, propter aetatem, ſunt.

CAP. XI.

CONQVERITVR Catullus de ſiniſtro ingenio Iuuentij, formoſi pueri, quod & ſuum, & aliorum elegantium virorum amorem poſtponeret amori Piſaurenſis cuiuſdam, mendici hominis atque abiecti, inſimulat autem ipſum huius peccati duobus

bus

bus epigrammatis, altero hendecaſyllabo: altero vero alternis verſibus longiuſculis. Hendecaſyllabi initium. O qui floſculus es Iuuentiorum. Illius, cuius poſteriores verſus vno pede minores. Nemo ne in tanto potuit populo eſſe Iuuenti. Quod autem Catullus magno cum dolore in illo ipſo, cuius amore flagrabat, experiebatur: nec ferre poterat, Ariſtophanes in Equitibus, commune eſſe omnium eius aetatis oſtendit, vt neglectis amatoribus politioribus, totos ſe tradant hominibus tenuiſſimis, atque omni macula inquinatiſſimis. Cum enim induceret in ea fabula Agoracritum accuſantem mores populi Athenienſis, qui & ſe, & alios multos honeſtus viros, & vtiles Reip. ciues, acerrimos ipſius amatores, repudiaret: nec ad ſe accedere ſineret: Cleonem autem improbiſſimum, & ſordidiſſimum mortalem foueret, inquit imagine vtens: & cuiuſmodi ille vita & moribus eſſet oſtendens, eum ſimilem eſſe pueris qui amantur: neque enim probos viros, egregiiſque animi dotibus praeditos, recipere, vt illi quoque faciunt: ſed effundere ſe totum in amorem vilium perſonarum: humillimaſque artes, ac miniſteria ſordida tractantium. verba poëtae haec ſunt. Αλλ' οὐχ ὁρᾶτ' ἴσως διὰ τουτονί: σὺ γὰρ Ομοιος εἶ τοῖς παισὶ τοῖς ἐρωμένοις Τοὺς μὲν καλούς τε κἀγαθοὺς οὐ προσδέχῃ: Σαυτὸν δὲ λυχνοπώλαισι, καὶ νευρορράφοις, Καὶ σκυτοτόμοις, καὶ βυρσοπώλαισι δίδως Fuit igitur id, de quo cum eo expoſtulat Catullus, non proprium Iuuentij vitium, ſed quaſi rei ipſius: omniumque, qui intelligerent ſe in amoribus ab aliquibus ac deliciis haberi, vt ſemper deterrimum quemque ſumerent atque eum amplexarentur. nam libidinoſo hoc etiam teneroque amore arſiſſe lepidum hunc poëtam, iudicio ipſius cognoſcimus: neque enim duobus his tantum carminibus de ſeipſo id edidit, ſed aliis etiam, vt quo ſignificauit, ſi liceat ſibi ſuauiſſimos ipſius oculos baſiare, ſe numquam ſaturum inde futurum: nec non quo docuit, poſtquam id, quod tantopere concupiebat dolo adeptus eſt: ſuauiolumque ſurripuit, ex ea re non mirificam voluptatem, ſed acerbiſſimam paenam ſe conſecutum. adeo ſunt incerta deſideria amatorum: voluptateſque eorum aegritudine temperatae.

Sententiae M. Varronis, qua laudauit abſtinentiam virorum mulierumque Romanarum, oſtenditur conuenire teſtimonium Plutarchi, idem commemorantis.

CAP. XII.

VERBA haec M. Varronis de vita populi Romani libro 4. quae citantur a Nonio. Qua abſtinentia viri, muliereſque R. fuerint, quod a rege munera eorum voluerit nemo accipere, pronuntiata fuerunt de Pyrrho rege Epirotarum, qui cum viciſſet Romanos: miſiſſetque Romam oratorem Cineam Theſſalum, cuius opera atque eloquentia in magnis rebus vtebatur: eidemque dediſſet quibus muneraretur, & principes viros, & ipſorum vxores, ſine ſuo conciliandi ſibi ea ratione animos Romanorum, excidit: admirabili enim quodam conſenſu dona illius repudiata ſunt, tanta erat eius gentis, illis temporibus abſtinentia, quod merito doctiſſimus vir in vita generoſi illius populi ſignificanda commemorauit. Idem autem Plutarchus in regis eius vita exponenda teſtatus eſt, qui addidit etiam quid reſponderint temperantes illi homines, ac magni ſpiritus, quo factum ſuum tuerentur: nec viderentur nimis ruſtice id feciſſe: inquit enim. Ρωμαθεὶς δ' ὁ Κινέας, ἐντυγχάνει τοῖς δυνατοῖς, καὶ δῶρα πᾶσιν αὐτῶν, καὶ γυναιξὶν ἔπεμπε παρὰ τοῦ βασιλέως: ἔλαβε δὲ οὐδείς, ἀλλ' ἀπεκρίναντο πάντες καὶ πᾶσαι, ὅτι δημοσίᾳ σπονδῶν γινομένων, καὶ τὰ παρ' αὐτῶν ὑπάρξειν πρόθυμα τῷ βασιλεῖ, καὶ κεχαρισμένα,

Quaeritur de veritate lectionis verſus Catulliani in epigrammate, quo laudat poëma Cinnae.

CAP. XIII.

ELEGANS Catulli carmen, quo laudauit poëma Cinnae, Smyrnam appellatum, multis modis deformatum lacerumque eſt, vt autem nunc praeteream nota ipſius apertaque vulnera: quibus mederi me fateor non poſſe, vereor ne extremum verbum antepenultimi verſus mendoſum ſit, in iis libris, in quibus legitur. Parua mei mihi ſint cordi monumenta ſodalis: nam ſunt etiam excuſi, qui laboris habent: atque ij quidem primis temporibus impreſſi, antequam tanta licentia per antiquorum auctorum ſcripta peruaderet, atque omnia contaminaret. & ſane in pluribus ſcriptis exemplaribus poſtrema illa pars eius carminis deſecit: neutrumque horum verborum illic eſt: in duobus tamen calamo exaratis, laboris inueni, in nullo autem ſodalis; quare ſi al-

terutra

terutra illarum vocum propria poëtae, veraque eſt, magis probo lectionem, quae laboris habet: magiſque illam conuenire perſonae puto, vt loquatur extremis duobus verſibus, non de Cinnae poëmate, ſed de ſuo, quo ſe delectari Catullus dicit, exemplo Cinnani illius operis, quod cum magnum non eſſet, cum tamen perfectum foret, aeternum futurum ſperabat: nequa enim videtur recte Catullus operoſum alterius, quod fert in caelum, poëma, potuiſſe parua monimenta appellare. nihil ſane de hoc certi, ſcrupulum tamen, qui mihi exortus eſſet, non ſine cauſa (vt arbitror) aperui, ſiquem fructum elegantiſſimo, atque eidem doctiſſimo poëtae, ferret. Smyrna autem hoc Cinnae hexametris verſibus ſcriptum erat, vt Seruij grammatici iudicio perſpicitur, qui in commentario in primum librum Georgicorum duos hos inde verſus citauit. Te matutinus flentem conſpexit eous. Et flentem paulo vidit poſt heſperus idem. Flauius quoque Soſipater ſumpſit exemplum ex eo poëmate, ſcribens. Cinna autem in Smyrna huius tabis vixit: Cinna vero hic poëta ille eſt, qui errore populi necatus fuit, inflammati ab Antonio in Caeſaris interfectores, cum cognominis eſſet vni e coniuratis.

Notantur verba quaedam, eleganter tranſlata ab Cicerone: quo modo etiam Graeca, his reſpondentia capi ſignificantur a ſcriptoribus eo ſermone.

CAP. XIIII.

SVNT ita ſimiles res non nullae inter ſe, vt verba propria ipſarum ad alias oſtendendas transſerantur, ſine nomine illae careant: ſine ſuo relicto, apertius mutuatis indicentur: atque id non in vna tantum lingua, ſed in pluribus etiam eadem ratione contingit, quo magis ſimilitudo ipſorum declaratur. Cicero igitur in L. Piſonem cum inquit. In quo tu accepta tamen, & deuorata pecunia Vtinachorum, centum talenta euomere non poteras, duobus verbis tranſlatis aperte quod voluit, ſignificauit. ſed priore nunc relicto, quod tamen & ipſum rei exprimendae mirifice aptum fuit, & a Catullo quoque eodem pacto vſurpatur, cum inquit, C. Caeſarem perſtringens: aut quid hic poteſt, Niſi vncta deuorare patrimonia? Quod ad poſterius pertinet, non facile dici poteſt quantopere illic quadret euomere: nec propriis vllis verbis melius res exprimi potuit, quam hoc alieno ſignificata eſt, & paene ante oculos poſita. Ante Ciceronem tamen Plautus in Curculione hoc verbo eodem pacto aptiſſime eſt vſus, cum fecit militem hoc modo lenonem vrgentem: ſta ſis ilico: Atque argentum propere propera vomere. Vt autem ab ea re verbum nobiliſſimi hi Latini auctores ſumpſerunt, ita quoque lepidiſſimus comicus in fabula, cuius eſt index Ἀχαρνῆς: cum enim initio eius comoediae induxerit poëta Dicaeopolim ſenem memoria repetentem gaudia, quae in vita adeptus erat: quae pauca fuerant, primum enumeranit, cum Cleon, ille turbulentus & improbus ciuis, quinque talenta, quae fraude abſtulerat, euomuit: & opera equitum virtuteque reddere coactus eſt. verba Ariſtophanis haec ſunt. Ἐγ' οἶδ' ἐφ' ᾧ τὸ κέαρ εὐφράνθην ἰδὼν Τοῖς πέντε ταλάντοις, οἷς Κλέων ἐξήμεσεν. Sed nos quoque patrio noſtro ſermone ita loquimur: verbumque inde mutuamur, cum minamur alicui nos effecturos, vt pecuniam improbe partam, ſurreptamque reddat: plures enim ornatus noſtra oratio communes ipſi cum Graeco, Latinoque ſermone habet. Praeterea quod Cicero, eodem verbo tranſlato ad aliam rem, in Laelio inquit. Tamen is pati non poſſit, vt non acquirat aliquem, apud quem euomet virus acerbitatis ſuae. valet enim illic eiiciat: vt enim cibus non coctus eiicitur, ita odium rabieſque illa effundi ac ſpargi in aliquos neceſſe habet: vſurpatum quoque eodem ſenſu Graecum inueni apud Aeſchylum in Eumenidibus, cum, qui ex illis conſtabat, chorum ita Apollo accuſauit, quod pati non poſſet ſe victum in iudicio Σύ τοι τάχ' οὐκ ἔχουσα τῆς δίκης τέλος, Ἐμεῖ τὸν ἰὸν, οἶδεν ἐχθροῖσι ἄχρωμ. quin autem primas obtineant in illuſtranda omni lingua aptae tranſlationes dubitari non poteſt, quarum vim vt paucorum aliorum ornamentorum, qui tenuerit, is integritatem vimque alicuius ſermonis tenere exiſtimandus: quod tetigit etiam Plutarchus in vita Demoſthenis, cum collatis factis eius oratoris, omnique vita cum rationibus Ciceronis, rationem reddidit, cur non diiputaſſet, vter eorum iucundior vehementiorque orator eſſet: neque enim ſe parem eſſe confeſſus eſt iudicio de hac re faciendo, cum pulchritudinem Romanae linguae, breuitatemque: nec non tranſlationes nominum, atque elegantem eorum ſtructuram, non intelligeret: vt vir Graecus, & qui ſummo ſtudio atque exercitatione in candore Latini ſermonis verſatus non eſſet. Exemplum eiuſdem animaduerſionis hoc etiam certum eſt (quamuis non defuerint veteres auctores, qui ὀφρυμίαν vocari hanc, non μετωφρύν debere cenſuerint) quod cum ſupercilium vocetur nota pars humanae frontis, eodem etiam verbo appellatur elatior pars collis, quod emineat, vt locutus quoque eſt T. Liuius in xxxiiij. libro ab Vrbe condita.

» Is cum ſupercillo haud procul diſtantis tumuli ab Vrbe inſtructam aciem oſtendiſſet, & quae
» ſequuntur: nec non Vergilius in primo Georgicorum, ita canens. Ecce ſupercilio cliuoſi
» tramitis vndam, Graecos autem ſuo verbo, quod huic Latino reſpondet, vertices quoſdam montium appellaſſe, & veteres grammatici teſtantur: & exemplis poëtarum reliquorumque ſcriptorum confirmatur: Homerus enim vt aliis in locis, ita in iij. Iliadis hoc vſurpauit, cum
» cecinit. οἱ δ' ἑτέρωσε κάθιζον ἐπ' ὀφρύσι καλλικολώνης: In patrio etiam noſtro ſermone hoc ſeruari apertum eſt, cum foſſarum aggeres nonnullos ciglioni, vocemus, ſine dubio a ſimilitudine partium illarum, quae natura tamquam propugnacula oculorum formauit. Polybius etiam in ij. libro hiſtoriarum in accuſando C. Flaminio coſ. erratoque ipſius monſtrando, qui ita ſtruxit aciem, vt fluuius ſtringeret terga ſuorum, ὀφρῦ fluminis appellauit: ſupercilium vo-
» cans altiorem ipſius ripam, aggeremque vt opinor, verba eius haec ſunt. ὁ μὲν γὰρ στρατηγὸς φλα-
» μίνιος οὐκ ὀρθῶς δοκεῖ κεχρῆσθαι τῷ προειρημένῳ κινδύνῳ· παρ' αὐτὴν γὰρ τὴν ὀφρῦ τοῦ ποταμοῦ ποιησάμενος
» τὴν ἔκταξιν, διέφθειρε τὸ τῆς ῥωμαϊκῆς μάχης ἴδιον οὐχ ὑπολειπόμενος τόπον πρὸς τὴν ἐπὶ πόδα τῶν σπειρῶν ἀναχώρησιν. Idem etiam in excerptis xi. libri χεῖλος foſſae vocauit quaſi labrum, a ſimilitudine humani oris.

Ponderata, quaedam carmina Catulli, quae manca videntur, partibus ipſorum quibuſdam vetuſtate amiſſis.

CAP. XV.

SAEPE mecum queror de iniuria ſuperiorum temporum, & quod magnam partem optimorum auctorum nobis eripuerunt, & quod eos etiam, quos viuos reliquerunt, mutilos vndique laceroſq; ad nos tranſmiſerunt: non parum autem me angit damnum quod in Catullo factum eſt: ipſe enim in primis vtrumque malum miſerabiliter perpeſſus eſt, quo poëta nihil ingenioſius: nihil eruditius: nihil iucundius excogitari poteſt. vt taceam purum ſermonem, qua vna re ceteris paene omnibus antecellit, vt liquido etiam inde cognoſcatur Romae vixiſſe: multumque ſtudij in obſeruantia Latinae linguae poſuiſſe. Vt igitur turpiſſimis aliis maculis inquinatus eſt, ita hoc etiam vitio laborat, quod epigrammata ipſius (vt videtur) ſaepe confuſa ſunt, cum alicuius fracti pars propinquo adhaeſit, quod manifeſto euenit in Hendecaſyllabo in Camerium, cuius nunc
» initium eſt. Iraſcere iterum meis iambis. Immerentibus vnice imperator: duo enim hi verſus principium erant carminis, quo maledixiſſet. C. Caeſari: eius autem reliqua pars amiſſa eſt. nam quod iterum dixit, certum eſt poëtam antea ipſum laeſiſſe atroci carmine: cuius
» initium eſt. Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati Niſi impudicus, & vorax, & aleo: prin-
» cipium autem carminis in Camerium liquido intelligitur eſſe. Oro, ſi tibi forte non mo-
» leſtum eſt, Demonſtres vbi ſint tuae tenebrae: ita enim ſententiae haerent ſibi ipſis: nihilque alienum hic, temereque inculcatum eſt. Videndum igitur accurate an idem contigerit
» in altero illo Hendecaſyllabo, quod incipit, vt nunc eſt in excuſis libris, Acme illa, illa puel-
» la defututa? Tota milia me decem popoſcit. ipſe ſane vereor ne octo primi verſus ſeparari de-
» beant ab inferioribus: principiumq; ſequentis hendecaſyllabi ſit. Adeſte hendecaſyllabi quot eſtis. nam quod agit poëta ab hoc loco diuerſum ab eo eſt, quod ſuperioribus verſibus oſtenditur. Praeterea extrema ſententia eius carminis imperfecta eſt: quis enim ſenſum vllum i-
» doneum eliceret vmquam ex his verbis. Non eſt ſana puella: nec rogate Qualis ſit: ſolet
» haec imaginoſum, vel quis potius non deſiderari aliquid fateretur. Aut igitur meo iudicio diuerſum hoc eſt epigramma a ſuperiore: aut ſi forte coniunctum olim fuit, ad eandemque perſonam pertinuit, quae in medio poſita erant: inde autem nunc eiecta ſunt, diuerſa quae videntur, argumenta copulabant: nam inferiore hac parte vſque ad extremum continuata, queritur de iniuria mulieris, quam moecham vocat: nomine autem numquam appellat, quod pugillares, in quibus verſus ſui ſcripti erant, reddere nollet: vnde ad hendecaſyllabos confugit: ab ipſiſque auxilium petit: vt, pauore illi iniecto, cogant reddere carmina, quae acceperat: & vt illam facilius agnoſcere poſſent, deſcribit eam, cum magna ipſius ignominia. In eo-
» dem etiam hoc hendecaſyllabo, verſus illos. Quod ſi non aliud poteſt, ruborem Ferreo ca-
» nis exprimamus ore. fuerunt qui curioſe magis quam vere interpretati ſint, exiſtimantes poëtam intellexiſſe tormenti genus apud veteres canis appellati, cuius etiam mentionem feciſſe
» Plautum oſtendunt in Curculione his verbis. Delicatum te hodie faciam cum catello vt ac-
» cubes: Ferreo ego dico. Sex. quoque Pompeius illius meminit, qui tamen non tormenti ge-
» nus, ſed vinculi eſſe docet his verbis. Catulus quoddam genus vinculi, quod interdum canis appellatur. Inſtrumentum vero hoc ad frenandum potius, coërcendumque, quam ad exprimendum factum videtur, quod hic non quadrat, quare ſenſum horum verſiculorum eſſe, pu

to, ſi

to, ſi impetrare non poſſumus, quod volumus, vt reddat pugillaria, ſaltem contumeliis in illam iactis, faciamus vt erubeſcat, quod tamen inquit difficile quoque factu erit, quia os durum habet: frontemque ab omni pudore vacuam, vt ferreum hic valeat durum. & ſane Ariſtophanes quoque puriſſimus ſcriptor, in fabula Acharnanibus σιδηροῦν vocauit impudentem hominem, dicens, ὅτι καὶ ἀναίσχυντος ὤν, σιδηροῦς τ' εἰμί.

Purgatus locus M. Varronis: quo tradit, quod etymon ſit huius vocabuli, canis.

CAP. XVI.

Locvs hic M. Varronis de lingua Latina libro quinto, vbi de pecore diſſerit, valde corruptus eſt in excuſis exemplaribus, in quibus hoc modo legitur. Catulus a ſagaci ſenſu & acuto: hinc canis, niſi quod tuba & cornu quod ſignum cum dente canere dicuntur, quod hic item & noctuculus in cuſtodia & in venando ſignum voce dat canis dictus: antiquus autem & fidelis ille liber, cuius teſtimonio ſaepe vtor, ſi non omnino integre, minus tamen deprauate, habet. Catulus, a ſagaci ſenſu & acuto catulus: hinc canis: niſi quod vt tuba ac cornua, quod ſignum cum dente canere dicuntur; quod hic item: & noctulucus in cuſtodia, & in venando ſignum voce dat, canis dictus: mendum enim, quod ſolum (vt opinor) reſtat, nunc facile corrigi poteſt. ſi namque ſublata poſtrema littera, pro dente ſcripſeris dent, omnis lux reddita huic, antea obſcuro ac pleno tenebrarum, loco erit. cum enim duas rationes huius nominis, canis reddat, priore iam explicata, docet canem a canendo potuiſſe nominari: vt autem inde appellatum ipſum probet: conſtituatque etymon hoc, oſtendit alias res, quae ſignum dant, vt tubam ac cornua in exercitu, canere dici. vnde confirmatur & ipſum, ſignum itidem latratu dantem, inde canem nominatum: teſtimoniis autem auctorum confirmare tubam cornuaq; canere dici, ſuperuacaneum eſt. Adiuuat autem hanc emendationem atque omnem ſcrupulum, ſi aliquis alicui relictus eſt, euellit, quod in vij. etiam libro ab eadem re impoſitum nomen huic quadrupedi dicit, atque idem quamuis breuius, tradit: haec enim eius verba ſunt, quae ſane in excuſis libris maculis non nullis reſperſa ſunt, cum tamen in eodem exemplari ita legantur. Canes, quod latratu ſignum dant, vt ſigna canunt, canes appellati. Animaduertendum vero non dubitare doctiſſimum virum, quin is, qui in cuſtodia & in venatu ſignum dat, a canendo canis vocatus fuerit, cum tamen (niſi fallor) non ſtulte aliquis exiſtimare poſſet id nomen inde ipſum traxiſſe, quod canem in eo munere imitetur, cuius proprium eſt cuſtodire: vnde in Agamemnone Aeſchyli, ſeruus, qui impoſitus erat illi curae, vt ſeruaret flammam elatam, quod ſignum conuenerat Ilij capti: precatus a diis immortalibus, vt finem imponerent ſuis laboribus, oſtendit ſe tamquam canem aſſidere domi Atridarum: haec autem ipſius verba, initio ſtatim eius fabulae. Θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων, Φρουρᾶς ἐνιαυ, μῆκος δ' ἣν κοιμώμενος. Στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην Ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν. Praeterea ſcrupulus reſtat in verbis Varronis, varietateque ſcripturae, vera ne lectio ſit noctuculus, vt in excuſis adhuc libris legitur, an in hoc quoque ſequendum ſit antiquum exemplar, in quo noctulucus eſt.

Reſtituta ſententia in oratione pro P. Seſtio, eo loco, quo Gellium infamia obruit.

CAP. XVII.

M. Ciceronis locus pro P. Seſtio (vt opinor) corruptus eſt in excuſis libris, qui putantur fideliores, vbi vexat omnibus contumeliis Gellium, improbiſſimum hominem: vnumque e P. Clodij ſodalibus: nam oratione illi, tot tantaque flagitia non exprobrare Ciceronem, ſed veras ſordes vitae ipſius aperire, declaratur etiam teſtimonio Catulli, eadem ipſi obiicientis. Vbi enim inquit. Deinde ex impuro adoleſcente & petulante, poſteaquam rem paternam ab idiotarum diuitiis ad philoſophorum regulam perduxit, Graeculum ſe, atq; otioſum putari voluit: ſtudio litterarum ſe ſubito dedidit, nihil ſane a te iuuabatur, anagnoſtae, libelli etiam pro vino ſaepe oppignerabantur, manebat inſaturabile abdomen: copiae deficiebant: mendum eſſe puto, atque id in iis ipſis verbis, nihil ſane a te iuuabatur, in quibus tamquam in ſalebris quibuſdam haereo: nam cetera integra & plana ſunt. cum autem incidiſſem in hunc locum apud neſcio quem veterem grámaticum ita ſcriptum. Nihil ſane Attae iuuabant anagnoſtae: libelli etiam pro vino ſaepe oppignerabantur, arbitror hanc lectionem veram

eſſe; Attam enim cognomen Quintij poëtae fuiſſe teſtimonio Sex. Pompeij cognoſcimus. ſcripſit tamen ille etiam epigrammata: nam exempla quoque a veteribus inde ſumuntur, vt a Nonio, vbi docet veteres auctores muliebri etiam genere vocaſſe crines: cum enim id primum
» confirmaſſet auctoritate Plauti, addidit. Atta in epigrammatibus. Praeterea to ſis diſſoluta
» crine capillus. Horatius quoque in epiſtola ad Auguſtum Caeſarem ipſius mentionem fecit. Senſus autem Ciceronis, ita loco purgato, hic erit. non potuiſſe etiam in ea otioſa vita aequo animo viuere Gellium, quia libidines animum eius diſtrahebant: nec praeterea eruditum ingenioſumque hominem, cuius ille opera fortaſſe tunc adoleſcentis, vtebatur pro anagnoſta; quod debuit illud non mediocriter iuuare, fructum aliquem ipſi tuliſſe, atq; id quia turpiſſimis cupiditatibus vexatus erat, vt accurate expoſuit Cicero ipſe. Quod autem multitudinis numero vſus eſt, Attae dicens, quamuis vnum intelligat, vſurpatum eſſe hunc modum dicendi alibi a M. Tullio notum puto: ſed Graeci quoque elegantes ſcriptores ita ſaepe locuti ſunt: in iis Themiſtius in oratione, cuius index eſt Sophiſtes: ait enim, colligens ini-
» micos Ariſtotelis. Κηφισοδώρος δὲ, καὶ Εὐβουλίδης, καὶ Τιμαῖος, καὶ Δικαιάρχος, καὶ στρατὸν ὅλον
» τῶν ἐπιτεθειμένων Ἀριστοτέλει τῷ Σταγειρίτῃ ποτ' ἂν καταλέξαιμι ἑνὶ τούτῳ quattuor enim intelligit, nominibus eorum poſitis, qui in ſcriptis ſuis laeſerunt doctiſſimum virum, non ſingulis nominibus plures cognomines continentur.

Quis fuerit Daphitas, quem intellexit Cicero in libro de fato: & quod oraculum ipſi editum ſit.

CAP. XVIII.

DAPHITAS qui fuerit: factumque ipſius (de quo Cicero breuiter in iis quae reſtant libri de fato meminit) legitur apud Sudam: traditur enim fuiſſe ſtudio, grammaticus, Telmiſſenſis patria, qui conuicia iacere in omnes ſolitus ſit, vt ne diis quidem immortalibus parceret: quare cum virus acerbitatis ſuae in Attalum etiam Pergami regem euomuiſſet, inſidiatorem illum vitae ſuae habuit. Acceſſerat enim Daphitas ad Pythiam irridendi animo, ac ludibrij deniq; cauſa: quaeſieratque an equum inuenturus eſſet. cum autem ſatum editum illi eſſet, cito inuenturum, ipſum ſtatim palam dixiſſe, nec ſibi equum vnquam fuiſſe: nec ſe amiſiſſe: rediens autem exceptus ab Attalo eſt, imperioque ipſius e rupe deiectus, quae vocabatur equus, vnde moriens cognouit oraculum falſum non fuiſſe. Hoc igitur ſignificare voluit M. Tullius cum inquit.
» In aliis autem fortuita quaedam eſſe poſſunt, vt in illo naufrago, vt in Icadio, vt in Daphita.
» quaedam etiam Poſidonius (pace magiſtri dixerim) comminiſci videtur: ſunt quidem abſur
» da. Quid enim ſi Daphitae fatum fuit, ex equo cadere, atque ita perire, ex hoc ne equo,
» qui cum equus non eſſet, nomen habebat alienum? Strabo autem in .xiiij. libro, & ipſe narrat hunc conuiciatorem, qui reges verſibus laeſerat, ab ipſis paena affectum fuiſſe: in crucemque actum, eo ipſo in loco, quem antea oraculum ipſi editum oſtenderat: montem autem eum fuiſſe, qui vocaretur thorax, cum reſponſum eſſet, vt thoracem caueret: diſſerit autem illic eruditus ſcriptor de Magneſia quae a vicinitate fluminis, τῷ μαιάνδρῳ vocaretur: cognominis namque ipſi erat vrbs alia, τῷ Σιπύλῳ, appellata. verba eius haec ſunt: nam verſus e-
» tiam quibus Daphitas prouocauit aduerſus ſe reges poſuit. εἴποι δ' ἄν τις τεθέντα πρὸς ὄρει καλου-
» μένῳ Θώρακι, ἐφ' ᾧ σταυρωθῆναι φασὶ Δαφίταν τὸν γραμματικόν, λοιδορήσαντα τοὺς βασιλέας διὰ στίχων.
» Πορφύρεοι μώλωπες ἀπορρινήματα γάζης Λυσιμάχου, Λυδῶν ἄρχετε καὶ Φρυγίης Καὶ λόγιον δ' ἐκπεσεῖν
» αὐτῷ λέγεται, φυλάττεσθαι τὸν Θώρακα. Sequutus igitur Cicero videtur alterum illum auctorem, vnde ea, quae commemorat Suidas, ſumpta ſunt: diſcrepant autem manifeſto, & in genere mortis, & in voce Apollinis Pythij.

Emendatus locus in II. libro Ciceronis de legibus, vbi de atrocibus iniuriis inimicorum queritur: narratque qui exitus impia ipſorum facta conſecuti ſint.

CAP. XIX.

CVM bona pars librorum, qui reſtant de legibus (nam plures ſcripſiſſe Ciceronem, & plurimis certis coniecturis, & teſtimonio antiquorum grammaticorum intelligitur) egeat opera felicis alicuius correctoris, tum locus hic, vnde nonc maculam quandam delere conabor: eſt enim miſerum in modum laſer ac deformatus; neque tamen, cum maioribus vulneribus mederi nequeam,

pusillam

poſſillam hanc plagam diutius illic manere patiar: nihil enim in tam graui politoque ſcriptore vitioſum corruptumque eſſe deberet, & leuiora etiam menda apud eum moleſta ſunt. Vbi igitur de poenis impiorum in ij. libro diſputat: relictiſque exemplis tragicorum, oſtendit ſe potius, quae ante oculos ſunt, velle attingere, purgata perſona ſua: conſtitutaque commemoratione earum rerum, quae ſupra fortunam hominis eſſe videbantur. cum, vt ſuſpicari poſſumus, omnem eum locum diligenter perſecutus eſſet, qui tamen iniuria temporum periit, addidit haec: quae nunc illic verba ſequuntur. Omnia tum, perditorum ciuium ſcelere, diſceſſu meo, religionum iura polluta ſunt: vexati noſtri lares familiares, in eorum ſedibus exaedificatum templum licentiae, pulſus a delubris, is qui illa ſeruarat, circumſpicit haec celeriter animus (nihil enim attinet quemquam nominari) qui ſint rerum exitus conſecuti. manifeſto Clodianum illud tempus: furoremque tribunicium ſignificans, cum eiectus eſt e ciuitate, quid igitur errati ſit in his verbis, circumſpicit haec celeriter animus, dubitari (niſi fallor) non debet, illud autem exiſtimo ita tolli poſſe, partim adiutus ab antiquo libro, in quo, animo legitur: partim coniectura ductus, circumſpicite celeriter animo, exturbata e medio. quae illic importune haeſerat, particula, conformata e ſono extremo antecedentis vocis, & e prima littera conſequentis, ſenſus apertus nunc eſt: moduſque loquendi vſitatus. vt cum pro P. Sylla inquit. Circumſpicite paulisper mentibus veſtris, vt alia omittamus, hoſce ipſos homines, qui huic affines ſceleri fuerunt.

Argumentis confirmatur legi apud Ariſtotelem oportere in V I I. libro πολιτικῶν, χῶνας, non χάονας. cum gentem appellat, quae Italiae partem incoluit, in qua eſt promontorium Iapyx.

CAP. XX.

LOCVS erat corruptus apud Ariſtotelem in vij. libro de rep. vbi de cenis illis publicis, quae Graeci συσσίτια vocabant: origineque ipſarum agit: narrat enim Italum Oenotrorum regem, vnde tractus ille terrarum, qui prius Oenotria vocabatur, Italia eſt appellatus: quod nomen poſtea omnem hanc noſtram regionem occupauit, in aliis multis legibus, quas tulit, hoc etiam inſtituiſſe: auctoremque illic fuiſſe rationis huius viuendi, quod ſua quoque aetate nonnullos, qui inde ortum ducebant, cuſtodire elegans philoſophus tradit. Cum autem populorum nomina, ſitumq; eius regionis exponeret, inquit, vt in exceſis libris prius legebatur. ᾤκουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυῤῥηνίαν Ὀπικοὶ καὶ πρότερον, καὶ νῦν, καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες: τὸ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν, καὶ τὸν Ἰόνιον, χάονες τὴν καλουμένην Σύρτιν: ἦσαν δὲ καὶ οἱ χάονες οἰνωτροὶ τὸ γένος, cum tamen ambobus in locis χῶνες legendum videatur: longe enim alia gens chones & chaones ſunt: cum chones hi partem illam Italiae incolerent: Chaones autem Epiri certa loca extra Italiam poſſiderent: quam terram etiam appellauit Virgilius, ita de Heleno loquens ☞ qui Chaonios cognomine campos, Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit. Non defuerunt etiam qui commemorarint, quod in Graecorum monimentis legitur, Philoctetam cum claſſe in Crotoniatem agrum veniſſe, atque Crimiſam promontorium occupaſſe: vrbemque illic condidiſſe, vnde vicinitas omnis Chones appellati ſint. Strabo hoc refert in vi. libro: nam, quod ſupra teſtatus eſt Ariſtoteles, Oenotros mutaſſe nomen: Italoſque a rege, qui apud eos imperauit, vocatos eſſe, docuit etiam idem poëta, ita inducens Ilioneum cum regina loquentem. Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt, Terra antiqua, potens armis atque vbere glaebae. Oenotri coluere viri, nunc fama minores Italiam dixiſſe, ducis de nomine gentem. verae autem huius lectionis, quam reſtitui, in mes eorum librorum editione, nullibi, niſi in vetere tralatione veſtigium inueni: vnde apparet eo tempore ita quoq; in exemplaribus Graecis ſcriptum fuiſſe.

Sex. Pompeij locus purgatur, in excuſis libris valde maculoſus: quo ſignificatur, qua in parte vrbis fuerit Seruilius lacus.

CAP. XXI.

CVM duobus locis docuerit Sex. Pompeius, vnde vocatus eſſet Seruilius lacus, qui Romae erat: altero autem eorum, qua in parte vrbis foret diligenter oſtenderit: qui tamen locus nunc ita corruptus eſt, vt nihil paene adiuuet lectorem, putaui me rem vtilem facturum; gratamque magnopere iis, qui formam veteris vrbis induſtria ſedulitateq; ſua e ruinis ipſius eruere conantur, ſi veram lectionem indicaſſem, inuentam a me in fragmentis illis antiquiſſimi exemplaris; in quibus

 ſic

ſic legitur. Seruilius lacus appellabatur ab eo, qui eum faciundum curauerat, in principio vici Iugati, continens baſilicae iuliae: in quo loco fuit effigies hydrae, poſita a M. Agrippa. Vici autem Iugarij meminit idem grammaticus: & vnde etiam illi nomen impoſitum eſſet, declarauit his verbis. Iugarius vicus dictus Romae, quia ibi fuerat ara Iunonis Iugae: quam putabant matrimonia iungere. cum aliae autem quoque maculae in excuſis libris eſſent, praecipue moleſta illa erat, quod nullo ſenſu illic vitiligari, pro vici Iugari legebatur: nec non uille, pro Iuliae. Id autem factum puto, quia inde etiam olim deſcripſerit, imperitus aliquis homo: nec in veteribus libris verſatus: cuius tamen poſtea ſcripto, corrupto videlicet & manco, vſi fuerint aliqui typographi pro exemplari: nam idem etiam, quod multis locis factum eſt, cum plenam integramque explicationem alicuius rei non inuenerat: quamuis partes illius aliquae teſtarent, ipſas relinquebat. Exempli gratia, cum illic legatur, non multo ſupra hunc locum, amputata prima parte eius declarationis: vt alia quoque, cuius initium illic ſeruatum eſt, cum reliquae partes perierint. Edictum eſt legiones Sutrij vt praeſto eſſent cum cibo ſuo: quod vſurpari coeptum eſt in iis, qui ſuis rebus, opibuſque officia praeſtarent, quibus debebant. Plautus, ſed facito dum merula pro verſus, quod cantat colax cum ſuo cuique facito veniant: quaſi eant Sutrium. totum hoc ille omiſit. vnde abeſt etiam nunc ab excuſis libris. Hoc autem eſt, quod teſtatur vir doctus, cum prouerbium hoc declararet, ſe legiſſe in fragmentis quibuſdam Sex. Pompeij, quae Romae viderit. verſus vero illos Plauti e Caſina eſſe notum eſt: cum tamen aliter illic quam apud poëtam nunc legantur, fideliter veterem ſcripturam reddere volui: vt de integritate eius loci poſſet otioſe deliberari.

delevit Gemini ipſi immerito.

Antiqua lectio loci Ciceroniani pro Milone conſtituitur: anteponendaque peruulgatae oſtenditur.

CAP. XXII.

LOCVM hunc Ciceronis pro Milone aliter ſcriptum offendi in quibuſdam antiquioribus libris: cum enim in excuſis ita legatur. Veſtras vero, & veſtrorum ordinum occurſationes, ſtudia, ſermones: quemcumque caſum fortuna dederit, ſecum ſe ablaturum eſſe dicit: in illis enim pro caſum, legitur curſum: quam lectionem arbitror veriorem eſſe, vt ſignificet in quaſcumque terras venturus ſum, & vbicumque reliquam aetatem traducam, vel quamcumque vitae condicionem ſubibo: nam curſum etiam vitae μεταφορικῶς dici certum eſt. Quod vero ad modum hunc loquendi pertinet, Virgilius quoque illum vſurpauit hoc pacto. Visi; &, quem dederat curſum fortuna peregi. Caſum autem Cicero ſaepe videtur vocaſſe, quam Graeci συμφοράν, vt cum ſupra in eadem oratione, inquit. Bonorum animos etiam in meo caſu contempſerat: intelligit enim aduerſum illud calamitoſumque tempus, cum improbitate Clodij eiectus eſt e ciuitate: & in v. Tuſculanarum hoc verbo ſignificauit malum caecitatis, ſcribens. Appium quidem, veterem illum, qui caecus annos multos fuit & ex magiſtratibus, & ex rebus geſtis intelligimus in illo ſuo caſu, nec priuato; nec publico muneri defuiſſe.

Quem intellexerit Cicero, cum in epiſtola obſcure quendam vocauit, Cynicum conſularem.

CAP. XXIII.

CYNICVS conſularis videtur a Cicerone vocatus M. Pupius Piſo, qui conſul fuit cum M. Meſſala. locus, vbi ita illum obſcure appellauit, eſt in ij. libro epiſtolarum ad Atticum. Etenim, quantum coniectura auguramur, ſi erit nebulo iſte cum his dynaſtis in gratia, non modo de Cynico conſulari, ſed ne de iſtis quidem piſcinarum tritonibus poterit ſe iactare: non enim poterimus vlla eſſe inuidia, ſpoliati opibus, & illa ſenatoria potentia: ſin autem ab iis diſſentiet & quae ſequuntur. De Cynico autem conſulari, & piſcinarum tritonibus, quod affirmat Cicero fore, vt P. Clodius nullo modo ſe iactare poſſit, accipere debemus hos amicos ipſius & fautores fuiſſe: non poterit igitur, inquit, auctoritate illorum, nomineque vti ad res ſuas confirmandas contra ſalutem meam: cuius rei ſtatim cauſam affert, dicens non poſſe contra ſe inuidiam vllam excitari, deformatum iam, extritumque omni potentia illa, quam ſibi ſummis laboribus atque optimis factis erga Remp. acquiſiuerat: inuidiam namque contra florentes commoueri, notum eſt. addis autem. quod ſi diſſentiet a dynaſtis, faceret rem ſtultam abſurdamque, ſi inueheretur in nos, cum habeat vberiorem materiem, illos ipſos laceſſendi, atque omnibus plaudentibus, ex

altiſſimo

altiſſimo dignitatis gradu detrahendi. Cynicum autem vocat Piſonem hunc, quia dicax eſſet: delectareturque locis ſcurrilibus: quibus etiam Diogenes increpare ſolitus eſſet molles ac delicatos homines, vnde canis nomen ipſi impoſitum foret. In primo libro harum Epiſtolarum ſi-
„ gnificauit hoc Cicero ſcribens. Conſul autem ipſe, paruo animo & prauo, tamen cauillator ge-
„ nere illo moroſo, quod etiam ſine dicacitate ridetur: facie magis quam facetiis, ridiculus. Idem-
„ que in alia indicauit, de eodem ita loquens. Conſul autem, ille deterioris hiſtrionis ſimilis, ſu
ſcepiſſe negotium dicitur. In Bruto praeterea, vbi de facultate ipſius dicendi diſſerit, ſignifi-
„ cauit etiam vſum ipſum fuiſſe genere hoc facetiarum, cum ait. Habuit a natura genus quoddam
„ acuminis, quod etiam arte limauerat, quod erat in reprehendendis verbis verſutum & ſolers,
„ ſed ſaepe ſtomacholum, nonnumquam frigidum: interdum etiam facetum. Is laborem, qua-
„ ſi curſum forenſem, diutius non tulit, quod & corpore erat infirmo, & hominum ineptias ac
„ ſtultitias, quae deuorandae nobis ſunt, non ferebat, iracundiuſque reſpuebat, ſiue moroſe vt
„ putabatur, ſiue ingenuo liberoque faſtidio. Cum autem tot iam exemplis argumentiſque declararim, quomodo locus omnis accipiendus ſit, reſtat nunc, ſi probi viri officio fungi volo (cui laudi ſemper toto animo incubui) vt auctorem monſtrem huius animaduerſionis: neque enim ipſe hoc excogitaui, ſed ab alio, docto & humano in primis viro accepi. Cum enim Hieronymus Surita Caeſarauguſtanus hac iter faceret: meque domi ſalutaſſet, in multo ſermone, quem de litteris elegantioribus habuimus: intelligebatur autem ille admodum ſtudioſus eſſe ſcriptorum Ciceronis, & omnis antiquitatis bene peritus, aperuit mihi iudicium ſuum de loco illo: cui multum ſe debere dicebat ob praeteritos meos labores, quibus ego epiſtolas ipſas ad Atticum magna ex parte purgaſſem.

Explicata elegans vox Ciceronis, & facta quodammodo, de ſimilitudine, quae eſt inter legem, & magiſtratum; diſputatumque de ſimili huic Simonidis ſententia: eodemque pacto conformata.

CAP. XXIIII.

CVM M. Cicero in iij. libro de legibus, inquit. Vereque dici poteſt: Magiſtratum,
„ legem eſſe loquentem: legem autem, mutum magiſtratum, videtur imitatus vocem illam peruagatam Simonidis melici, qui de poëſi picturaque loquens, illo modo luſit: dixitque picturam eſſe, tacitam poëſim: poëſim autem, picturam loquentem: cum enim hae res ſimiles inter ſe magnopere ſint: diſcrepentque tantum, quod altera ipſarum ſilet: voce altera praedita eſt, remoto diſcrimine hoc eaedem omnino dici poſſunt. Si igitur poëſi ſilentium tribueris, erepto ipſi cantu, quo vtitur, erit pictura, cuius proprium eſt ſilere: contraque, ſi picturae acceſſerit vox, internoſci non poterit a poëſi. Eodem autem pacto conformatum fuiſſe, quod protulit Cicero de magiſtratu ac lege conſtat. Dictum vero illud Simonidis fuiſſe teſtimonio Plutarchi intelligimus, qui pluribus locis vocis eius elegantioris meminit, vt eo libro, quo diſſerit, ſapientia ne magis, an virtute bellica, praeſtiterint Athenienſes: inquit enim
„ illic. Πλὴν ὁ Σιμωνίδης τὴν μὲν ζωγραφίαν, ποίησιν σιωπῶσαν προσαγορεύει, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν
„ λαλοῦσαν. Praeterea in extremo capite noni libri συμποσιακῶν. In commentario vero, quo adoleſcentes inſtruit ad lectionem poëtarum ſententia haec poſita eſt, ſuppreſſo nomine aucto-
„ ris: ſic enim illic legitur, καὶ μὴ μόνον ἐκεῖνο τὸ θρυλούμενον ἀκηκοὼς ἔστω, ζωγραφίαν μὲν εἶναι φθεγγο-
„ μένην, τὴν ποίησιν: ποίησιν δὲ σιγῶσαν, τὴν ζωγραφίαν, ἀλλὰ πρὸς τούτῳ, & quae ſequuntur. Auctor autem rhetorices ad Herennium, qui nunc eſſe Cornificius putatur, expreſſit ipſam his
„ verbis, vbi lumina eius orationis, quod commutationem vocat, exempla ponit. Si poëma,
„ loquens pictura eſt: pictura tacitum poëma eſſe debet.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXIII.

Explicatus locus Ariſtotelis in VIIII. libro ἠθικῶν: declaratumque longe aliud illic valere εἰς τὰ κήδη ἀπαντᾶν, quam putarint interpretes.

CAP. I.

CVM difficiles quoſdam nodos diſſolueret Ariſtoteles in viiij. libro de moribus ad Nicomachum, declarata iam natura amicitiae, generibuſque ipſius traditis, qui nodi in illa tractanda inueniebantur: planumque factum eſſet longe alia officia tribuenda eſſe diuerſis vinculis nobiſcum copulatis, hoc, vt certo ſtabilique poſito, diuerſa inquam aſſignanda eſſe parentibus, fratribus, ſodalibus, & iis qui nos beneficio affeciſſent, inquit dubitari non poſſe, quin ſingulis his ſua, & quae maxime quadrent, ſint tribuenda. quod etiam opinionibus hominum, moribuſque comprobari docet. qui ſane ita ſe gerunt in vita, cum vocent ad nuptias coniunctos ſecum genere: cuius etiam rationem reddit: ſtatimque addit. καὶ εἰς τὰ κήδη δὲ μάλιστα οἴονται δεῖν τοὺς συγγενεῖς ἀπαντᾶν διὰ ταὐτό. Argyropylus autem locum vertens, dixit. Et ad ſponſalia etiam maxime cognatos. quem ceteri poſtea interpretes ſecuti ſunt. cum tamen ille (vt opinor) illic lapſus ſit: nec viderit ſenſum auctoris, ac quid eo loco valeat κήδη: peccauit autem (niſi fallor) quia nimis ſe addixerat auctoritati Graeci declaratoris eorum librorum: ille namque ita locum accepit. cum videatur potius Ariſtoteles, εἰς τὰ κήδη dicens, intellexiſſe, ad inferias exequiaſque mortuorum. vnde ἐπικήδειον lugubre carmen, aptumque huic tempori ſignificat. hanc autem eſſe notionem huius nominis, quamuis κηδεστὴς appelletur ſocer & affinis, ita notum eſt, vt non magnopere teſtimoniis confirmare oporteat. Sed tamen Plutarchus in Caeſare, de funere Iuliae loquens, ait. τὴν μὲν ἰουλίαν, βίᾳ τῶν δημάρχων, ἀράμενον τὸ πλῆθος, εἰς τὸ ἄρειον ἤνεγκε πεδίον: κἀκεῖ κηδευθεῖσα κεῖται. Praeterea ſcholion vetus in locum hunc Aeſchyli in Agamemnone cum videret hoc nomen duo valere: atque ideo alicui cauſa eſſe poſſit erroris, tota re explanata, his verbis, nequis decipi in eo poſſet, effecit. ἐπειδὰ τὸ κῆδος σημαίνει, καὶ τὴν ἐπιγαμβρίαν, καὶ τὸ πένθος, ἐνδάλλει νῦν, ὅτι τὸ πένθος λέγει.

Quaeritur, an Horatius duobus locis expreſſerit grauem vocem, qua Hercules moriens apud tragicum virtutem accuſauit.

CAP. II.

ACCVRATE videndum eſt an Horatius, cum in graui eruditaque epiſtola ad Numicium, inquit. „ virtutem verba putas, vt Lucum ligna, reſpexerit ad vocem Herculis, quam edidit apud tragicum poëtam in miſeris ſuis rebus, accuſans virtutem, quod ſibi tunc prodeſſe nequiret: vel potius ſe ipſum reprehendens, quod nimia ipſi in anteacta vita tribuerit, cum illa omnino nomen inane ſit. Graecos verſus, quibus haec ſententia continetur, poſuit Dion in xlvij. libro hiſtoriarum, nam fabula ipſa periit: facit enim illos a M. quoque Bruto pronuntiatos, cum deſperatis ſuis rebus, ne in manus aduerſariorum veniret, ignominiam illam morte vitauit: ait igitur. Καὶ ἀναβοήσας τοῦτο δὴ τὸ ἡράκλειον. Ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθ' ἄλλως: ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ, παρεκάλεσέ τινα τῶν συνόντων ἵν' αὐτὸν ἀποκτείνῃ. Verba autem haec ipſa paene cuncta, poëtae eſſe non indicans: neque ab Hercule vſquam pronuntiata, certorum tamen hominum iudicium exiſtimationemque, citauit Plutarchus in libro περὶ δεισιδαιμονίας, quid vitii in ipſis ſit, ac quantum obſint animis, declarans. Sed Horatius quoque idem,

quod

quod, ſupra demonſtrato loco, ſignificauit etiam in epiſtola ad Sceuam, cum, quaſi concludens omnem rationem ſuam, exclamauit ⁓ aut virtus nomen inane eſt: Aut decus, & pretium, recte petit experiens vir. Nec defuerunt tamen non nulli, ſapientes babiti, qui eodem pacto de virtute ſenſerint: nec ſolidam rem ipſam eſſe putarint, ſed inanem potius ſonum vocis. quorum etiam falſam opinionem intelligere potuit Horatius. Plutarchus, optimus rerum antiquarum auctor, qui extremum boc M. Bruti tempus accuratius perſecutus eſt, commemorauit & ipſe duos verſus Graecos pronuntiatos tunc fuiſſe a M. Bruto, conuerſis in caelum, ſtellarum plenum, oculis: quorum alterum, qui praeſens illic aderat, Volumnius hunc eſſe commemorauit. Ζεῦ μὴ λάθοι σε τῶν δ' ὃς αἴτιος κακῶν: alterum vero idem affirmauit e memoria ſibi excidiſſe. nec tamen ſententiam hanc, a Dione traditam, arbitror illam fuiſſe. ſed potius boc ipſum fictum ab biſtorico fuiſſe puto. qui non tantum veritatem ipſam ſecutus fuerit, quam quod conuenire fortiſſimo viro: eidem tamen calamitoſiſſimo, putarit. Senarium autem illum Euripidis eſſe conſtat e Medea, editum ab illa ipſa, virilis animi, muliere, cum eiiceretur ex oppido a Creonte rege Corinthi.

Collecti multi Ciceronis loci apud grammaticos ſparſi, ex opere, quo vertit οἰκονομικὰ Xenophontis.

CAP. III.

VERTISSE in Latinum ſermonem M. Tullium Xenophontis opus de paranda tuendaque re familiari plurimis veterum auctorum teſtimoniis intelligitur. vt autem nunc locos, quos inde adduxit Columella in xi. & xij. libro relinquam, qui & plures & prolixiores ſunt, apud grammaticos haec inde exempla ſumpta legi. Primumque Macrobius In iij. libro Saturnaliorum, cum ficum tamquam non pomum, ſecerni a pomis auctoritate bonorum ſcriptorum probare vellet: Afranijque locum citaſſet; addidit. Sed & Cicero oeconomicon libro iij. Neque ſerit vitem: neque, quae ſata eſt, diligenter colit: oleum, ficus, poma non habet. Expreſſerat autem Cicero verbis his locum hunc Graeci ſcriptoris, quamuis plena ſententia non ſit. oſtendebat illic Iſchomachus, vnde potiſſimum fieret, vt hominum non nulli tenue patrimonium haberent, ampliſſimas fortunas aliis poſſidentibus, cum tamen ratio colendorum agrorum cognitu facilis eſſet: cunctique mortales eodem pacto ſcirent, quid facto opus eſſet: tribuit enim id negligentiae ipſorum: Verba auctoris haec ſunt. Οὐ γὰρ ἐπιμελεῖται ὡς φυτεύσῃ ἀμπέλους, οὐδὲ αὖ ἔχων, ὅπως φέρωσιν αὐτῷ, οὐδ' ἐλαίας οὐδὲ συκᾶς ἔχει ἄλλος: οὐ γὰρ ἐπιμελεῖται, οὐδὲ ποιεῖ, ὅπως ταῦτα ἔχῃ. Non multo autem ſupra, quomodo reddiderit hunc locum, inuenitur apud Nonium. Ὅταν δὲ καιρὸς ᾖ ὑπὸ τοῦ ἡλίου ἤδη χλιαίνεσθαι τὰς κεφαλὰς, φιλοσοφοῦσα διδάσκει ἑαυτὴν φιλεῖν, καὶ πεπαίνεσθαι τὴν ὀπώραν: Ita enim illic eſt. Cicero in Oeconomicis. cum vero affecta iam prope aetate, a ſole miteſcere tempus eſt. Idem praeterea grammaticus alio loco. Cicero in Oeconomico. Nullo modo facilius arbitror poſſe neque herbas areſcere, & interfici. neque terram ab ſole percoqui, expreſſit autem manifeſto locum hunc. Οἶδα μὲν οὖν ἔφην ἀκριβῶς, ὅτι οὐδαμῶς ἂν μᾶλλον ἡ μὲν ὕλη ἐπιπολάζοι καὶ αὐαίνοιτο ὑπὸ τοῦ καύματος: ἡ δὲ γῆ ὀπτῷτο ὑπὸ τοῦ ἡλίου, ἢ εἴτις αὐτὴν ἐν μέσῳ τῷ θέρει, καὶ ἐν μέσῃ τῇ ἡμέρᾳ κινοίη τῷ ζεύγει: Integram enim ſententiam hic ponere volui: quae Ciceronis illic inchoata eſt. Donatus quoque, Terentij interpres, in Phormione, citauit teſtem Ciceronem In Oeconomico: atque haec eius verba poſuit. Quid igitur proh deûm immortalium, primum eam docebas quaeſo: quibus ille conuerterat Graeca haec. Πρὸς θεῶν ἔφην ἐγὼ ὦ Ἰσχόμαχε τί πρῶτον διδάσκων ἦρχου αὐτὴν, διηγοῦ μοι. Sed etiam Priſcianus, qui haec. Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur: verterat enim hunc locum. ὅς ἐμοὶ ἐδόκει εἶναι τῶν τούτων τῶν ἀνδρῶν, ἐφ' οἷς τοῦτο τὸ ὄνομα δικαίως ἐστίν. Nec non Soſipater, docens, cum ceteri multitudinis numero aluearia dixerint, Ciceronem ſingulari vocabulum id vſurpaſſe in oeconomico hoc pacto. Apes in aluearium conceſſerant: quae Latina verba, quia pauca ſunt: nec plenam ſententiam continent, vix auſim affirmare quibus Graecis reſpondeant. his ne, cum Iſchomachus exemplo apum docet vxorem oportere, domi manentem, quae ſui muneris ſunt procurare. Καὶ ἃ ἂν αὐτῇ ἕκαστοι εἰσφέρῃ, εἰδέναι τε καὶ δέχεσθαι. vt congeſſerant pro conceſſerant legendum ſit: ſiue his multo infra poſitis, in ſermone, quem habet Iſchomachus cum Socrate de ſaritione. vbi vtens ſimili fucorum, docet oportere e ſegete herbas inutiles exſtirpare, quia terrae alimentum, quo frumenta egent, abſumunt. ὥσπερ οἱ κηφῆνες διαρπάζουσιν, ἀχρεῖοι ὄντες, τὴν μελιττῶν, ἃ ἂν ἐκεῖναι ἐργασάμεναι, τροφὴν καταθῶνται.

Quod Dolabella vocauit oſtentare, Lyſiam dixiſſe κομπάζειν: idemque aliis etiam Graecis verbis ſolitum ſignificari.

CAP. IIII.

IN epiſtola ad M.Ciceronem Dolabella oſtentare dixit, intelligens id quod Graeci appellant κομπάζειν. hortabatur autem illum, vt ſe cum Caeſare coniungeret, aut in aliquem quietum, & ab omni ſuſpicione belli remotum, locum referret. inquit igitur, extenuans res Pompeij quantum poteſt. Animaduertis Cn. Pompeium, nec nominis ſui, nec rerum geſtarum gloria: neque etiam tegum ac nationum clientelis, quas oſtentare crebro ſolebat, eſſe tutum. Lyſias in oratione, qua accuſauit Aodocidem, ſacrilegum hominem, cum idem ipſi obiiceret verbo hoc Graeco vſus eſt: Andocides enim quoque & diuitias, & opes, & regum tyrannorumque hoſpitia, atque amicitias, oſtentaturus in iudicio putabatur: quibus tamen omnibus rebus, docet accuſator numquam illum recte: neque in procurandis commodis patriae, vſum fuiſſe. Verba Lyſiae haec ſunt, diligentis ſcriptoris, & qui puro in primis ſermone vſus eſt. Ἀλλὰ πλουτῶν γὰρ, καὶ δυνάμενος τοῖς χρήμασι, καὶ βασιλεῦσι ξενωθεὶς καὶ τυράννοις, ἃ νῦν εἰ κομπάσει, ἐπιστάμενος τὰς ὑμετέρας τρόπους, ποῖον εἰς φορὰν τούτῳ ἀγαθὸν γένηται. Cicero in epiſtola quadam ad Atticum vanitatem hanc: & aliquarum rerum iactationem, videtur λάπισμα vocaſſe. omnis autem locus hic eſt. Nam ego hunc ita paratum video peditatu, equitatu, claſſibus, auxiliis Gallorum, quos Matius ἐνάλπιζεν, vt puto, ſed certe dicebat peditum, equitum, ſe polliceri ſumptu ſuo annos decem. ſed ſit hoc λάπισμα: magnas habet certe copias, & habebit. & ſane grammatici teſtantur λάπισμα valere καύχημα. nam, quod paulo ſupra Graeco itidem verbo paene eandem rem ſignificauit, eſt illud ſane vehementer aptum ipſi ſignificandae: ſed ipſo praeterea indicatur ſtudium eius hominis in diuulgandis illis auxiliis Gallorum, ac tamquam praeconio ſuo diſſeminandis: verbum enim illud translatum eſſe: a tubaque conformatum, apparet. nos etiam patrio ſermone a nomine, quo tubam appellamus, vocabulum fingimus, quo idem oſtendimus. eum autem, quia ſumma illic eorum auxiliorum deſideratur, non ſine cauſa mendi aliquid illic eſſe quidam ſuſpicati ſint, ipſe quoque ſuſpectum magnopere ea parte locum eum habeo. auget etiam ſuſpicionem meam, quod non certa illic ſcriptura eſt in optimo meo exemplari. ſi polliceri enim pro ſe illud habet.

Pluribus exemplis declaratur, M. Varronem libenter hac translatione vſum: ſolitumque vocare res aliquas expertes animi, filios aliarum rerum inanimarum, quod inde natae videantur.

CAP. V.

CONSVERAT M. Varro μεταφορικῶς appellare res aliquas inanimes rerum itidem inanimarum filios, quod inde tamquam natae ac procreatae forent: cum tamen hoc nomen proprium animantium ſit, atque ipſis primo conueniat. Hoc autem perſpicitur e pluribus doctiſſimi illius ſcriptoris locis, citatis a Nonio. quos hic libenter propter elegantiam, ac dignitatem auctoris ponam. vt lege Menis. Ad biuium venio: cum vellem oſtendere quid vellem, metamelos, inconſtantiae filius, me reprehendit. ingenioſe autem vereque appellauit metamelon inconſtantiae filium: illos enim qui in propoſito permanerent: conſtanterque veterem ſententiam defenderent, non paeniteret. nam μετάμελον ipſum vocaſſe, quam inferioris aetatis Latini appellarunt paenitentiam, conſtat: & μετάνοιαν autem, & μεταμέλειαν Graeci appellant. Vnde Cicero, in epiſtola ad Atticum ſe purgans, quod nulla neceſſitate diceretur Romam rediſſe, erumpente bello ciuili, cum poſſet itineris tarditate periculum illud euitare, inquit. Quare celeritas noſtri reditus ἀμεταμέλητος debet eſſe. Sententia igitur Varronis aperta eſt: ſignificat enim cum ſenſum animi ſui pateſacere vellet, ac dicere quae cogitarat, non potuiſſe id efficere, impeditum reprehenſumque a metamelo, cui ſenſum animumque dat. ideſt, quia coepit ipſi diſplicere prius illud conſilium. Marcipore quoque idem proditur ita ſcripſiſſe. Ventique frigido ſe ab axe erumpebant, phrenetici ſeptentrionum filij. ſecum ferentes tegulas, ramos, ſyros. vocans igitur ventos ſeptentrionum filios, manifeſto intelligitur eodem lumine orationis vſus. Hoc quoque teſtimonium ipſius ab eodem citatur. in quo tamen maculae non nullae ſunt: nec tamen non liquido percipitur illic quoque eandem venuſtatem ſequutus. Margopoli περὶ ἀρχῶν. Cui celer διὰ νοός λημνίσκους λόγους, Antipatri Stoici filius, rutro caput diſplanat. ipſe aliquando mecum quaerens, quomodo purgari locus debeat, in hanc opinionem veni. vt

dilemmatos

dilemmatos logos legi non incommode poſſit: nec tamen adhuc, quamuis haec coniectura
vera foret, vacuus omnino a mendo locus eſſet. Adiuuat autem opinionem meam non ni-
hil, quod Alexander in primum librum Topicorum, inquit: cum doceret recte doctorem ſu-
um in definitione ſyllogiſmi dixiſſe multitudinis numero πληθυντικῶς: vno namque poſito nihil
» ſyllogiſtica ratione concludi poteſt. ὡς γὰρ οἱ περὶ Ἀντίπατρον μονολημμάτους συλλογισμοὺς λέγοντες, οὐκ
» εἰσὶ συλλογισμοί, ἀλλ' ἐνδεῶς ἠρώτηνται. Aliquando tamen M. Varro in eadem feſtiuitate ſermo-
» nis tractanda, pro filius dixit alumnus. vt Eudaemonibus, cum ait. Et ecce de improuiſo
» ad nos accedit cana veritas, Atticae philoſophiae alumna. quod eiuſdem grammatici iudicio
cognoui. Idem etiam fecerunt Graeci poëtae, vt Aeſchylus ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις; cuius haec ver-
» ba ſunt: λιγνὺν μέλαιναν αἰόλην πυρὸς κάσιν. Pindarus, qui imbres vocauit filios nebularum,
» ita canens; ἐστὶ δ' οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων παίδων νεφέλας.

*Diſputatur de duorum Graecorum verborum vi, vt videatur an verum ſit, quod prae-
ter communem notionem quidam poſſe illa exiſtimant.*

CAP. VI.

GVLIELMVS Budaeus in commentariis illis ſuis liberali doctrina refertis, cum
vim huius nominis δυσχέρεια ſubtiliter ac vere explicaſſet: docuiſſetque vſus
intractabilitatem, aut in vſu atque tractatione offenſionem ſignificare, addidit
valere etiam verſurae faciendae moleſtiam & difficultatem: vſuſque eſt ad id eum
probandum teſtimonio Pomponij Attici, cuius haec verba leguntur in epiſtola
» quadam Ciceronis ad illum ipſum. Proinde, ſicut quid debetur, vt ſit vnde par pari reſpon-
» deatur: mirifica enim δυσχέρεια eſt, propter metum armorum. ipſe tamen eandem hic eſſe
puto notionem huius verbi, quam ille ſupra multis exemplis declarauit. & quamuis Pompo-
nius tunc de difficultate ſolutionis loqueretur, vſus tamen eſt verbo, quo communiter gene-
ratimque oſtenditur omnium huiuſcemodi rerum explicandarum difficultas. vnde perſpici-
tur, quod in vniuerſum verum erat, in illa ipſa re parteque verum etiam fuiſſe. quaſi igitur
ita loquitur, admonens Ciceronem vt prouideret, quae ad fidem retinendam neceſſaria erant.
noli admirari me tecum de hoc diligenter agere: incidimus enim in huiuſcemodi tempus,
vt nihil confici ſine magnis moleſtiis explicarique poſſit. quare pecuniam etiam compara-
re arduum in primis erit. M. quoque Tullius in vij. libro earundem epiſtolarum eodem ver-
» bo frequenti vſitataque notione vſus eſt hoc pacto. Ego in Tuſculanum nihil ſane hoc tem-
» pore. deuium eſt τοῖς ἀπαντῶσι, & habet alia δύσχρηστα. Cum autem in exemplis, quae po-
ſuit Budaeus, vtatur etiam auctoritate Polybij, infinitis locis diligens ille prudenſque ſcri-
ptor vſurpauit hoc verbum illo ſignificatu. vt nuſquam ipſum frequentius inuenerim.
Idem etiam cum vere tradidiſſet valere apud Aeſchinem contra Cteſiphontem κλέπτειν ἀκρόασιν,
fallere aures iudicum, & artificio dicendi obrepere animis eorum, poſitis verbis eius oratoris,
addidit, in quo vereor ne lapſus ſit: κλέμμα etiam apud Aeſchinem, non modo peculatum &
pecuniam interuerſam, ſed etiam obreptionem ſignificat & circumſcriptionem. arbitror enim
duobus vicinis locis in ea oratione, quibus vſus eſt hoc verbo, intellexiſſe ipſum verum furtum:
oſtendere enim voluit Demoſthenem accepta pecunia defendiſſe ſententias illas, quae inutiles
eſſent reipublicae: commoda autem eorum tuerentur, a quibus mercede emptus foret. Prior
» eorum eſt cum ait. ἀπαγαγὼν δ' ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ κλέμματος, καὶ ἀνακρεμάσας ἀπὸ τῆς ἐλπίδος,
» ἐνταῦθα δὲ συντρίψας γράφει κελεύων ἐλθεῖν πρέσβεις εἰς Ἐρέτριαν. non multo poſt autem poſterior
» hic. ἔπειτα ἀναφαίνεται περὶ ἀποστόλων ἐν τῷ ψηφίσματι πρὸς τῷ κλέμματι γράψας. & quae ſequuntur.
ac denique cenſeo eandem ſemper eſſe notionem huius nominis & verbi: tuncque tantum ſi-
gnificare κλέπτειν, aſtuta ratione facere, vt aliqui te aequo animo audiant, cum adiungitur illi
ἀκρόασις. quo nomine declaratur cuius rei furtum fiat.

*Confirmata vetus lectio loci Ciceronis in epiſtola ad M. Brutum, vbi
Solonis auctoritatem oſtendit.*

CAP. VII.

IN aliis multis locis, quos reſtitui, cum in purgandas epiſtolas Ciceronis incu-
bui: nec tamen allatis rationibus poſtea confirmaui, quia ſatis certae emendatio-
nes illae videbantur, & hic eſt in litteris ad M. Brutum, vbi ſe defendit ab eo re-
prehenſus, quod in honoribus decernendis eſſet nimius, & tamquam prodigus.
» Neque ſolum vt Solonis dictum vſurpem, qui & ſapientiſſimus fuit ex ſeptem, & legum ſcri-

ptor

ptor ſolus ex ſeptem. antea namque in excuſis libris legebatur, qui & ſapiens vnus. pro ſapientiſſimus, vt in fideliſſimo exemplari ſcriptum oſtendi. quia igitur animaduerti quoſdam, ſpreta hac vera lectione ad peruulgatam illam: a meque tunc merito inde eiectam, rediiſſe, libuit id adnotare, ac graui auctoritate ſtabilire. quamuis, ſi diligenter attenditur, ratione quoque perſpiciatur ita legi debere: voluit enim Cicero omni ratione, qua potuit, conſtituere perſonam Solonis: ipſumque ornauit veris laudibus, dicens eum non tantum vnum e ſeptem ſapientibus appellatum fuiſſe, ſed praeſtitiſſe etiam ceteris ſapientia. nam in numero ſapientium habitorum illum extitiſſe nemo erat, qui neſciret: nec eximium aliquod decus hoc ipſi afferebat. contra autem oſtendere viciſſe illum ſocios eius laudis ea ipſa in re, infinitam dignitatem ipſi apportat. ſed vt ad auctoritatem teſtimoniumque grauiſſimi ſcriptoris veniamus, Plato quoque in Timaeo eodem modo de Solone locutus eſt, ſcribens. ὡς δὲ τῶν ἑπτὰ σοφῶν σοφώτατος Σόλων ποτ᾽ ἔφη. illum autem veriſimile eſt in hoc Ciceronem ſequutum eſſe, cum ipſum admiraretur, ac ſermonem etiam hunc in Latinum vertiſſet.

Deletae maculae non nullae e II. libro Ciceronis de legibus. quo loco de humatione diſputat.

CAP. VIII.

LOCVM hunc omnem Ciceronis, quem adſcribam e ij. libro de legibus, contaminatum eſſe, turpiſſimiſque notis reſperſum, apparet. cum autem coniecturis conatus ſim maculas illas delere, quid mihi in mentem venerit pro reſtitutione ipſius indicabo, doctique poſtea viri videbunt, an praeſtare potuerim quod volui: diſſerit autem de humatione. Nam priuſquam in os iniecta glaeba eſt, locus ille, vbi crematum eſt corpus, nihil habet religionis: iniecta glaeba tumulis, & humatus eſt, & glaeba vocatur. ac tum denique multa religioſa iura complectitur. itaque in eo qui in naui necatus, deinde in mare proiectus eſſet, decreuit P. Mucius familiam puram, quo tos ſupra terram non extare, porcam haeredi eſſet: Cotta cenſet habendas triduum ferias, & porco femina piaculum pati: ſi in mari mortuus eſſet, eadem praeter piaculum & ferias. Arbitror igitur pro tumulis legi debere, ſublatis e medio duabus litteris: diſſectaque ea voce: tum is: infraque totum locum ita emendari debere. quod os ſupra terram non extaret, porcam heredi eſſe: Cotta cenſet habendas triduum ferias & quae ſequuntur, nulla immutatione. nam quod ad diuulſam etiam, poſteriorem hanc vocem pertinet: litteramque leuiter immutatam, ita ſcribi debere teſtantur verba illa, quae ſupra poſita ſunt, cum inquit. Quemadmodum os reiectum terrae obtegatur. Cum autem inciderim in locum M. Varronis, vbi de his rebus agitur, apud Nonium, illum hic adiungendum putaui: nam aliquid lucis videtur afferre huic Ciceroniano. ſic igitur illic legitur, vbi notionem verbi praecidaneum aperit, atque exemplo confirmat. Varro de vita populi R. libro iij. Quod humatus non ſit, haeredi porca praecidanea ſuſcipienda Telluri & Cereri: aliter familia pura non eſt: Sed alter etiam hic, ab eodem grammatico citatus, non alienus eſt ab hac materia. qui, vt ſuſpicari licet, apud auctorem non remotus erat a ſuperiore. vbi igitur tradit, qui ſit pullus color, exemplo verum eſſe quod dixit, confirmare volens, hoc vſus eſt. Varro de vita populi R. libro iij. Vt dum ſupra terram eſſent, ricinijs lugerent: funere ipſo pullis pallis amictae.

Veteres vſurpaſſe aliquando animal, proinde ac beluam tantum valeret. vt nos quoque capere vulgo conſueuimus.

CAP. IX.

VALET in Latino ſermone animal quandoque, atque id quidem apud optimos auctores, beluam: expertemque rationis animantem. quomodo nos quoque patria lingua vocem hanc aliquando capimus. M. Varro certe cum in vij. libro de lingua Latina, inquit. Multa ab animalium vocibus tralata in homines. hoc pacto id vſurpauit. Quod autem reſpondet huic Graecum verbum, Iſocrates quoque in libro ad Philippum Macedonem eodem modo cepit, quo loco inquit: τοὺς δὲ πρᾳότητι οὐ μόνον τῶν ζῴων, καὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων διενηνοχότας, ἀλλὰ καὶ τῶν θηρίων. Si namque ſuam propriamque notionem id verbum illic retineret, nihil attinuiſſet, quod deinceps ſequitur, addere: complexus enim illo homines foret. Cicero quoque in iiij. libro de finibus eodem ſenſu, inquit, Tamquam de aliquo animali loquantur. Sed, vt liquido perſpicitur, apud Ciceronem etiam oſtendit idem, quod in noſtro ſermone, con

contumeliae

contumeliae cauſa quempiam animal eſſe dicimus: quaſi enim carere ratione ſignificamus: In
„ L. enim Piſonem, cum inquit. Cum quidem tu o vecors & amens: cum omnes boni abditi
„ incluſique maererent: templa gemerent: tecta ipſa vrbis lugerent, complexus es illud fune-
„ ſtum animal ex nefariis ſtupris: ex ciuili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & fla-
„ gitiorum impunitate concretum, hoc prorſus intellexit: nec non iij. libro in Verrem, dicens.
„ Quid hoc homine faciatis? aut quam ad ſpem tam perfidioſum: tam importunum animal re-
ſeruatis? nam ſuperiori loco Ciceronis, quo exagitauit Piſonem, ſimilis admodum eſt hic, quo
„ Antonium vexat in iij. Philippica. quamuis nomen hoc ipſum illic non ponat. Hanc ve-
„ ro taeterrimam beluam quis ferre poteſt? aut quomodo? Quid eſt in Antonio praeter libi-
„ dinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his totus conglutinatus eſt. quod Graeci e-
nim σύνθετον, nunc concretum, nunc conglutinatum dixit. quarum vocum priore vſus quo-
„ que eſt in iij. libro de natura deorum, cum inquit. Etenim omne corpus, aut aqua, aut aër,
„ aut ignis, aut terra eſt, aut id, quod eſt concretum ex his.

Voces, quas decantari filiis ſolitas ab auaris patribus docuit Flaccus, oſtenduntur etiam in vſu Graecorum fuiſſe.

CAP. X.

VOCES, quas auari homines, ac minuti animi, inſuſurrare filiis ſolerent, rettulit Horatius in ſatyra prima ad Moecenatem, qua vitium illud accuſauit, & quanta maxime diligentia potuit, exagitauit: inquit enim errorem hunc nimis peruagatum eſſe: atque in plures quam oporteret, radices egiſſe, dolens. At bona
„ pars hominum, decepta cupidine falſo: Nil ſatis eſt, inquit, quia tanti, quan-
„ tum habeas, ſis. Plutarchus quoque, optimus humanae vitae formator, in commentario, quo de nimio amore auri diſputat, celebratas itidem illas in Graeco ſermone oſtendit. docens inueniri multos, qui dum praecipere aliquid haeredibus volunt, quod proſit, corrumpunt ipſos ac deprauant, inſerentes in animos ipſorum ſitim pecuniarum vehementiorem: quae autem in ore huiuſcemodi hominum eſſent & tamquam vtiliſſima praecepta decantarentur, haec eſſe
„ inquit. Κέρδαινε, καὶ φείδου, καὶ τοσούτου νόμιζε σαυτὸν ἄξιον, ὅσον ἂν ἔχῃς. addit autem ſtatim grauis vir, id non eſſe, praecepta dare & excolere, ſed contrahere atque conſuere tamquam marſupium, vt continere cuſtodireque, quod iniectum eo fuerit, poſſit: vtitur enim ad ſtultitiam iſtorum explodendam breui hac imagine ac ſimili.

Grauis ſententia Salluſtij, quae admirabilis eſt, oſtenditur e Graeco expreſſa.

CAP. XI.

SALLVSTIVS de bello Iugurthino, quum induxit Syllam, cum paucis, quos ſecum habebat, paene inſidiis circumuentum, milites ad fortiter proeliandum adhortantem, atque ita loquentem. Quanto ſibi in proelio minus perperciſ-
„ ſent, tanto tutiores fore. interpretatus videtur ſententiam illam Graecam. μαχέσθων ὡς τεθνηξόμενοι, καὶ οὐ τεθνήξονται: hoe enim memoriae proditum eſt ſcripſiſſe Spartiatas, qui domi in magiſtratu erant, Leonidae fortiſſimo imperatori, qui cum parua manu contra infinitam multitudinem hoſtium pugnaturus erat: hic enim motus animi, & quaſi deſperatio iuſtum rerum, aliquando non nullis in bello ſaluti fuit: conſpicitur namque ſaepe in proelio interfici vitae retinendae nimium ſtudioſos: incolumeſque ac viuos inde euadere, qui omnem curam ſui capitis abiecerunt. quare conſilium id L. Syllae eo tempore ve-
rum atque vtile fuit. Nam quin Virgilius idem intellexerit, quum fecit Aeneam, extremo
„ patriae tempore, magni animi iuuenibus dicentem. Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem,
„ dubitari non debet. Sed etiam Thucydides in vij. libro hiſtoriae, laudans conſilium Syracuſanorum, qui cominus cum Athenienſibus, profligatis iam, pugnare nollent: tantumque iter eorum iaculis certaminibus morarentur, idem protulit: docuitque quam inutile periculoſumque ſit cum hominibus, vitam ſuam deſperantibus, congredi: idque ſaepius illis bono eſſe, quam iis, qui numero fortunaque ſuperiores ſunt, affirmauit.

Verba antiqui poëtae, quae exempli loco ponuntur a Cicerone, declarantur ap ıd auctorem ipſum pronuntiata fuiſſe a Medea.

CAP. XII.

VERSVS hi antiqui tragici, poſiti a Cicerone in iij. libro de natura deorum, pronuntiati ſunt a Medea, nefaria ſcelera animo verſante: gaudenteque ſecum (niſi fallor) quod impoſuerit aſtutia ſua Creonti regi. » Ille trauerſa mente mihi hodie tradidit repagula: » Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo: » Mihi maerores, illi luctum: exitium illi, exilium mihi: Cum enim impetraſſet ab eo, vt ſpatio vnius diei Corinthi maneret, qui pudore impeditus negare ipſi non potuit, quod non eſſe concedendum ſentiebat, gaudio exultans Medea (vt opinor) illa edidit. nec tamen e tragoedia Euripidis, quae nunc in manibus eſt: exulque quondam appellabatur, vt ab altera eiuſdem poëtae diſtingueretur, in quo eiuſdem perſonae primae itidem partes erant, expreſſi hi verſus ſunt, ſed ex alia quapiam fabula ſententia haec ſumpta eſt: ſcripſit enim quoque Accius Medeam. vt plurimis inde citatis teſtimoniis a veteribus intelligitur. Trauerſa vero mente valere hic ſtulte, ac ſine conſilio vllo, patet. quod autem adiungit, amentem regem tradidiſſe ſibi repagula, quibus iram recludat, eſt ἀλληγορία: repagula enim inſtrumenta ſunt firmiter occludendis foribus apta: vt teſtimonio hoc etiam Plauti intelligitur e » Ciſtellaria. Occludite aedis peſſulis, repagulis.

Notati duo turpiſſimi lapſus magnorum duorum in litteris virorum.

CAP. XIII.

DOCTI quoque homines aliquando in pueriles errores incidunt ob negligentiam quandam, qua vtuntur in ſcribendo. vt Petrus Crinitus, qui in commentariis ſuis de Gallonij ſumptu diſſerens, citanſque Lucilium teſtem, qui ipſum carminibus ſuis proſciderat. illa autem apud Ciceronem in ij. de finibus nunc leguntur, exiſtimauit locum eum acceptum eſſe e ſatyra ad Lapathum. quod ini» tium illi eius carminis ſit. O lapathe, vt iactare neceſſe eſt cognitus cui ſis. nec vidit lapathum nomen viri non eſſe, ſed herbam ſignificare: ad quam orationem conuertit poëta, admirans vtilitatem bonumque ipſius: eſt enim apoſtrophe. illa autem exinaniendo purgandoque ventri accommodata eſt: quod nomen etiam hoc ipſum Graecum teſtatur. nam Latino rumex vocata eſt. ſaepe tamen a noſtris auctoribus Graeco illa appellatur, vt ab Horatio quoque in ſatyra, qua Catij Epicurei praecepta irriſit. M. Varro [illegible] ipſam vocauit Manio. vt indicio Nonij grammatici cognoſcimus. quo etiam ex loco declaratur mirifice ipſam aptam eſ» ſe ad tenuem vitam, plenamque purae voluptatis colendam: ait enim. Hanc eandem volu» ptatem tacitulus taxim conſequi lapathio ac ptiſana poſſum. Petrus quoque Halcyonius in libris, quos ſcripſit de exilio. iterum lapſus eſt in Epicuri ſententia vertenda: In priore enim Legato (priorem namque & poſteriorem Legatum, duos illos libros inſcripſit) inquit. » Sed, vt libere tecum agam, non nihil me commouit ſuperioribus diebus, lectio commentario» li, quo Plutarchus Chaeronenſis quaerit, an recte dictum ſit. λάθε βιώσας, hoc eſt viuus fe» fellit, vt Flaccus interpretatur: Neque enim ita editum eſt praeceptum Epicuri: nec laudauit ille quempiam, qui hanc rationem vitae ſecutus eſſet. ſed magiſter iucundae vitae, auctor fuit hominibus, iiſque maxime, qui ſectam ſuam ſequerentur, vt popularem laudem, gloriamque fugerent: iuſſitque illos ita viuere, vt fallerent omnes mortales: nec quiſquam ipſos vixiſſe sciret. alia autem ratio fuit Flacci, qui non imperauit vt in obſcuro vita duceretur: ſed probauit iudicium illius, qui praecepto huic Epicuri paruiſſet. λάθε vero imperandi modo dictum eſſe, pueri etiam, qui primoribus labris Graecum ſermonem deguſtarunt, ſciunt. cum tamen Halcyonius nimis imperite, ita ceperit, vt ſi ἔλαθε ſcriptum fuiſſet. In eodem autem flagitio in poſteriore quoque legato maximus ille verborum Ciceronis imitator volutatur, ita » ſcribens. Praeceptionem igitur ſuam Plutarchus ita inſtituit, vt dicat, qui hanc vocem pronun» tiauit, viuens feſellit, ideo pronuntiaſſe, vt obſcurus non eſſet.

Diſputatur de acuta voce Graeci hominis, qui poëtarum phantaſias vocauit vigilantium ſomnia.

CAP. XIIII.

VETVS quidam ſcriptor, acuti ingenij vir, peritusque, ſcite vocauit poëtarum phantaſias ἐγρηγορότων ἐνύπνια. ideſt vigilantium ſomnia: poëtae namque ipſi, cum intento animo: totique in ea cogitatione occupati, aliquid ſcribunt, quaſi id cernunt, & ante oculos poſitum habent. ſomnia igitur, quia illae fictae commenticiaeque ſunt: vigilantium vero, quia diſcrepant hac parte ab aliis ſomniis, quae dormientium ſunt. vocis autem huius meminit Plutarchus in commentario, quem ἐρωτικὸν vocauit, oſtendens verius dicturum illum fuiſſe, ſi non poëtarum, ſed amantium phantaſias, cum amoribus, deliciiſque ſuis abſentibus, vt cum praeſentibus diſputantium, vigilantium ſomnia eſſe dixiſſet: in hac enim re praeter modum verſari amatores atque inſaniae certum eſt. Quintilianus quoque in vi. libro manifeſto illam expreſſit docens, quod ſecuris hominibus, aut inani aliqua cogitatione abſportatis vsu venit, vt res ipſas non mente comprehendere, ſed agere fruſtra videantur, idem etiam vſurpatum poſſe fructus maximos ferre oratoribus, ſi in agendo illis rebus, cum ſiunt, ſe praeſentes eſſe putarint, inquit enim. Nam, vt inter otia animorum: & ſpes inanes, & velut ſomnia quaedam vigilantium, ita nos hae, de quibus loquimur, imagines proſequuntur, vt peregrinari, nauigare, proeliari, populos alloqui: diuitiarum, quas non habemus vſum videamur diſponere: nec cogitare, ſed facere, hoc animi vitium ad vtilitatem non transferemus? Apud Graecum autem auctorem mendum eſt: cum enim in excuſis ipſius libris legatur. Καὶ οὐχ ὥς τις εἶπε τὰς ποιητικὰς φαντασίας διὰ τὴν ἐνάργειαν ἐγρηγορότων ἐνύπνια εἶναι, ἀλλὰ μᾶλλον αἱ τῶν ἐρώντων, διαλεγομένων ὡς πρὸς παρόντας, ἀσπαζομένων, ἐγκαλούντων. videtur prorſus, tertia eius nominis littera immutata, pro ἐνέργειαν, ἐνάργειαν eſſe legendum: intelligit enim perſpicuitatem euidentiamque a Cicerone appellatam. quae macula etiam irrepſit in Quintilianum: paulo enim poſt ſuperiora illa verba, inquit. Inſequitur ἐνάργεια, quae a Cicerone illuſtratio & euidentia nominatur. in impreſſis tamen exemplaribus legitur ἐνέργεια. quin autem illo modo legendum ſit, dubitare non poſſumus: verba enim quae Graecum verbum exprimentia, adiunguntur, id declarant. Sed infinitis locis apud Graecos auctores pro ἐνάργεια, propter ſimilitudinem dictionum, quae vna tantum littera variantur, ἐνέργεια factum eſt, vt cum Simplicius ac Philoponus declarant Ariſtotelem duxiſſe argumentum ab euidentia & perſpicuitate.

Cum Cicero μεταφορικῶς principia orationum vocarit Veſtibula, & Aditus, declaratur, Graecos quoque verbis, quae his reſpondent, vſos in eadem paene re oſtendenda.

CAP. XV.

IN Oratore Cicero, cum illum ipſum, quem fingebat, doctiſſimum & perfectiſſimum oratorem intelligeret: rationemque indicaret, quam ipſum initio cauſae explicandae, vel potius conciliandi ſibi animos auditorum tenere vellet, translatis verbis grandibuſque vſus eſt, ita ſcribens. Veſtibula nimirum honeſta, aditusque ad cauſam faciet illuſtres: vocare enim principia orationum veſtibula & aditus, manifeſtum eſt, non ſuis propriiſque eius rei nominibus, ſed aliunde ſumptis: ſimilibusque, vti: ſunt enim haec partium templorum, magnificarumque aedium, vocabula. eſt igitur translatio a genere earum, quae ἐκ τοῦ ἀνάλογον ab Ariſtotele vocantur: elegantisque, ac rei ipſius illuſtrandae virtute, reliquas omnes ſuperant. Magni autem ſpiritus poëta: grandiloquuſque in primis Pindarus, & ipſe de cantilenis ſuis ita locutus eſt, cum initio ſextae odae Olympiorum, cecinit. Χρυσέας ὑποστάσαντες εὐτειχεῖ προθύρῳ θαλάμου Κίονας, ὡς ὅτε θαητὸν μέγαρον Πάξομεν: ἀρχομένου δ' ἔργου, πρόσωπον Χρὴ θέμεν τηλαυγές: eſt enim totus ille ſermo tamquam de alia re, quae ἀλληγορία vocatur: eam autem plures translationes conficiunt. Sed etiam Plutarchus in extremo vitae Solonis, quo loco commemorat magno animo Platonem inchoatum opus Solonis ſuſcepiſſe: argumentum inquam Atlanticum. quod tamen & ipſe perficere: ad exitumque perducere, non potuit: inquit enim. πρόθυρα μὲν μεγάλα καὶ περιβόλους, καὶ αὐλὰς τῇ ἀρχῇ περιέθηκε. ὁ δὲ λόγος οὐδὲν ἄλλο ἴσχει, οὐδὲ μῦθος, οὐδὲ πέρας. ἔτι δὲ ἀρξάμενος, προκατέλυσε τῷ ἔργῳ τὸν βίον.

Clarus Plutarchi locus, qui, errore magno imperitorum, deformatus erat, reſtitutus.

CAP. XVI.

QVERI merito nemo de me poterit, ſi aduerſor ſtudio quorundam, vel libidini potius; qui conſuerunt in antiquis, grauibuſque ſcriptoribus legendis, cuncta, quae non intelligunt, audacter mutare, & ad ſuum aliquem ſenſum trahere: amore enim veteris lectionis tuendae, ſiue indagandae, non alicuius laudi, & ingenij acumini obtrectandi, hoc facio, quod planum omnibus eſſe poteſt; quin vitium ipſorum, conſuetudinemque malam potius accuſo, quam nomen eorum inſector. Locus igitur eſt, in aliis multis, hoc pacto contaminatus apud Plutarchum in vita Cleomenis Spartiatae, qui in calamo exaratis libris integer eſt: in excuſis autem omnibus, deprauatus: eſt autem vbi narrat, quomodo rex ille veterem remp. reſtituerit ſuis ciuibus; ſuſtuleritque eos, qui Lycurgi leges euerterant; inquit enim, quendam eorum, quos ſibi delendos putauit (hi autem Ephori erant) in caede illa grauiter vulneratum, clam irrepſiſſe in vicinum fanum Timoris, atque illic, ianua clauſa eius ſacelli, manſiſſe, donec finis impoſitus eſſet conſilio ſortiſſimi Regis, & paenae peſſimorum ciuium. Hoc igitur ipſo in loco, grauis ſcriptor commemorat, Lacedaemonios, vt multis aliis animi motionibus, ita etiam Timori fana aedificare ſolitos: ſignificabant enim ſic oportere metuere leges, reformidareque contra ipſas aliquid committere. Verba Plutarchi ſunt, docentis non capere Laconas Timorem eo tempore, vt reliqui Graeci, qui ſtudebant eiicere e pectoribus ſuorum iuuenum metum, ſed inſerere potius, admonentes, non oportere ipſos metuere mortem pro patria, & libertate: ἀλλὰ τὴν πολιτείαν μάλιστα συνέχεσθαι νομίζοντες φόβῳ; vbi igitur recte legitur φόβῳ, pro hac voce quidam improbe poſuerunt, & inſcienter νόμῳ. nam praeter auctoritatem exemplarium veterum, facile eſt cognoſcere vitium illius lectionis: neque enim proprium erat Spartiatarum arbitrari, remp. contineri legibus, ſed commune omnium populorum: ille etiam, qui vertit in Latinum ſermonem hanc vitam, habens exemplar ſcriptum, vt puto, fideliter interpretatus eſt: reddiditque Timori: quem etiam poſtea ſecuti ſunt, qui in noſtrum tranſtulerunt.

Celeritas itineris μετεωρικῶς appellata verbo illo, quod proprium eſt auium, & a Graecis, & a Latinis ſcriptoribus.

CAP. XVII.

IN ſignificanda C. Antonij celeritate, qua in Macedoniam inuito ſenatu ſe contulit: incredibilique curſu illius itineris, ita locutus eſt Cicero, vt Alexis comicus in fabula quadam ſua: cuius verſus leguntur apud Athenaeum in vi. libro δειπνοσοφιστῶν, vbi de paraſitis diſputat. non inutile igitur ingratumque ſtudioſis me facturum putaui, ſi locos hos inter ſe contuliſſem. Verba M. Tullij haec ſunt e x. Philippica. » Quae celeritas illa Bruti? quae cura? quae virtus? & ſi ne illa quidem Antonij ce» leritas contemnenda aſt. quem, niſi in via caducae hereditates retardaſſent, volaſſe eum, non » iter feciſſe diceres. comicus autem ille ita inducit paraſitum loquentem, qui queritur de nimis celeri ambulatione Demeae cuiuſdam, vnde cibum ſumebat: dicitque ſe miſerum hac vna re » eſſe, quod conſequi eum non poſſet. Ἐμοὶ παραπατεῖν, κρεῖττον ἦν τῷ Περσέως, Ἢ τοῖς Βορεάδαις, » ὅστις θᾶττον πολὺ τρέχει Ἢ Δημέας Λάχητος ἐτεοβουτάδης: Πέτεται γάρ, οὐχ ἁπλῶς βαδίζει τὰς ὁδούς. Similis autem admodum locus hic eſt Alexidis, ſententiae illi Catullianae, qua in quaeritando Camerio ſe defeſſum eſſe commemorauit: inquit enim.

» Non cuſtos ſi ego fingar ille Cretum:
» Non ſi Pegaſeo ferar volatu:
» Non Ladas ego, pennifer ve Perſeus:
» Non Rheſi niueae, citaeue bigae:
» Adde huc plumipedas, volatileſque.

Et quae ſequuntur. nam extremo hoc verſiculo arbitror intellexiſſe, non aues ſolum, ſed quos aperte ſignificauit Alexis, Boreae filios: illi enim quoque alati fingebantur. quod teſtatus etiam eſt Themiſtius in paraphraſi in iij. librum de animo. καὶ πτερωτοῖς, ὡς τοῖς Βορεάδαις. Plato quoque in viij. libro de Rep. eodem verbo μετεωρικῶς & ipſe vſus eſt. cum enim, declarato illic antea quanto plures ciues iniuria affecerit tyrannus, tanto pluribus corporis cuſtodibus opus ipſi futurum, quaeſitum eſſet,

vnde

vnde tantam copiam hominum ſibi ſidnrum accerſiturus eſſet, reſponſum eſt, ſponte illnc vndique conuolaturos, ſi mercedem dederit. Verba autem, quibus extremum hoc protulit, haec ſunt, αὐτόματοι ἴσα πολλοὶ ἥξουσι τὴν μίσθωσιν, ἐὰν τὴν μισθὸν διδῷ.

Quid valeat σφαῖραν ποιεῖν in domeſtico illo vernaculoque ſermone: quod etiam verbo συστρογγύλειν oſtendebatur.

CAP. XVIII.

MOrvs hic loquendi videtur frequens fuiſſe in Graeco ſermone: vt cum aliquem oſtendere vellent patrimonium confeciſſe, dicerent eum σφαῖραν illud feciſſe. id, quod percipitur e teſtimoniis comicorum, quae citantur ab Athenaeo: in illis enim praecipue huiuſcemodi locutiones apparent. in iiij. igitur libro cum luxurioſos, quos Graeci ἀσώτους vocant, numerare inciperet, primum Dindori meminit, quem in fabula quadam, Cnidia vocata, Alexis his verbis notauerat. Διδύμων τε ἀδελφῶν ἦσαν δύο Σφαῖραν ἐποίησαν τὴν πατρῴαν οὐσίαν Οὕτως ἐμφανῶς ἅπαντα κεκηματικότε. Idemque poëta alia in comoedia alium etiam hunc eodem nomine vexat, dicens. Σχολῇ γε δὴ ἄλλῳ. χολᾷ λέγεις Ἐπιχαρίδας ὁ μιαρὸς ὁ ποιῶν ἀνέρας Σφαῖραν ἐποίησε τὴν πατρῴαν οὐσίαν Οὕτως ὀλυμπικῶς συνεστρογγύλικε ἐμφανῶς καὶ ταχύ. nam, quod addidit, adeo illum impudenter celeriterque ad rotundam formam rem ſibi a patre relictam redegiſſe, vt vere id, quod protulerat affirmari potuerit, eadem ratione ac verbo quoque eodem, cum idem ſignificare vellet, vſus etiam fuerat Nicomachus eiuſdem ſtudij homo, teſtante hoc quoque Athenaeo. quare συστρογγύλειν, & ipſum valere perſpicitur eadem de cauſa, euertere patrimonium, & effundere. carmen poſterioris huius comici eſt in epitome ij. libri: illo autem inducitur perditus quidam in turpi hac voluptate, qui commemorat ſe relictam ſibi a patre rem paucis menſibus diſſipaſſe, atque in ventrem condidiſſe. verba vero eius haec ſunt. Οὐσίαν γὰρ καταλιπόντος μοι τοῦ πατρὸς Οὕτω συνεστρογγύλικα, κἀξηκόνησα, Ἐν μησὶν ὀλίγοις, ὥσπερ ἄν τις ἐσθίων. Cum autem, vt facilitatem totius rei, breuitatemque temporis demonſtret, vtatur in extremo ſimili quodam atque imagine, eadem imago familiaris nobis eſt in patrio ſermone: nos enim quoque, cum aliquid nullo negotio factum ſignificare volumus, dicere conſueuimus, è ſu come ſucciare vn' vuouo freſco. non tamen vt ſimile hoc nos quoque vſurpamus, ita veſtigia vlla (niſi fallor) habemus, aut in noſtro, aut in Latino ſermone modi illius loquendi. nam Plautus, cum in prologo Captiuorum, inquit. Et vero dij nos quaſi pilas homines habent, (vt opinor) aliud ſignificauit; valet enim illud, verſant nos, & vt ipſis commodum eſt, male habent.

Quod Plato multis locis, inquit, τὸ σὸν μέρος, Varronem dixiſſe pro ſua parte.

CAP. XIX.

ACCVRATISSIMVS ſcriptor Plato in Critone, τὸ σὸν μέρος· ſaepe inquit, quod in te eſt, ſignificare volens: primum enim ille ipſe, vnde ſermo appellatus eſt, ſuadens Socrati vt ſaluti ſuae proſpiceret omni ratione qua poſſet: oſtendenique quantopere peccaret, ſi in propoſito maneret, & quemadmodum etiam vitae liberorum noceret, inquit. καὶ τὸ σὸν μέρος, ὅ, τι ἂν τύχωσι τοῦτο πράξουσι: relicti enim ſine cuſtode filij, quod in ipſo fuit, corrumpentur. nam indole probitateque naturae poſſent etiam virtutem colere. Praeterea in medio etiam ſermone ex perſona ſapientiſſimi viri, qui leges inſtitoraque ſecum inducit ita agentia. εἰπέ μοι ὦ Σώκρατες τί ἐν νῷ ἔχεις ποιεῖν; ἄλλο τι ἢ τούτῳ τῷ ἔργῳ, ᾧ ἐπιχειρεῖς διανοῇ, τούς τε νόμους ἡμᾶς ἀπολέσαι, καὶ σύμπασαν τὴν πόλιν τὸ σὸν μέρος. Sed etiam in extremo. nec non in v. de legibus quot & quam magna detrimenta inferret ciuitati inuidus homo exponens: narrat enim in aliis, opera ipſius minorem ad gloriã capeſſendam illam fieri, ſi praui ipſius ſtudij ciues rationem habuerint: quia contendere nemo de virtute volet, ac ſummam dignitatem conſequi propoſito hoc malo, dicens. καὶ διὰ ταῦτα ἀγύμναστον τὴν πόλιν ὅλην εἰς ἅμιλλαν ἀρετῆς ποιῶν, σμικροτέραν αὐτὴν πρὸς εὐδοξίαν τὸ ἑαυτοῦ μέρος ἀπεργάζεται. Sed etiam Demoſthenes pluribus locis eodem pacto locutus, & in oratione περὶ παραπρεσβείας; cum inquit; ὅτι τὸ μὴ ἐκεῖνα μήτε πάντ' αὐτῷ γενέσθαι, τὸ ἐπ' ἐμέ, καὶ τὸ ἔχειν. M. autem Varro manifeſto expreſſit hunc modum loquendi his verbis, quae citantur a Nonio lege Minia; Siqui patriam, maiorem parentem, extinguit, in eo eſt culpa: quod facit pro ſua parte is, qui ſe eunuchat, aut aliqua liberos non producit. Catullus quoque in carmine quo coloniam alloquitur, cum dixit, ſtupidum oſtendens municipis ſui. Nec ſe ſubleuat ex ſua parte, idem ſignificauit.

Videri Horatium, cum liquidum vocauit aquam, imitatum eſſe conſuetudinem Graeci ſermonis.

CAP. XX.

IN prima ſatyra ad Moecenatem Flaccus, auaros accuſans: ſimilique quondam errorem animi illorum oſtendens, qui ſuauius eſſe dicerent ex magno tollere aceruo quam ex paruo, quamuis modicum inde ſumeres, inquit.

" Vt tibi, ſi ſit opus liquidi non amplius vrna,
" Vel cyatho, & dicas magno de flumine mallem
" Quam ex hoc fonticulo tantundem ſumere.

vel conſuetudinem potius Grae nomine igitur generis vtens, liquidum vocauit aquam ipſam. ci ſermonis ſecutus eſt: vnde modos dicendi multos in Latinum transferebat, ob frequentem lectionem eius linguae ſcriptorum. Plutarchus quoque eodem pacto locutus intelligitur in commentario, quo diſputauit rationem inductam ab Epicuro non efficere vitam iucundam.
" ait enim. καὶ οὐκ ἐσθίων τῆς προσαγωγῆς τῷ ὑγρῷ τῷ ὕδρωπι.

Emendati duo Plutarchi loci e libro, quem inſcripſit. ὅτι οὐδὲ ζῆν ἐστιν ἡδέως κατ' ἐπίκουρον.

CAP. XXI.

TESTIMONIVM grauis eruditique in primis ſcriptoris, quo nuper vſus ſum s eiuſque libri recordatio, admonuit me vt duos in eo locos purgarem, qui turpiter inquinati ſunt, ac magnas illic tenebras offundunt: cum enim Plutarchi oratio aſpera moroſaque ſit, praecipue in his libris, quos de vita & moribus ſcripſit, durior adhuc illa obſcuriorque fit, quia multae veterum poëtarum ſententiae inſertae in eam confuſaeque ſunt. quae ſi ab omni etiam macula, vitioque vacuae forent, turbare tamen aliquando poſſent eruditum quoque lectorem, ac moleſtiae non parum afferre: accedit autem huic difficultati, quod plerumq; verba ipſarum deprauata ſunt, vt niſi ad fontes ipſos accedas, ſenſum inde haurire: nitoremque illis ſuum reſtituere, nequeas. vt autem hoc verum eſſe probem: opiſque aliquid vni omnium doctiſſimo auctori feram, vbi contra ſententiam illam Metrodori diſputat, quam expreſſit Cicero in v. libro Tuſculanarum his verbis.
" Summum bonum firma corporis affectione: explorataque ſpe contineri: docetque firmam corporis affectionem ſaepenumero obtineri: exploratam autem ſpem de ea re in animo non omnino ſtulto, non poſſe manere: quia ſubito bono illo ſpoliari poſſit, addit. imagine quadam ſen-
" tentiae illius vanitatem refellens. ἀλλ' ὥσπερ ἐν θαλάσσῃ κατ' ἀρχύλον ὁ φησὶ τῇ γαλήνῃ τῆς ἀνθηρότητος
" σοφῷ καὶ μελάνῃ: τὸ ζῆν μίμνον ἄδηλον. & quae ſequuntur: ita enim in cunctis nunc exemplaribus legitur. qua lectione nihil deformatius dici poteſt. vera autem e monimentis poëtae elicitur,
" quae haec eſt. ὠδῖνα τίκτει νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ: eſt enim ſumptus ſenarius e fabula, quae inſcribitur ἱκέτιδες: affirmatq; illic poëta (quod valde huic ſententiae: propoſitoq; grauis ſcriptoris, accommodatum eſt) metus aliquid doloriſque parere ſapienti gubernatori noctem ipſam, quamuis ſerenam, quia numquam poteſt ille ſecuro animo eſſe: paruo namque momento magnae tempeſtates excitantur. Grauem autem veramque ſententiam ornauit etiam Aeſchylus translatorum verborum ſuauitate: ſignificare enim manifeſto voluit ὠδῖνα τίκτει dicens, pauorem incutit ac ſollicitum illum reddit: cum tamen ὠδῖνες ſint dolores, quibus in partu vexantur mulieres. Sed alter etiam locus, vbi eodem teſtimonio vſus eſt, qui & ipſe mutilus eſt, hoc pacto corrigitur. Is autem eſt in iij. capite primi libri συμποσιακῶν, vbi de vigilantia curaque conſulis R. diſſerit. Multo item poſt ſuperiore in commentario, vbi Epicurum reprehendit, quod in libro de regno auctor fuiſſet fortunatis hominibus, vt omnem quaeſtionem ad muſicam artem, huiuſcemodique ingenuas diſciplinas pertinentem, excluderent e conuiuiis: patefacerentque potius aures ſcurrilibus dictis, quam his honeſtis oblectationibus, exemplum item poëtae illic poſitum, contaminatiſſimum eſt. vbi nunc in excuſis
" legitur. ὅσα δὲ μὴ πεφίληκε ζεὺς ἀτύζονται βοὰν πιερίδων. Sunt autem Pindari verba e prima
" Ode Pythiorum: legique manifeſto debet. ὅσα δὲ μὴ πεφίληκε ζεὺς ἀτύζονται βοὰν πιερίδων ἀΐοντα. quod & ipſum magni ſpiritus poëtae elegantiſſimum teſtimonium, vt hic adeo deprauatum eſt, vt monſtri ſimile ſit, ita quoque in penultima quaeſtione vltimi libri συμποσιακῶν quamuis minus illic inquinatum ſit. nam in diſputatione, quam idem habuit de ſuperſtitione itidem poſitum, integrum eo loco eſt, & ab omni macula vacuum.

Quod

Quod Cicero in oratione quadam μεταφορικῶς, inquit, Terram intueri, idem etiam in alio perfugio alicuius mali eadem ratione ſuis verbis Graecum hominem dixiſſe.

CAP. XXII.

M. Cicero pro L. Muraena, cum officium ſuum probaret, quod prope tranſacto ſuo conſulatu, deſignatum conſulem defenderet: rationemque ſui facti redderet, collatione etiam vſus eſt: moremque nautarum expoſuit, qui munere illo mutuo ſe admonendi libenter vterentur: viamque omnem periculorum declinandorum oſtenderent: in cuius poſtea collationis redditione, verbis ipſius illius rei propriis vtens, inquit. Quo tandem animo me eſſe oportet, prope iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas Reip. tempeſtates eſſe ſubeundas? terram igitur intueri ſignificat finem alicuius moleſtiae, terminumque proſpicere. quemadmodum memoriae proditum eſt Diogenem illum, canem vocatum, longitudinem quorundam ſcriptorum contempſiſſe: legente enim quodam malum librum, eundemque longiſſimum: hoc enim valere puto, μακρά τινα ἀναγνώσματα, non diuturnitatem temporis ſignificare, vt qui confecit συναγωγὴν prouerbiorum videtur reddidiſſe, in paginis verſandis extremum ipſius a ſcriptura vacuum anagnoſtes oſtendiſſet, conuerſus ad eos qui praeſentes aderant, dicax ille ſapiens ait. bono animo eſtote, terram video. qua voce ſignificauit taedium illius lectionis.

Explicatus familiaris hic modus loquendi, Soli ſumus. qui oſtenditur in conſuetudine etiam Graecorum fuiſſe.

CAP. XXIII.

Multa ſaepe mortales nullo conſcio gerunt, quae teſtibus aliquibus inducti nunquam poſſent vt facerent, vt qui retinendae exiſtimationis ſtudioſi ſunt. hinc autem videtur manaſſe ſermo ille, quo vtimur iubentes quempiam diligenter attendere vtilitatem conſilij noſtri, metu omni poſito: aperte enim cum eo incipientes agere, dicimus, Soli ſumus. Eo autem egregie vſus eſt Terentius in Phormione, vbi inducit Getam hero commemorantem aſtutam illam rationem, ac fallaciae plenam, quam finxerat vt ipſi imponeret: narrat enim ſe cum impuro illo paraſito de hetili re accurate egiſſe, atque ita inquit. Poſtquam hominem his verbis ſentio mollirier: Soli ſumus nunc hic, inquam. Eho dic, quod velis Tibi dari in manum, vt herus iis deſiſtat litibus: Haec hinc faceſſat: tu moleſtus ne ſies. Vt Plautus quoque in Caſina, quo loco facit Myrrhinam matronam reprehendere Cleoſtratam, quae de viro querebatur: ante tamen ſe purgantem quam contra illam ſententiam ferat: oſtendentemque ſine damno ipſius ſe poſſe aduerſus eam loqui, nullis praeſentibus, hoc pacto. Obſecro tace: nam nunc hic licet dicere: Solae ſumus. Arbitror autem hoc e Graecis poëtis, Apollodoro, Diphiloque expreſſum fuiſſe, vnde fabulae hae Latinae conuerſae ſunt. Graeci enim frequenter hoc ſermone vtuntur. vt Plato quoque in Menexeno. cum adoleſcens ille, a quo ſermo vocatus eſt, Socratem vrgeret, vt orationem ordiretur: poſtquam enim grauiſſimus ſenex diu recuſauit, oſtendit ſe velle omnino ipſi morem gerere, cum etiam iuſſus ab illo paene nudus ſaltaturus ſit: addit enim ſtatim ἐπειδή γε μόνω ἐσμέν. Sed etiam in i. de legibus cum inquit, αὐτοὶ δὲ, ἵνα μὴ, ἀφέμενοι ὑπὸ τοῦ κωμῳδεῖν, διαλεγόμενοι περὶ αὐτῶν τούτων, μόνοι πρὸς μόνους, μηδὲν ἂν πλημμελῶν. Huc etiam alluſit Ariſtophanes in fabula, cui ab Acharnanum gente nomen impoſitum eſt: inquit enim ſe libere illo tempore poſſe improbos notare: atrociaque illorum facta aperire: cum peregrini adhuc Athenas non venerint, ſed ſoli ipſi illic ſint, cumque Athenienſibus tantum res agatur. Criminatus autem antea ipſum fuerat Cleon, quod cum praeſentes adeſſent peregrini, malediceret ciuitati. Totus locus hic eſt facetiſſimi poëtae. Οὐ γάρ με καὶ νῦν διαβαλεῖ Κλέων, ὅτι ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω: Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών Κοὔπω ξένοι πάρεισιν. Cicero quoque id vſurpauit in vi. libro epiſtolarum ad Atticum, cum arrogans M. Bruti ingenium accuſaret, ac quid ſentiret de illo Pomponio ipſi, qui eum vehementer amabat, libere exponeret: ait enim. Omnino, (ſoli enim ſumus) nullas vnquam ad me litteras miſit Brutus, (ne proxime quidem de Appio) in quibus non ineſſet arrogans ἀκοινονόητον aliquid. nam, quod in alia epiſtola inquit, Quod inter nos liceat dicere, idem valet.

Diſputatum de modo quodam loquendi, frequenti in Graeco ſermone: quaeſitumque an M. Varro, eum expreſſerit.

CAP. XXIIII.

VTVNTVR crebro veteres Graeci ſcriptores hoc modo loquendi. vt, cum oſtendere velint aliquem in magno apud quoſpiam honore eſſe: cunctaq; ipſos ei tribuere, dicant omnia illum apud eos eſſe. Demoſthenes manifeſto pro Cteſiphonte, accuſans Theſſalos & Thebanos, quod omnia ſumma Philippo regi tribuerent, atque omni honore verborum ipſum afficerent & amicum, & commodorum ſuorum auctorem & conſeruatorem ſuum vocantes, atque animo etiam reputantes, ad extremum illo modo, inquit. πάντ' ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς. Sed idem etiam orator contra Ariſtocratem, cum de praeclaro animo ac voluntate Athenienſium erga Alexandrum Pheraeum: ſeuiſſimum illum tyrannum, verba faceret, diceretque. τὸν δ' Ἀλέξανδρον ἐκεῖνον τὸν Θετταλόν, ὅτι ἐκ τῶν αἰχμάλωτον ὄντα Πελοπίδαν· ἐχθρὸς δ' ὡς οὐδεὶς Θηβαίοις· οὕτω δ' οἰκείως διέκειτο οὗτος, ὥστε παρ' ἡμῶν στρατηγὸν αἰτεῖν, ἐβοηθεῖτε δ' αὐτῷ, καὶ πάντα ἦν Ἀλέξανδρος. & quae ſequuntur, ſine dubio idem ſignificauit, Athenienſes ſcilicet Alexandrum in oculis tunc geſtaſſe. familiaris autem modus eſt dicendi, quo etiam nos patrio ſermone vtimur. Videndum autem an doctiſſimus vir M. Varro exprimere illum voluerit, eodemque ſenſu dixerit Seſquiulyſſe: Hic enim omnia erat. idem ſacerdos, praetor, parochus: denique idem ſenatus, idem populi caput. Locus autem hic eſt apud Nonium, vbi rationem ſuperioris Graeci verbi Parochos exponit. Niſi quia putet Varronem illic intelligere aliquem, qui tantum dignitatis, atque opum vere a populo impetraſſet: aut ſermonem illum habitum ex decreto Stoicorum, qui ſapienti illi ſuo omnia concedebant: quod tamen non valde puto. Polybius, cum idem ſignificare vt puto, in animo haberet, in v. libro hiſtoriarum. τὸ ὅλον καὶ τὸ πᾶν dixit: loquitur autem de Apelle quodam, qui plurimum auctoritatis apud Graecas ciuitates malis artibus adeptus fuerat contra regis Philippi dignitatem: vt nomen paene regis in plebiſcitis, honoribuſque ceteris ſileretur. verba eius. Δίω κατὰ τὴν Ἑλλάδα πάντες ἐν τοῖς ψηφίσμασι, καὶ τιμαῖς, καὶ δωρεαῖς ἀπὸ βραχέων μὲν συνεπεμέμνηντο τοῦ βασιλέως· τὸ δ' ὅλον αὐτοῖς ἦν καὶ τὸ πᾶν Ἀπελλῆς. Idem quoque, quod tamen diuerſum eſt, oſtendere volens quempiam toto animo occupatum eſſe in quopiam negotio: nec quicquam aliud cogitare, de illo dicere conſueuit, ὅλος καὶ πᾶς ἦν in ea ipſa re. vt in eodem libro de Antiocho rta loquens. ὁ δὲ βασιλεὺς σαφῶς εἶναι τούτων ἐπιγνούς, πρὸς μὲν τὸν Ἀχαιὸν διεπέμπετο συνεχῶς, ἐγκοτήμενος καθάπερ ὑπέδειξα πρότερον: πρὸς δὲ τοὺς ἐπὶ τὸν πόλεμον παρασκευὰς ὅλος καὶ πᾶς ἦν. Praeterea in iij. libro de M. Minucio, qui contemptis praeceptis Fabij, cum Romam ille proficiſcens praemonuit ipſum ne temere pugnaret cum Annibale, ardebat deſiderio decertandi: ait enim. τὸν δὲ Μινούκιον τῷ ἐπιδιμαχοῦς μάρκος, ἔτι λέγοντος αὐτοῦ ταῦτα, πρὸς τῷ βάλλεσθαι καὶ τῷ διακινδυνεύειν ὅλος, καὶ πᾶς ἦν.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXIIII.

Quid Eritius ſit apud Caeſarem, declaratur: diſputaturque de ſomno Epimenidis Cretenſis, qui dormiendo ſenex eſt factus.

CAP. I.

ERITIVS, quod verbum a nullo vetere grammatico explicatum inueni, videtur fuiſſe munitionis genus: quum, aut humi, aut aliqua in materia tela paliue defigebantur, non valde remota a terra: vt illis impetus hoſtium tardaretur, quod illac penetrare nequirent. Vſus eſt eo verbo C. Caeſar in iij. libro de bello ciuili, hoc pacto. Erat obiectus portis eritius: hic paulliſper eſt pugnatum: cum irrumpere noſtri conarentur: illi caſtra defenderent. Nec multo poſt. Sed tamen noſtri virtute vicerunt: exciſoque eritio, primo in maiora caſtra: poſt etiam in caſtellum, quod erat incluſum maioribus caſtris, irruperunt. Apud nullum autem alium Latinum ſcriptorem, cuius opera extent, inueni. Salluſtius tamen in iij. libro hiſtoriarum hoc vſurpauerat: vnde etiam magis quid illo ſignificetur, percipitur: eius enim verba haec leguntur citata a Nonio. Saxaque ingentia, & axe iunctae trabes, per pronum incitabantur: axibuſque eminebant, in modum eritij militaris, veruta binum pedum. Non erat igitur eritius id, quod diligenter Salluſtius deſcribit, ſed ſimilitudinem illius rei habebat: inde tamen ſiquis attendat, non male forma eritij ipſius elicitur. Sed alterum hoc exemplum ab eodem grammatico ponitur, in quo eiuſdem verbi mentio eſt. illud autem quoque non parum vim intellectumque huius vocis adiuuat. Varro ſexageſi. Se circumſpexe: atque inueniſſe, cum dormire coepiſſet tam glaber quam Socrates Galbam eſſe factum eritium e pilis albis, cum proboſcide. Loquitur vero de quopiam, cuius forma valde in ſomno immutata fuerat: & cum caluus fuiſſet antequam dormitum iſſet, poſtea experrectus inueniſſet ſe, quae res admirationem ipſi merito magnam attulit, capillatum. Vt autem hic quis fuerit, affirmare non auſim: ita non ſtulte fortaſſe aliquis exiſtimarit haec verba, quae ex eodem Varronis libro ab eodem grammatico alio loco citantur, de illo ipſo prolata fuiſſe. Romam regreſſus, ibi nihil offendi: quod ante annos quinquaginta, cum primum dormire coepi, reliqui. Quamquam non deſunt ſuſpiciones, quae me impellunt, vt credam intelligi Epimenidem Cretem: praecipue autem temporis interuallum, quod memoriae proditus eſt ille dormiſſe, ſuperiori reſpondens, me in eam opinionem ducit. Idem enim doctiſſimus ſcriptor in vij. de lingua Latina, cum de difficultate explicandorum poëticorum verborum diſſereret, id his verbis commemorauit. Nec mirum cum non modo Epimenides poſt annos quinquaginta experrectus, a multis non cognoſcatur: ſed etiam Teucer Liuij poſt annos xij. ab ſuis, qui ſit, ignoretur: at hoc quid ad verborum poëticorum aetatem? Haec enim eſt lectio priſci illius, merito ſaepe a me laudati, exemplaris. Somni etiam huius longi, quo quinquaginta annorum ſpatio ſopitus fuit Epimenides, meminit Plutarchus in commentario, quo quaerit, an debeat ſenex Reip. operam dare, his verbis, τὸ μὲν γὰρ ὀψὲ τῆς πολιτείας ἄρχεσθαι καὶ μὴ πρότερον ὥσπερ ἐπιμενίδην λέγουσι κατακοιμηθέντα νεανίαν ἐξεγρέσθαι γέροντα μετὰ πεντήκοντα ἔτη: & quae ſequuntur. Videtur autem in ſuperioribus Varronis verbis mendum eſſe: legique debere pro Galbam, caluam.

Emendati duo loci Ciceronis in oratione pro A. Cluentio, ope antiqui libri.

CAP. II.

CORRVPTVM (vt opinor) locum in oratione pro A. Cluentio indicare volo: ſimulque quomodo putem legi illum debere, oſtendere: quamuis non omnia habeam, quae ad conſtituendam lectionem illam neceſſaria forent, ſed tantum auctoritatem veteris exemplaris: cuius fidem in multis dubiis rebus perſpexi. Quo igitur loco Ci-

cero,

cero, legum vim celebrat, ac multis modis diſcedi non oportere ab legibus declarat, demonſtrans in illo etiam ipſo iudicio non pauca geri, quae abſurda primo, ſineque ratione facta videantur: quae tamen cum legibus fiant, & recta eſſe, & ordine facta intelliguntur, ita nunc legitur in excuſis libris. Quid eſt Q. Naſo, cur tu in iſto loco ſedeas? quae vis eſt, qua abs te hi iudices, tali dignitate praediti, coërceantur. Vos autem iudices quamobrem ex tam magna multitudine ciuium, tam pauci de hominum fortunis ſententiam fertis? & quae ſequuntur. In optimo vero illo, litteris Langobardis exarato, hoc pacto. Quid eſt Q. Naſo, cur tu in hoc ſexto loco ſedeas? qua mirifice delector, lectione, cum planius tradat ordinem, quem in iudiciis, inſtitutis ciuitatis, cuſtodiebant. Honeſtiorem autem fuiſſe hunc locum ex verbis Ciceronis ſuſpicari licet, cum aſſignaretur ei, qui iudicio praeeſſet, atque ipſos iudices cogeret. Quod ſi quis nunc incidat in aliquem veteris auctoris locum, in quo mentio huius rei fiat: tradaturque ordo, quem in ſedendo tenuerint, & emendatio haec explorata habebitur, & non nihil lucis illi notitiae acquiſitum erit. Eiuſdem etiam antiquiſſimi libri auxilio corrigitur locus, manifeſto deprauatus, in principio eius orationis: vbi enim excuſi libri habent. Etenim ſicut aliis in locis parum firmamenti, & parum virium falſitas habet ſic in hoc loco falſa inuidia imbecilla eſſe debet. illic pro falſitas, veritas legitur, quae lectio ſine dubio vera, certaque eſt. Argumentatur autem Cicero a contrario: perſuadereque conatur iudicibus, ne ſequantur ſparſam, diuulgatamque de ea re opinionem, oſtendens hoc eſſe alienum ab eorum grauitate & officio: in foro enim iudiciiſque attendi oportere veritatem rerum, ac quae aliis in locis multum poteſt, illic infirmam eſſe debere falſam inuidiam. eſſe autem loca quaedam, in quibus parum roboris ac virium veritas habet, exploratum eſt: vt apud multitudinem, & omnem conuentum imperitorum: illic enim plus valent rumores, ac fama temere diſſipata. Praeterea videndum an vſus fuerit aliquando hoc verbo falſitas Cicero, quod non puto: hic certe, vbi veritatis contrarium ponere voluit, falſam inuidiam dixit. In extremo etiam huius orationis eodem pacto locutus eſt: hoc enim plane rem declarat. Terentius quoque idem appellauit vanitatem. Non pudet vanitatis.

Quae ſit auis a Graecis olim vocata Iynx: quomodoque a nobis appelletur.

CAP. III.

AVIS eſt a Graecis iynx appellata, quam in ij. libro de hiſtoria animantium Ariſtoteles accurate deſcribit: formamque omnem corporis ac pennarum colorem declarat: nec tamen non inferioris aetatis non pauci, quae nam illa ſit dicere non potuerunt. quod tamen facile erat, illis indiciis vtentes, praeſtare. Latini autem videntur nomine, quo illam vocarent, caruiſſe, cum Plinius Graeco vtatur. Theodorus vero, qui in fingendis nominibus liber fuit: ſeque eo pacto bene mereri de Latina lingua putauit, nouum formauit, ac torquillam vocauit: quia proprium eius auis eſt ceruicem retro torquere, reliqua corporis parte quieſcente. Videtur igitur ille conſuetudinem potius noſtri ſermonis, quam Graecum nomen ſequutus eſſe, qui inde eam appellamus, ac torcicollo vulgo dicimus. Cum autem, quae propria habet a ceteris auibus traderet Ariſtoteles, pedes, ac linguam, inquit: cum binos digitos tantum in anteriore: binos itidem in poſteriore parte habeat: in qua re conuenit ipſi cum paucis, vt idem affirmat: nec tamen, quae nam illae ſint, commemorat. Ipſe autem animaduerti picum quoque Martium ita conformatos pedes habere. quod a natura inſtitutum eſt vitae illorum proſpiciente: cum enim ambae hae auea formicis alantur, erectaeque arbores ſcandant, niſi firmiorem poſteriorem pedis partem haberent, retro caderent: nec poſſent in ratione illa, vnde victum quaerunt, perdurare. in qua etiam re mirifice prodeſt illi longitudo linguae, quam exertam: in ſtipitibuſque arborum extenſam, atque ita formicis repletam, contrahit, & hoc pacto alitur. Sed pſittaci quoque pedum digitos ita diſtinctos habent: quorum vita, cum volatu non multum valeant, in arboribus frequens eſſe credi debet: tenuibus certe illi virgulis apprehenſia ita haerent, vt toto corpore voluentur. quod, niſi hoc pacto diuiſis digitis, efficere non poſſent. In iiij. quoque de partibus animantium Ariſtoteles, quo loco copioſe de diuerſa ratione pedum in variis auibus diſſerit, idem hoc de iynge repetit: ipſamque tantum ab anteriore parte duos: duoſque a poſteriore habere confirmat. Quartam etiam quandam auem aſpexi, eodem pacto diſtinctos pedes habere, ideſt κίναιδον, vocatum a nobis cuculum. Quantopere igitur in hoc peccarit Plinius, licet videre; qui cap. xlvij. libri xi. inquit. Iynx ſola vtrimque binos habet. Non minus autem erratum ipſius eſt, quod praecipiens de differentia temporum in auibus cap. xxv. libri x. inquit: Trimeſtres turdos eſſe; qui ſpatio ſex menſium in Italia viuunt, aduolantes hac circiter aequinoctium autumnale, & eodem reuolantes ad aequinoctium vernum; quod

cum

cum ſingulis annis fiat, ignotum nemini eſſe debnit, praeter quam quod a M. Varrone in iij.
libro de re ruſtica memoriae proditum eſt. Vſas vero fuiſſe quondam iynge anus in cantio-
nibus carmine Theocriti declaratum eſt. Idem etiam ſignificauit Xenophon cum inquit.
» ὅτι ταύτας οὐκ ἄνευ πολλῶν φίλτρων, καὶ ἐπῳδῶν, καὶ ἰύγγων.

Vt M. Antonius lucrum μεταφορικῶς dixit, ita Platonem, quod reſpondet huic Graecum verbum, eodem pacto vſurpaſſe, declaratum.

CAP. IIII.

M. Antonivs in epiſtola, quam Mutina Hirtio & Caeſari miſit, ita ſcribens. Qui-
» bus vtri noſtrum ceciderint, lucro futurum eſt, manifeſto translato verbo vſus eſt:
neque enim earum rerum proprie lucrum dicitur: ſignificat namque Pompeianos
interitu vtriuſuis partium Caeſarianorum, qui nuper inter ſe diſſidere coeperant, laetaturos:
ac res ſuas meliores factas arbitraturos. Plato quoque in Sympoſio eandem formam dicendi
vſurpauit, cum induxit Ariſtophanem cum Eryſimacho ita loquentem: eripientemque ipſi
poteſtatem, quam ei in orationem, quam habiturus erat, dederat: cuſtodem enim ipſius velle
» eum eſſe dixerat. Inquit igitur. καί μοι ἴσω ἀρρήτων τὰ εἰρημένα, ἀλλὰ μή με φύλαττε, ὡς ἐγὼ φοβοῦ-
» μαι περὶ τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι, οὔτι μὴ γελοῖα εἴπω: τοῦτο μὲν γὰρ κέρδος εἴη, καὶ τῆς ἡμετέρας μούσης ἐπι-
» χώριον, ἀλλὰ μὴ καταγέλαστα. arbitrabatur enim, ſi in ſermone illo ſuo ridiculas res iocoſaſque
dixiſſet, id lucro ipſi futurum: delectabatur enim genere orationis lepido ac faceto: eratque id
eius muſae, ingeniique proprium: ſed metuebat ne res ineptas, ac riſu explodendas, dice-
ret. Perſpicitur vero hinc manifeſto quid diſcriminis ſit inter duo haec graeca vocabula, γε-
λοῖα & καταγέλαστα: quorum alterum, laudem in ſe habet: alterum reprehenſionem. Ani-
maduertendum autem, an in verbis, quibus his reſpondet Cicero, puſillum erratum ſit: cum
» enim in omnibus paſſim libris legatur. Vtri ceciderint, ſcribit lucro nobis futurum. O prae-
» clarum lucrum: quo, te victore (quod dij omen auertant) beata mors eorum futura ſit, qui e
» vita exceſſerint ſine tormentis. ipſe puto legendum, quum te victore, non quo: in vetere nam-
que ratione ſcribendi, priſciſque exemplaribus etiam nunc quom plerumque inuenitur: quod
fortaſſe anſam dedit alicui librario peccandi.

Reſtitutus locus in oratione in L. Piſonem: indicataque ſententia Lyſiae ſimilis Ciceronianae illi.

CAP. V.

M. Cicero in L. Piſonem, ea parte illius orationis, qua induxit Piſonem ipſum le-
uem cupiditatem aliorum contemnentem, amore triumphi ardentium: ſuaque fa-
cta ac conſilia laudantem, cum de rationibus adminiſtratae prouinciae, quas C. Cae-
ſaris lege, qui e prouincia redibant, referre ad aerarium debebant, loqueretur, inquit ex per-
» ſona itidem ipſius. Quas rationes ſi cognoris, intelliges nemini pluſquam mihi litteras pro-
» fuiſſe: ita enim ſunt perſcriptae ſcite & litterate, vt ſcriba ad aerarium qui eas rettulit, perſcri-
» ptis rationibus, ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans, commurmuratus ſit. Ratio qui-
» dem hercle apparet: argentum ᾤχεται. extrema igitur haec verba, quae ſcribam eo habitu
corporis leniter pronuntiaſſe dicit, Plauti ſunt Trinummo, vt ſatis omnibus notum eſſe poteſt.
Illa autem in excuſis olim Ciceronis libris aliter legebantur. nam Graecum verbum ab impe-
ritis eius linguae Latinis librariis contaminatum fuerat. quare, quod ad eam partem pertinet,
locus recte emendatus eſt: peccatum autem, quod relictum eſt verbum Decoctum, quod ver-
bum apud Ciceronem illic antea legebatur. vt videatur hic locus ita reſtitui omnino debere. Ra-
» tio quidem hercle apparet: argentum decoctum ᾤχεται. Quantopere autem illud hic quadrat
facile omnes intelligere puto, nos quoque patrio ſermone ſimili quodam modo loquimur, cum
rem aliquam repente e manibus elapſam ſignificamus: dicimus enim in fumum abiiſſe, atq; ita
euanuiſſe. Confirmat etiam opinionem meam, quod Graeci veteres ſcriptores ſuo illo verbo
hoc pacto vtuntur: ac plerumq; ipſi adiungunt eiuſdem naturae nomen, ideſt participium, quo
declaretur quid in diſceſſu illo ſubito factum ſit. vt illic quoque ratio tradita fuerit, qua argen
tum illud, pecuniaque euanuerit. Huius autem rei crebra exempla ſunt apud Demoſthenem,
vt cum inquit, ᾤχετ᾽ ἄγων: ᾤχετ᾽ ἔχων: ᾤχετο φέρων: ἀποδρὰς ᾤχετο. Auctoritate quoque
Budaei confirmatur id verbum illic deſiderari: cum enim in annotationibus in Pandectas de
vi verbi decoquere diſputaret, citauit ſuperiorem locum Ciceronis, atque emendauit. Quae-
rendum autem, an in Plautinis antiquis libris decoctum inueniatur: nam ab excuſis abeſt.

Valde autem ſimili huic ſententia vſus eſt acutus ac venuſtus ſcriptor Lyſias in oratione contra Diogitonem, qui relictus tutor a fratre liberis ipſius, male patrimonium eorum diſpenſarat. quare in iudicium vocatus eſt κακῶς ἐπιτροπῆς. In ea igitur, vbi iuſta, quae afferebat reus, diſſoluit: falſaſque rationes illius fuiſſe docet, ita locutus eſt. ὥσπερ διὰ τῶν ἐπιτρόπων τῶν παιδίων καταλειφθείς, ἵνα γράμματα αὐτοῖς, ἀντὶ τῶν χρημάτων ἀποδείξῃ: neque enim ea de cauſa puerorum pater Diodotus tutorem illum liberis aſciuerat, vt rationes ipſis, litteraſque accurate confectas, oſtenderet, ſed vt pecuniam, e bonis ipſius ſumptam, redderet.

Philippeum videri quoque vocatum potionis genus, non ſolum nomiſma hoc nomine appellatum.

CAP. VI.

PHILIPPEVM, nomiſmatis genus fuiſſe, vel teſtimonio illo Horatij comprobatur, qui in epiſtola ad Auguſtum, de Choerilo, peſſimo poëta: praemiſſque ipſi ab Alexandro datis, loquens, inquit: Incultis qui verſibus, & male natis Retulit acceptos, regale nomiſma, Philippos: auctoritate tamen M. Varronis vinum quoque quoddam ita videtur vocatum: illius enim haec verba ſunt, citata a Nonio: quibus id (niſi fallor) declaratur. Octogeſi περὶ νομισμάτων. In quo nobilius eſt Philippeum, quod accipimus, quam quod bibimus: cum alterum, addamus in bulgam: alterum in veſicam. Philippeum, quod in bulgam conditur, manifeſto eſt nomiſma: bulga enim, quod vocabulum radices egit in noſtrum ſermonem, ſacculi genus manticaeque eſt.) Eiuſdem doctiſſimi ſcriptoris citantur haec verba ab eodem grammatico Sexageſi. Eo, vt viaticum ex arcula addere in bulgam.

De ſtudio Romanorum hominum in cuſtodienda mulierum pudicitia.

CAP. VII.

QVAM diſſimilia forent inſtituta Lacedaemoniorum ac Romanorum hominum in tuenda mulierum pudicitia, cum aliis multis rebus magnopere inter ſe fortiſſimae hae gentes congruerent, monimentis veterum ſcriptorum declaratur: teſtatus enim quoque eſt Ariſtoteles in libris de Rep. in hac re duriſſimam illam nationem languidam atque eneruatam fuiſſe: vt valde ipſos accuſet: dimidioque vitae beatae carere affirmet. nam, quod nudae ipſorum virgines exercerentur: parteſque corporis, quas aliae ſedulo tegunt, aperirent, a Graeco poëta illae φαινομηρίδας appellatae fuere, quod & Pollux in Onomaſtico, & Plutarchus in Numae regis vita tradidit: contra autem Romani multum ſtudij, curaeque in coërcenda muliebri libidine poſuerunt: ſeueriſque legibus, ac moribus diſciplinam ipſarum ſepſerunt. quod vt aliis non nullis in locis Cicero memoriae prodidit, ita in libris de Rep. copioſe accurateque docuerat: id enim praeclarum opus, vt diligenter hoc explicaret, poſtulabat. Hoc autem ipſum ſedulo illic feciſſe perſpicitur teſtimoniis quibuſdam inde a vetere grammatico ſumptis. Nonius enim hunc e iij. eorum librorum locum addidit, qui id liquido oſtendit. Ita magnam habet vim diſciplina verecundiae, carent temeto omnes mulieres. Sed apud eundem etiam e iiij. de Rep. haec verba leguntur. Atque etiam ſiqua erat famoſa, ei cognatio oſculum non ferebat. Vino autem interdictum Romae fuiſſe mulieribus: paſſoque illas vti ſolitas, cum ſitis vrgeret, expoſuit etiam Polybios in vi. libro hiſtoriarum vt teſtatur Athenaeus: qui affirmat etiam fallere nullo modo poſſe quae biberit, cum mos ille mane ipſas oſculandi, ea de cauſa inuentus ſit: praeterquam quod curae ipſarum non committebatur cella vinaria. Et munientes igitur viam illi malo, ne irrumperet: & inuectum iam damnantes, atque omni ignominia notantes, licentiam muliebrem intemperantiamque eiicere e ciuitate ſtudebant.

Emendatum verbum in oratione pro Q. Ligario, quo loco morem C. Caeſaris exponit in ſalute aliquibus danda.

CAP. VIII.

MAGNOPERE laudauit C. Caeſarem M. Cicero: aequitatemque illius in caelum tulit his verbis, quae ſunt in oratione pro Q. Ligario. Quamquam neque in hac oratione ſpes eſt poſita cauſae: nec in eorum ſtudiis, qui a te pro Ligario petunt, tui neceſſarij: vidi enim & cognoui quid maxime ſpectares, cum pro alicuius ſalute multi laborarent: cauſas apud te rogantium gratiores eſſe, quam preces: ne-

ces: neque ſpectare quam tuns eſſet neceſſatius is, qni te oraret, ſed quam illius, pro quo laboraret. Ita enim in excuſis libris legitur, non ſine vitio ſcripturae mendoque, vt puto. quod ſi, vt in multis ſcripos inneni, excuſi quoque haberent, expreſſior haec laua clementiaque opulentiſſimi viri foret. Vultus autem in illis antiquioribus pro preces, legitur: quod mirifice probo: ſigoificat enim Cicero, com aliquid aliquibus Caeſar, rogatu aliorum, concederet, magis ſolitum ipſum ſpectare, quam inſtam cauſam haberent pro illo laborandi, quam qui potiſſimum illi forent, qui rogarent, quod probi atque humani viri certum indicium eſt: qui enim neceſſariis ſuiſque omnia conceduut, quamuis ambitione quadam docti rogent: alienis autem pro ſuorum ſalnte laborantibus, res etiam iuſtas negant, probari non poſſunt. Caeſar igitur contra ſe gerebat: neqne vultus ipſorom reſpiciebat: indeque iudicabat concedendum ne, an non concedeodum foret: ſed aequitatem poſtulari, officiaque rogantium, animaduertebat, non valde conſiderata perſona eorum, qui peterent. Ita autem nos quoque patrio ſermone loqui cooſueuimus: vulgoque, cum aliquem ſeuerum eſſe, aut nimis durum ſignificare volumus, neminem in os vultumque reſpicere ipſum dicimus. Nam, quod infra eandem ſententiam iterauit: idque ipſum verbum illic poſuit, quod hinc delendum iudicaui, habet id eo loco vim declarationis: preces enim neceſſariorom eſſe ſolent: igooti enim plerumqne reiiciuntur: nec iperare poſſunt ſe, quod optant, impetraturos. Ait autem. Sed video tamen apud te cauſas (vt dixi) rogantium valere plnſquam preces.

Athletas vocatos μεταφορικῶς & a Graecis & a Latinis ſcriptoribus, qui in ſingulis ſtudiis & artibus aliis antiſtarent.

CAP. IX.

A THLETAE qui vocarentur Graeco ſermone notum eſt: horum antem ſtudio quod tamen a grauibus & eruditis viris magnopere reprehenſum &, vt inutile moribuſque aduerſum, exagitatum eſt, capiebantur animi eiua nationis. Cum igitur illi valde exercitati peritique eius artis eſſent, coeptum poſtea eſt vocabulum, qoo illi appellarentur, ad alia transferri: Athletaeque vocati cuncti, qui eximij praeſtanteſque in aliquo artificio forent: idque non ſolum Graeci ipſi, auctores illius oominis ac ſtudij, verom etiam Latini ſcriptores fecerunt, io quorum linguam irrepſit hoc verbum. M. enim Varro in libro iij. rerum ruſticarum maniſeſto hoc pacto illo vſus eſt, ſcribens. Cum haec loqueremur, clamor fit in campo: noa athletae comitiorum vna, cum id fieri non miraremur propter ſtudia ſuffragatorum, & quae ſequuntur. Sed etiam in ij. eorom librorum, vbi quam potiſſimum partem eins diſputatiooꝭ quemlibet ſuſcipere oporteat quaeritur: Scrofa enim, cui mandatum erat vt de arte diſſereret, anteqoam id ſe facturum polliceretur, condicionem qoandam tulit. Sed haec ita a nobis accipietis, inquit Scrofa, vt voa, qui eſtis Epirotici, pecuarij athletae, remuneremini nos, ac quae ſcitis, proferatis io medium: nemo enim omnia poteſt ſcire. quem locom olim io excoſis libris valde corruptum, emendaui, auxilio optimi exemplaris, a qoo omnis paene macula aberat. Verum quia tunc lectionis huius integritatem auctoritate Graecorum, qui eodem modo locuti ſint, non confirmaui, libuit ſcrupuli huius euellendi cauſa: totiuſque rei magis explanandae, exempla eorum ponere. Timaei igitur apud Athenaeum verba haec ſunt, accuſantia Philippum, ſodaleſque ipſius, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους ἀσωτίας καὶ βδελυρίας ἀθλητὰς ἐπαίνεσε. Demoſthenes quoque contra Ariſtogitonem ait. ἐξ ὧν πάντων ἀθλητὴς τῶν κακῶν ἔργων ἐγένετο. Item Dionyſius Halicarnaſſeus in libro de iunctura verborum. Τοσαῦτα δὲ καὶ περὶ τὴν σύνθεσιν τῶν ὀνομάτων, καὶ περὶ τὴν διάνοιαν τῶν κώλων, ὑπεναντίον γίνεσθαι παρὰ τοῖς ἀθληταῖς τοῦ ἔργου. Poſſem etiam Platonis, Polybij, & aliorum optimorum auctorum teſtimonio vti: qui & ipſi ad alias res verbum hoc aptiſſime tranſtulerunt. quod videns doctiſſimus omnium Romanorum, cum eorum monimenta in manibus ſemper haberet, huius ſermonis elegantiam eſt imitatus.

Diſputatur accurate de integritate Graeci verbi in Topicis Ciceronianis.

CAP. X.

E XTITIT huius aetatis vir doctus, & in ſcriptis Ciceronis plurimum verſatus, qoi Graecom verbum, quo Cicero in Topicis vocari ab ea gente tradit locum ex coniugatione, mendoſum putarit: ac pro συζυγίας legera συστοιχίας non dubitarit. non ſine cauſa autem ille ſuſpectam eam vocem habuit: cum enim toto illo opere Cicero prae ſe ferat praecepta illa ſumere ab Ariſtotele: ac ratio-

nem ab ipſo inuentam latine explicare, nuſquam Ariſtoteles in Topicis ſuis vocabulo eo viſus inuenitur. ſed cum argumentandi genus illud ſignificare voluit, ſemper σύστοιχα appellauit: & vt firmiter hoc illic cuſtodiuit, ita etiam in ij. libro de arte dicendi, quo etiam loco ſedes has argumentorum indicauit. Scrupulus igitur ratione iniectus eſt, qui etiam me aliquando ſollicitum habuit. Videndum tamen accurate an defendi lectio recepta poſſit: praeſertim cum in omnibus ſcriptis exemplaribus illo modo legatur: in quibus etiam cum Romae tribus abhinc annis eſſem, vidi domi Bernardini Maphaei, eruditi ac politi vndique hominis, qui ob egregias animi dotes aſſiduamque operam, quam ipſi in maximis rebus dedit, in ampliſſimorum antiſtitum ordinem a Paulo iij. ſapientiſſimo ſene cooptatus fuit, vetuſtum librum, litteris Langobardis exaratum, in quo etiam vt in ceteris omnibus, legebatur. Nam cum Cicero affirmarit ſe Topica Ariſtotelea conſcripſiſſe, viij. libros, qui nunc in manibus ſunt, intellexiſſe eum puto: quamuis paruam partem eorum, quae tradita illic ſunt, explicauerit Cicero: cum tamen ipſe Trebatio in epiſtola ſignificarit librum eum ſcriptum eſſe quam pleniſſime res illa ſcribi potuit. quod ſi etiam alium vllum commentarium eius materiae ſcripſiſſet Ariſtoteles: vt opinor, hanc ipſam rem eodem nomine appellaſſet. Et ſane a nullo alio vetere ſcriptore inueni locum a coniugatis συζυγίαν vocatum, praeter Simplicium: ipſe namque ita videtur appellaſſe in commentariis in Categorias. quo loco diligenter explicatis iam quattuor eorum, philoſophus breui, quod de reliquis dicendum illic putat, complectitur: nodum enim
» illic quendam diſſoluens eruditus interpres, ita inquit. ἡ συζυγία μὲν ὑπάρχει καὶ ἐν ταύταις ποιότησι,
» ποιεῖν, ποιοῦν. ἀλλὰ: & quae ſequuntur. Arbitror igitur, cum Cicero ſecum librum Ariſtotelis non haberet: quod, quamuis ipſe non indicaſſet, facile tamen intelligi potuit, in hoc ipſum peccaſſe: &, aut quod credidit falſo vſurpatum ab illo, cum in aliorum vſu eſſet, poſuiſſe: aut, quod reſponderet Latino nomini finxiſſe. Praeterea repugnat non nihil, ne facile poſſit, vt putauit ille propter ſimilitudinem vocum, verbum id eo modo emendari, quod Ariſtoteles neutro genere σύστοιχα, quaecumque deriuata ab vno, ita inter ſe variata forent, non muliebri συστοιχίαν ordinem ipſum, vocat.

Indicatus Polybij locus apud Athenaeum, quo commemoratur id, quod narrauit Liuius de amore Antiochi: remiſſioneque publicarum omnium curarum, eo ipſo tempore quo maxime intentum illum eſſe bello, a ſe excitato, oportebat.

CAP. XI.

VULTIS in rebus tradendis T. Liuium Polybium ſecutum fuiſſe: ſententiaſque illius expreſſiſſe, cum ipſemet Liuius aliquando teſtatur: tum pluribus ipſius exemplis citatis, ſparſiſque apud veteres auctores, ſatis liquido cognoſcebatur. Cuius etiam rei certa indicia erant loci non pauci e quinque libris, qui adhuc eius reſtabant: diuulgatique iam pridem fuerant. Declararunt autem omnem rem, ſtudiumque Latini ſcriptoris patefecerunt, quae nuper in lucem prodiere excerpta xij. Polybij librorum, vt totas paginas manifeſto Liuius teneatur inde conuertiſſe. Nam, quod in xxxvi. libro ab Vrbe condita de Antiocho, inquit, ab eodem prudentiſſimo ſcriptore ſumptum videtur: nec tamen collatione eorum excerptorum hoc percipitur: id enim in conſequentibus libris (niſi fallor) a Polybio expoſitum fuerat: ſed alterius Graeci auctoris auxilio,
» quid id commemorauit, intelligitur. Verba Latini hiſtorici haec ſunt. Rex Chalcidem a De-
» metriade profectus, amore captus virginis Chalcidenſis, Neoptolemi filiae, dum patrem pri-
» mo ablegando: deinde coram ipſe rogando fatigaſſet, inuitum ſe grauiori fortunae condicioni-
» que illigantem, tandem, re impetrata, tamquam in media pace, nuptias celebrat & reliquum
» hiemis, oblitus quas tum ſimul duas res ſuſcepiſſet, bellum Romanum, & Graeciam liberan-
» dam, omiſſa omnium rerum cura, in conuiuiis & vinum ſequentibus voluptatibus, ac deinde
» ex fatigatione magis, quam ſatietate earum, in ſomno traduxit. Athenaeus autem in x. libro eadem commemorans, fatetur ſe auctorem ipſorum habere Polybium: verbiſque ipſius ma-
» gna ex parte, vt ſuſpicari poſſumus, vtitur, ita ſcribens. Ἀντίοχος δὲ, ὁ μέγας ἐπικαλούμενος,
» ὃν Ῥωμαῖοι καθεῖλον, ὥς ἱστορεῖ Πολύβιος ἐν τῇ εἰκοστῇ, παρελθὼν εἰς Χαλκίδα τῆς Εὐβοίας, συνετέλει γά-
» μους: πεντήκοντα μὲν ἔτη γεγονὼς, καὶ δύο τὰ μέγιστα τῶν ἔργων ἀνειληφώς: τήν τε τῶν Ἑλλήνων ἐλευθέρωσιν,
» ὡς αὐτὸς ἐπηγγέλλετο, καὶ τὸν πρὸς Ῥωμαίους πόλεμον. ἐρασθεὶς οὖν παρθένου Χαλκιδικῆς κατὰ τὸν τοῦ
» πολέμου καιρὸν, ἐφιλοτιμήσατο γῆμαι αὐτὴν, οἰνοπότης ὢν, καὶ μέθαις χαίρων. ἦν δ' αὕτη Κλεοπτολέμου μὲν θυγά-
» τηρ, ἑνὸς τῶν ἐπιφανῶν: κάλλει δὲ πάσας ὑπερβάλλουσα. καὶ τοὺς γάμους συντελῶν ἐν τῇ Χαλκίδι, αὐτόθι διέ-
» τριψε τὸν χειμῶνα, τῶν ἐνεστώτων οὐδ' ἡντινοῦν ποιούμενος πρόνοιαν. ἔθετο δὲ καὶ τῇ παιδὶ ὄνομα Εὔβοιαν.

Ne autem hoc quoque, quamuis puſillum omittamus, mendum, quod erat in nomine patris

virginis

virginis auctoritate Graeci ſcriptoris tollitur: Cleoptolemus enim ille, non Neoptolemus vt eſt in T. Liuij exemplaribus, videtur vocatus, lapſis in prima parte eius vocis Latinis librariis.

Polybium ante Salluſtium dixiſſe Imperium iiſdem artibus retineri, quibus initio partum eſt.

CAP. XII.

GRAECIS, prudentibus hominibus: multumque in Rep. verſatis, animaduerſum antea fuerat: litteriſque proditum, quod dixit Salluſtius in prooemio de bello Catilinae. Imperium facile his artibus retineri, quibus initio partum eſt. Polybius enim grauis ſcriptor, in x. libro hiſtoriarum, cum oſtenderet, qua de cauſa reguli Hiſpani: omneſque illae nationes poſt captam, a P. Scipione Carthaginem, in ſuis terris conditam, totos ſe ad amicitiam Romanorum effudiſſent, docet Carthaginienſes poſt ſecundas ſuas res, victoſque ac necatos ambos Scipiones, ſuperbe ſe atque auariter illic geſſiſſe, vt qui putarent reſtare ſibi poſſeſſionem Hiſpaniae ſine certamine, certamque. qua opinione inflati, pro ſociis amiciſque hoſtium numero habere coeperunt eas nationes: indeque tantam immutationem voluntatum eſſe factam. Intelligi igitur poſſe affirmat, his iam commemoratis, eos falſo ſenſiſſe: atque exiſtimaſſe aliter oportere imperia acquirere: aliter vero tueri, ac parta iam cuſtodire: nec didiciſſe eximie illos ſeruare ſummam fortunam, qui permanent in iiſdem ſtudiis iudiciiſque, quibus initio regna, ſummamque poteſtatem ſibi compararunt. quod liquido intelligitur Latinum ſcriptorem expreſſiſſe. Verba vero Polybij, quibus extremum hoc edidit, ex excerptis ſumpta, haec ſunt. Ἄλλως μὲν οὖν ὑπέλαβον δεῖν κτᾶσθαι τὰς ἀρχάς: ἄλλως δὲ τηρεῖν. Οὐκ ἔμαθον δὲ ὅτι κάλλιστα φυλάττουσι τὰς ὑπεροχὰς οἱ κάλλιστα διαμένοντες ἐπὶ τῆς αὐτῆς προαιρέσεως, αἷς ἐξ ἀρχῆς κατεστήσαντο τὰς δυναστείας. Fieri autem poteſt vt maior adhuc aetate Graecus aliquis ſcriptor prius hoc protulerit, quamuis eruditio Polybij, magnuſque rerum vſus, huius ſententiae grauitatem egregie ſuſtineat: quod tamen apud ipſum nunc inueni adnotare placuit. Salluſtius adiunxit quoque, quae ad explicandum praeceptum hoc pertinerent, dicens. Verum vbi pro labore, deſidia: pro continentia & aequitate, libido atq; ſuperbia inuaſere, fortuna ſimul cum moribus immutatur. Idem vero, quod in imperio tuendo verum eſt, vt ſine labore induſtriaque non retineatur, in aliis quoque rebus contingere certum eſt: neque enim laus gloriaque antea parta diuerſis inſtitutis artibuſque conſeruari poteſt. Vnde Cicero oſtendit Hortenſium, qui prima aetate arſerat cupiditate dicendi: indeque primum locum in oratoribus conſecutus fuerat, cum poſtea vidiſſet neminem ſecum eſſe comparandum: ſummumque illud ſtudium, quo a puero fuerat incenſus, remiſiſſet, multum veteris gloriae amiſiſſe.

Exponitur coniectura quaedam, qua emendauit locum in libello Demetrij περὶ ἑρμηνείας.

CAP. XIII.

CVM paucis ante diebus Demetrium περὶ ἑρμηνείας excudendum curaſſem, deletis ex eo politiſſimo opere maculis illis, quas auxilio ſcriptorum librorum: veterique accurata lectione eius commentarij illic iam pridem perſpexeram: dum ſenſus poſtea obſcuriores illius auctoris, optimo & clariſſimo antiſtiti Alexandro Farneſio interpretarer, praeſentibus grauibus quibuſdam atque eruditis viris, familiaribus ipſius: veniſſemque ad eum locum vbi docet, quae conſtructio verborum, languida atque eneruata, gignat formam illam dicendi vitioſam, quae cum ſtudeat eſſe ornata, & expolita, non conſequitur finem ſuum, ſed inde pellitur: atque in vicinum vitium labitur, ſubito diſplicere mihi coepit peruulgata lectio, ea parte, qua in omnibus libris eſt διὰ τὰ σώματα διὰ τὸ μαλακώτερον: & cum, breui mecum cogitaſſem: ſuſpenſoque animo aliquantulum ſtetiſſem, occurrit mihi, quod ſtatim protuli, pro σώματα legi debere σπονδεῖα: quae enim exempla ſtatim ab eo ponuntur, ambo huius poëtae (vt opinor) ſunt. alterum certe illius eſt, teſtante hoc Hepheſtione in Enchiridio: capite περὶ συνεκφωνήσεως: cum enim ille dixiſſet aliquando duas ſyllabas breues in vnam breuem coire, addidit. ὅπερ ἐν ταῖς ἄλλαις εὑρίσκεται μέτροις, ὡς παρὰ σαπφοῖ. Σίαν μιλτίω παιδὸς ἀξίαν κατ᾽ ἄμαρ. fieri autem, quod tradit Hepheſtion in poſteriore parte ſecundae ſyzygiae vocatae a grammaticis apertum eſt: verum hoc nunc non quaeritur. Hermogenes quoque in primo ſegmento ἰδεῶν, cum formam, quam vocat σεμνότητα, explicaret: oſtenderetque & ipſe, quae compoſitio verborum aliena ab illa ſit: nec

vllam habeat dignitatem, huius ipſius, qui immutato ordine verborum, corrupit verſum Homericum mentionem fecit, quamuis nomen eius non oſtendat. Idem autem accuratius illic traditur ab Hermogene, quod hic Demetrius praecipit: & non ſine cauſa aliquis exiſtimare poteſt minutum illum magiſtrum dicendi locum eum hinc ſumpſiſſe. nam verſum, quem Sotades encruauit, mutato ordine verborum, & quaſi e mare feminam reddidit, de Achille pronunciatum eſſe in xxij. libro Iliadis, notum eſt. Si hoc igitur pacto emendabitur: legeturque, ὡς μάλιστα τὰ σωμάτια, intelligetur μέτρα: qua voce ſupra vſus fuerat, ſcribens. σώματα δὲ ἀγαπητικά: καὶ μάλιστα ἰσχνὰ τοῖς κεκλασμένοις καὶ ἀτίμοις, διὰ μάλιστα. & quae ſequuntur: ſententiaque omnis plana & certa erit. nam σώματα, quod eſt nunc eo loco, quomodo illic aptum eſſe poſſit, non video. inceſſus ſane hominis mollis aliquando fractus appellatus eſt: quod ſi eadem de cauſa corpora quoque fracta dicerentur, non tamen conueniret: quae enim ſequuntur ſunt metra, non corpora. Quod ſi hoc verum eſt: contigitque tunc mihi videre, quod prius me fefellerat, tribuo id ingenti deſiderio, quo tenebar, placendi ampliſſimo & illuſtriſſimo iuueni: & conatum illius optimum, percipiendi elegantem hanc doctrinam, adiuuandi.

Suetonij locus reſtitutus: qui valde in Graecis quibuſdam verbis deprauatus erat.

CAP. XIIII.

SVETONII quoque Tranquilli locum, minoris multo ſcriptoris, quam quorum ſententias illuſtrare: notaſque purgare ſuſcepi, libet emendare: quum enim hoc quoque ad veterem memoriam tradendam pertineat, & Graecum prouerbium contineat, non ingratum ſtudioſis futurum puto. In extrema igitur vita Claudij, vbi colligit ſigna quaedam, quibus intelligi poruerit poenituiſſe illum de matrimonio Agrippinae: adoptioneque Neronis, id quoque ponitur, quod his verbis narratur, vt nunc illa in excuſis leguntur. Et ſubinde obuium ſibi Britannicum, artius complexus, hortatus eſt vt creſceret: rationemque a ſe omnium ſactorum acciperet: Graeca inſuper voce proſecutus ὁ ἔχθρος δ' ἰάσεται. Nam ſuperiore aetate impreſſi magis adhuc corruptam vocem hanc habebant. Nullum autem idoneum ſenſum, & qui huic loco quadret, e verbis his quoque Graecis elici facile intelligitur: mihi autem diligenter vetera exemplaria conſulenti: notaſque a Latinis librariolis illic fictas perpendenti: in primis autem ſententiam accurate examinanti, videtur legi debere. ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. In antiquo ſane quodam (vt coniecturae locus vnicuique relinquatur) ita ſcriptum inuenitur. Ο ΤΡΩΣΑΣ ΓΕΙΣΑΤΑΙ. ex quibus veſtigiis, quamquam haec quoque lectio contaminata eſt, non male (niſi fallor) iudicatur ita legi debere. nam quin ſententia plurimum conueniat, dubitari non poteſt: ſignificare enim obſcure voluit ſe remedium illi malo, quod ei feciſſet, inuenturum, ſublaturumque Neronem: quo ſtulto conſilio, imperium, vt res poſtea docuit, Britannico eripuiſſet. Prouerbium autem ab Achille ortum eſt, qui eadem haſta, qua Telephum vulnerauit, ipſum poſtea ſanauit. Crebrum vero id eſt apud veteres auctores, Plutarchus in commentario, quem inſcripſit περὶ τοῦ ἀκούειν, de morſu quodam, qui in animis ingenioſorum adoleſcentium a philoſophia excitatur loquens, dicenſque poſſe illum a ratione ipſa, quae ipſum inflixit ſanari, non minus ac plagam illam Telephi, manifeſto ad hoc prouerbium reſpexit: cum etiam verbis ipſis vſus ſit. quamuis verſum etiam Euripidis addat, quo poëta ille eandem rem tragice commemorarit. Verba Plutarchi haec ſunt. Οὐ γὰρ μόνον ὡς Εὐριπίδης φησὶ τὸ Τηλέφου τραῦμα πρίεσθαι λόγχης θέλγεται ῥινήμασιν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἐκ φιλοσοφίας ἐμφυόμενον εὐφυέσι νέοις δηγμὸν αὐτὸς ὁ τρώσας λόγος ἰᾶται.

Ciceronem, quo loco differit de fabrica noſtri corporis: vtilitateque partium, videri multa ſumpſiſſe a Xenophonte.

CAP. XV.

M. CICERO in ij. libro de natura deorum, quo loco probat deorum hominumque cauſa effectum eſſe hunc mundum: quaeque in ipſo ſint omnia, vtque hoc doceat humani corporis fabricam: vtilitatemque formae humanae explicat, videtur non pauca a Xenophonte ſumpſiſſe: is enim quoque in primo eorum librorum, quibus a Socrate dicta, ad aliorum mores corrigendos: vitamque ſanctiſſimi viri conſtituendam, retulit, de artificio noſtrae figurae, perfectioneque partium, diſputantem illum inducit: cum & ipſe

ratione

ratione ſumma, conſilioque cuncta fabricata confirmet: atq; ita refellere ſtudeat Ariſtodemum, qui deos non conſulere hominibus falſo arbitrabatur. Manifeſto igitur eum Cicero inquit. Primum enim ſuperiora, ſupercilijs obducta, ſudorem, a capite & fronte defluentem, repellunt, expreſſit haec verba grauis illius ac politi ſcriptoris, cum & ipſe de eadem naturae noſtrae parte diſſereret. Ὀφρύσι τὰ ἀπογεισῶσαι τὰ ὑπὲρ τῶν ὀμμάτων: ὡς μηδ' ὁ ἐκ τῆς κεφαλῆς ἱδρὼς κακουργῇ. In ſententia autem hac in primis elegans eſt, quod Xenophon inquit, ἀπογεισῶσαι: a ratione aedificandarum domorum tranſlato verbo: cum enim γεῖσα vocentur in aedificiis tecti partes in viam prominentes, vt aquam pluuiam depellant a parietibus: ſuperciliaque in fronte idem efficiant, acute inde verbum accepit. Vnde ipſo quoque in eadem re tradenda vtitur Ariſtoteles in ij. libro de partibus animantium, adeo appoſitum eſt huic rei illuſtrandae. Inquit enim. Αἱ μὲν ὀφρύες τῶν καταβαινόντων ὑγρῶν, ὅπως ἀποστέγωσιν. οἷον ἀπογείσωμα τῶν ἀπὸ κεφαλῆς ὑγρῶν. Verba vero, quae ſuperiora illa apud Xenophontem antecedunt, videntur maculae aliquid in ſe habere: quae ſi deleretur, ſtatim (vt opinor) appareret & ipſa Ciceronem expreſſiſſe: ita enim nunc in excuſis & ſcriptis, quos vidi, legitur. ἐπεὶ δὲ ἀσθενὴς μέν ἐστιν ἡ ὄψις, βλεφάροις αὐτὴν θυρῶσαι: ἃ ὅταν μὲν αὐτῇ χρῆσθαί τι δέῃ, ἀναπετάννυται: ἐν δὲ τῷ ὕπνῳ, συγκλείεται. ὡς δ' ἂν μηδὲ ἄνεμοι βλάπτωσιν ἠθμὸν βλεφαρίδας ἐμφῦσαι. locus Ciceronis hic eſt. Munitaeque ſunt palpebrae tamquam vallo pilorum: quibus & apertis oculis ſiquid incideret, repelleretur, & ſomno conniuentibus, quum oculis ad cernendum non egeremus: vt qui tamquam inuoluti quieſcerent. In Graecis verbis nihil eſt, quod vallum valeat: cuius rei ſimilitudo videtur huic rei declarandae magnopere conuenire: nulla namque alia re obeſſe poſſunt hominibus venti, niſi pulueris feſtucarumque comportatione: cui malo vallum pilorum reſiſtit. Ariſtoteles eodem loco, cum vtilitatem horum pilorum oſtendere vellet, eodem & ipſe ſimili vſus eſt ad rem declarandam, atque dixit. Αἱ δὲ βλεφαρίδες τῆς πρὸς τὰ ὄμματα προστασίας χάριν, οἷον τὰ χαρακώματα ποιοῦσί τινες πρὸ τῶν ἐρυμάτων. quare vereor ne pro ἠθμὸν aliquod verbum poſitum fuerit, quod hoc ipſum valeret. nam colum, quod ſignificat id verbum (niſi fallor) nullo modo hic quadrat: nec habeat quicquam ſimile inter ſe colum & vallum. Aliquando ſuſpicatus ſum θριγκὸν legi debere: quod manifeſto munitionis genus ſignificat.

Quod de Arceſila memoriae proditum eſt a Cicerone: iiſque, qui eius ſectam ſecuti ſunt, idem etiam de iiſdem oſtenditur commemoratum eſſe a Graeco ſcriptore.

CAP. XVI.

ARCESILAS ille, qui auctor mediae appellatae Academiae fuit: princepſque, cum contrarias rationes animo videret, aſſenſiones cohibere coepit, nouam illam ſuam rationem, ne exploderetur veritus, fulcire etiam voluit auctoritate veterum philoſophorum: oſtenditque priſcos illos phyſicos eodem pacto ſenſiſſe, ac ſaepe teſtatos eſſe obſcuritatem naturae: appellabat autem grauiſſimos viros, & quorum magnum fuiſſet ſapientiae nomen in Graecia, in quo tamen aduerſarij ipſum accuſabant, falſumque id totum eſſe, quod ille aiebat, affirmabant: quod neque conferenda eſſet ipſius calumnia cum Democriti verecundia, & aliorum etiam, qui de rebus difficilibus obſcuriſque timide cauteque loquerentur. illi enim tantum raro, cum haerent in aliquibus ſalebris, affirmant abſtruſa eſſe omnia, ac magnis tenebris inuoluta. Cicero igitur in Lucullo, cum contra rationem illam diſſereret, primum hoc poſuit: ac ſimili etiam quodam illuſtrauit, ita ſcribens. Primum mihi videmini, quum veteres phyſicos nominatis, facere idem, quod ſeditioſi ciues ſolent, quum aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuiſſe populares, vt eorum ipſi ſimiles eſſe videantur. & quae ſequuntur. & infra. *Simile* vos, quum perturbare, vt illi Rempublicam, ſic vos philoſophiam, bene iam conſtitutam, velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem, & Xenophanem: Platonem etiam & Socratem profertis. Hoc igitur quod Cicero in illos dicit, circumferri ſolitum, vulgoque ipſis obiici docet Plutarchus in commentario, quem ſcripſit aduerſus Colotem Epicureum, cum Arceſilam ipſum, minime glorioſum, inanique laudis cupidum fuiſſe oſtenderet. nam, quod ipſe inuenerat, alijs, qui ante vixerant, tribuebat. quod teſtimonio etiam Sophiſtarum, qui toto animo ipſi aduerſabantur, intelligere licebat. id autem hoc ipſum erat, quod diximus. Graeca ipſius ſcriptoris verba haec ſunt. Ὁ δὲ Ἀρκεσίλαος τοσοῦτον ἀπέδει τοῦ καινοτομίας τινὰ δόξαν ἀγαπᾶν, καὶ ὑποποιεῖσθαι τῶν παλαιῶν. ὥστε ἐγκαλεῖν τοὺς τότε σοφιστὰς ὅτι προστρίβεται Σωκράτει. καὶ Πλάτωνι, καὶ Παρμενίδῃ καὶ Ἡρακλείτῳ τὰ περὶ τῆς ἐποχῆς δόγματα, καὶ τῆς ἀκαταληψίας, οὐδὲν δεομένοις, ἀλλ' οἷον ἀναγωγὴν καὶ βεβαίωσιν αὐτῶν εἰς ἄνδρας ἐνδόξους ποιούμενος.

Corpus munitionum μεταφορικῶς omne illud opus a Caeſare in commentariis vocatum: quod tamen verbum improbe illinc ab imperitis eiectum fuerat.

CAP. XVII.

CVM verbum hoc Corpus multis modis ab animantibus, ſuiſque ſedibus, in alienas transferatur: quod ita planum eſt, vt confirmare teſtimoniis citatis non oporteat, Caeſar in vij. commentario de bello Gallico corpus munitionum appellauit, plures foſſas intelligens quas dixerat: partim ad cohibendos hoſtes, quos Aleſiae obſidebat: partim ad eos repellendos, qui auxilium obſeſſis ferebant. Hoc autem non nulli non animaduertentes: locumque falſo mendoſum putantes, contra veterum librorum fidem, opus illic, eiecto illo verbo, repoſuerunt: quae licentia ita libere omnia immutandi multum obeſt bonis auctoribus. Vidi autem plura antiqua exemplaria: in quibus omnibus conſtanter corpus legatur: ſed libri quoque formis olim excuſi hoc ſeruant, vt de veritate lectionis dubitari non debeat. Locus igitur omnis, qui magnopere in
» quibuſdam excuſis libris contaminatus nunc eſt, meo iudicio ita legi debet. Foſſam pedum
» xx. directis lateribus duxit, vt eius foſſae ſolum tantundem pateret, quantum ſummae foſſae
» labra diſtarent: reliquas omnes munitiones ab ea foſſa pedes CCCC. reduxit. Id hoc con-
» ſilio, quoniam tantum eſſet neceſſario ſpatium complexus: nec facile totum corpus corona
» militum cingeretur, ne de improuiſo aut noctu ad munitiones hoſtium multitudo aduolaret:
» aut interdiu tela in noſtros, operi deſtinatos conicere poſſent. Nam, quod ne facile in impreſſis legitur, mendoſum manifeſto eſt: ac ſine dubio nec, vt eſt in ſcriptis libris, legendum eſt: loquitur enim de ſuis Romaniſque militibus; qui tot numero non erant, vt tantam vim munitionum implere tuerique poſſent: eum qui eo modo ſcripſerunt, videantur Gallos intellexiſſe. quod falſum omnino eſt, ac reiici debet. Vnum autem hic eſt, in quo videntur antiqui librarij lapſi eſſe: quodque recte correctum, a poſterioribus ſit. Id autem eſt, quod cuncti, quos vidi, ſcripti libri: in ijſque duo vetuſtiſſimi, Romana militum nullo ſenſu, pro corona militum habent. adeo nihil ſinceri & incontaminati eſt. Accedo autem iudicio illorum, qui corona aut emendarunt; aut in meliore aliquo libro, integrum ſeruatum id verbum, comprobarunt.

Confirmata vetus lectio loci Ciceroniani: in quo olim reſtituto, puſilla adhuc macula reſtabat.

CAP. XVIII.

ELEGANS modus loquendi apud Ciceronem in primo libro de natura deorum interpunctionibus in mea editione, negligentia operarum, perperam collocatis, obſcurus adhuc eſt. nam cum prius in excuſis verba deprauata forent, ſecutus fidem antiquorum librorum illa correxi; is autem eſt eo loco, quo de Epicuri, ſodaliumque ipſius aſperiore ingenio diſſerit. qui male verbis accipiebant
» omnes illos, a quibus in philoſophia diſſentirent: ita enim in meo illo libro legitur. Iſtis ne
» fidentes ſomniis, non modo Epicurus, & Metrodorus, & Hermachus, contra Pythagoram,
» Platonem, Empedoclemque dixerunt, ſed meretricula etiam Leontium contra Theophraſtum
» ſcribere auſa eſt? ſcito quidem illa ſermone & Attico. ſed tamen tantum Epicuri hortus ha-
» buit licentiae. Interpungi autem ita oratio debet in inferiore ſententia. Scito quidem illa ſermone: ſed tamen. Tantum Epicuri hortus habuit licentiae. vt ſit extremum hoc acclamatio quaedam, e genere illarum acclamationum, quae Graeci quoque ἐπιφωνήματα vocant: cuius epiphonematis vim exprimere volens Demetrios in libro περὶ ἑρμηνείας, dixit illud eſſe locutionem, quae rem iam expoſitam ornat, vt hic contingit: ipſo namque rei indignitas profertur: nullo enim modo ferendum erat, mulierem illius ſtudij contra eruditiſſimum virum ſcribere auſam. proxima autem duo verba, quae plenam ſententiam non habent; neque perfecta videntur, quid valeant intelligitur. Declaratur enim concio illo modo loquendi, quamuis Leontium lepido ſermone elegantique vſa ſit in ſcriptis illis ſuis, tamen improbe atque impudenter feciſſe, quod Theophraſtum oppugnarit: neque enim lepos verborum culpam extinguit eius rei. Ita autem Cicero multis locis locutus eſt, eleganti quadam ἀποσιώπησιν,
» vt in epiſtola ad C. Caſſium. Praepoſteros habes tabellarios: & ſi me quidem non offendunt,
» ſed tamen, cum a me diſcedunt, flagitant litteras: cum ad me veniunt nullas afferunt. Frequen-
» tius autem idem oſtendere volens, veruntamen dicit: vt in xiiij. ad Atticum. Scis quam di-
» ligam Siculos, & quam illam clientelam honeſtam iudicem: multa illis Caeſar: neque me inuito,

uito, etſi Latinitas erat non ferenda, veruntamen. Ecce autem & quae ſequuntur. Ita enim olim locum hunc quoque purgaui: collectiſque multis exemplis huius praeciſi ſermonis iudicium meum confirmaui. Leontij autem huius, & aliarum etiam Epicuri amicarum, mentionem fecit iterum Plutarchus in libro, quo docuit ne iucundam quidem eſſe rationem, vitamque, laudatam maxime ab Epicuro: nec non etiam in quo refellit ſententiam illam, quam idem in primis probarat, λάθε βιώσας: atque inutilem vitae honeſte degendae eſſe oſtendit.

Quaeritur quid valeat in primo de natura deorum Cheſippus, quo nomine, contumeliae cauſa, illic traditur vocatus ſemper Chryſippus a Zenone Epicureo.

CAP. XIX.

NON multo poſt haec verba Cicero, quum eodem nomine Zenonem Epicureum accuſaret, qui in hoc quoque ſimilis magiſtri fuit, affirmat ipſum Chryſippum, cum quo magna lis Epicureis erat, numquam niſi Cheſippum ſolitum vocare: in quo quemadmodum ipſum luſerit, animaduerſa notione eius nominis, quod immutauit, facile percipitur: quid enim χέσαι Graecis ſit, foeda ſane deformiſque cogitatione etiam res, conſtat. Nos quoque vulgo, quum imbecilli conſilij: nulliuſque artis atque induſtriae hominem ſignificare volumus, ab eadem re appellamus. Hanc vim eſſe omnino puto eius immutatae vocis, ſi ita legendum eſt, nam manaſſe in noſtrum ſermonem verbum, quod videtur ab illo Graeco formatum, apertum eſt: aggeres enim quoſdam viarum Ceſali vocamus, vt exiſtimare licet, quod illic tecti ruſtici homines ventrem exonerent: vel potius quod in eas agrorum partes purgamenta, quae homines beluaeque corporibus edunt, congerere moris eſſet. nam ipſo etiam hoc verbo vtitur Columella, vt adnotauit Hermolaus, qui putat ipſum apud eum rerum ruſticarum ſcriptorem ſignificare priuatam latrinam. Miror tamen, quod inquit deductum a verbo χέζειν, quod valet egerere, niſi vitium hoc fuit librarij. Animaduertendum autem eundem acutiſſimum virum, ab aliis etiam aliter immutato nomine ſolitum vexari: in qua tamen peruerſione nominis, non animi labes vlla, ſed corporis potius notaretur. Laërtius enim in vita ipſius memoriae prodidit, cum eſſet Chryſippus tenuis corpore, quod intelligi poterat ex ipſius ſtatua, quae erat in Ceramico: occulebatur enim paene illa a vicina equeſtri ſtatua, Carneadem ipſum appellare ſolitum Chrypſippum, vna addita litera: quod illa ita tegeretur, vt vix appareret. Diligenter etiam quaerendum eſt, an in verbis his, quae apud Ciceronem ſententiam hanc praecedunt, macula ſit: ipſe ſane locum eum valde ſemper ſuſpectum habui. Zeno quidem non eos ſolum qui tum erant, Apollodorum, Syllum, ceteros, figebat maledictis & quae ſequuntur. Nam neque eius diſciplinae vllum Syllum vocatum vmquam legi: & in calamo exaratis libris aliter ſcriptum oſtendi; ita namque illi habent, Apollodorum ſine ceteros.

Confirmata vetus lectio Ciceroniani loci, quo ſimili vtens, praecepit quid ſeruare nos oporteret in nouis amicitiis inſtituendis.

CAP. XX.

LOCVS hic Ciceronis e Laelio non in omnibus libris eodem modo legitur. Eſt
» igitur prudentis ſuſtinere, vt currum, ſic impetum beneuolentiae, quo vtamur
» quaſi aquis temptatis, ſic amicitiis; aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Sunt enim quibus melius videatur, equis temptatis: a quibus diſſentio: itaque olim emendaui, ſequutus & rem ipſam, & fidem antiquorum exemplarium, cum purgandis his magna adhibita diligentia, operam dedi. inducit autem illos (vt puto) quod ſupra in ſimili ipſo curruum mentio eſt, qui ab equis trahuntur. ſed aliud eſt, quod nunc inquit: neque enim de frenando cohibendoque impetu beneuolentiae nunc agit, quae res ſimilis eſt retentioni aurigae, cum currum ſuſtinet, ſed de amicitiis temptandis: quod fieri oportere dicit: atque id etiam ſimili confirmat, quod ſimile vtilitatem huius rei ante oculos ponit: ante enim quam aliquis ignotum flumen ingrediatur, aquas temptare conſueuit: quod in amicitia etiam Cicero ſeruandum tradit. Ita quoque locutus eſt Plato in x. libro de legibus, cum Athenienſem hoſpitem, metuentem fraudem captioneſq; ſermonis, ita inducit loquentem: viamque oſtendentem, qua id malum euitari poſſet; ipſe enim quoque eodem ſimili vſus eſt. Σκεπτέον εἴ τι καθάπερ ποταμὸν ἡμᾶς ἔδει τρεῖς ὄντας διαβαίνειν ῥέοντα σφόδρα, νεώτατος δ' ἐγὼ τυγχάνων ὑμῶν ὢν καὶ πολλῶν ἔμπειρος ῥευμάτων, εἶπον ὅτι πρῶτον ἐμὲ χρεὼν πειραθῆναι κατ' ἐμαυτόν, καταλιπόντα ὑμᾶς ἐν ἀσφαλεῖ, σκέψασθαι εἰ διαβατός ἐστι, πρεσβυτέροις οὖσι καὶ ὑμῖν.

Confirmata

Locus Dionis hiſtorici purgatus: collata omni illa re, quae illic narratur cum eo, quod de eodem a Cicerone traditum eſt.

CAP. XXI.

DION in xxxviij. libro hiſtoriarum, quo loco narrat quomodo M. Tullius electus ſit e ciuitate, L. etiam Piſonis, qui tunc conſul erat, vocem exponit, prolatam ab ipſo cum productus eſſet in contionem a P. Clodio: illa autem ſeueritatem Ciceronis, qua vſus fuerat in coniuratos, accuſabat, tota res dil genter traditur ab ipſo Cicerone in oratione quam habuit in ſenatu in L. Piſonem ip ſum

„ his verbis. Idem illo fere biduo productus in contionem ab eo, cui ſic aequatum praebebas
„ conſulatum tuum, cum eſſes interrogatus, quid ſentires de conſulatu meo, grauis auctor, Ca-
„ latinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus: & non Ceſoninus, Semiplacentinus, Cal-
„ uentius, reſpondes altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelita-
„ tem tibi non placere. Hoc igitur maniſeſto eſt, quod commemorauit Graecus ille ſcriptor: verba tamen ipſius ita deprauata ſunt in libro Lutetiae excuſo: quod factum eſt culpa ſuperiorum librariorum, qui auctorem hunc multis plagis confectum: dimidiaque ſui parte abſumptum, nobis tradiderunt, vt vix hic ſenſus inde elici queat. Siquis tamen rem nouerit: ac diligenter locum attenderit, non magno negotio ipſum purgare poteſt: litterae enim omnes illic ſunt, ſed diuulſae ac contaminatae. Ita igitur inquit, vt paulo altius rem repetamus.

„ Καί μοι ταῦτα δ', τί πίσων, καὶ περὶ ἐννοικῶς τῷ κικέρωνι δοκεῖν ἔχειν, καὶ συμβουλεύσας γε αὐτῷ, ὡς ἰσχὺ ἂν
„ δυνάμενος ἐν ἄλλοις αὐτὸν σωθῆναι, προεξελθεῖν, ὅμως, ἐπειδὴ διὰ τοῦτο ἐκεῖνος ὠργίσθη, παρῆλθος ἐς τὴν ἐκκλη-
„ σίαν ὅτι πρῶτος ἐδυνάσθη (τὰ γὰρ πολλὰ ἠῤῥώστει) καὶ πυθόμενος τοῦ κλωδίου τίνα γνώμην περὶ τῆς γεγραμ-
„ μένης ἔχει, εἶπεν, ὅτι οὐδέν μοι οὔτε μέλει, οὐδὲ συνήρεστόν ἔργον ἀρέσκει. cum (vt opinor) hoc pacto
„ legi debeant extrema verba. καὶ πυθομένου τοῦ Κλωδίου τίνα γνώμην περὶ τῆς γεγραμμένης ἔχει, εἶπεν,
„ ὅτι οὐδέν μοι οὔτ' ὠμὸν, οὔτε σκυθρωπὸν ἔργον ἀρέσκει.

Grauis diſputatio, de ducenda vxore, quae apud Plautum habetur, oſtenditur a Platone profecta.

CAP. XXII.

QVIS non putet Plautum ſententiam Platonis expreſſiſſe de capienda vxore, cum in Aulularia ita induxit Megadorum loquentem: conſiliumque ſuum, ſubductis diligenter rationibus, laudantem, qui pauperis hominis indotatam filiam, relictis vberioribus condicionibus, probarat,

„ Narraui amicis multis conſilium meum
„ De condicione hac: Euchonis filiam
„ Laudant, ſapienter factum & conſilio bono.
„ Nam meo quidem animo ſi idem faciant ceteri
„ Opulentiores, pauperiorum filias
„ Vt indotatas ducant vxores domum
„ Et multo fiat ciuitas concordior:
„ Et inuidia nos minore vtamur quam vtimur:
„ Et illae malam rem metuant, quam metuunt magis:
„ Et nos minore ſumptu ſimus quam ſumus.

& quae ſequuntur. addit enim adhuc alia, quae idem confirmant: vtilitatemque illius rei oſtendunt. Grauiſſimi autem: eiuſdemque politiſſimi ſcriptoris verba haec ſunt e vi. libro de legibus, quibus idem praecipit iiſdem paene rationibus vtens, nam ambo in primis, quod con

„ ducit ciuitatis publicamque vtilitatem ſpectandam indicant, Τοῖον φαμὲν ἀγαθὸν περὶ γάμων φάντι
„ τοὺς περὶ τοὺς ἐμφρονας οὐδὲ ἐξῆς γάμους χρὴ γαμεῖν, ὅσοι περ σμικροῖς ἂν μὴ φεύγειν τὸν τῶν πενήτων: μηδὲ τὸν τῶν
„ πλουσίων διώκειν διαφερόντως γάμον: ἀλλ' ἐὰν τἄλλα ἰσάζῃ, τὸν ὑποδεέστερον ἀεὶ τιμῶντα εἰς τὴν κοινωνίαν
„ ξυνιέναι: τῇ τε γὰρ πόλει ξύμφορον ἂν εἴη ταύτῃ, ταῖς τε ξυνιούσαις ἑστίαις: τὸ γὰρ ὁμαλὸν καὶ ξύμμετρον ἀκράτου
„ μυρίον διαφέρει πρὸς ἀρετήν. Huiuſcemodi autem locos, qui diſcrepant ab opinionibus multitudinis: e mediaque philoſophia ſumpti ſunt, a Latinis comicis adumbratos, mirari non debemus: cum fabulas ſuas e Graecis poëtis converterent, qui plerumq; maioris eruditionis erant. cum Menandrum etiam diligenter audiſſe Platonem legamus: unam alterius ſcenae poëtam Euripidem multos acutiſſimos philoſophiae locos in tragoediis ſuis explicaſſe, cum Anaxagoram, Socratem, Platonem multum amaſſet: omnemque eorum diſciplinam hauſiſſet, notum eſt; vt non ſine cauſa ſcenicus philoſophus appellatus ſit.

Collata Ciceronis ſententia cum ſententia Iſocratis ob ſimilitudinem: ambo enim eodem modo clariſſimos viros ornarunt.

CAP. XXIII.

MAGNIFICE locutus eſt M. Cicero de Cn. Pompeio pro Milone dicens: reſque ipſius geſtas paucis verbis in caelum tulit, cum φαντασίᾳ quadam quanto metu ciuitatem oppreſſiſſet Clodius, oſtenderet, & quantum fuiſſet odium omnium bonorum aduerſus illum. Cum enim rem, quae fieri non poſſet, quaſi in manu ipſius poneret: fingeretque ab illo adminiſtrari, non omnino ſe ſtulte facere affirmat, cum alia etiam multa ille praeſtiterit, quae effici ab alio nullo vnquam potuerint: in-
» quit enim. Si ipſe Cn. Pompeius, qui ea virtute ac fortuna eſt, vt ea potuerit ſemper, quae ne-
» mo praeter illum: ſi is inquam potuiſſet, vt quaeſtionem de morte P. Clodij ferre, ſic ipſum ab
» inferis excitare, vtrum putatis facturum fuiſſe? Iſocrates quoque in libro, quem ſcripſit ad Philippum Macedonem, eandem laudem regi illi magno tribuit, cum eum ad rem difficilem aliis, arduamque hortaretur: ad reconciliandos inquam animos Graecorum inter ſe, qui tunc maximis inimicitiis flagrabant: ait enim hoc ipſum, quod ab alio vllo ad exitum perduci non poſſet, ipſum ſine magno labore effecturum: quod omnino ipſe ſperat, ſpectatis rebus ipſi-
» us, quae & ipſae illiuſmodi erant. Verba accuratiſſimi ſcriptoris haec ſunt. Ἔτι τοίνυν τὸν μὲν
» ἄλλον ὁμολογῶ μηδέν' ἂν δυνηθῆναι διαλλάξαι τὰς πόλεις ταύτας: σοὶ δ' οὐδὲν τῶν τοιούτων ἐν χαλεπῷ: ὁ-
» ρῶ γάρ σε τῶν τοῖς ἄλλοις δοκούντων ἀνελπίστων εἶναι καὶ παραδόξων, πολλὰ διαπεπραγμένον. ὥστ' οὐδὲν ἄλο-
» γον, εἰ καὶ ταῦτα μόνος ἂν συστῆσαι δυνηθείης.

Teſtimonium Ariſtotelis e libro problematum citatum a Plutarcho, apud auctorem ipſum monſtratum: ac de illa re diſputatum.

CAP. XXIIII.

QVAESTIONES Ariſtotelis, προβλήματα vocatas, non defuerunt qui putarint eius auctoris non eſſe: quod non pauca illic legantur a decretis ipſius diſcrepantia: alij autem cum multas illarum proprias eius eſſe fateantur: quaſdam, cum futiles admodum, vt putant, diſſolutiones habeant, indignas putant tanto philoſopho. nam, quod a ſententia ſua iudicioque in ſtatuendo de aliqua re aliquando ille diſcedit, non mirum hoc videri debet, ſi in populari diſputatione ſe adplicat ad ſententias communiores: & quae facilius fidem facere poſſint ſuae rationis ignaris. ipſemet certe teſtis eſt, & alij locupletes auctores, librum illum totum alienum non eſſe. Plutarchus, qui in libro περὶ ἀοργησίας, cum oſtendere vellet, quibus modis ira diſcutiatur, non tantum illam extingui dicens effuſa frigida aqua in eum qui ita commotus ſit, ſed aliis etiam, quas appellat, rationibus, primae illius auctorem eſſe tradit Ariſtotelem. Locus autem in quo hoc protulit princeps ille Peripateticorum, eſt in viij. libro problematum, vbi cauſam affert cur qui ira commoti ſunt, non rigent. Animaduertendum autem, cum aetatem non iudicet Plutarchus,
» quae ita adiungetur: nam nullo diſcrimine poſito inquit. ἰᾶσθαι δὲ οὐ μόνον ψυχρῷ καταπεσσομένους
» λέγουσιν ὀργὴν ὡς Ἀριστοτέλης ἱστόρησε: & quae ſequuntur, Ariſtotelem videri remedium hoc in pueris valere dicere, qui calore magis abundant: vnde etiam valde erubeſcunt. Verba eius haec
» ſunt. ἐπεὶ εἴ τις αὐτοὺς πολὺ τοῦ ψυχροῦ περιχέαι παύσαιντ' ἂν ὀργιζόμενοι: καταπεσβέσθαι γὰρ ἂν αὐτῶν τὸ θερμόν.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXV.

Purgatus locus in Athenaeo coniectura: cum macula, quae inſederat moleſta eſſet, ac veterem hiſtoriam perturbaret.

CAP. I.

AVSIM affirmare locum Athenaei in v. libro, vbi de inſtitutis Lace-
daemoniorum diſſerit, quibus, cum argentum aurumque intra vrbem
recipere interdictum eſſet, nec viam vllo pacto auaritiae pateſacere, a-
ſtuta tamen ratione illud poſſidebant, mendoſum eſſe: cumque in excu
» ſis, & in ſcripto etiam vno, quem vidi, libro legatur. Λακεδαιμόνιοι δ'
» ὑπὸ ἐθῶν κωλυόμενοι εἰσφέρειν εἰς τὴν σπάρτην (ὡς ὁ αὐτὸς ἱστορεῖ ποσειδώνιος) καὶ
» κτᾶσθαι ἄργυρον, καὶ χρυσόν, ἐκτῶντο μὲν οὐδὲν ἧττον: παρακατετίθεντο δὲ τοῖς ὁμό-
» ροις ἀρκάσιν. εἶτα πολεμίους αὐτοὺς ἔσχον ἀντὶ φίλων. ὅπως ἀνυπεύθυνον τὸ ἀπειθὲς διὰ
» τὴν ἔχθραν γένηται. arbitror corrigi debere, ὑπὸ θεῶν. vt ſignificet oraculum illud, quod ipſis
editum eſt ab Apolline. quo hoc ſedulo praecipiebatur, quamuis a diis ipſos vetitos non a deo
dicat, aurum in vrbem comportare. Oraculi autem huius mentionem fecit Cicero in ij. li-
» bro de officiis his verbis. Ita, quod Apollo Pythius oraculum edidit. Spartam nulla re a-
» lia niſi auaritia eſſe perituram, id videtur non ſolum Lacedaemoniis, ſed etiam omnibus opu
» lentis populis praedixiſſe. nec non Plutarchus in commentario, quo voces acutas Laconum
» collegit, non longe ab extremo, cum inquit. Ἀλκαμένης δὲ καὶ θεοπόμπου τοῖς βασιλεῦσι χρησμὸς
» ἐδόθη. ἁ φιλοχρηματία σπάρταν ὀλεῖ, ἀλλ' ὅμως λύσανδρος, ἐλὼν ἀθήνησι, πολὺν χρυσὸν, καὶ ἄργυρον, εἰσ
» ἐκόμισε: καὶ περιεδέξαντο καὶ ἐτίμησαν τὸν ἄνδρα. Quin etiam apud Suidam in dictione ἀπαγορεύσαντες,
verba veteris ſcriptoris leguntur, accuſantia mores Lacedaemoniorum: in quibus oraculum
hoc ipſum plenius eſt, & cuiuſmodi denique reddidit illud M. Tullius. Nam quod ille ait.
nulla re alia, reſpondet ei, quod relictum a Plutarcho eo loco legitur: ἄλλο δὲ οὐδὲν. Sed vt ad
peruulgatam Athenaei lectionem redeam. quis ſi diligenter attendat, non videat perperam il-
lic legi ὑπὸ ἐθῶν κωλυόμενοι neque enim mores recte dici poſſunt aliquid vetare. ſed pote-
ſtas aliqua: maiorque auctoritas eſt, quae prohibet aliquid facere. hiſtoria autem cognita, &
opinionem meam confirmat, & omne dubium (niſi fallor) tollit.

Explicata Virgilij mens, quum iram Iunonis memorem appellauit. ac propinqua illius ſententia auctoritate tragici poëtae confirmata.

CAP. II.

QVOD Virgilius irae Iunonis adiunxit, appellans ipſam memorem, negotij multum
attulit grammaticis, rationem eius epitheti reddere conantibus: abſurdum enim pri
mo videtur ſenſum datum motioni animi: dictamque iram, quae cito venit atque a-
» bit, recordari: cum hoc diuturnius ſtabiliuſque natura ſua ſit. quare Seruius interpres putat
» ita locum accipiendum. vt memorem dixerit, non quae meminerat, ſed quae in memoria erat.
Ego vero puto feciſſe hic poëtam, quod multis aliis locis fecit: vt ſenium tribuerit rei non mo-
do ſenſu, ſed corpore etiam carenti: auſumque id eſſe auctoritate Graecorum, quorum veſtigia
libenter ſequitur: inuenio enim Aeſchylum eodem pacto in Agamemnone μῆνιν μνάμονα vo-
caſſe. locus autem eſt in primo choro eius fabulae. cum ſenes illi, ex quibus conſtabat, in
» extrema vaticinatione Chalcantis, quam recitarunt, dixere: μίμνει γὰρ φοβερὰ παλίνορτος Οἰκο-
» νόμος δολία Μνάμων μῆνις τεκνόποινος. Hunc vero grauem tragicum, philoſophumque, vt fe-
runt, Pythagoreum, accurate legiſſe Virgilium: multoſque ab ipſo locos accepiſſe, notum eſt,
vt non ſine cauſa exiſtimari poſſit, hoc etiam inde ſumpſiſſe. Cuius opinionis eſt ingenioſus
iuuenis Bartholomaeus Barbadorus. qui me duce multum in politioribus litteris progreſſus
eſt: ac

eſt: ac fabulam hanc Aeſchyli, quae manca inchoataque erat, ſedulitate ſua integram inuenit, atque obrutam vetuſtate eruit, comite huius ſtudij ac laudis Hieronymo Maeo: qui & ipſe non parum in cognitione bonarum artium profecit. nam, quod paulo poſt ex perſona ſua poëta, admirationis plenus, exclamat. Tantae ne animis caeleſtibus irae. iuſta eſt illa exclamatio: aut enim nunquam iraſci deos immortales oporteret: neque motu hoc turbido animos eorum vexari, aut facile, ſi forte alicui aliquando iraſcantur, placari. Alter etiam tragicus in fabula, quam Bacchas vocauit, nullo modo hoc conuenire deorum naturae induxit Cadmum dicentem. cum ſe purgaret libero patri: vehementerque ſibi iratum illum placare ſtuderet: ait enim Cadmus. ὀργὰς πρέπει θεοὺς οὐχ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς.

Oſtenditur grauem ſententiam T. Liuij, editam illic a legato Carthaginienſi, acceptam fuiſſe a Demoſthene. vt aliam proxime vicinam a Thucydide.

CAP. III.

T. Livivs cum capita orationis exponeret, quam habuerat Aſdrubal, cui Haedus cognomen fuit, petens pacem, in ſenatu Romano, in aliis non nullis grauibus atque illi tempori aptis ſententiis, oſtendit ipſum dixiſſe. Raro ſimul hominibus bonam fortunam: bonamque mentem dari: populum R. eo inuictum eſſe, quod in ſecundis rebus ſapere, & conſulere meminiſſet. quod expreſſum eſſe e Demoſthene conſtat: ſiue hoc inde ſumpſit Liuius ipſe: ſiue ſecutus eſt Polybium vt ſolet, qui prior locum eum a ſummo oratore mutuatus ſit: neque enim qui multos claros locos e Polybij hiſtoria excerpſit, orationem legati huius Carthaginienſium ſelegit. Demoſthenis autem verba haec ſunt: vbi enim apud eum ſint, non ſuccurrit. Ὀλίγοι γάρ εἰσιν, οἷς μετὰ τοῦ εὐτυχεῖν παραγίνεται τὸ φρονεῖν· οἱ πλεῖστοι δὲ φρενῶν δέονται ἐπακτῶν. maiorem autem hominum partem, quorum bonae res proſperaeque ſunt, affirmans egere φρενῶν ἐπακτῶν, intellexit mentem conſiliumq́; importatum & quaſi aliunde aduectum: vt alio loco, inquit Athenienſes narrans ali ſere frumento nauibus importato. ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον γὰρ χρώμεθα σίτῳ ἐπακτῷ. C. enim Caeſar in iij. commentario de bello ciuili, cum id exprimere vellet, dixit frumento importato. Quod vero ſtatim ſequitur apud Latinum ſcriptorem. Et hercle mirandum fuiſſe, ſi aliter facerent. Ex inſolentia, quibus noua bona fortuna ſit, impotentes laetitiae inſanire: populo R. vſitata, ac iam prope obſoleta, ex victoria gaudia eſſe. videri & ipſum non ſine cauſa poteſt acceptum e Thucydide: apud eum enim in iiij. hiſtoriae libro, legati Lacedaemonij miſſi Athenas, in malis ſuis rebus, cum perſuadere vellent Athenienſibus, vt modice vterentur ſecunda illa fortuna, ita locuti ſunt. Καὶ μὴ παθεῖν, ὅπερ οἱ ἀήθως τι ἀγαθὸν λαμβάνοντες τῶν ἀνθρώπων· αἰεὶ γὰρ τοῦ πλέονος ἐλπίδι ὀρέγονται διὰ τὸ καὶ τὰ παρόντα ἀδοκήτως εὐτυχῆσαι. quin autem ex inſolentia eleganter exprimat aduerbium ἀήθως dubitare non poſſumus. Cicero quoque in ij. libro epiſtolarum ad Atticum, cum de Pompeio inquit, inſolens infamiae, idem ſignificauit, quod a Demoſthene pronuntiatum eſt contra Midiam de honeſtis viris. qui aequo animo ferre non poſſunt aliquid contumeliae ſibi inferri. & cum id importunitate alicuius contigit, ex iniuria inſaniunt ἀήθεις ὄντες τοῦ προπηλακίζεσθαι. nam illud Ex inſolentia, coniungi debere cum conſequentibus verbis opinor: quamuis in excuſis perperam adplicatum ſit ſuperiori ſententiae. Nactus autem occaſionem huius rei non malam, eluere maculam volo ex oratione Aeſchinis contra Cteſiphontem: cum enim paulo infra Liuius narret, inclinatis ad miſericordiam patribus, ſenatorem tamen vnum, infeſtum perfidiae Carthaginienſium, ſucclamaſſe. Per quos deos foedus icturi eſſent, cum eos, per quos ante ictum eſſet, fefelliſſent. Aeſchineſque ita cum iudicibus illic agat, debere iſtos, quum periurus aliquis homo ad idem genus fidei faciendae confugit, ipſum repudiare atque hac voce caſtigare. Opus eſſe illi, qui ſaepenumero peieret: ſemperque poſtulet credi ſibi, ſi iureiurando vſus fuerit, alterum horum adeſſe. aut deos aliquos nouos; aut ad quos verba facit non eoſdem: cum enim perperam in excuſis libris ſit. ἢ τοὺς θεοὺς καινούς, ἢ τοὺς ἀκροατὰς μὴ τοὺς αὐτούς, manifeſto legi debet καινοὺς cum diphthongo. in hoc autem ſaepe peccatum eſſe, corrupto iam ſono Graeci ſermonis, alias declaraui.

Pliniani loci, quo inſimulat Graecos poëtas, pars illa, qua reprehendit Euripidem & Apollonium, quod duabus in rebus ambo lapſi ſint, ponderata: ſubtiliſque ratio, ſi non omnino vera, vtrunque a mendacio vindicandi excogitata.

CAP. IIII.

In xxxvii. libro naturalis hiſtoriae Plinius, vbi de ſuccino diſſerit: ac quantopere in eius cauſa, ortuque prodendo, Graeci poëtae decepti ſint, docet, adiungit. Euripides rurſus & Apollonius in Adriatico littore confluere Rodanum &

Padum, faciliorem veniam facit ignorati ſuccini, in tanta orbis ignorantia. Apollonius igitur, Rhodius appellatus, quod cum Alexandreae natus eſſet, Rhodum migrauit, atque illic ciuitate donatus eſt, in iiij. libro ἀργοναυτικῶν hoc tradidit: quod non Plinius modo, ſed res
» ipſa refellit, & vanum eſſe manifeſto declarat: hi enim verſus ipſius ſunt. Ἐκ δὲ τόθεν ῥοδανοῖο
» βαθὺν ῥόον εἰσεπέρησαν Ὅς τ' εἰς Ἠριδανὸν μετανίσσεται· ἄμμιγα δ' ὕδωρ Ἐν ξυνοχῇ βέβρυχε κυκώμενον,
» αὐτὰρ ὁ γαίης Ἐκ μυχάτης ἵνα τ' εἰσὶ πύλαι καὶ ἐδέθλια νυκτὸς Ἔνθεν ἀπορνύμενος, τῇ μὲν, ἐπερεύγεται ἀ-
» κτὰς Ὠκεανοῦ, τῇ δ' αὖτε, μετ' Ἰονίην ἅλα βάλλει, Τῇ δ' ἐπὶ σαρδόνιον πέλαγος καὶ ἀπείρονα πόντον.

Euripides vero, quo loco dixerit non memini me legiſſe: vereorque ne in aliqua fabula ex iis, quae perierunt, poſuerit. nam in communi errore, quod ad ſuccinum pertinet, eum verſatum, teſtatur locus hic ex Hippolyto coronato, quo chorus rebus aduerſis reginae dolens, optat arreptis alis terram illam relinquere: in Italiaeque partem, quam Padus praeterfluit, conuolare:
» ait enim. Ἀρθείαν δ' ἐπὶ πόντιον κῦμα τᾶς Ἀδριηνᾶς ἀκτᾶς Ἠριδανοῦ θ' ὕδωρ Ἔνθα πορφύρεον στα-
» λάσσουσι Ἐς οἶδμα πατρὸς τριτάλαιναι Κόραι Φαέθοντος οἴκτῳ δακρύων Τὰς ἠλεκτροφαεῖς αὐγάς.

Idem autem falſo prodiderat Apollonius verſibus, qui illos, quos ſupra poſui, antecedunt. Cogitandum vero diligenter an huius peccati abſolui debeat Euripides: neque enim veritas rerum requiritur a poëtis: ſecteque ille fortaſſe peruulgatam fabulam perſequutus eſt, ac narrationem ſtudio ſuo accommodatam, nam poſſet etiam non inſulſe: neque imperite (vt arbitror) Apollonius a culpa defendi, vt intellexerit occultos retraque abditos confluentes eorum fluminum. & ſane videtur tradere ex eodem quaſi antro ac vaſe, quae priſcorum phyſicorum ſententia fuit, orti tria flumina. quorum vnum, in Oceanum influit: alterum, in Ionium mare: tertium, in Sardoum. duo poſtrema ſunt Padus, & Rhodanus. Rhenus vt arbitror, primum: qui ortum ſane non diſtantem a Rhodani fonte habet. non igitur in aperto concurrere: vnumque confluentem facere Rhodanum & Padum, inquit, hic poëta.

An recte immutatum ſit herbae nomen in Culice Virgiliano, viderique peruulgatam eius loci lectionem mendo vacare.

CAP. V.

MAGNI ingenij vir, elegantiſque doctrinae Petrus Bembus in libro, quem ſcripſit de Virgilij culice, atque Terentij fabulis, cum ope vetuſtiſſimi exemplaris, quod habebat, plurimas maculas ſuſtuliſſet e Virgiliano illo opuſculo, auſus etiam eſt coniectura fretus, emendare verbum, quod corruptum putauit, ac pro illo de opinione aliud ſupponere: cum enim antea legeretur in ſtirpibus herbiſque e-
» numerandis, quibus ſepulchrum culicis pius ille paſtor ornauit. Hic amaranthus, Buph-
» thalmuſque virens, & ſemper florida pinus. pro pinus ille voluit legi picris. id autem genus eſt herbae, quae ſemper viret: cuique mirifice epitheton id quadrat. quod epitheton nullo modo ingenti illi arbori conuenit, numquam omnino, vt ait florenti: praeterquam, quod maior ea eſt arbor, quam ille ipſe poſcat, in quo ſeritur, locus. non diſplicent ſane coniecturae: nec inſector diligentiam hominis; ſtudiumque notas e bonis auctoribus eluendi, laudo. praeſertim autem induſtriam alterius in ea re non reprehendo, de qua nihil ipſe certum dico. verum tamen cum eodem deſiderio & ipſe flagrem, ſtudioſos litterarum adiuuandi, praetermittere nolo, quin quod aliquando ſuſpicatus ſum, aperiam: excutiendumque doctis viris proponam. nam, ſi teſtimonium optimi illius exemplaris ſecum Bembus habuiſſet, tacuiſſem: ipſe enim teſtatus eſt in illo ſuo peruetери libro eam pagellae partem conſumptam, dilapſamque vetuſtate. Cum igitur inueniſſe mihi videar pinum appellatam, non tantum vaſtam illam arborem, ſed virgultum quoddam, quod perpetuam viriditatem retinet, poſſe puto peruulgatam eius loci lectionem defendi: nec vllo pacto inde moueri debere cenſeo. praeſertim cum picris in elegantioribus herbis, floribuſque poſita nuſquam a poëtis ſit. Columella enim in ix. libro vbi de pabulis apum diſputat, enumeratis iam herbis, quae gratae
» ipſis ſunt, addit. Poſt haec frequens ſit incrementi maioris ſurculus. vt ros marinus, & vtra-
» que cythiſus: eſt enim ſatiua, & altera ſuae ſpontis; itemque ſemper virens pinus, & minor
» ilex: nam prolixior ab omnibus improbatur. non intelligere autem hic eum ſcriptorem ingentem pinum conſtat: neque enim recte inter ſurculos poneretur: & eum flores ſuaues non fundat, accommodata apibus eſſe non poteſt. vt Virgilium quoque in iiij. Georgicorum cum ce-
» cinit. Ipſe thymum: pinumque ferens de montibus altis, veriſimile non eſt multis de cauſis immenſam illam arborem ſignificaſſe, ſed eandem, quam Columella. Surculum autem hunc genus vnum eſſe puto eius herbae, quae a Graecis, quia humilis terreſtriſque pinus eſt, chamaepytis vocatur: a Latinis autem, niſi corruptum vocabulum apud Plinium eſt, Aiuga. a no-

bis certe

bis certe nunc vulgo lua: cum enim tria diſcrimina eius ſint, quoddam eorum ſeſquipedalis ſurculus eſt; quem arbitror hic a poëta intellectum: nam luam diuturnum ac paene perpetuum florem habere conſtat, qui etiam pini odorem habet. vnde ita videtur appellata.

Collati inter ſe duo loci duorum poëtarum. quibus antiqua puerorum educatio, dura ſeueraque celebratur.

CAP. VI.

PLAVTVS in Bacchidibus induxit Lydum paedagogum antiquam inſtitutionem Graecorum puerorum commemorantem: ipſamque ſummis laudibus in caelum ferentem, cum de moribus eius temporis quereretur: doleretque impediri officia ſua a nimis indulgente patre. inquit igitur, illum ipſum accuſans. Sed tu, qui pro tam corrupto dicis cauſam filio Eadem ne erat haec diſciplina olim, quum tu adoleſcens eras? Nego tibi annis viginti fuiſſe primis copiam Digitum longe a paedagogo pedem vt efferres ex aedibus: Ante ſolem exorientem, niſi in palaeſtram veneras, Gymnaſij praefecto haud mediocres paenas penderes. & quae copioſe in eam ſententiam adiunguntur. Ariſtophanes quoque νεφέλαις eandem diligenter expoſuit, cum iuſtam orationem induxit ita loquentem, ac naturam ſuam aperientem. initium autem eius narrationis hoc eſt. Λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν παιδείαν ὡς διέκειτο Ὅτ' ἐγὼ τὰ δίκαια λέγων, ἤνθουν, καὶ σωφροσύνη 'νενόμιστο Πρῶτον μὲν ἔδει φωνὴν παιδὸς γρύξαντος μηδέν' ἀκοῦσαι Εἶτα βαδίζειν ἐν ταῖσιν ὁδοῖς εὐτάκτως εἰς κιθαριστοῦ Τοὺς κωμήτας γυμνοὺς ἀθρόους, κεἰ κριμνώδη κατανείφοι. & quae ſequuntur: reliqua enim apud poëtas ipſos, illuſtribus locis poſita, legi poſſunt. quare locis collatis, valde inter ſe ſimilibus, longior non ero.

Locus Strabonis elegans: idem tamen ſubobſcurus, accurate ponderatus: in quo de conſuetudine, quam neceſſario ſecuti ſunt in diſputando veteres peripatetici, agitur.

CAP. VII.

DILIGENTER videndum eſt, quid valeat, θέσεις ληκυθίζειν apud Strabonem in xiij. libro, in quo loco de Ariſtotelis ac Theophraſti bibliotheca loquitur: quae diu male habitae ſunt, ac multis caſibus conflictatae: in aliis enim non nullis narrat, peripateticos, qui ante Apelliconem Teium vixere, cum paucos omnino libros principis eius familiae, & eos quidem fere exotericos haberent (primus namque Apellicon opimam illam ſupellectilem e tenebris eruit) non potuiſſe ſubtiliter accurateque totos locos philoſophiae tractare, ſed coactos eſſe ſententias tantum quaſdam, quas θέσεις vocabant, explicare. cum qui poſtea ſtudioſi fuerint eius diſciplinae, aucti tanta copia librorum, melius potuerint munus illud ſuſtinere, veraſque opiniones ſummi doctoris videre. quamuis aliquando & ipſi propter errata librariorum, mendaque, fluctuarint. In hac igitur re tradenda inquit. Συνέβη δὲ τοῖς ἐκ τῶν περιπάτων τοῖς μὲν πάλαι, τοῖς μετὰ Θεόφραστον, ὅλως οὐκ ἔχουσι τὰ βιβλία, πλὴν ὀλίγων καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχειν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν. τοῖς δ' ὕστερον, ἀφ' οὗ τὰ βιβλία ταῦτα προῆλθεν, ἄμεινον μὲν ἐκείνων φιλοσοφεῖν, καὶ ἀριστοτελίζειν: ἀναγκάζεσθαι μέντοι τὰ πολλὰ εἰκότως λέγειν διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἁμαρτιῶν. Valere autem λήκυθον vas oleo vnguentoque ſeruando factum, notum eſt. inde tamen ad alias res oſtendendas transferebatur. vt Cicero quoque cepit hoc nomen in primo libro epiſtularum ad Atticum, quum ait. Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus, quarum tu Ariſtarchus es, ſoleo pingere: de flamma, de ferro (noſti illas ληκύθους) valde grauiter pertexuit. Sed etiam Plinius in ij. epiſtola libri primi. cuius haec ſunt verba. Non tamen omnino M. noſtri ληκύθους fugimus, quotiens paulum itinere decedere non intempeſtiuis amoenitatibus admonebamur. Appellat autem (niſi fallor) Cicero ληκύθους locos communes ſummo artificio expolitos, & in quibus exornandis arculae illae adhibitae ſint. nam in Bruto quamuis Graecum nomen non ponat, idem videtur ſignificaſſe, ita de Catonis oratione loquens. Intelliges nihil illius lineamentis, niſi eorum ornamentorum, quae inuenta non dum erant, florem & colorem defuiſſe. Quid eodem etiam loco poſſit πραγματικῶς φιλοσοφεῖν, accurate eſt animaduertendum: Politianus enim, qui primo capite Miſcellaneorum totum hunc locum adumbrauit, neque hoc, neque ſuperius illud, expreſſit, ſed videtur potius partem hanc tamquam ſcopulum aliquem declinaſſe, cum ita reddat. Nam peripatetici veteres ordinariis iſtis, quibus omnis inſtruitur philoſophia, carentes: paucos modo, quos vocant exotericos, habuerunt: eoque poſterio-

Cc res

» tes exquiſitius philoſophari, quod Ariſtotelis volumina, quamquam alicubi contaminata,
» peruolutabant. Quamuis autem ipſe, non omnino vt cuperem, explanare rem poſſim, voluit tamen difficilem locum indicare ac quid mihi in mentem venerit pro declaratione ipſius aperire: arbitror enim ſignificare, non potuiſſe ipſos natura rerum, de quibus quaerebatur ſpectata, accurate veritatem ipſarum indagare. Et ſane Alexander Aphrodiſienſis in primum Topicorum, quo loco Ariſtoteles de vtilitate eius facultatis differit, cum valere etiam ipſam πρὸς γυμνασίαν dixiſſet, quae ſit accipienda illic exercitatio docens: nec vna contentus declaratione eius rei, ſecundo loco ſimile quiddam tradidit huic, quod commemoratur a Strabone: narrat enim conſuetudinem fuiſſe priſcorum philoſophorum, vt in vtramque partem argumentarentur, ac maiorem partem ſuarum diſputationum ita tractarent, non libris auctoritateque eorum niterentur. vt poſtea coeptum eſt fieri. cum eorum aetate non dum tanta copia librorum eſſet. verum inquit, cum theſis aliqua, quaeſtioque poſita foret, ad illa argumentabantur, exercentes ita facultatem inueniendi argumenta. nam & confirmabant & euertebant, vtentes probabilibus, quidquid poſitum foret. vt ſi vſus ipſe quoque eſſet verbo ληκυθίζειν, idem paene quod Strabo (niſi fallor) prolaturus fuerit. non tamen cum Alexander quoque de paucitate librorum loquatur, arbitror eandem quam fecit Strabo penuriam eorum ipſum intelligere: loquitur enim Aphrodiſienſis de tempore illo, cum adhuc Ariſtoteles & Theophraſtus non dum omnia libris operibuſque ſuis referſerant, non cum illi iam editi, iniuria quorundam, tenebris obruebantur, & tamen idem vtraque de cauſa contingebat. Cum autem libenter in rebus obſcuris difficilibuſque ſententias aliorum ſcruter, ingenioſorum ac doctorum virorum, quaeſiui e Bernardo Segnio, amiciſſimo mihi homine: qui & diu in libris Ariſtotelis verſatus eſt: & iudicio multum valet, quid ei de hoc videretur: ille autem diligenter animaduerſa re, ſe prorſus ita ſentire, vt docui, mihi reſpondit: ac putare opinionem meam veram eſſe.

Naues cum hominibus captas, aut depreſſas, dici ab optimis Latinae linguae auctoribus, quas Graeci nunc iunctis duobus nominibus αὐτάνδρους: nunc ſeparatis, σὺν αὐτοῖς ἀνδράσιν dicebant.

CAP. VIII.

Qvod Caeſar in commentario primo de bello ciuili, inquit, de nauali victoria loquens: Partem nauium deprimunt: non nullas cum hominibus capiunt, a
» Graecis ſaepe vno verbo iuncto dicebatur: Plutarchus enim in Demetrij vita rebuſque geſtis exponendis, cum ipſius victoriam aduerſus Ptolemaeum commemoraret. qui ſaluis e magna claſſe octo tantum nauibus, fugerat, inquit.
» τῶν δὲ ἄλλων αἱ μὲν ἐν τῇ ναυμαχίᾳ διεφθάρησαν: ἑβδομήκοντα δὲ ἑάλωσαν αὔτανδροι. frequens autem eſt hoc verbum apud antiquos ſcriptores, Thucydides tamen integris verbis, ſeparatiſque hoc pronuntiauit, in vij. libro hiſtoriarum, vbi de calamitate Athenienſium Sicilienſi loquitur,
» claſſeque in portu Syracuſano amiſſa: ait enim καὶ αἱ τριήρεις αὐτοῖς ἀνδράσιν, ἑάλω. Nam, quod praepoſitio σὺν illic deſideratur, conſuetudo haec eſt Atticorum: ſic enim quoque Demo-
» ſthenes loquitur. vt de falſa legatione, cum ait. πεντηκοντόρους δ' ἐκπλεῖν προσδοκῶντας ὑπ' αὐτῷ
» τῷ ἀγκυρίῳ ἐλθεῖν αὐτοῖς ὅπλοις ὁ Φίλιππος. In iij. Itidem commentario Caeſar, inquit. Ex
» his quadriremem cum remigibus defenſoribuſque ſuis ceperunt. nam Cicero pro Archia poëta, naualem victoriam L. Luculli apud Tenedum celebrans, eodem pacto locutus eſt. ordo
» tamen verborum illic immutatus, obſcuriorem locum facit, qui hic eſt. Noſtra ſemper fe-
» retur, & praedicabitur, L. Lucullo dimicante cum interfectis ducibus, depreſſa hoſtium claſ-
» ſis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis.

Emendatur locus Sex. Pompeij: ac quid pronuntiare ſoliti ſint Romani magiſtratus in ſontibus capitis condemnandis, traditum ab illo, declaratur. cum mos hic maculis ſcripturae non obſcuratus tantum, ſed extinctus eſſet.

CAP. IX.

Sex. Pompeius, eruditus grammaticus: in cuius ſcriptis magna ex parte calamitate ſuperiorum temporum amiſſis: iis autem, quae reſtant mendis refertis, incredibilis Latini ſermonis iactura facta eſt, memoriae etiam prodiderat, quibus verbis olim vti ſoliti eſſent Romani magiſtratus, cum capitis aliquem condemnarent: illa autem, vt factum erat graue, & acerbum, ita ipſa manſueta, ac moderata.

moderata. Omnia tamen illa veteria eiua moris declaratio, cum in excoſis libria rotus locus ſit depratatus, ac molris maculis reſperius, extiocta erat: oec fructum vllum ſerebat. quare ipſe, reſtituto illo: pulſiſque inde tenebris, veritatem eiua lectioois aperiam, qoae eſt haec. poſita autem eſt in xiiij. libro antequam, qui piſcatorij ludi vocareotur, doceret. Parum cauiſſe videri, ptoountiat magiſtratus, cum de conſilij ſenteotia capitia quem condemoaturus eſt. io excuſis autem Parum perperam ſuperiori ſententiae adoexum eſt in extremo: ſeqoiturque ſtatim. Caius ſe videre. vt nollo modo inde ſine ope melioria libri ſenſua vllus, tam valde contaminato loco, & cum ſuperiore explicatione confuſo, elici poſſit. io fragmentis autem illis, de quibus ſopra locutus ſum, illo modo legitur. nam, quod erat priua io excuſia, De conſulis ſententia, & ipſum manifeſto mendoſum erat. De conſilij vero ſententia Ciceroo em pluribos locis dixiſſe notum poto. vt io vij. quoque in Verrem cum de nauarchorum iniuſto ſupplicio loqueretur. Condemnat omnes de conſilij ſeotentia. Nam, quod pertinet ad Videri, inſtitutique huius, meminit M. Cicero pluribus locis: diligeoter autem ipſum explicat propa finem Luculli his verbis. Quaeque iurati iudices cognouiſſeot, vt ea non eſſe facta, ſed vt videri pronuntiarent.

Diſtichon in ſalacem cuſtodem hortorum explicatum. quo turpis res honeſtis verbis petitur.

CAP. X.

Onoicionem, quam tulit furi cuſtos ille hortorum libidinoſus, obſcenam rem ſignificare cuncti ſuſpicaotor: nec tamen omnes rationem eius ioci poſſunt explicare. quare mihi viſum eſt oſtendere, temere id, imperiteqoe dictum non fuiſſe. inquit igitur ſioiſtrae liberalitatis deus,

Quod meus hortus habet ſumas impooe licebit.
Si dederia nobis quod tous hortus habet.

Loſitqoe io duplici notione eius verbi: quamuis apud Latinum nullum ſcriptorem pobem hortom vocatam inuenerim. Sed in Graeco ſermone κῆπος: cui reſpondet Latina illa vox, appellatur ea muliebria corporia para, quae ſuo, proprioque nomine honeſte appellari non poteſt: vnde plurimis translatis nomioibus, vt verecundia ſeruaretur, ea lingua indicari olim ſolita erat. in quibus etiam hoc ipſum fuit, vt teſtantur veteres grammatici. Sed Laërtius etiam, cum vocem Theodori Cyrenaici: qui ἄθεος vocatus eſt, recitaret: ille enim contempſit Stilponem Megarenſem, qui io iudicio Areopagitarum ſe purgans, cum argueretur io diſputatione quadam negaſſe Mineruam Phidiae, deum eſſe, cooſeſſus eſt: dixitque a ſe id recte & ordine factum, cum dea illa feminaqoe eſſet. ille deorum hoc audito. quomodo hoc tam certo aſſeuerat Stilpon? an tuoica ſublata hortum ipſius conſpexit? verba Graeca, quibus hoc commemorat Laërtius, haec ſuot. πότερον δὲ τὸν κῆπον Στίλπων, ἀνασύρας αὐτῆς τὸν κῆπον ἰδιάζεται. communi autem genere deos olim appellari ſolitos notum eſt: vnde magis eum irriſit Theodorus, ipſeque ille eo nomine ab Areopagitis ex oppido eiectus eſt: nam Athenis id protulit. non me tamen fallit ita cum puero locutum Priapum, non cum virgine. potuit tamen poëta verbo illo, iocandi cauſa, noo ſtulte illic vti, a genere ad genus translato: cauſa autem cur id ei licuerit, aperta eſt.

Quae foret medicina Serapidis declaratum.

CAP. XI.

Erapis, Aegyptiorum deus, animo atque oratiooe curabat. quod intelligere licet teſtimoniis duo ouilis M. Varronis, quae citaotur a Nonio: illa autem haec ſuot. Eumenidibus; hic enim index eſt eorum doctiſſimi viri ſcriptorum, vnde ducuntur. Ego medicina Serapi vtor. cotidie precantur. intelligo recte ſcriptum eſſe Delphis, ΘΕΩ͂Ι ΗΡΑ͂Ι. item ooo multo poſt. ex eodem libro exemplo ſumpto. Hoſpes. quid miras animo curare Serapin? Quid, quaſi non coret tantidem Ariſtoteles? Sunt autem (vt apparet) duo verſus, quorum poſterior vno pede mioor eſt. Animaduertendum autem, niſi macula ſubeſt, dictum eſſe miro, agendi forma, non taotum notione: cum tamen conſuetudo miror probarit,

Quid ſui indicij ſit de auctore lepidi cuiuſdam carminis, quod legitur inter luſus in Priapum.

CAP. XII.

ELEGANS atque eruditum carmen, quod Virgilij nomine ferebatur, docui ſupra in xij. libro Catulli eſſe. atque id non leuibus (vt opinor) argumentis. nunc vero de altero, quod eodem loco legitur, quid ſuſpicer, indicare volo: cum enim eruditionis plenum ac venuſtatis ſit, non alienus ab ea exiſtimatione ſum, vt credam eſſe eiuſdem poëtae. quamquam opinione tantum, nullo teſtimonio alicuius ſcriptoris, ducor ad ita ſuſpicandum. Materia ſane ipſa, ludicra tenuiſque eſt, in quam conditum eſt carmen, & argumentum valde ſimile ſuperiori illi: olet autem ipſum non parum Catullianum ingenium. nam, quod in extremo de induſtria quaeſitum non nihil laſciuiuſculum, hoc quoque confirmat iudicium meum, ac pro coniectura poni poteſt, quod eius poëtae ſit: neque enim abhorrebat animus hominis ab huiuſcemodi delicatis argumentis, vt verſibus multis, qui ſine vlla dubitatione ipſius ſunt, apparet. intelligo autem epigramma hoc.

» Ego haec, ego arte fabricata ruſtica
» Ego arida o viator ecce populus
» Agellulum hunc, ſiniſtra tute quem vides:
» Herique villulam, hortulumque pauperis,
» Tueor: malaſque furis arceo manus.
» Mihi corolla picta vere ponitur:
» Mihi rubens ariſta ſole feruido:
» Mihi virente dulcis vua pampino:
» Mihi glauca duro cocta oliua frigore:
» Meis capella delicata paſcuis
» In vrbem adulta lacte portat vbera:
» Meiſque pinguis agnus ex ouilibus
» Grauem domum remittit aere dexteram:
» Tenerque matre mugiente vaccula
» Deûm profundit ante templa ſanguinem.
» Proin viator hunc deum vereberis:
» Manumque ſeorſum habebis: hoc tibi expedit.
» Parata namque crux eſt arte mentula:
» Velim pol inquis. at pol ecce vilicus
» Venit: valenti cui reuulſa brachio
» Fit iſta mentula apta claua dexterae.

Cogitent igitur quaeſo docti viri, & qui tritas habent aures legendis ſcriptis huius poëtae, candoreque Latini ſermonis notando, an ſine cauſa temereque ita exiſtimarim. nam, quod ſingulis paene verbis, quae rem ſignificant, epitheton adiungit, quod aut ornet, aut oſtendat vim proprietatemque ipſius, hoc valde peculiare eſt Veronenſis poëtae. Apparere vero in humili hoc argumento, doctrinam ſtudiumque Catulli perſpicuum eſt. Quamuis autem illo ipſo genere numerorum compoſitum non ſit, quod in primis conueniebat Priapo (ex iambis enim conſtare hoc carmen apertum eſt) quoque alterum illud confectum eſt, hoc nihil valet ad probandum Catulli non eſſe: variis namque generibus numerorum, & ipſe delectabatur, & in hunc deum verſus pangi ſoliti erant. Malas autem manus furum videtur appellaſſe, quae obeſſent ac damni aliquid doloriſque importarent. vt Plautus in Perſa.
» Vomica eſt. preſſare parce. Nam vbi quis mala tetigit manu, dolores cooriuntur.
Sed etiam Virgilius malam falcem vocauit noxiam. quod vero antea in verſiculo xvij. ſurſum legebatur, arbitratus ſum ſorſum pro ſeorſum legi debere. vt apud Lucretium quoque in iij. libro.

» At neque ſorſum oculi: neque nares: nec manus ipſa
» Eſſe poteſt anima: neque ſorſum lingua: neque aures
» Auditum per ſe poſſunt ſentire, neque eſſe.

ita namque in ſcriptis calamo libris inuenitur.

Falſo nunc exiſtimari Ariſtotelem auctorem libri περὶ κόσμου ad Alexandrum: viderique id opus eſſe Nicolai Damaſceni, magni peripatetici.

CAP. XIII.

LIBER, cuius index eſt περὶ κόσμου πρὸς Ἀλέξανδρον: falſo nunc Ariſtotelis eſſe creditur: id autem multis modis intelligitur. nam ratio uiſque tradendi res eas longe diuerſa eſt, ab ea, qua in ſuis ueris ſcriptionibus utitur Ariſtoteles: non pauca enim ita illic commemorata ſunt, ut hiſtoriam potius referre videantur, quam ſubtilem aliquam exquiſitamque rerum explicationem. Praeterea nec Laërtius: nec Graeci interpretes, Stagiritae mentionem eius libri fecerunt. cum ea quae illic exponuntur, oſtendant Ariſtotelem in cunctis ferme ſuis de natura libris tetigiſſe: nec uno opere cuncta complexum eſſe. ut in iij. lib. περὶ οὐρανοῦ, & in prooemio eorum, quos ſcripſit de rebus ſuperis. nam cum a Simplicio ſcriptum ſit Nicolaum Peripateticum de omnibus, quae in mundo ſunt, ſingillatim mentionem feciſſe in libro, qui eum titulum: ut exiſtimare licet, haberet, uidetur hoc teſtimonium ipſius, non tantum falſo auctori alienum librum eripere, ſed ſuo etiam reſtituere. hoc autem ille poſuit in praefatione ſuorum commentariorum in libros Ariſtotelis περὶ οὐρανοῦ. cum uariae diuerſorum interpretum ſententiae forent de ui eius nominis, propoſitoque philoſophi in ea ſcriptione. verba vero ipſius, contra Alexandri ſententiam ea parte differentis, haec ſunt. Ἀλλ' εἴπερ βούλεταί τις τὴν Ἀριστοτέλους περὶ κόσμου διδασκαλίαν ἰδεῖν, ἐν πᾶσι μὲν ἐμοῦ ταῖς φυσικαῖς αὐτοῦ πραγματείαις περὶ κόσμου πραγματευόμενος φαίνεται. Διὸ καὶ Νικόλαος ὁ περιπατητικὸς περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ κατ' εἶδος ποιεῖται λόγον. Budaeus tamen, qui librum eum in Latinum ſermonem conuertit, deceptus indice ipſo, communem errorem ſecutus eſt. Nicolaus autem patria Damaſcenus fuit: diſciplina peripateticus: quamuis hiſtoriam etiam variam copioſamque ſcripſerit. qui cum Caeſaris Auguſti familiaritate uſus eſſet, domique poſtea uiueret, palmulas nobiles, quae ab ipſo Nicolaij uocatae ſunt, imperatori mittebat: illo enim cibo vehementer delectabatur Auguſtus. quod memoriae prodidit Athenaeus in xiiij. libro δειπνοσοφιστῶν: & Plutarchus in viij. συμποσιακῶν, quaeſtione quarta. qui uidetur potius exiſtimare nomen illis impoſitum a ſimilitudine ſimul eius philoſophi, & colore faciei, quam a ſtudio, quod in illis ferendis ac colendis Nicolaus adhiberet: cum praeter ceteras pulcherrimas poſſideret. unde fortunatiſſimo viro miſſitaret: narrat enim cum imperator eximie hunc philoſophum diligeret, qui moribus ſuauis erat: prolixitate autem corporis gracilis: faciemque idem haberet punicei ruboris plenam, inde maximas pulcherrimaſque palmulas Nicolaos uocaſſe. quod nomen ad ſua uſq; tempora ſeruatum eſſet. Arnoldus autem Arlenius, quem probum & eruditum uirum cognoui, narrauit mihi, dum hic potiſſimum locus excuderetur, Iacobum quoque Tuſanum Luteriae Pariſiorum hunc librum accurate interpretantem, dixiſſe ipſum verum Ariſtotelis partum non eſſe. &, quod hic eſſet elegans copioſumque prooemium: & quod in extremo, auctor eius Platonem [illegible] appellet. cum minime ſoleat ille tam praeclarum teſtimonium doctori ſuo impartiri.

In Graeco quoque ſermone uſurpari ſolitum quiddam, quod apud nos fertur: vimque prouerbij habet.

CAP. XIIII.

QVOD a Graecis antiquitus dicebatur: prouerbiique vim in eo ſermone habebat, τρὶς ἓξ βάλλειν. (dici autem ſolitum erat de illis, qui ſummum inopinatumque bonum conſequerentur) id etiam a nobis vulgo fertur: in oreque eſt omnis multitudinis, cum idem ſignificare volumus: vel potius cum oſtendimus quempiam maximum malum, & quod paene ipſum iam oppreſſerat, euaſiſſe. quamuis non tertia parte totius numeri triplicata id pronuntiemus, ſed integrum illum numerum ponentes, dicamus, trarre diciotto. Intelligitur autem manifeſto in utroq; ſermone id ſumptum ab iactu cuborum, quorum cum latera numeris diſtincta ſint, iactus hic felix ſecundusque, & apud eos erat, & nunc quoq; habetur, quamuis ludendi rationes diuerſae diſſimileſque (ut opinor) fuerint. Graecis verbis prolatum hoc prouerbium inueni apud Aeſchylum in Agamemnone, initio ſtatim eius fabulae: cum ſpeculator, qui poſitus erat, ut obſeruaret ignem editum (id enim ſignum conuenerat inter Agamemnonem & Clytemneſtram Ilij capti) ſublato illo, longeque a ſe viſo, cognouit expugnatam eſſe Troiam: fortunatumque exitum habuiſſe diuturnam illam, moleſtamque ſuam curam laetatur. verba ipſius haec ſunt.

Αὐτός τ' ἔγωγε φροίμιον χορεύσομαι:
Τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι
Τρὶς ἓξ βαλλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.

Declaratio autem haec legitur in antiquo libro. παροιμία τὸ τρὶς ἓξ βάλλειν, ἐπὶ τῶν ἄκρως εὐτυχούντων. Sudas etiam videtur hoc prouerbium intellexiſſe, cum ait. τρὶς ἕξ, νικητήριος βόλος: neq; enim integrum poſuit. quamuis vno plus verbo conſtaret. ſed paulo infra manifeſto hoc docet; teſtimonium enim idem Aeſchyli citat.

Mos veterum explicatus, ſortes in vrnam, aquae plenam, coniiciendi: & ex qua materia ipſae fierent declaratum.

CAP. XV.

IN ſortiendo veteres adhibere ſolitos aquam: e vaſeque pleno eius humoris ſortes ipſas ducere, Plautus in Caſina indicat: qui ſenem illum virginis amatorem, poſtquam quod cupiebat impetrare a ſeruo non potuit, inducit ita loquentem; ſortique rem totam permittentem. Intro abi, atque actutum vxorem huc euoca ante aedes cito. Et ſitulam huc affert cum aqua, & ſortes. & poſt alia in ſcena, cum iam res ipſa ageretur, ſeruus ille, qui dolebat ſe pelli ab illis nuptiis: metuebatque ne fraus aliqua ſubeſſet, ita cum ero loquitur. mane. vnum venit in mentem modo. Vide ne qua illic ſit alia ſortis ſub aqua. pauloque infra idem; quia enim metuo, ne in aqua ſumma natet. nam ſuperiore verſiculo e qua materia ſortes ipſae fieri ſolitae eſſent declaratur: inquit enim ſeruus idem. num iſta aut populna ſors, aut abiegna eſt tua. Pauſanias autem in Meſſeniacis docet e terra quoque aliquando illas conformatas. vnde Creſphontes, qui in diuiſione Peloponneſi Meſſenium agrum ſibi contingere cupiebat, cum ſorti res tradita eſſet, dolo eſt vſus: impoſuitque Ariſtodemi fratris filiis, corrupto Temeno, ſibique conciliato, cuius fidei res commiſſa erat: ille namque in ſitulam (hydriam ipſe vocat) in qua erat aqua, coniecit ſortes ipſas, & Ariſtodemi liberorum, & Creſphontis, cum pepigiſſent inter ſe primos eos partem capere, quam vellent, quorum ſors prior duceretur. quae ab illo ipſo fabricatae forent. ipſe autem Ariſtodemi liberis ſortem e terra, ſole arefacta, fecerat; Creſphonti vero igne cocta. quare altera liquefacta, Creſphonti optio data eſt ſumendi quod volebat: atque dolo hoc ille Meſſenia terra potitus eſt. Hoc autem, quod commemoraui de poſteris Herculis, tetigit etiam poëta in ea fabula, cum riuales ſeruos, concertantes inter ſe: mutuoque ſibi ita maledicentes, induxit. Vtinam tua quidem, ſicut Herculis praedicant, Quondam prognatis, ita in ſortiendo ſors delicuerit, Tu vt liqueſcas ipſe actutum virgis calefacto aere.

Signa quaedam inſaniae, quibus vtitur apud Plautum medicus, declarata.

CAP. XVI.

IDEM facetus comicus, in cuius ſalibus exiſtimandis accedo potius ſententiae veterum ingenuorumque Romanorum, quam Flacci, Venuſini hominis ac libertino patre nati, in Menaechmis, vbi inducit medicum percunctantem Menaechmum, quem inſanum putabant; interrogationibuſque elicere ex illo volentem, an vera illa inſania foret, notarum quarundam mentionem fecit, quibus ille morbus intelligeretur. reſpondet autem interrogatis ipſius lepide, falſo creditus furioſus, ac nihil minus quam delirio laborans. Dic mihi hoc etiam, ſolent tibi vnquam oculi duri fieri? Quid tu me locuſtam cenſes eſſe homo ignauiſſime? Dic mihi, en vnquam inteſtina tibi crepant, quod ſentias? Vbi ſatur ſum, nulla crepitant; quando eſurio, crepant. Vtrumque autem proprium eſſe eorum, qui atra bile abundant, indicat etiam Ariſtoteles in erudito illo, eleganti que problemate de atra bile. nam corpore duros eſſe plerumque melancholicos teſtatur: cauſamque affert cur eorum aliqui non duram cutem habeant. &, quod ad alterum ſignum pertinet, eadem in quaeſtione, & humorem hunc, & temperamentum, πνευματικὰ eſſe inquit: huiuſcemodique crepitus excitare.

Teſtimonio etiam Graeci ſcriptoris declarari, quod memoriae prodidit M. Cicero, magnopere diſplicuiſſe Ariſtoteli inſcriptionem ſepulchri Sardanapali.

CAP. XVII.

ACCVSAVIT vehementer Ariſtoteles inſcriptionem ſepulchri Sardanapali, mollis ac delicati nimis regis. declarant autem hoc verba haec Ciceronis e v. libro Tuſculanarum, Quid aliud inquit Ariſtoteles, in bouis, non in regis ſepulchro inſcriberes.

res. Haec habere ſe mortuum dicit, quae ne viuus quidem diutius habebat, quam fruebatur. Sed Athenaeus quoque in viij. libro, id oſtendit: qui alium in eo locum reprehendiſſe grauem philoſophum teſtatur: Cum enim Sardanapalus incidi in buſto hoc etiam voluiſſet. Σαρδανάπαλλος ὁ Ἀνακυνδαράξεω παῖς Ἀγχίαλον καὶ Ταρσὸν ἔδειμεν ἡμέρῃ μιῇ. & quae ſequuntur. (integra autem plenaque inſcriptio eſt, apud Strabonem in xiiij. libro de ſitu orbis) ait Athenaeus, Archeſtratum eiuſdem ſtudij hominem, morumque inſimulans, καὶ μόνος ζηλώσας τὸν Σαρδαναπάλλου τοῦ Ἀνακυνδαράξεω βίον: ὃν ἀναισθητότερον εἶναι κατὰ τὴν προσηγορίαν τοῦ πατρὸς Ἀριστοτέλης ἔφη. neque tamen aut Cicero, aut ipſe, quo in libro hoc fecerit Ariſtoteles: irriſeritque ſtultitiam molliſſimi regis indicauit. nam eodem in loco vtrumque ipſum protuliſſe arbitror. in his certe diuini ipſius ingenij monimentis, quae omnem temporum ſuperiorum iniuriam elapſa, nunc in manibus ſunt, non leguntur. ſtudium autem hoc ſummi philoſophi in vituperando effeminato rege cauſa fortaſſe fuit, cum alij etiam omni memoria opulenti viri extiterint, qui mollitia ipſi non ceſſerint, vt ipſi in primis palma huius rei daretur. nos quoq; patrio ſermone poſt tot ſeculorum ſpatium, in longinqua terra nati, quum quempiam perditum eſſe in his voluptatibus ſignificare volumus, Sardanapalum eum appellamus.

Eodem pacto auxiſſe diuerſae victoriae magnitudinem duos magnos ſcriptores.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP. XVIII.

VOCEM ſimilem Tulliano ἐπιφωνήματι, qua Cicero vſus eſt in xiiij. Philippica, vbi de caede copiarum Antonij: fugaque ducis ipſius agit, edidit Antiochus ille Aſcalonita, familiaris L. Luculli, de victoria eius imperatoris, qua Tigranem, regem Armeniae, ſuperauit: negauit enim pugnae illi ſolem vmquam aliam parem vidiſſe. id autem in libro, quem ſcripſit de diis immortalibus philoſophus ille nobilis poſuit. vt teſtatur Plutarchus in vita L. ipſius Luculli, his verbis. Ταύτης τῆς μάχης Ἀντίοχος ὁ φιλόσοφος ἐν τῇ περὶ θεῶν γραφῇ μνησθεὶς, οὔ φησιν ἄλλην ἐφεωρακέναι τοιαύτην τὸν ἥλιον. Cicero autem rem adhuc magis augens: totoque animo commotus, exclamauit. O ſolem ipſum beatiſſimum, qui, antequam ſe abderet, ſtratis cadaueribus parricidarum, cum paucis fugientem vidit Antonium. In aliis autem multis rebus, quae ſanctitatis plenae, reuocare improbum a ſcelere deberent, cum occultum aliquod facinus moliretur, Solem etiam veteres ponebant, quem nemo fallere poſſet, cum luce ſua omnia perluſtret. Vt Demoſthenes de falſa legatione; in proditores enim publicorum commodorum inuehens, inquit. καὶ οὐκ ἔστι τὸν ἥλιον ᾐσχύνοντο οἱ ταῦτα ποιοῦντες: οὐ τὴν γῆν πατρίδα οὖσαν, ἐφ' ἧς ἑστᾶσιν: οὐ ἱερὰ, οὐ τάφους. & quae ſequuntur: omnium enim horum pudere ipſos oportuiſſe declarat: quae magnam vim habent ab abſterrendis mortalibus ab improbis factis. Sed Creon etiam in Oedipode tyranno, increpans eos, qui adſtabant, quod Oedipum patefactis iam tot ipſius ſceleribus non e medio auferrent. ſi non hominum ipſos puderet, inquit, oportere ſaltem Solis pudere: nec pati ipſum inquinari, qui luce ſua cuncta alit, aſpectu hominis contaminatiſſimi. Verba poëtae haec ſunt. Ἀλλ' εἰ τὰ θνητῶν μὴ καταισχύνεσθ' ἔτι Γένεθλα: τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα Αἰδεῖσθ' ἄνακτος ἡλίου. Ipſum igitur Solem priſci putabant, & rebus hominum honeſtis exhilarari: & eorundem turpibus nefariiſque factis commaculari.

Deleta puſilla macula, quae reſtabat initio V. libri de finibus, cum prius magis adhuc deprauatum locum eum correxiſſet:

CAP. XIX.

OLIM cum operae multum poſui in purgandis auxilio vetuſtorum librorum Ciceronis ſcriptis, exceptis orationibus, locum quoque deprauatum initio v. libri de finibus, ſi non omnino correxi, ſaltem vt facilius corrigi, emendarique poſſet, vno verbo inde eiecto, feci: nunc autem cum videam non nullos ad peruulgatam illam lectionem, merito tunc a me damnatam, rediiſſe, viſum mihi eſt locum eum reuocare, ac quod maculae reſtiterat, delere. Cum igitur antea illic legeretur. Cum audiſſem Antiochum Brute vt ſolebat, cum M. Piſone diſputantem in eo gymnaſio, quod Ptolemacium vocatur. & quae ſequuntur, ſuſtuli tunc ex hac ſententia, verbum diſputantem: quod in nullo calamo exarato libro inueni: nec mihi illic quadrare viſum eſt: ſignificat enim ſe & M. Piſonem audiſſe philoſophum Antiochum locum aliquem philoſophiae tractantem, & copioſe de illo diſſerentem: non narrat audiſſe ſe ſummum philoſophum cum homine R. de philoſophia in celebri illo loco diſputantem: infra enim quoque inducit M. ipſum Piſonem ſe

excuſantem

exruſantem, quod illic, quamuis vacuus ab interuentoribus locus eſſet, cum ſuis hominibus tamquam philoſophus diſputaret: affirmantemque, ſiquis etiam deus dixiſſet, numquam ſe putaturum fuiſſe, vt in Academia diſputaret. Ita autem Cicero ſaepe locutus eſt. vt in primo horum librorum. Atque eos, quos nominaui, cum Attico noſtro frequenter audiui. ideſt comite Attico. Vetere igitur facto meo iam confirmato, addam nunc quid notae reſtare putem, ſententiam inquinantia: ſuſpicor enim legi debere, extrema tantum eius verbi littera commutata, ſolebam. pro ſolebat. vt dicat, ſe, ſocium habentem eius ſtudij M. Piſonem, audiſſe tunc Antiochum, quod ipſe crebro factitare conſuerat: neque enim in hoc, vt in ſuperiore caſtigatione, mecum habeo ſcriptos libros, eorumque teſtimonio fretus, ita legi debere affirmo, ſed tantum coniectura ductus, hoc admoneo. Gymnaſij autem huius, ita a conditore Ptolemaeo Aegypti rege vocati, mentionem quoque Pauſanias fecit in Atticis, qui non valde remotum a foro ipſum fuiſſe tradit.

Naturae aptum & accommodatum quum dixit Cicero: nec non, quod per ſe appetitur, intellexiſſe πρῶτον οἰκεῖον, & ὀρεκτὸν a Graecis vocatum.

CAP. XX.

M. Cicero in eodem libro de finibus cum inquit. Nam, quum omnis haec quaeſtio de finibus, & quaſi de extremis bonorum & malorum, ab eo proficiſcitur, quod dicimus naturae eſſe aptum & accommodatum: quodque ipſum per ſe primum appetatur. & quae ſequuntur. expreſſit pluribus verbis, quod Graeci Peripatetici πρῶτον οἰκεῖον, & πρῶτον ὀρεκτὸν dicere conſuerunt: quibus etiam verbis vtitur Alexander Aphrodiſienſis accurate, ſubtiliterque in quaeſtione quadam, de hac re diſſerens, ac totum denique locum explicans. eius autem quaeſtionis inſcriptio haec eſt. τῶν παρὰ Ἀριστοτέλους περὶ τοῦ πρώτου οἰκείου. nam, quod ſupra Cicero, hoc ipſo in libro, dixerat. Totius enim quaeſtionis eius, quae habetur de finibus bonorum & malorum, quum quaeritur in his quid ſit extremum & vltimum, fons reperiendus eſt, in quo ſint prima inuitamenta naturae. quo inuento, omnis ab eo quaſi capite, de ſummo bono & malo diſputatio ducitur. μεταφορικῶς fontem, in quo ſint prima inuitamenta naturae dicens, πρῶτον οἰκεῖον hoc intellexit: idem enim etiam elegans eruditusq; interpres, non longe ab initio eius quaeſtionis, idem protulit his verbis. ὥστε εἰ ἔστιν ἔσχατόν τι ὀρεκτὸν, ἔστι τις τούτου ἀρχή: ὃ καὶ πρῶτον οἰκεῖον καλοῦσι. τοῦτο δὲ τὸ πρῶτον οἰκεῖον ζήτησαι τί ποτέ ἐστι παρὰ τοῖς φιλοσόφοις: καὶ οὐ ταὐτὸν πᾶσιν ἔδοξεν. ἀλλὰ σχεδὸν κατὰ τὴν τοῦ ἐσχάτου ὀρεκτοῦ διαφορὰν καὶ ἡ περὶ τοῦ πρώτου, τοῖς περὶ αὐτοῦ λέγουσι, γέγονε: & quae ſequuntur, valde Ciceronis explicationi conuenientia.

Integer ſanguis a Virgilio Plautoque dictus iis eſſe, quos validos florenteſque viribus oſtendere voluerunt: eleganſque locus Aeſchinis oratoris indicatus, quo ſanguine carere Demoſthenem dixit, cum ignauum eum ac nullius animi, oſtendere vellet.

CAP. XXI.

Vt integrum ſanguinem in oſtendenda firma aetate validaque Virgilius appellauit: ita enim fecit Anchiſem cum filio loquentem, cum conſilium illius reſpueret: affirmaretque ſe patriae nullo modo ſupereſſe velle. Vos o quibus integer aeui Sanguis ait, ſolidaeque ſuo ſtant robore vires, Vos agitate fugam. Sic Plautus, cum Demiphonem ſenem in Mercatore induxit peccatum ſuum falſa ratione defendentem: vitam enim ſe velle colere oſtenderat, quae illi aetati turpis eſt: in adoleſcente autem veniam inuenit. inquit igitur. Nam hanc ſe bene habere aetatem nimio eſt aequius: Adoleſcens quom ſis, tum quom eſt ſanguis integer, Rei quaerendae tunc conuenit operam dare. & quae ſequuntur. Quaerendum autem eſt, an eo ſermone copiam ſanguinis ſignificare voluerint: ſiue potius ſincerum illum ac purum. nam integer etiam puruſque ſanguis vires adiuuat: contraque deprauatus humor ille, vitioſuſque, imbecillum hominem reddit: eorum autem, qui in flore ſunt aetatis, ac firmum corpus habent, ſanguinem meliorem eſſe: ſenum autem peiorem, teſtatus etiam eſt M. Varro: cuius e libro de liberis educandis exemplum hoc ſumpſit Nonius. Eam nutricem oportet eſſe adoleſcentem: anuis enim, vt ſanguis deterior, ſic lac: lac enim (vt quidam dicunt phyſici) ſanguinis ſpuma eſt. Idem etiam comicus plenum ſanguinis dixit, cum (vt opinor) ferum iracundumque intelligeret: ita enim in Bacchidibus induxit Lydum ſtomachantem, cum vidit diſcipulum corruptum,

» ptum, ac malum ſibi minantem. Nil moror diſcipulos mihi eſſe tam plenos ſanguinis: Va-
» lens affligat me nunc iam vacuum virium. Modus autem loquendi frequens eſt apud Grae-
» cos. nam Plato etiam in viij. libro de legibus, inquit. τάχα δ' ἂν ἡμῖν τις ὑπεραχής, ἀνὴρ σφο-
» δρὸς καὶ νέος, πολλοῦ σπέρματος μεστός, ἀκούων τιθεμένου τοῦ νόμου, λοιδορήσειεν ἄν. plenum enim ſeminis
intellexit, feruéſcentem aetate, abundantemque humore, ad procreandum facto. Quod ve-
ro valet ad confirmandum, non paruam vim ſanguinem habere ad animum vireſq; addendas,
Aeſchines improbam vocem contumelioſamque Demoſthenis, in fortiſſimum adoleſcentem
Alexandrum Macedonem, Philippi regis filium, iactam refellens, ſanguine penitus carere illum
ipſum dixit, timidum ac nullius animi ſignificare volens. Demoſthenes enim, cum paulo
antea regnum Alexander adeptus eſſet, dicere in contionibus conſueuerat, eum e Macedonia
pedem non elaturum, cum domi amplexatus eſſet otium: delectareturque ibi delicatis deam-
bulationibus, velletque longe a periculis bellicis abeſſe. atque id ſe affirmabat non coniectu-
ris quibuſdam ductum proferre, ſed certo tenere. cum virtus gloriaque ſanguine emeretur:
pati enim non potuit Aſchines eum ſanguinis, in altero falſo accuſando, mentionem facere
qui ipſe penitus illo deſtitutus eſſet. Verba ipſa oratoris Graeca, cum locus praeclarus ſit,
» ponam. ἀπετόλμα δὲ λέγειν ὡς οὐ κινηθήσεται ἐκ μακεδονίας· ἀγαπᾶν γὰρ αὐτὸν ἔφη ἐν πέλλῃ περιπα-
» τοῦντα, καὶ τὰ σπλάγχνα φυλάττοντα. καὶ ταυτὶ λέγειν ἔφη οὐκ εἰκάζων, ἀλλ' ἀκριβῶς εἰδὼς ὅτι αἵματός ἐστιν
» ἡ ἀρετὴ ὠνία· αὐτὸς οὐκ ἔχων αἷμα.

Qui ab Ariſtotele traditus eſt fuiſſe ita hebeti oculorum acie, vt ante oculos ſemper imaginem ſuam cerneret; & tamquam ſibi ipſi occurreret, non fuiſſe Antipherontem Oritem vt putatur.

CAP. XXII.

IN iij. libro de rebus ſuperis Ariſtoteles, vbi de arcu, quem Graeci ἶριν, vo-
cant, diſſerit, cum reflexum quendam eum eſſe antea dixiſſet, qualis reflexus
ſit, quomodoque fiat poſtea declarans: nec non qua de cauſa omnes ipſius euen-
tus gignantur docens, tradidit ab omnibus rebus laeuibus reflecti oculorum
obtuitum manifeſto intelligi. In quibus ſunt & aër, & aqua. reflexum autem
ab aëre conflati non ſemper: verum cum ille tantum denſus fuerit. quamuis ſaepenumero
etiam ſine vlla aëris coagmentatione propter alicuius imbecillitatem viſus reflexus hic excite-
tur, quo vitio affirmat quendam laboraſſe, qui hebeti oculorum acie premebatur: nec acute
videbat: ſemper enim ſui ipſius ſimulacrum praecedere videbatur cum ambularet. quod ta-
men conuerſum ipſum ſpectaret. cuiuſmodi e ſpeculis imagines redduntur. non tamen illic
Ariſtoteles nomen eius poſuit, quamuis huius morbi cauſam ſtatim accurate afferat. Inter-
pres vero eorum librorum, ſiue paraphraſtes, qui nunc vulgo Alexander Aphrodiſienſis fuiſ-
ſe putatur, falſo vt multis coniecturis intelligere licet, narrat aliis in libris Ariſtotelem nomi-
ne ipſum appellaſſe: vocatumque eum dixiſſe Antipherontem Oritem. vnde nunc ſine vlla
dubitatione Antipheron fuiſſe creditur, qui tam tenui & infirma oculorum acie propter mor-
bum fuerit, vt propinquus etiam aër illi pro ſpeculo fuerit: nec trudi ab eo expellique potue-
rit, vt ab aliis remotus magno interuallo ac denſus. Ipſe ſane affirmarim nuſquam hoc apud
hunc auctorem legi. nomen certe hoc ipſum inueni in libro de memoria: loquitur tamen il-
lic Ariſtoteles de ipſo vt de inſano, & qui ea quae viſa forent, facta ob furorem illum putaret.
qui morbus longe diuerſus eſt quare videndum accurate an Pſeudalexander hic deceptus ſit:
peccaritque in hiſtoria: neq; enim cuncta quae tradunt veteres interpretes firmiter credenda:
neque tanti auctoritas eorum habenda vt labentes etiam ipſos in aliqua re ſequamur. Verba
» Ariſtotelis eo loco haec ſunt. Γίνεται δὲ καὶ τοὐναντίον, οἷον συνέβη Ἀντιφέροντι τῷ ὠρείτῃ καὶ
» ἄλλοις ἐξισταμένοις· τὰ γὰρ φαντάσματα ἔλεγον ὡς γενόμενα καὶ ὡς μνημονεύοντες: τοῦτο δὲ γίνεται ὅταν τις
» μὴ εἰκόνα ὡς εἰκόνα θεωρῇ. Vnum igitur inſanorum ipſum fuiſſe vult: atque animo ille imbe-
cillo, non oculis fuit. hoc autem errore ipſos duci declarat quoque Cicero in ij. Academica-
» rum quaeſtionum, vbi copioſe de hoc diſputat ſumpto inde initio. Quid loquar de inſanis?
» qualis tandem fuit affinis tuus Catule Tuditanus? Quiſquam ſaniſſimus tam certa putat quae
videat, quam is putabat, quae videbantur. Ecce autem aliae alterius interpretis Graeci ine-
ptiae: Olympiodorus enim inferior multo ſuperiori diligentia & eruditione, nomen illius
fuiſſe idem tradidit: patriam immutauit: Tarentinum enim illum facit: affirmatque in libris
ſuis de moribus Ariſtotelem ipſum nominaſſe, qui ita oculis affectus fuerit. quod liquido ina-
ne ac commenticium eſt, niſi ἠθικὰ aliqua intellexit, quae vetuſtate euanuerint.

Membra

Diſputatur de eleganti translatione, qua Virgilius motum alarum in auibus remigium dixit: oſtenditurque Aeſchylum quoque in tragoedia eandem metaphoram vſurpaſſe.

CAP. XXIII.

REMIGIVM alarum, μεταφορικῶς a Virgilio de Daedalo dictum eſt magnos anctores ſecuto, neque Latinos tantum, verum etiam Graecos. poëtas tamen illos omnes: neque enim inueni ſcriptorem vllum, qui in ſoluta oratione translatione hac vſus ſit. vnde Quintilianus in agendo ſe illam vſurpaturum non fuiſſe tradidit, quum apud poëtam hunc ipſam ſuſpiciat, ac valde ſpecioſam eſſe dicat non primus tamen Virgilius ſimilitudinem harum rerum vidit, & a nauibus ad aues, ac quidquid denique volaret, id nomen traduxit. nam & Lucretius in vi. libro de volucribus ait. Remigio ublitae pennarum vela remittunt: & Plautus in Amphitryone, cum Soſiam ero ſe purgantem inducit, qui putabat ſe caedi quod lente iter feciſſet ⁓ non ocius quiui ſi me Daedaleia tuliſſem remigiis. Sed praeter hos poëtas, quos imitari facile potuit Virgilius, cum eiuſdem linguae eſſent, Aeſchylus etiam in Agamemnone aptiſſime vſus eſt hac translatione, cum primum chorum eius fabulae, ſimili declarantem profectionem Atridarum cum exercitu e Graecia ad Helenam armis recuperandam, induxit ita loquentem. Τρόπον αἰγυπιῶν, οἵ τ' ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων ὕπατοι, λεχέων. Στροφοδινοῦνται πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι. Δεμνιοτήρη πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες. illos enim inquit cum claſſe ad Troiam euntes, ſimiliter feciſſe atque accipitres, qui amiſſis pullis longe a nidis illis ſublime volantes, ac remis alarum remigantes, girum conficiant atque aërem queſtu impleant. vt patet igitur ita egregie Aeſchylus hanc rem tractauit, vt non minus ab eo quam a Latinis, cum Graecos in primis tragicos libenter legeret atque aemularetur Virgilius, id accepiſſe exiſtimandus ſit.

Aliter cepiſſe cubitum Latinos quam πῆχυν Graecos, cum menſuras haec nomina in vtraque lingua valent: notataque alia non nulla, cognitione digna.

CAP. XXIIII.

QVAMVIS Latinis cubitus idem quod Graecis πῆχυς valeret: idem enim corporis noſtri membrum vtroque nomine oſtendebatur, non tamen cum menſuras vocabula haec ſignificabant, eodem pacto ambae hae gentes videntur ſuo nomine vſae: nam Latini cubitum vnum & dimidiatum pedem vocabant, ideſt ſex palmos: vt accurate docuit Vitruuius in iij. libro, cum ait. E cubito enim cum dempti ſunt palmi duo, relinquitur pes, quattuor palmorum: palmus autem habet digitos quattuor. nec non Boëtius in libro ij. de Geometria. Graeci vero πῆχυν menſuram duorum pedum appellarunt, vt teſtatur etiam Suidas. qui inquit. ὁ πῆχυς ἔχει πόδας δύο· ὁ δὲ πούς δακτύλους ις. Cum conueniret igitur ipſis inter ſe in longitudine pedis, diſcrepabant magnopere, ſi quod tradit Suidas verum eſt, in ſpatio cubiti, cum Graecus ita cubitus, πῆχυς ab ipſis vocatus, octo palmis conſtaret: ſex autem Latinus. Videtur autem confirmari id, quod apud Suidam legitur, teſtimonio etiam hoc: quod homini, qui longitudinem corporis immenſam habuit, cognomen inditum eſt πεντάπηχυς: ſi namque πῆχυς ſex tantum palmos Romanos contineret, non eſſet haec menſura corporis inuſitata: vt qui ad eam perueniſſet, dignus eſſet, qui ob nouitatem inde cognomen traheret. huius autem viri meminit Athenaeus in v. libro Δειπνοσοφιστῶν, quo loco narrat, qua ratione Athenio ille, impurus homo, Athenis in concione inflarit plebem, augens verbis res geſtas Mithridatis. a quo legati nomine reuertebatur commemorat enim illic Athenio regem illum in aliis multis, & Q. Hippium proconſulem in vinculis habere: & M' Aquilium, conſularem hominem, qui ex Sicilia triumpharat, eadem cathena cum Baſtarne pentapychi vinctum, ſecum ducere, peditem quidem illum ab equite tractum. Cum autem Baſtarnae natio ſit, arbitror hunc tam longum hominem gentis vocabulo pro proprio nomine appellatum, quum cognomine illo, quo ſignificabatur ſuperare communem hominum ſtaturam, in primis intelligeretur. Verba Athenaei haec ſunt. ἐπιμένειν δὲ στρατηγοὺς μὲν περὶ Μυσίαν αὐτοὺς ὁ ἵππιος παραδοθεὶς ἀκολουθεῖ Νόμιος: Μάνιος δὲ Ἀκύλιος ὁ ὑπατευκώς· ὁ τὸν ἀπὸ Σικελίας καταγαγὼν θρίαμβον, συνδέτην ἔχων ἁλύσει μακρᾷ Βαστάρνῃ πεντάπηχυν, πεζὸς ὑπὸ ἱππέως ἕλκεται. Sed etiam Simplicius in commentariis in Categorias, quo loco interpretatur ſenſum verbaque Ariſtotelis de quantitate, cum quaeſtionem hanc poſuiſſet. quis nam ſit terminus progreſſionis verſus multum & paucum, & verſus magnum & paruum, ita diſſoluens illam, ſingulas formas vna cum ſua proprietate ac quantitate, ſecum ferre menſuram quandam

aptam illi naturae, quae tamen menſura certa non ſit, ſed latitudinem habeat. vt ſi tamen longo interuallo terminus ille tranſeatur, ſiue creſcendo, ſiue minuendo, monſtri loco id habeatur, addidit. vt quae noſtra aetate vixit, mulier natione Ciliſſa, longitudinem quattuor cubitorum habens, & pumiliones, qui omnibus locis naſcuntur: eadem enim ratione, qua Baſtarnes ille prodigij ſimilis fuiſſe exiſtimari non potuit, cum quinque cubitorum eſſet, ſi cubitum illo modo capimus, mulier itidem illa, quae longa quattuor cubitus fuiſſe miraculi loco dicta eſt, vſitatam communemque menſuram mulierum non valde exceſſiſſet. Vnde perſpicitur πῆχυν longiorem menſuram fuiſſe: maiuſque ſpatium loci continuiſſe quam cubitus faceret: &, aut duos pedes valuiſſe, aut aliquam, non parum maiorem vno & dimidio pede menſuram. nam homo qui x. pedum eſſet, non paruo interuallo communem hominum ſtaturam ſuperaret: excederet enim ita aliquantum menſuram quinque brachiorum, vt nos hodie brachium capimus: pes enim ſuperat exiguo interuallo dimidiatum brachium. quare videtur potius πῆχυς menſura brachio reſpondere, quo nunc vtimur vulgo nomine in menſuris. qui namque vir ad longitudinem quinque brachiorum perueniſſet, tam inuſitatamque corporis magnitudinem haberet vt mulier etiam, quae quattuor brachiorum magnitudinem confeciſſet, cum mulieres viris hac etiam parte inferiores ſint. nam, quod Plinius in Aethiopiae quibuſdam partibus commemorat populos eſſe, qui octonum cubitorum eſſe dicantur, fabuloſum habendum. Adnotandum autem in loco, quem ex Athenaeo expreſſi, cum Athenio vocatus ſit, qui ſeditioſa oratione: aptaque ad plebem concitandam, auctor fuit Athenienſibus, vt ſe ad Mithridatis amicitiam applicarent, eodem etiam nomine appellatum fuiſſe ducem fugitiuorum: cuius Cicero in epiſtola quadam ad Atticum meminit, ſigniferum illum vocans: & Aſconius in iiij. in Verrem. Appianus praeterea in libro de bello Mithridatico, quo loco Fimbriae exitum exponit: tradit enim exercitum Syllae, iratum magnopere illi, & deſpicientem ipſius copias, cum caſtra Fimbriae circundediſſet, maledicta multa & conuicia in eum ieciſſe: in aliiſque Athenionem ipſum vocaſſe, qui Athenio vt narrat, dux fuerit fugitiuorum in Sicilia ſpatio paucorum dierum. Sed etiam animaduertendum hunc ipſum, quem Athenaeus: ſiue Poſidonius (a Poſidonio enim totam illam accuratam narrationem ſumpſit, vt teſtatur, Athenaeus) Athenionem vocat, appellari a Plutarcho in Sylla: & ab Appiano in eodem libro, Ariſtionem, cuius nominis diuerſitatis in eadem perſona appellanda, cauſam hanc eſſe puto, vt poſteriores hi Graeci, rerum R. auctores, ſuo proprioq; nomine ipſum vocarint, quod aut ipſi puero impoſitum ſit, aut ſibi ille poſtea aſciuerit ad tegendas natalium ſordes: Athenaeus vero a parentis nomine, vnde procreatus eſſe exiſtimatus ſit: cum enim infimo loco natum eum oſtenderet, tradidit Athenionem quendam, qui Erymnei peripatetici ludum frequentabat, ancillam Aegyptiam emiſſe, ex qua, ſiue e domino, ſiue ex alio quopiam praegnante, natus hic ſit, cognominis ero, Athenion: a matre autem ille educatus, cum litteras didiciſſet, lenem iam eum cum ipſa fouit. Cuius etiam mortui heres, aſcriptus ciuis Athenienſis factus ſit. Repugnat etiam, quod cum ſectam peripateticorum ſecutum eum indicet Athenaeus, Appianus commemorat ipſum decreta Epicuri probaſſe. vt qui lectaſſe vitam potius, moreſque ipſius ſpectarit (nam ſimul ſaeuus ac mollis fuit: voluptatibuſque magnopere deditus) quam vnde accepiſſet diſciplinam, & familiares ipſius: vſus enim eſt Athenio in rebus agendis opera Apellicontis Teij, qui bibliothecam Ariſtotelis & Theophraſti, poſſedit: & in iiſdem ſtudiis cum ipſo verſatus eſt.

LECTORI HORVM LIBRORVM:

VOLO tibi lector optime, quae fuerit origo ſcriptionis huius aperire: atque omnem denique conſilij mei rationem, ſi quid hoc quoque ad rem pertineat, exponere. Cum diligenter olim legiſſem principes quoſque Latinae linguae auctores, & in legendo plura notaſſem, quae aut expreſſa de Graecis ſcriptoribus videbantur, aut eorum doctrina poterant adiuuari, & non mediocriter (niſi fallor) illuſtrari: ſemper enim putaui ſingulas res veteres Graecos auctores, & inueniſſe ſubtilius, & explicaſſe accuratius; vt alia etiam

quae

quae non ſatis erudite ab interpretibus fuerant declarata: non pauca itidem negligentia librariorum contaminata: ſiue a peruerſis quibuſdam correctoribus, dum emendare voluerint, deprauata, hortatu poſtea amicorum, bonam magnamque partem horum collegi, & ne aliquando perirent, non omnino inutiles (vt ipſi aiebant) labores illi mei, in volumen redegi: eundem ordinem, quem olim in notando ſecutus fueram, conſeruans. ſi ordo hic vocari poteſt, cum quidquid animaduerſione dignum offendi, apud diuerſos auctores: variaque etiam in materia; ſeligi, & in commentariis confuſe ſcribis. Studui autem ea potiſſimum e reconditis Graecorum litteris, tamquam e fonte omnium ſcientiarum, haurire, quae ſententiam aliquam Latini ſcriptoris ornarent. nam ſi voluiſſem quaecumque illic abſtruſa, & inaudita fere auribus Latinorum hominum, inueniſſem excerpere, paruo negotio magnum aceruum librorum conſtruxiſſem. ſed mihi ſemper labor hic magna ex parte irritus viſus eſt: excidunt enim cito illa omnia, quae cum Latina doctrina coniuncta non ſunt: nec noſtro alicui, aut poëtae, aut oratori haerent. praeterquam quod cum Graecus ſermo hodie tantopere notus ac diuulgatus ſit, cuncti, qui poſſunt, apud auctores ipſos ea legere malunt, vt non multi ita reſtent, quorum vtilitatibus leuiter conſulitur. Sed cum ſaepe contingat in hoc genere ſcriptorum, ſi prodeſſe ſtudioſis velis, quae prima eſt, veraque cauſa ſcribendi, vt ſententiis aliquorum aduerſeris: doctorum virorum, ac bene de litteris meritorum: quod tamen modice feci, & quanta maxime potui dignitatis illorum habita ratione, nolim mihi iraſci, ſiqui forte adhuc viuunt eorum, contra quorum opiniones diſputaui: nec voluntati meae, nulla ſuffuſae maleuolentia, ſuccenſere: neque enim mihi propoſitum vmquam fuit ex aliorum erratis laudem mihi comparare: quod ſcripta etiam mea, me tacente, declarant: meque hac culpa, ſiquis aequus iudex eſſe velit, facile liberant. nec tamen, cum periculoſa ſit, & huic malo expoſita, haec ratio ſcribendi, deprecari hoc nunc inutile eſſe: alienumque ab officio meo putaui. Praeterea cum, quamuis ſatis magnum volumen effecerim, & quod non nullis fortaſſe prolixum ac nimis longum videatur, loci tamen adhuc non pauci mihi reſtent, qui non inſulſe animaduerſi (vt opinor) ſunt: videamque etiam me plures alios inuenturum, ſi per valitudinem licebit, quae vt firma olim vegetaque fuit, ita nunc aliqua ſui parte laborare coepit: ſiue hoc aetas iam ingraueſcens facit: ſiue potius aſſiduus labor ac vigiliae, quae quoduis corporis robur frangere debilitareque poſſunt, polliceor me rurſus huiuſcemodi aliquod volumen confecturum: praeſertim ſi eruditi viri, ac ſtudioſi bonarum artium, aequi bonique labores hos meos fecerint: nec inanes eos eſſe, fruſtraque ſuſceptos, exiſtimauerint.

FERDINANDO MEDICI
S. R. E. CARDINALI.

Petrus Victorius S. P. D.

QVANTOPERE te ſemper dilexerim ſumme antiſtes (liceat aetati meae ita te alloqui) & vt toto pectore laudi honorique tuo, vt debebam, fauerim, ſciunt plures amici mei, & familiares etiam quidam tui: nec tamen ante hunc diem vmquam ſtudui, vt hic meus praeclarus animus erga dignitatem tuam, vel potius obſeruantia & cultus neceſſarius, vulgo intelligeretur: atque ad aures multarum gentium perueniret; in quo ego fortaſſe reprehendendus ſum, & profecto graui culpae affinis forem, niſi tacitus ſaepe mecum de tuis eximiis naturae bonis cogitaſſem: & in omni etiam ſermone, quem habui cum grauibus & honeſtis viris, ipſa valde celebraſſem: aut ſi partes animi tui, ſingulareſque ingenij dotes praeconio meo egerent, quod prorſus nullam in partem exiſtimandum eſt. Vt tamen opinionibus hominum ſeruiam, & hoc etiam amoris ac beneuolentiae ſignum non patiar diutius in me deſiderari, volui hunc paruum ingenij mei fructum, quem in manibus habebam, ad te mittere atque amplitudini tuae conſecrare. tenue ſane munuſculum: nec ſatis dignum perſona & magnitudine animi tui, paratum tamen illud: & a ſincero animo, cupidoque tuae gloriae profectum. quod ſi maius aliquando aliquid efficere potuero, & longo aſſiduoque labore opus moliri, quod magis conueniat nomini ac dignitati tuae (hoc vero ego omnibus animi corporiſque viribus conabor): illud tuum prorſus erit: & iam nunc ipſum tibi deſpondeo. debere autem me hoc facere, vt quacumque re poſſum, gratus videar erga tuam honeſtiſſimam & ma-

Dd ximc

xime illuſtrem omnibus modis familiam, perſpectum mihi & exploratum eſt: in quo ſane officio meo numquam ceſſaui. teſtantur hoc ingenij mei monimenta, miſſa ad optimum & omni virtute inſtructiſſimum patrem tuum. reſtat vt de integro hanc cogitationem ſuſcipiam, & vt feci tunc, ita etiam nunc nouos meos labores, ei perſonae dilargiar, cui, ſi debitum ſpectes, maxime congruere illi & quadrare videantur, quod profecto fiet, ſi amplitudini tuae illos deſtinaro. Poſtulare ſane a me iure optimo poſſes maiora, ſi ego is eſſem qui praeſtare ipſa valerem: vtinam autem ego tam facile inuenire poſſem, quod tibi placeret, dignitatique tuae conueniret, quam ipſa digna eſt ampliſſimo quoque munere. quod eximium ac praeſtans bonum, praeter quam quod proprium tuum eſt, & a natura tua optima proficiſcitur, a maioribus tuis, abundantibus hac laude, accepiſti. quae namque familia hodie eſt, quantum vis illuſtris ac clara, quae magis ſtudia bonarum artium amarit, & plura maioraque, captis amore ipſorum, auxilia ſuppeditarit. & cum omnes hoc vno paene tenore antiquitus fecerint, in primis in ipſo multas curas conſumpſerunt, qui perſonam iſtam ſanctiſſimam, & omni veneratione digniſſimam ſuſtinuerunt. nec tamen tam longe tibi ducenda eſt haec virtus: propinquiora enim huius domeſticae laudis exempla habes: quis enim neſcit patrem tuum, optimum & ſapientiſſimum principem, in hanc curam ſtudioſe incumbere: egregiamque illam ſupellectilem librorum, quam e ferro & flamma Graeciae eripuerunt veteres illi COSMI ac LAVRENTII, diuulgare & publicis vſibus exponere feſtinare. veſtigia ſane non parua reſtant huius egregiae voluntatis, quae viguit in CLEMENTE VII. Pont. Max. aedificabat enim ille, grandi impenſa in ea re facta, magnificentiſſimam bibliothecam. maius tamen mihi beneficium videtur, magnam vim librorum vndique corrogare, quod ſedulo ardenterque pater tuus facit. quam infinitum ſtudium & operam in parietibus ornandis collocare. praeter quam quod in hoc etiam non patitur ille ſtudium ſuum ac magnitudinem animi deſiderari. & quae inchoata ab eo imperfectaque relicta fuere, abſoluit, & ad ſuum nitorem integritatemque perducit. Nam illud quale quantumque huius generis donum fuit, quod libros pandectarum, collatos diligenter a docto & accurato viro, cum vetuſtiſſimo illo ac fideliſſimo exemplari, quod in vrbe noſtra, tamquam Palladium, merito cuſtoditur, curauit excudendos: atque ita iuris interpretes magnis curis ſollicitudinibuſque liberauit: omnemque caliginem ex illo praeclaro opere, & vnde vitam honeſtam tutamque ab omni iniuria ducimus, diſcuſſit. neque hos tantum vndique expolitos ac perfectos, verum etiam alios, qui ad eam diem in tenebris iacebant, & aut diſciplinam Chriſtianam, aut ingenuas aliquas ar-

tes tradunt, diuulgauit. Hunc igitur, vt imitere oportet, qui te vehementer amat, & ex cuius ſanguine primum ortus es, quem omnes alieni etiam, properantes ad laudem, exprimere conantur. Omitto autem nunc maiores ipſius virtutes, & ampliora facta, quae tamen te ſemper ante oculos propoſita habere & aſſidue cogitare, eſſe tibi quoque in vita reddenda, exploratum habeo: maneoque totus in eo argumento, quod ab initio ſumpſi, explicando: id eſt in te ad ſtudia optimarum artium fouenda, cohortando. quae tibi honori erunt: viamque munient ad gradus illos honoris adipiſcendos, quos, partos non ſemel a tuis maioribus, potes tibi non ſine cauſa, niſi tibi defueris, polliceri, quod certe abeſt ab induſtria in omni re ac ſedulitate tua. Habes domi tuae Antonium Angelium, vel potius aſſiduum comitem: ipſum enim numquam a latere tuo diſcedere video, ex qua ſane ego re magnam capio voluptatem: habes inquam Antonium, qui te a pueritia erudiuit, optimum quidem illum & doctiſſimum virum: non temere hoc dico: ſcioque praeclare quae vis ſit horum verborum: & tamen iterum idem dico: doctrinaque ac probitate neminem ſuperiorem eſſe affirmo. ipſum igitur, mirum in modum inflammatum amore tuae laudis, eadem tibi cotidie decantare ſcio: & non fruſtra ſane hoc facere compertum habeo: iam pridem enim ad laudem & dignitatem omnes tuas curas cogitationeſque conuertiſti. Vellem vt aliquid in me poſitum foret, quod multum ad hoc praeclarum opus efficiendum valeret, illud profecto tibi praeſto ſemper eſſet, atque vtilitatibus tuis commodiſque pareret: quidquid certe ego ſum, & quantum cunctis ingenij viribus valeo, ipſum in tua manu ac poteſtate totum ſitum eſt. magnique ſemper beneficij loco aeſtimabo, ſi ipſo vti ad honorem tuum gloriamque augendam volueris. Sed ego abreptus ſplendore veſtrae opulentiſſimae domus: delectatuſque ſermone, quem mihi tecum omni hoc tempore habere viſus ſum, paene oblitus fui, quod oportebat, aliquid de hoc meo libro, vtilitateque, quae inde capi poteſt, loqui. quare nunc id paucis attingam: arbitror enim genus hoc ſcriptionis nullo modo contemnendum. primum autem varietas, quae in omni re mortales plurimum capit, non ſine cauſa placere in ipſo debet (vnde fuere olim, qui huiuſcemodi libellos de varia hiſtoria inſcripſerunt) vt recitatio etiam quarundam antiquarum hiſtoriarum: nec non lepidarum fabellarum. praeterea quaeſtiones aliquas obſcuras & perdifficiles, quae in ſcriptis poëtarum atque elegantiſſimorum auctorum exoriuntur, tangere atque eas pro viribus diſſoluere, non ingratum neque inutile debet putari. Eodemque pacto locos multos veterum illorum ſcriptorum, aut perperam acceptos ab iis, qui interpretari voluerunt, declarando; aut alios in iiſdem contaminatos emendando, quique paſſim cor-

rupte leguntur, & perturbant magnopere accuratos lectores, liberare ipſos ea moleſtia, non poteſt non placere: nam qui vellet ſtatim vt cognoſcit interpretem aliquem alicuius nobilis auctoris duobus tribuſue in locis explicandis lapſum eſſe, rurſus plenos in ipſum commentarios conficere, magnum laborem ſuſciperet, nec vnus tam arduum opus ac tantarum vigiliarum abſoluere atque ad exitum perducere poſſet: & tamen locos illos peruerſe declaratos, aut turpibus maculis inquinatos, perpetuo iacere, rectum non erat. Nolo etiam omittere, quin oſtendam, in quo praeterea me arbitror ſtudioſis harum litterarum plurimum profuiſſe: dedi enim operam, vt ſententias multas, quas Latini oratores ac poëtae e Graecis oratoribus ac poëtis expreſſerunt, vnde illae acceptae forent, indicarem: praeſertim autem quae a principe omnium poëtarum Homero, qui tamquam facem reliquis praetulit, & rectum iter ipſis ambulandi per florentiſſimos & amoeniſſimos muſarum campos demonſtrauit, illi ſumpſere, patefacerem: atque id non vt Latinorum honorem famamque minuerem, ſed vt diligentiam eruditionemque ipſorum aperirem. Haec igitur (niſi fallor) non paruos fructus ferre lectoribus harum ſcriptionum queunt: & me etiam, vt ſubirem libenter hoc onus, impulerunt. Vale. Florentia. xiiij. K. Ian. CIↃ IↃ LXVIII.

INDEX

INDEX EORVM, QVAE SINGVLIS CAPITIBVS CONTINENTVR.

LIBRI XXVI.

ILLVSTRATIO *loci Virgiliani e ix. libro Aeneidos. cap. primum.*

Correctus coniectura locus in i. libro ἠθικῶν ad Eudemum. cap. ij.

Collatus Salluſtij locus, cum duobus, idem narrantibus, Graecorum ſcriptorum locis. capit. iij.

Confirmatum auctoritate Graecorum, quod Cicero inquit, fuiſſe Demoſthenem auditorem Platonis. cap. iiij.

Virgilium inducere Amatam reginam a definitione argumentantem, cum docuit Turnum non eſſe repudiandum generum. cap. v.

Emendatus, & explicatus locus in epiſtola quadam ad Atticum. cap. vi.

Collata M. Ciceronis, plena animi, ſententia, cum Aeſchyli ſententia. cap. vij.

Quod apud Latinos poëtas eſt humectare, videri ἰσο-δραίνειν eſſe apud Graecos. cap. viij.

Euripidis grauis locus, ductus aliquo modo ab Homero. cap. ix.

Collati inter ſe duo elegantes loci, alter Euripidis: Virgilij alter. cap. x.

Diligenter animaduerſa vox Mithridatis, qua L. Lucullum, aduerſarium ſuum, valde commendauit. cap. xi.

Non omnino repugnare, vt videtur, quod dictum eſt, atrum lumen. cap. xij.

Et fumus, & aliae non nullae res celeres, vacuae ab animo, ac paene etiam corpore, dictae a poëtis alas habere. cap. xiij.

Clara ſententia Ciceronis quae ornat ſtudia litterarum, indicata ſumpta eſſe ab Ariſtotele. cap. xiiij.

Monſtratus locus Ciceronis, qui videtur ex Homero expreſſus. cap. xv.

Correctus error Gazae in vertendo problemate Ariſtotelis. cap. xvi.

Indicatus Cicero contra morem ſuum, vſurpaſſe aliquando plenum cum ſexto caſu. cap. xvij.

Illuſtratus locus Aeſchyli, deletis maculis e declaratione ipſius. cap. xviij.

Similes valde monſtrati duo loci duorum magnorum ſcriptorum, quorum tamen alter auctorem citat, vnde ſumptus ſit. cap. xix.

Expoſitum artificium, quo vtitur Homerus in declaranda ignauia Paridis, cum Diomedem percuſſit. cap xx.

Laudatus Charondas νομοθέτης, monſtratuſque locus, vbi ſunt veſtigia quaedam legum ipſius. cap. xxi.

Soluta quaeſtio, quae non ſine cauſa perturbaret quempiam in epitheto Achillis apud Homerum. cap. xxij.

Quid ſuae opinionis ſit de loco Varronis, qui dixit Menedemum Terentianum ſolitum vocari διφθε-ρίαν. cap. xxiij.

Inuentus locus apud Homerum, valde ſimilis Ciceroniano cuidam, ſententiam grauem continenti. cap. xxiiij.

LIBER XXVII.

CORRECTVS *& Explicatus locus Euripidis e Troadibus. cap. i.*

Declaratus locus Ciceronis ex oratione pro A. Cluentio. cap. ij.

Quae vocata ſint olim ἀνακαλυπτήρια, & an dona, quae ſponſae a viro data fuerint, eripi poſtea ipſi, facto diuortio, poſſint. cap. iij.

Valde ſimiles duo loci ſignificati, vnus Aeſchyli: alter Liuij. cap. iiij.

Cur Graeciam κουροτρόφον vocarit Euripides in Troadibus. cap. v.

Diſſentire aliquando inter ſe, in rebus non nullis narrandis, hiſtoriae auctores. cap. vi.

Collatus locus Ciceronis cum loco Demoſthenis, qui tamen ambo ab Aeſchylo videntur expreſſi. ca. vij.

Probatur peccatum eſſe in praenomine clariſſimi viri, in oratione pro Archia. cap. viij.

Videri peccaſſe Ciceronem in vetere hiſtoria tradenda. cap. ix.

Collatus locus Salluſtij, cum loco Xenophontis valde laudato. cap. x.

Exempla plura poſita luminis eius orationis, quod vocatur παρίσωσις. cap. xi.

Explicati tres continentes verſus Menandri, e tertioque mendum coniectura ſublatum. cap. xij.

Declarati, qui vocati ſint ἰνίονοι Heraclidae: locuſque correctus Hecataei apud Longinum rhetorem. cap. xiij.

Declaratum quod abhorret ab opinionibus multorum, multis in rebus ſimilem fuiſſe Socrati Epicurum. cap. xiiij.

Homerum quoque cognoſſe, id quod memoriae prodidit Cicero, quomodo aliquis mederi poſſit, vitiis ſenectutis. cap. xv.

Adumbraſſe Virgilium locum Homericum, in facto illo Niſi, & Euriali exponendo. cap. xvi.

De eadem magna re, eodem pacto ſenſiſſe Herodotum, & Ciceronem. cap. xvij.

Duo Salluſtij loci, ad imitationem Thucydidis prolati, indicantur. cap. xviij.

Defenſus a vitio locus Ciceronis quem nonnulli maculoſum putabant. cap. xix.

Declaratum veteres Graecos, vt nos patrio ſermone facimus, voraces homines notaſſe. cap. xx.

Cur Cicero vocet Venerem improbiſſimam voluptatem. cap. xxi.

Quod fecit multo poſtea imp. Romanus elato animo, feciſſe prius Aiacem Oilei apud Homerum. cap. xxij.

Monſtratam apud Homerum ſententiam Agamemnonis, cui conuenit cum opinione M. Tullij. cap. xxiij.

Αγάλματα vocata a Graecis cuncta, quibus aliquis ſemetipſum ornaret: quaeque in deliciis haberet: cap. xxiiij.

Quaeſitum an Aſius Homericus Niſi Virgiliani fuerit frater. cap. xvi.

Diſputatio de loco Lucretiano, qui videtur culpae affinis. cap. xvij.

Tela in pugna μεταφορικῶς ab Homero dicta (ire) de manibus militum: & eadem a Cicerone cum eodem ornatu, fluere. cap. xviij.

Sententia Ciceronis elegans, concinnaque oſtenditur facta ad ſimilitudinem Graecae vocis. cap. xix.

Vocis, quae vulgo editur, de valde aduerſo proelio, exemplar inueniri apud Homerum. cap. xx.

Exemplum poſitum animaduerſionis Phalerei, de ratione imitandi Homerum, qua vſus eſt Thucydides. cap. xxi.

Quis fuerit qui extenuarit laudem ducum, communicaritque cum omnibus, qui fortiter pugnaſſent, quod obſcure dictum eſt a Cicerone. cap. xxij.

Homines conuictos grauis facinoris, Latinos ſontes, & nocentes, Graecos vero vocaſſe ὦ ἀτιμωρήτους. cap. xxiij.

Illuſtratus Virgilij locus, declaratumque qui ἄχνοτοι vocentur homines, atque aliae animantes. cap. xxiiij.

LIBRI XXVIII.

I*LLVSTRATVS Virgilij locus contra ſententiam Politiani.* cap. i.

Correctus locus Euripidis e Troadibus atque idem explicatus. cap. ij.

Extare exemplum apud Homerum rationis eius, qua vſus eſt C. Caeſar, in caſtigando metu ſuorum militum. cap. iij.

Diſputatio ſubtilis de loco Homeri ex Odyſſea, quem Cicero exprimere voluit. cap. iiij.

Quod verbis rectum eſſe de honore deorum, feſtoque die, humilis perſona apud Aeſchylum dixit, id re grauis vir cuſtodiuit P. Scipio. cap. v.

Declaratus locus Aeſchyli e Prometheo: ſcholionque, quod in ipſum extat emendatum. cap. vi.

Quod Virgilius inquit, Paris alter, videri ad imitationem loci Euripidei prolatum. cap. vij.

Supplicium, quod ſumpſit Agamemnon de hoſte iam mortuo, cum ſaeuum videatur, iuſtam cauſam habere. cap. viij.

Quod poſtea crebro vſurpatum eſt μεταφορικῶς, κείρεσθαι, & quod reſpondet ipſi, tonderi, videri poſſe ortum ab Homero. cap. ix.

Locus ex epiſtola Ser. Galbae valde ſimilis eſſe declaratus Homerico loco. cap. x.

Declarantur qui ſint νόμοι ϑετικοὶ apud Ariſtotelem, oſtenditurque locus vitium non habere, quem tamen quidam mendi inſimularunt. cap. xi.

Deleta macula: ex oratione pro Deiotaro, totuſque locus explicatus. cap. xij.

Legem de non dandis ſepulturae corporibus proditorum, primum latam ab Homero. cap. xiij.

Quod vere Plinius dixit de tempore votorum, prolatum quoque fuiſſe, ac plenius etiam, a Graeco ſcriptore. cap. xiiij.

Eadem laude, maxima illa quidem ac propria vtriuſque populi affeciſſe ſuos ciues, Salluſtium ac Thucydidem. cap. xv.

LIBRI XXIX.

Π*HΔHMA vocatum ab Euripide μεταφορικῶς violentum ſaltum, ſed cum adiuncto nomine, quod rem declaret.* cap. i.

Declaratum certa ratione Aeſchylum fuiſſe valde diſertum, & vberem in ſcribendo. cap. ij.

Qui animum tenerum dicit, quod fecit Homerus, videri dicere eundem mortalem. cap. iij.

Monſtratum exemplum apud Euripidem eius ſermonis, quo vſus eſt Aeolus ad Iunonem, cum ſe totum dixit eſſe in poteſtate ipſius. cap. iiij.

Mentio cruentae illius facis, quam vaticinata eſt Caſſandra, inuenta apud Euripidem. cap. v.

Vt M. Cicero belli os, ita Homerus πολέμοιο στόμα appellauit. cap. vi.

Vetus lectio Ciceroni reſtituta in perbella oratione, & noua commenticiaque inde exploſa. cap. vij.

Motum illum animi, quem ſignificauit Cicero in Catilina exacto. & Virgilius in tauro victo, declaratum extitiſſe in alijs fortiſſimis perſonis. cap. viij.

Indicatus locus T. Liuij grauis, valde ſimilis ſententiae Thucydidis, aetate omni vera cognitae. cap. ix.

Quid document. capiatur ex facto quodam Hectoris Homerici, quod ab imperitis contemneretur. cap. x.

Locus Ciceronis deprauatus e v. Philippica aliter correctus, ac Faernus corrigendum putarit. cap. xi.

Monſtratus locus Ciceronis par, ſimiliſque loco Thucydidis, cum ambo defendant vitam iocundam. cap. xij.

Duo praeclara exempla illius argumentationis, quae vocatur κατὰ συγχώρησιν. cap. xiij.

Translatum verbum eximie ab Homero, in quo etiam manet hyperbole, magis adhuc illuſtrem locum reddens. cap. xiiij.

Signis

Signis quibuſdam declaratum, ſcuta peditum in Graeca, & Romana militia ponderoſa fuiſſe. cap. xv.
Diſputatum de loco quodam in philippica Ciceronis defenſaque communis lectio contra iudicium non nullorum. cap. xvi.
Morderi humum ab his, qui confoſſi vulneribus cadunt, quod tetigit Virgilius, videri acceptum ab Homero. cap. xvij.
Ductum ab Homero, quod celebre eſt Arati, de vicina morte nautarum. cap. xviij.
Quo conſilio vocatus ſit apud Homerum Vulcanus a matre κυλλοποδίων. cap. xix.
Epicurum ſolitum vocare nomina rerum ἀθύγμα, certis teſtimoniis comprobatum. cap. xx.
Videri diſcrimen eſſe, & quidem magnum, inter duo Graeca verba, quae non valde diſſimilia ſunt. cap. xxi.
Vere dixiſſe, periteque Catullum, Theſſaliam gignere magnam vim florum. cap. xxij.
Non poſſe nos honeſte fugere pericula, ſi qua forte ſecum ferunt conſilia, quae reip. dederimus. cap. xxiij.
Demonſtrati duo ſtimuli, qui impellunt milites ad acriter proeliandum, accepti a maximis auctoribus. cap. xxiiij.

LIBRI XXX.

RESTITVTVS locus in epiſtola M. Ciceronis ad Q. Fratrem miſerum in modum deprauatus. cap. i.
Propoſita quaeſtio elegans de noſtro quodam ſermone, quae orta eſt e verſu Catulliano. cap. ij.
Subtiliter diſputatur de voce Menelai apud Homerum, quae ſimilitudinem non paruam habet cum voce Annibalis. cap. iij.
Indicatus Graecus verſus, cuius ſententia ſimilis eſt voci Diogenis, recitatae a Cicerone. cap. iiij.
Inuentus Graecus verſus, qui eam ſententiam continet, quam vulgo prabatam, ferrique ſolitam teſtatus eſt ſeruus Terentianus. cap. v.
Eadem fere fuiſſe inſtituta Troianorum, auctore Euripide, quae fuiſſe Latinorum commemorauit Virgilius. cap. vi.
Quod conſilium fuerit Vlyſſis, cum in deliberatione magna, inquit, videndum eſſe, ne ſententia Agamemnonis perueniret ad aures exercitus. cap. vij
Et Graecos, & Latinos poëtas dicere ſolitos tradi ventis diſſipanda, quae funditus aliqui obliuiſcuntur. cap. viij.
Pares inter ſe olim duo eiuſdem aetatis finitimi reges, in populis, quos regebant, a calamitate liberandis. cap. ix.
Tibiam dictam fuiſſe barbaram erudite a Catullo. cap. x.
Vt defendere pro arcere, ac depellere aliquando ceperunt Latini, ita Graecos vſurpaſſe εἴργειν. cap. xi.
Pudorem, qui parum abeſſe putatur a uirtute, non ſemper prodeſſe. cap. xij.
Videri Ciceronem uerba quaedam aliquando uſurpare, longe alio ſenſu, ac vulgo capiantur. cap. xiij.
Indicati duo Ciceronis loci, qui uidentur ſumpti a Terentio. cap. xiiij.
Quod arguit feciſſe Calenum Cicero demonſtratum itidem Demoſthenem oſtendere Aeſchinem feciſſe. cap. xv.
Coguoſſe peccatum ſuum Sophoclem, quod in optima fabula admiſit, quamuis penitus uitare non potuerit. cap. xvi.
Cum & Graeci, qui in bello Troiano fuerunt, & Catullus, execrati ſint Troicum ſolum, iuſtiorem tanti odij cauſam habuiſſe Graecos. cap. xvij.
Iniuria quadam ſcriptorem ipſorum factum fuiſſe, ut genera ſibi non reſpondeant, quodam loco apud Ciceronem & Ariſtotelem. cap. xviij.
Tres loci emendati ex Ageſilao Xenophontis. c. xix
Signa, quibus intelligatur uirtus oratoris dicturi, expoſita a Cicerone cuncta apparuiſſe Athenis, cum Calliſtratus cauſam nobilem acturus eſſet. cap. xx.
De miniſterijs eunuchorum indicatus Euripidis locus, ſimilis Terentiano. cap. xxi.
Correctus locus in commentarijs de bello ciuili, partim ope antiqui libri, partim coniectura. cap. xxij.
In uite colenda uetus Latinum nomen cuſtoditum, notio tamen ipſius immutata. cap. xxiij.
Videri theatri partem, quae aperta tota eſſet duobus nominibus uocatam. cap. xxiiij.

LIBRI XXXI.

CONFIRMATVM Q. Fabij honeſtum, piumque factum auctoritate Homeri, qui talem, & ipſe finxit in ſimili tempore Neſtorem. cap. primum.
Declaratum in noſtro ſermone idem fere prouerbium eſſe, quod continetur Graeco peruulgato uerſu. cap. ij.
Locum Ariſtotelis coniectura olim a me emẽdatum, nunc teſtimonio auctoris comprobatum. cap. iij.
Reſtituta declaratio Donati Terentiani, quae deprauata, non monſtrabat, quod voluerat interpres, expreſſum fuiſſe locum eum a Cicerone. cap. iiij.
Inuentam apud diuerſos poëtas ſententiam eandem de inuidia, & miſericordia, peruertentibus animos iudicum. cap. v.
Iugum hominum μεταφορικῶς dictum de paribus, ſimilibuſque inter ſe a Latinis, & ζεῦγος a Graecis. cap. vi.
Verſus Euripidis, cuius ſententia vera eſt, & grauis, inuentus apud plures Graecos auctores. cap. vij.
Quae vocata ſit μονῳδία in fabulis ſcenicis. cap. viij
Quid valeat τολμᾶν apud Euripidem: ſimulque rarior modus loquendi declaratus. cap. ix.
De more antiquorum, arboribus agros terminandi: & de oleis, vocatis ab Atticis συχάσι, & μορίαις. cap. x.

Longe

Longe aliter legiſſe Ciceronem verſum Arati, at nũc paſſim legatur. cap. xi.

Explanatus Virgilij locus ope loci Euripidei: hiſtoriaque obſcurior inde eruta. cap. xij.

Teſtimonij auctorum comprobatum, obeſſe in omnibus artibus nimis magnum ſtudium ipſas exornandi. cap. xiij.

Quo ſigno ſcriptores oſtenderent magnam caedem factam eſſe, conuenireque Plutarcho cum poëta noſtro, in re obſcura narranda. cap. xiiij.

Lex Platonis explicata, cretamq; eſſe terrã eam, quã Graeci κέραμον appellant, ſignificatum. cap. xv.

Quod Lacedaemone plenum honoris putabatur, ingenuum hominem artem nullam colere, Athenis legibus vetabatur. cap. xvi.

Et haurire μεταφορικῶς vſurpatum eſſe a Cicerone & verbum quod huic reſpondet a Graecis. cap. xvij.

Euripidis verſum, teſtimonij loco citatum ab Ariſtotele quadam ſui parte magis integrum illic, quam apud auctorem diu ſeruatum. cap. xviij.

De miro quodam Alexandri amore erga Homerum, & ſtudio, quod poſuerat, vt eum poëtam emendatum, & correctum haberet. cap. xix.

De variis vocabulis, quibus appellantur cuniculi apud Graecos, & venatione vetere ipſorũ. ca. xx.

Acuta quaedam ſententia Dantis, & incredibilis, inuenta etiam apud Euripidem. cap. xxi.

Magni quondam piratae, Antiates, coacti deſerere artem a Romanis, rogantibus id diligenter Graecis, honoris eorum cauſa. cap. xxij.

Sublatum mendum e primo libro M. Varronis de re ruſtica. cap. xxiij.

Intemptatum dixiſſe Virgilium imitatione Graecorũ, qui ἀπείρατον omne tale appellabant. c. xxiiij.

LIBRI XXXII.

ERRATVM Theodori patefactum, in vertendo problemate Ariſtotelis. cap. i.

Explicatus accurate locus Ciceronis, initio ij. Philippicae: indicatique pares ipſi duo loci duorum Graecorum oratorum. cap. ij.

Diſputatio de loco Ciceronis, qui ſimulacrum quoddam caeleſte vocat lupam, cum effigies lupae non videatur in ſideribus collocata. cap. iij.

Inuenta apud Homerum locutio frequens in ore medicorum, cunctorumque qui aliquid proprium eius artis praecipiunt. cap. iiij.

Non penitus vere videri praecepiſſe Virgilium de flore Medicae arboris, ſignumque indicatum, quod declarat eam prorſus eſſe, quam citrium vocamus. cap. v.

Vetus quaeſtio de loco Euripidis ex Oreſte renouata: opinioque prior auctoris non negligenter confirmata. cap. vi.

De caſeo, ὀπίᾳ vocato: eundemque ab eadem re, ſed nomine alio nuncupatam, appellatum κράδιν. cap. vij.

Declaratum, M. Varronis locum, nihil ſane vitij continentem, poſſe tamen aliter legi, ex veſtigiis veteris lectionis. cap. viij.

Acutae duae rationes excogitatae ad frenanda furta ſeruorum. cap. ix.

Non habuiſſe veteres Latinos, ut nos habemus duo nomina, quibus oſtenderent in oleis, quod in ceteris ſtirpibus florere vocamus. cap. x.

Emendati duo loci coniectura e libro M. Varronis de villaticis paſtionibus. cap. xi.

Ventidium illuſtrem ducem, qui mulio ab aduerſariis vocatus fuit, uideri Etruſcum fuiſſe. cap. xij.

Ciceronis locus explanatus, quem interpunctiones, non ſuo loco poſitae, perturbabant. cap. xiij.

Mos diſputandi ortus a Chryſippo, cuius meminit Cicero, monſtratus apud Graecos auctores. ca. xiiij

De inſtituto Athenienſium, valde diuerſo a noſtris moribus, in puniendis illis, qui alienam vxorem conſtupraſſent. cap. xv.

Circumuallare apud Terẽtium exprimere, quod Graecis eſt περιχαρακοῦν. cap. xvi.

Indicata duo loca Demoſthenis, quae videntur inter ſe repugnare. cap. xvij

Correctum ſcripturae vitium in commentariis de bello Gallico. cap. xviij.

Defenſa communis lectio in epiſtola M. Ciceronis ad Q. fratrem, a non nullis ſine cauſa inſimulata: eademque explicita. cap. xix.

Non omnes antiquitus principium feciſſe ſignorum enumerandorum arietem, quem tamen ipſorum ordinem eius ſequimur. cap. xx.

Poëtae Graeci quidam, ornare flores volentes, veris filios ipſos appellarunt, alij vero pratorum, ſed alij etiam eiſdem parentes alios dederunt. ca. xxi.

Veterem quandam conduturam olearum, in vſu etiã eſſe apud nos. cap. xxij.

Emendata plura loca in libro Ariſtotelis de admirandis rebus. cap. xxiij.

Confirmata vetus emendatio, quae cum tota nixa fores fide antiqui libri, nunc auctoritate teſtium comprobatur. cap. xxiiij.

LIBRI XXXIII.

CONVENISSE noſtris hominibus in re tenui, & quae cito extinguitur, monſtranda, cum veteribus Graecis. cap. i.

Quaeſtio propoſita de loco Catulli, eademque diſſoluta. cap. ij.

De lingua continenda in ira, quod praecepit M. Ciceru, inuentus itidem Graecus ſenarius. cap. iij.

Quomodo Graeci dicant, quod apud Terentium eſt, ſomnum oppreſſiſſe Pamphilam, cum coepit illa dormire. cap. iiij.

Diſputatum diligenter de lectione verſus Horatiani contra ſententiam non nullorum. cap. v.

Emendatus locus Ciceronis pro A. Cluentio, ſimilitudine etiam Graeci ſermonis. cap. vi.

Defenſa vetus lectio loci Catulliani, quae falſo putata eſt a non nullis corrupta. cap. vij.

Quod Graeci ſaepe dicunt ἔχειν φρένας, Latinos

dicere

dicere vno verbo, ſapere cap. viij.

Similituda oſtenſa, in prouerbiis notandis, Graecorum, & Latinorum. cap. ix.

Vti aliquanda etiam Homerum tenuibus collationibus, ſed mirifice aptis ad res illuſtrandas. cap. x.

Animaduerſum aliter vſurpare Plutarchum hoc verbum χλιδᾶν: ac vulgo ipſum capi ſoleat. ca. xi.

Valde illuſtrem, & expalitum Virgilij locum, expreſſum ab eo fuiſſe ex Homero. cap. xij.

Plura loca poëtae, cuius ſcripta amiſſa ſunt, eruta e veterum commentariis. cap. xiij.

Explanatum a duobus ſummis poëtis ſtudium mulierum, in tegenda ſua fucata pulchritudine. ca. xiiij.

Aratum nau minus imitatorem fuiſſe Heſiodi quam Homeri: quamuis ipſum multum amaſſe Homerum, exploratum ſit. cap. xv.

Coniectura emendatus locus e primo libro Varronis de re ruſtica. cap. xvi.

Monſtratus locus Ciceronis in Philippicis, cui videtur macula haerere. cap. xvij.

Quod reprehendit M. Cicero in ſententia, quam ſenator dixit, videri poſſe Demoſthenem laudare, ſed falſo tamen. cap. xviij.

Verbum κατακλεῖσαι, fuiſſe translatum eleganter a Xenophonte. cap. xix.

Cum dictum ſit, tragicos Graecos vocaſſe lunam, ſolis filiam, qui nam fuerint hi. cap. xx.

Notam propinquorum imbrium a lucernae fungis, quã expoſuit Virgilius; ſumptã ab Arato. c. xxi.

Quae Graeci vocant ἐπιρρήματα θετικὰ Latinos recentiores appellaſſe gerundia. cap. xxij.

Quid valeat ψακάζειν in Graeco ſermone, quae minuta pluuia, declarata illo nomine, idonea eſt cochleis captandis. cap. xxiij.

Duo loci manci apud Donatum Terentianum in integrum reſtituti. cap. xxiiij.

LIBER XXXIIII.

EXPLOSA ſententia Eratoſthenis, qui poëtas propoſitum tantum habere putauit, delectare auditores. cap. i.

Quod proditũ eſt a M. Varrone de facilitate partus mulierum Illyricarum, narratum fuiſſe a Strabone de Liguribus feminis. cap. ij.

Monſtrati plures loci, quibus Cicero expreſſit, quae vocantur a Graecis ἐπιφωνήματα. cap. iij.

Quid valeat χλιδῶσα, quad verbum infrequens eſt. cap. iiij.

Defenſa communis lectia in ij. libro Ariſtotelis de republica, eademque declarata. cap. v.

Diſputatum diligenter de duobus locis in oratione pro M. Marcello. cap. vi.

Videri poſſe, valde illuſtrem locum Homeri imitatum eſſe Ciceronem. cap. vij.

Declaratum non diſcrepare, vt videtur, a iudicio Ariſtotelis Ariſtophanem comicum in ornando Themiſtocle. cap. viij.

Locum Ciceronis pro M. Marcello, emendatione non egere, & qui attigerunt, corrupiſſe cap. ix.

Quantum tribuerit Cn. Magnus Poſidanio. cap. x.

Fumare, quo uerbo vſus eſt Virgilius de interitu Troiae, videri ſumptum ab Euripide. cap. xi.

Diſputatum de verbo accare, cuius duo maximi ſcriptores, rationem longe aliam attulerunt. cap. xij.

Solitas quoque veteres illos ſcribere libros in quibus, ut in his, varia materia explicata foret. cap. xiij.

Captum aliquem eſſe oculis, non ſemper idem valere. cap. xiiij.

Proferre in medium, idem Latinis oſtendere, quod Graecis εἰς μέσον φέρειν. cap. xv.

Idem valere interuallum, & in ſua ſede poſitum, & alio translatum, quod διάστημα. cap. xvi.

Simili, valde apto, declaraſſe Deianiram apud Sophoclem, quam rara poſita ſit vita. cap. xvij.

Declarare ingenium ſemper, & aliquando etiam fructum magnum ferre, tempore prolatam ſententiam nobilis poëtae. cap. xviij.

Sumpſiſſe e Graecis Latinos morem verſibus ludendi, in cuſtodem illum hortorum, quem non minus ridicule, quam ſtulte venerabantur. cap. xix.

Diſputatum de variis generibus ſtercoris illius, quod laetas facit ſegetes. cap. xx.

Rationem quandam inſerendi, tactam a Varrone, difficilem eſſe & minime fructuoſam. cap. xxi.

Inuenta, quae fuerit apud veteres Graecas, forma poculi, quod vocabant ἀμφικύπελλον. cap. xxij.

Φάρος, & αὐχμὸν, rei ruſticae propria nomina, trãſlata fuiſſe eleganter ad alias res oſtẽdendas. c. xxiij

Diſputatum diligenter de loco quodam Ciceronis, qui videtur errori alicui affinis. cap. xxiiij.

LIBRI XXXV.

EMENDATVS locus in I. de oratore: explicataq; locutio, propria iuriſconſultorum. cap. i.

Virgilianum locum, expreſſum a Theocrito, videri habere altiorem ariginem. cap. ij.

Locus M. Varronis coniectura emendatus, quam adiuuat, idem tradens, Theaphraſtus. cap. iij.

Explicatum quid valeat in epiſtola ad Q. Ciceronem προπεπονθυῖαν. cap. iiij.

Quid ſit apud hiſtoricos Graecos ἀγὼν ὑπὲρ τῶν ὅλων. cap. v.

Manſtratus Homeri locus ſimilis Virgiliano: item alius C. Caeſaris. cap. vi.

Quid ſit apud Euripidem αἷμα ἄσπονδον, declaratũ, comprobatumque id auctaritate noſtri grandioris poëtae. cap. vij.

Indicatus Thucydidis locus, quem cum exprimeret Lucretius, non videtur verum ſenſum eius percepiſſe. cap. viij.

Quad feciſſe narrant Tarquinium in filio ad ſcelus imbuenda, idem antea feciſſe Periandrum. cap. ix.

Cum inſimulet Cicera Homerum, qui humana facta diis tribueret, demonſtratum feciſſe idem liberius adhuc Graecos quoſdam auctores. cap. x.

Sententiam grauem Ciceranis editam fuiſſe prius a Graeco ſcriptore, ſed incerto. cap. xi.

Mendum.

Mendum ſublatum e Lucullo Ciceronis coniectura. cap. xij.
Quod narrant M. Brutum feciſſe ſtatim C. Caeſare interfecto, alios itidem ſimili tempore effeciſſe. cap. xiij.
Monſtratus locus Ciceronis, qui videtur expreſſus ex Euripide. cap. xiiij.
Graecum prouerbium, quod diu feſellit, erutum ex obſcuro loco. cap. xv.
Indicatus A. Gellij locus mendoſus: vetuſque ipſius lectio propoſita omnibus. cap. xvi.
Inuentus apud Polybium locus Virgiliano ſimilis. cap. xvij.
Explanatus locus M. Varronis: monſtratumque idem illic valere corium, quod apud Demoſthenem ἆθμα. cap. xviij.
Cohortatio Cyri apud Xenophontem in ipſo ardore pugnae. cap. xix.
Inuentus locus apud Ariſtophanem ſimilis valde loco Catulliano. cap. xx.
Quid ſit Demoſtheni, λαλιῶν ἐκ τοῦ οἰκημοῦ, aliterque Xenophontem ea verba cepiſſe. cap. xxi.
Ver ſacrum, quod foret, L. Siſennae verbis declaratum. cap. xxij.
Cur in Velienſium, & Maſſilienſium nummis, idem ſignum exſtat. cap. xxiij.
Demonſtratum, Graecam ſententiam, & illam quidem valde celebrem, expreſſiſſe Terentium in Phormione. cap. xxiiij.

LIBRI XXXVI.

EXPLANATVM teſtimonium Heracliti, quod citat Ariſtoteles in ij. ἠθικῶν ad Nicomachum. cap. i.
Fuiſſe in vſu Graecorum verbum, quod reſpondet huic M. Varronis, contenebrare. cap. ij.
Vt Virgilius inquit ferre pedes Moerin, ita Homerum dixiſſe φέρειν πόδας multos. cap. iij.
Parum verecundam Catulli ſententiam videri ex Euripide expreſſam. cap. iiij.
Indicatum Virgilium ſumpſiſſe a Theophraſto locum cum omnem, quo docet, quomodo ſunt ſerendae arbores. cap. v.
Emendatus (vt arbitror) locus Ciceronis e ij. libro de legibus. cap. vi.
Declaratum conſilium C. Caeſaris in Rheno tranſeundo, ſimile fuiſſe conſilio Ageſilai, cum exercitum in Aſiam tranſportaret. cap. vij.
Runcare ſegetes quid valeat: deque omni ratione ſemen iam ſatum natumue colendi. cap. viij.
Cum & Ariſtoteli, & M. Varroni conueniat in accuſando phyſico, qui falſum litteris mandarat, diſſentire eos in nomine ipſius. cap. ix.
Defenſa vetus lectio loci, cum ſtomacho magno prolati, in epiſtola ad Atticum. cap. x.
Deleta tandem macula, quae locum in epiſtola ad Atticum foedabat, multis prius id facere fruſtra conatis. cap. xi.
Declaratum quid valeat, τὸ χωρὶς εἶμι in ij. libro πολιτικῶν: pluraq; exempla ipſius poſita. cap. xij
Collationem Homericam, valde laudatam, propter eximiam ſuam virtutem peperiſſe non paruum incommodum. cap. xiij.
Magis credendum Plutarcho, quam Ciceroni, in hiſtoria de Sophocle narranda. cap. xiiij.
Deleta (vt opinor) macula coniectura e iij. libro πολιτικῶν. cap. xv.
Hiſtoria de Iano, quae magis adhuc ipſum ornat, eruta ex abdito loco. cap. xvi.
Trudere aliquando, vt ὠθεῖν apud Graecos, ſtudium, ac beneuolentiam ſignificare. cap. xvij.
Diſputatum accurate de loco Terentij ex Adelphis. vetuſque lectio ipſius indicata. cap. xviij.
Apte ſignificaſſe Ciceronem aegritudinem ingentem honeſti viri, qua ille ob publica mala opprimebatur. cap. xix.
Valde dura Ciceronis compoſitio verborum, monſtrata. cap. xx.
Declaratus locus Euripidis: parque eſſe ac ſimilis Horatij ſententiae demonſtratus. cap. xxi.
Reſtitutus locus Euripidis, miſere laceratus. ca. xxij.
Terentianam ſententiam & prius & integrius pronuntiaſſe Euripidem. cap. xxiij.
An recte accuſarit Quintilianus Euripidem, cum Phoeniſſis Eteocles fratrem inſimulans, argumentatur a nomine. cap. xxiiij.

LIBRI XXXVII.

SVBLATVM coniecturis mendum e lege Alfeni, quod optimum etiam noſtrum exemplar foedauit. cap. i.
Diſputatum diligenter de loco Plinij, quem videtur ex Ariſtotele parum fideliter expreſſiſſe. cap. ij.
Vetus lectio in epiſtola ad Atticum defenſa: Graecumque verbum, quod inde exturbatum erat, eo reuocatum. cap. iij.
Imagine ab eadem re ducta, quae diſſimilis aliquantum inter ſe eſt, diſſimilitudinem aliarum rerum lepide oſtendiſſe acutos viros. cap. iiij.
Diſputatum de vetere prouerbio, quod apud Graecos erat: & quaſi affirmabat ſpeciem nullam rerum tam ſimilem inter ſe eſſe, quam eſt ficus fico. cap. v.
Laudatas quoque eſſe a Graecis ſcriptoribus caricas Cauncas, quarum meminit Cicero. cap. vi.
Declaratum, iiſdem paene tranſlatis verbis vocaſſe Latinos auctores ſubitam incurſionem hoſtium, quibus Theopompus, ille Chius, eandem rem appellarit. cap. vij.
Exemplis multis comprobatus modus loquendi, inuentus in vetere lapide, quo celebratur ſummum artificium pueri. cap. viij.
Quas Cicero ſpes inanes & fallaces vocat, Aeſchylus ſua lingua fractas diſſipataſque dixit. cap. ix.
Eadem forma vſos Demoſthenem ac Ciceronem, cum pleni laetitiae, res ſuas efferre vellent. cap. x.
Pluribus teſtimoniis & lapidum & librorum antiquorum, probatum commutaſſe ſaepe inter ſe librarios

brarios in ſcribendo litteras I, & L. cap. xi.

Explicatum genus proſopopaeiae diuerſum aliquantum ab eo, quod plerumque hoc nomine appellatur. cap. xij.

Rapax non vbique idem valere: & de pomis Hippomanis, quibus durum animum amicae molliuit. cap. xiij.

Inuentum qui aliter ſentiret de natura & moribus M. Antonij ac Cicero fecit. cap. xiiij.

Explicatus locus Polybij, quo ſignificatur obſcure ſtudium Romanorum in viis, quas muniebant, ornandis. cap. xv.

Tempus in omni re gerenda diligenter ſeruandum, teſtimoniis optimorum vtriuſque linguae poëtarum declaratum, diſputatumque de nominibus etiam, quibus opportunum tempus oſtenditur. cap. xvi.

Conſilium expoſitum ducum belli ad inſultandum lepide in hoſtes. cap. xvij.

Indicatus Salluſtij locus Terentiano loco ſimilis, qui ambo loci teſtificantur peſſimum quorundam ingenium. cap. xviij.

Exemplis poſitis declaratum duos Graecos poëtas duabus in rebus vidiſſe idem ac celebraſſe ſuis verſibus, quod princeps medicorum Hippocrates. cap. xix.

Emendatus coniectura locus grauis in libris, qui vocantur ἄλιμα ἄδιψα. cap. xx.

Explicata ratio, qua vtuntur qui poſtulant ſibi ignoſci: nec poſſunt aliter crimen defendere. cap. xxi.

Omni tempore ornaſſe orationem, quae vocantur πάρισα & ὁμοιοτέλευτα: nec Iſocratem aut Gorgiam illa inueniſſe. cap. xxij.

Defenſa vetus lectio in epiſtola quadam ad Atticum, contra nouam & opinione nixam, quorundam emendationem. cap. xxiij.

Iudicatum Sophocleam ſententiam, valde vtilem vitae, a Terentio quoq; celebratam fuiſſe. ca. xxiiij.

LIBRI XXXVIII.

MONSTRATI duo Virgilij loci, rem narrantes, quae videtur ratione carere: diſputatumque de via illarum culparum (ſi ita ipſae vocandae ſunt) defendendarum. cap. i.

Defenſus Ariſtoteles a turpi crimine, quod ipſi obiecit iniuſte, qui hiſtoriam eius rei ignorauit. cap. ij.

Sciſſe Drancem Virgilianum, quae potiſſimum regiae virtutes ſunt: aſſentirique ipſi Graecos maximos poëtas. cap. iij.

Oui vitellum a Graecis, vt a nobis, duobus nominibus vocari. cap. iiij.

De fructu, qui capitur ex hiſtoria, idem exiſtimaſſe Plutarchum, quod ſenſit M. Cicero. cap. v.

Inſpirare aliquid aliquibus, quod inquit pluribus locis Virgilius, videri ſumptum ex Homero. ca. vi.

Declaratum vocem acutam & grauem T. Attici, expreſſam ab eo fuiſſe e Platone. cap. vij.

Demonſtratum vti aliquando Ciceronem ſententiis quibuſdam Homeri: atque id ita obſcure, vt vix cognoſcatur. cap. viij.

Indicati duo loci Latinorum auctorum, aliorum induſtria ſubtiliter emendati. cap. ix.

Diſputatum de dubia & incerta ſcriptura Ciceroniani loci, in quo agitur de Dionyſij Siculi rogo. cap. x.

Vetitum fuiſſe priſcorum diis, vt fabulae poëtarum & Graecorum & Latinorum ferunt, quod factum ab vno eorum foret, ab altero temptari. cap. xi.

Multis verbis oſtendiſſe Terentium, quod vno ſignificant Graeci: vitium ſcilicet cui plurimi affines ſunt, cap. xij.

Indicatus locus Homeri, qui, tenuem rem tangens, valde ſimilis eſt Terentiano. cap. xiij.

Subtilis & plena artificij ratio, qua vſi fuere duo magni auctores, in eo, quod voluerunt, in caelum ferendo. cap. xiiij.

Varietas opinionis de veritate lectionis Ariſtotelei loci, inter auctorem & Dionyſium Lambinum. cap. xv.

Victoriam illam in primis amandam eſſe, quae nos ac res noſtras a poſteri etiam temporis periculis, tutas reddit. cap. xvi.

Elegantem modum loquendi, quem vſurpauit Maro, videri acceptum ab Homero. cap. xvij.

Monſtratus locus Ciceronis, valde ſimilis loco Homeri, quippe cum ambo augeant, quod exponunt: nec augeant tantum, verum etiam illuſtrent. cap. xviij.

Indicatus locus Ciceronis, quem non ſine cauſa putaret aliquis e Platone expreſſum. cap. xix.

Diſputatum de condimentis antiquorum, quibus aetatis noſtrae condimenta videntur anteponenda. cap. xx.

Quae veteres Graeci vocarint verba ἀνχμίζοντα, declaratum. cap. xxi.

Quae vocatae ſint ab antiquis tibiae dextrae & quae ſiniſtrae, demonſtratum: rationemque horum nominum fluxiſſe e Graeco ſermone: atque eius gentis ſtudio muſicorum. cap. xxij.

Herodotum μεταφορικῶς dixiſſe tyrannidem egiſſe radices, cum firma foret: Ciceronem itidem ἀλληγορικῶς de ipſa, vt de arbore locutum. cap. xxiij.

Quid in fabula quadam ſua de Achille, admirabile prorſus, memoriae prodiderit Aeſchylus. c. xxiiij.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXVI.

Illuſtratio loci Virgiliani e IX. libro Aeneidos.

CAP. I.

TANGIT Virgilius morem: qui, vt vetus eſt & heroum quoque temporibus vſurpatus, ita etiam omni aetate ſeruetur neceſſe eſt, vt cum reſp. aliqua rexque victoriam conſecutus eſt; oppidumque aliquod dicea expugnauit, ex omni aceruo praedae, quae coacta eſt, partem ſumat, & illam quidem elegantiorem praeſtantioremque: atque ipſa ornet eos, qui magnopere vtiles in eo bello fuerunt: fortemque in eo facto operam ſuam praebuerunt, cum reliqua praeda, ſorte ducta, vniuerſis copiis illis, exercituique diuidatur. Aſcanius igitur, cum hortari vellet Niſum: in eoque graui conſilio donis promiſſiſque aliquibus ipſum retinere, hoc ſe facturum, ſi victoria potitus fuerit, pollicitus eſt; inquit enim.

» Si vero capere Italiam, ſceptriſque potiri
» Contigerit victori: & praedae ducere ſortem,
» Vidiſti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis.
» Aureus, ipſum illum, clipeum criſtaſque rubentes
» Excipiam ſorti, iam nunc tua praemia Niſe.

Idem etiam docet Euripides factum eſſe in exercitu Graecorum, Troia capta, apud quem Neptunus Troadibus (fungitur enim hic deus illic officio prologi) ita loquitur: de captiuis autem mulieribus Troianis agit.

» Καὶ τὰς μὲν, Ἀρκὰς: τὰς δὲ, Θεσσαλὸς λεὼς
» Εἴληχ', ἀθηναίων δὲ Θησεῖδαι πρόμοι.
» Ὅσαι δ' ἄκληροι Τρῳάδων, ὑπὸ στέγαις
» Ταῖσδ' εἰσὶ, τοῖς πρώτοισιν ἐξῃρημέναι
» Στρατοῦ. Narrat igitur ipſe e numero omni captiuarum illarum, nobiliores extra ſortem aſſignatas eſſe principibus illius exercitus: ſignificat autem Caſſandram, Andromacham, Polyxenam. Sed in eadem fabula infra etiam huius moris meminit, idem verbum vſurpans: ita enim inducit Talthybium Hecubae reſpondentem, quae ex ipſo quaeſiuerat, quid de Andromacha factum eſſet.

» Καὶ τὴν γ' Ἀχιλλέως ἔλαβε παῖς ἐξαίρετον

Sed apud Homerum etiam huius conſuetudinis veſtigia multa reperiuntur, vt cum cecinit Ecameden, regis Arſinoi filiam, Achiuos in expugnatione Tenedi extra ſortem Neſtori dediſſe: quia ſenex ille omnibus conſilio ſapientiaque praeſtaret. Expreſſit vero Virgilius verbum etiam Graecum: nam, cum tragicus poëta dixiſſet ipſas ἐξῃρημένας idest e manubiis aceruoque praedae exemptas, ipſe inquit excipere. Animaduertendum autem tertium verſum, quem

ſupra citaui, Virgilij, male interpunctum eſſe in cunctis excuſis libris: nam niſi nota collocetur poſt pronomen illum, ania errandi dabitur lectori, qui putaret pollicitum eſſe ſolum Niſo Aſcanium clipeum & criſtas: minime autem equum, quod ſi feciſſet, qui animum eius incendere volebat, potius retardaſſet, & a forti illo propoſito reuocaſſet, ſi retento equo, rebus vilioribus eius periculoſum facinus compenſare voluiſſet: nam clipeus & criſtae illae res leues erant, ſi conferrentur cum equo, qualis veriſimile eſt, fuerit ille tam opulenti & generoſi iuuenis: praeter quam quod nullum eſt munus, quod magis capiat animum illius aetatis. aut igitur equum quoque polliceri debuit, aut ne ipſius quidem meminiſſe. Perſpicitur autem magis equum in primis polliceri Aſcanium debuiſſe, quia cum apud Homerum Dolon huiuſcemodi facinus aggreſſurus eſſet, obiceretque vitam ſuam maximo periculo, popoſcit praemium illius facti, equos Achillis; currumque, quo ille fortiſſimus heros vehebatur in proeliis. Verſus poëtae hi ſunt, quibus Dolon fidem ſibi adſtrinxit Hectoris: mercedemque, quam vellet, patefecit.

Ἀλλ' ἄγε μοι τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεο καί μοι ὄμοσσον
Ἦ μὲν τοὺς ἵππους, καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ
Δωσέμεν, οἳ φορέουσιν ἀμύμονα Πηλείωνα.

Nam imitari voluiſſe hunc locum Homeri Virgilium, cognoſcitur ſtatim ex principio ipſo: quod enim apud eum Niſus inquit, cum deſiderio amoribuſque ſuis exponere coepit ſuum conſilium.

Dij ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an ſua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iamdudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete eſt.

Dixerat aliquo modo antea Dolon his verbis.

Ἕκτορ, ἔμ' ὀτρύνει κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ,
Νηῶν ὠκυπόρων σχεδὸν ἐλθέμεν ἔκ τε πυθέσθαι.

Correctus coniectura locus in primo libro ἠθικῶν ad Eudemum.

CAP. III.

LOCVS eſt ſine dubio corruptus in libro primo Ariſtotelis de vita & moribus ad Eudemum, quem, coniectura ductus, cum mihi videar emendaſſe, huius meae opinionis iudices ſumere volo eruditos ingenioſoſque viros: neque enim me fallit quam timide pedetemptimq; oporteat ſcripta tanti auctoris attingere, & quam huiuſcemodi conatus periculoſi ſint: ſaepeque magnum aliquod incommodum dent. Quo loco igitur tradit, non omnes omnium ſententias de vita beata, quamuis falſae ſint, eſſe refellendas: ſuperuacaneumque id eſſe docet, in aliis dicit. ἁπάσας δὲ ταύτας οὐδὲ τὰς τῶν πολλῶν: εἰμὴ γὰρ λέγουσι σχεδὸν περὶ ἁπάντων. vt legitur in libro ab Aldo excuſo. Hic igitur perperam ſcriptum eſſe puto εἰμῇ, legique arbitror oportere. εἰκῇ γὰρ λέγουσι indicat enim morem multitudinis, quae temere conſueuit de re etiam incerta pronuntiare, quare non eſſe opiniones ipſius attendendas affirmat. Sed etiam multo poſt in eodem libro, vbi docet caute tractari debere, quod dixerat, in his diſputationibus quoque de rebus bonis & malis, non ſolum veritatem eſſe quaerendam, ſed ſaepe etiam cauſam rerum illarum adferendam: conſuetudinemque philoſophorum retinendam, quia nimis exquiſita, ſubtiliſque ratio huic diſciplinae non eſt accommodata, inquit, vt eſt in excuſis libris. διόπερ μέντοι τοῦτο πολλοὺς διαλανθάνει: οἳ γὰρ τινές οἱ διὰ τὸ δοκεῖν φιλοσόφου εἶναι τὸ μηθὲν εἰμηθὲν λέγειν; ἀλλὰ μετὰ λόγου, πολλάκις λανθάνουσι λέγοντες ἀλλοτρίους λόγους τῆς πραγματείας καὶ κενούς: conſtat autem hic ipſum, culpam aliquorum monſtrantem, ab hoc errore reliquos deterrere voluiſſe, ne ſimile quicquam facerent. puto igitur hic quoque legi debere. τὸ μηθὲν εἰκῇ λέγειν. valere vero εἰκῇ temere inconſiderateque apertum eſt. Quin etiam ipſe in primo libro τῶν μετὰ τὰ φυσικά eodem pacto locutus eſt, cum priſcos phyſicos inſimularet: aduerbiumque hoc, quod incuriam oſtendit, cum eodem verbo coniunxit. haec autem ipſius verba ſunt: νοῦν δή τις εἰπὼν εἶναι, οἷον νήφων ἐφάνη, παρ' εἰκῇ λέγοντας τοὺς πρότερον. Exiſtimo igitur teſtimonio etiam hoc multum adiuuari ſententiam meam: nec contemni vllo pacto poſſe, quod mihi, pro reſtituendo illo loco in mentem venit: neque enim facile dici poteſt, quam mendoſe negligenterque olim excuſi fuerint. cum tres etiam integri libri e Nicomachiis in eorum numerum malo conſilio coniecti ſint, qui deſiderabantur.

Collatus Salluſtij locus, cum duobus, idem narrantibus, Graecorum ſcriptorum locis.

CAP. III.

QVOMODO impoſuerint ſtultae multitudini xxx. illi improbiſſimi viri, qui Athenis iniuſte regnarunt: conſiliumque ſuum callide texerint, docet. C. Caeſar apud Salluſtium in ſententia, quam dixit de coniuratis: apte autem in primis exemplo illo vſus eſt, cum probare vellet, quod communiter teſtatus fuerat, verum eſſe. Omnia mala exempla ex bonis rebus orta eſſe. Eorundem fallaciam, crudelitatemque expoſuit accurate Lyſias in oratione, quam ipſe habuit contra Eratoſthenem, qui vnus fuerat e numero tyrannorum illorum, recuperata iam reip. & ad veterem, propriumque eius ciuitatis ſtatum reuocata. Cum autem venuſtiſſimus orator eleganter id narret; mirificeq; conueniat hic locus cum Salluſtiano illo, non malum mihi viſum eſt ipſos in propinquo collocare, vt vtriuſque ſcriptoris induſtria magis appareat. Inquit igitur Graecus, qui verius planiuſque de illis rebus agere poterat: ipſe enim quoque pars aliqua eorum malorum fuerat.
" ἐπειδὴ δ' οἱ τριάκοντα, πονηροὶ μὲν καὶ συκοφάνται ὄντες, εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, φάσκοντες χρῆναι τῶν ἀδί-
" κων καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν, καὶ τοὺς λοιποὺς πολίτας ἐπ' ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην τραπέσθαι καὶ τοιαῦτα λέ-
" γοντες, οὐ τοιαῦτα ποιεῖν ἐτόλμων, ὡς ἐγὼ περὶ τῶν ἐμαυτοῦ πρῶτον εἰπὼν, καὶ περὶ τῶν ὑμετέρων ἀναμνῆσαι πειρά-
" σομαι. Salluſtij autem verba ſunt. Lacedaemonij deuictis Athenienſibus triginta viros im-
" poſuere, qui remp. eorum tractarent. hi primo coepere peſſimum quemque & omnibus inui-
" ſum, indemnatum necare: ea populus laetari & merito dicere fieri. poſt vbi paulatim licen-
" tia creuit, iuxta bonos & malos libidinoſe interficere: ceteros metu terrere, ita ciuitas ſer-
" uitute oppreſſa, ſtultae laetitiae graues poenas dedit. Magis tamen expreſſit Xenophon, qui in hiſtoria rerum Graecarum, patriae ſuae calamitatem illam ſuo loco commemorauit, quod traditur a C. Caeſare, illos inquam impuros homines principium feciſſe ciuium interficiendorum a flagitioſiſſimis quibuſdam hominibus: populumque Athenienſem, cum id videret, ſolitum laetari; eoſdemque, cum accepto praeſidio a Lacedaemoniis, praefectoque ipſius ſibi conciliato, coeperunt viribus ſuis confidere, pro improbiſſimis hominibus: inuiſiſque vniuerſae ciuitati, optimum quemque & qui publicis malis mederi poſſet, ſuſtuliſſe, vt exiſtimem prorſus Salluſtium Xenophontem imitatum fuiſſe: indeque, quod perſonae Caeſaris conſi-
" lioque ipſius aptum fuit, accepiſſe, inquit igitur, ἔπειτα πρῶτον μὲν, οὓς πάντες ᾔδεσαν ἐν τῇ δημο-
" κρατίᾳ ἀπὸ συκοφαντίας ζῶντας, καὶ τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς βαρεῖς ὄντας, συλλαμβάνοντες ὑπῆγον θανάτου· καὶ
" ἥ τε βουλὴ ἡδέως αὐτῶν κατεψηφίζετο, οἵ τε ἄλλοι, ὅσοι συνῄδεσαν ἑαυτοῖς μὴ ὄντες τοιοῦτοι, οὐδὲν ἤχθοντο.
& quae ſequuntur. Nam iuſta quoque diligenter oſtendit qua via ipſi in probos viros, vtileſque reip. ciues graſſari coeperint.

Confirmatum auctoritate Graecorum, quod Cicero inquit. Fuiſſe Demoſthenem auditorem Platonis.

CAP. IIII.

" LECTITAVISSE Platonem ſtudioſe, audiuiſſe etiam Demoſthenes dicitur: id-
" que apparet ex genere & granditate verborum: dicit etiam in quadam epiſtola
" hoc ipſe de ſeſe. verba ſunt haec M. Ciceronis in Bruto, quibus vt apparet, ornat Demoſthenem, ſummum oratorem, oſtendens ipſum non omnem aetatem conſumpſiſſe in ſtudiis propriis illius artis, ſed pectus etiam muniuiſſe cognitione ſapientiae, in diſciplinamq; ſe tradidiſſe optimo ipſius doctori, cuius etiam eruditiſſimos politiſſimoſque libros diligenter legiſſet. Quod autem narrat M. Tullius, id quoq; a Demoſthene memoriae proditum fuiſſe in quadam epiſtola, non extat quod ſciam, epiſtola illa; teſtimoniumque id ipſius extinctum eſt. Perſpicitur tamen iudicio Alcinoi, illius inquam accurati interpretis Platonis, fuiſſe Demoſthenem magnum amatorem ipſius, qui etiam tradit eum auditorem Platonis extitiſſe: narrat enim, cum multa colligeret, quae valerent ad nobilitatem grauiſſimi philoſophi, auctoritatibus clarorum virorum, demonſtrandam in epiſtola, quam ad eum ſcripſit, accuſaſſe Demoſthenem Heracleodorum quendam, qui cum Platonem breui tempore audiſſet, ignauia inde abreptus fuerat: diſputationeſque illius contempſerat. Ponit etiam verba pauca Demoſthenis ipſius, quibus ille Heracleodorum inſimulauerat, ac quod flagitium
" admiſiſſet, ſumma cum libertate ipſi exprobrabat. illa autem ſunt haec. οὐκ αἰσχύνῃ, παιδίον
" καταφρονήσας καὶ λόγων, ὧν Πλάτωνος ἠκροῶ; ita vero corriperet ſeuerus pater perditum luxu & in turpiſſimo aliquo flagitio volutatum, filium. Fieri igitur poteſt vt in hac ipſa epiſtola, in qua tam magnifice: praeclareque de Platone ſentit, ſe quoque ipſius auditorem fuiſſe

fateretur. Eſt ſane in manibus epiſtola Demoſthenis ad Heracleodorum hunc, vt videtur, in qua tamen neque ſuperiora verba leguntur: neque narratur fuiſſe ipſum Platonis auditorem, etſi illa referta eſt laude doctiſſimi viri: fertque in caelum diſciplinam ipſius, vt cum tradat eam mirifice vitae vtilem eſſe & non inanem fucatamque, appareat Demoſthenem valde Platonem amaſſe & doctrinam illius aliquando deguſtaſſe. Plutarchus quoque in vita Demoſthenis citat Hermippum teſtem, qui narrauerat ſe incidiſſe in commentarios quoſdam incerti auctoris, in quibus ſcriptum foret, Demoſthenem frequentaſſe vna cum aliis, germanis ipſius auditoribus, ſcholam Platonis: plurimumque inde adiumenti deriuaſſe in ſuas orationes: ita enim accipio illud Δημοσθένην συνεσχολακέναι Πλάτωνι, non condiſcipulum ipſum fuiſſe Platonis: neque enim hoc tempus, quo vixit, videtur pati; ac praeterea diſcrepat a teſtimoniis reliquorum. nec tamen mirum eſſet in alia etiam epiſtola, de quo tam magnum iudicium feciſſet, ipſum hoc litteris mandaſſe.

Virgilium inducere, Amatam reginam, a definitione argumentantem, cum docuit Turnum non eſſe repudiandum generum.

CAP. V.

PLVRIBVS ſane, illuſtribuſque exemplis, Ariſtoteles declarauit modum argumentandi a definitione, in ij. libro de arte dicendi. perſpicitur autem ex illis omnibus aliter, ac vulgus: aduerſariiq; caperent, qui ita quippiam confirmare volebant, vocem illam accipiendam eſſe, euoluta ipſius vi, notioneque ſignificare. Addam igitur & ipſe non nulla, & vt loci huius optimorum ſcriptorum illuſtrentur, & vt ratio huius argumentationis tractandae magis eluceſcat: nam niſi hoc vtilitatem magnam afferre poſſe exiſtimaſſet, non tot vndiq; eruditiſſimus ſcriptor, qui tamen prolixitatem in praeceptis alicuius ſcientiae tradendis numquam amauit, ſedulo collegiſſet. Apud Virgilium igitur cum Amata, furiis ſtimulata, diſturbare pacem vellet, & reuocare viri ſui animum a conſiliis illis, ita vnum, quod maxime obſtabat, ac voluntati ſuae aduerſabatur, temptare ac labefactare conata eſt; edita enim Latino regi ſors fuerat, debere ipſum externo viro filiam in matrimonium dare: Turnus autem, quem generum illa malebat, Italus erat, quare excludi auctoritate diuina, cui repugnari non poteſt, a nuptiis illis videbatur: ipſa igitur acute dixit aliam eſſe notionem eius vocabuli; intelligique illo cunctos, qui ipſius ditionis non forent: nec regno ipſius parerent, & non tantum alienigenas, & in longinquis terris natos. Inquit igitur: verſus enim poëtae ponam.

» Si gener externa petitur de gente Latinis.
» Idque ſedet; Faunique premunt te iuſſa parentis:
» Omnem equidem ſceptris terram, quae libera noſtris
» Diſſidet, externam reor & ſic dicere diuos.

Praeterea cum, poſt obitum Agidis Lacedaemone regem creari oporteret: Diopitheſque augur gradu illo honoris Ageſilaum exturbaret, quem graues & ſapientes ciues, propter eximiam adoleſcentis virtutem probabant, fretus oraculo, admonente Spartiatas ne claudum regem eligerent: Ageſilaus enim altero pede claudicabat, multoſque in ſuam ſententiam traxiſſet, paratos ea de cauſa deligere Leotychidem, Lyſander, qui Ageſilao fauebat, dixit perperam accipere Diopithem oraculum illud: non enim grauiter ferre deum, nec ſtomachari, ſi forte aliquis Lacedaemoniorum imperium habeat mancus ac debilis, ſed regnum claudum eſſe, ſi ſpurij & natalibus laborantes, regnum, proprium Heraclidarum, obtinuerint, quae macula haerebat Leotychidi: putabatur namque ille furto ex Alcibiade conceptus.

Emendatus, & explicatus locus in epiſtola quadam ad Atticum.

CAP. VI.

CVM in epiſtola quadam ad Atticum M. Cicero accurate locutus eſſet de interitu M. Marcelli: ad extremumq; dixiſſet ſibi reliqua plana & explorata eſſe, tantum ſe non videre, quae cauſa impellere potuerit Magium, familiarem Marcelli, vt fortiſſimum virum necaret, cum ille etiam pro ipſo ſponſor factus eſſet, addi-
» dit. Et nimirum id fuit; ſoluendo enim non erat: credo eum petiiſſe a Marcello
» aliquid: & illum, vt erat, conſtantius reſpondiſſe: [illegible]: his enim verbis Graecis clauditur haec narratio, in quibus tamen mendum ineſſe arbitror: neq; enim vlla certa eſt ſententia ipſorum: neq; initium peruulgatae alicuius vocis videntur, quae a poëta quopiam ſumpta ſint, cuius generis plerumq; eſſe conſueuerunt, quae conciſe in his libris citantur: vimq; prouerbij habent.

Ita igitur non ſine cauſa aliquis de ipſis exiſtimaret, eum tamen, ſi leuis macula tollatur, quae luci ipſorum officit, illa facile agnoſcantur: & huic loco valde accommodata eſſe intelligantur, ipſis autem praecipiatur, quod eſt temeritati declinandae vehementer vtile, & ne facile de rebus incognitis pronuntient, hominibus admonendis. Sumpta vero illa inde ſunt, vnde multae, mirifice probatae, ſententiae fluxerunt, ideſt ab Euripide, qui in tragoedia, cuius index eſt Ion, illum ipſum Ionem, iam agnitum a patre, fecit initio ſuae orationis, cum valde ſuſpenſo animo foret, nec ſtatuere poſſet, quid ſibi faciendum eſſet, ſententiam illam edentem. Suaſerat autem ipſi pater, vt ſecum, relicto humili illo miniſterio (aedituus enim erat ac Delphis Apollinis templum purgabat) Athenas accederet, futurus regni ipſius haeres, & nobiliſſimae reip. cuſtos; ille autem id facere timebat vt qui putaret, cum patrem peregrinum hominem haberet, ipſeque incerta matre natus foret, non aequo animo Athenienſes eum, ſceptrum tenentem, viſuros, inquit igitur. Non poſſe recte iudicari de illis rebus a ſe tunc & eo loco poſito, quia non habeant eam aciem ingenij homines, vt ſtatuere poſſint de rebus abſentibus, vt praeſentibus: non nullaeq; res ignominiae plenae intelliguntur eſſe, cum propinquae ſunt, quae remotae diiunctaeque magnis ſpatiis terrarum, maculae nulli affines videntur. Haec autem poëtae verba ſunt, Οὐ ταὐτὸν εἶδος φαίνεται, τῶν πραγμάτων Πρόσωθεν ὄντων, ἐγγύθεν δ' ὁρωμένων: quis enim non videat hanc γνώμην eſſe: valereq; ipſam multum ad metum, qui dubium ſollicitumque habebat merito animum Ionis, confirmandum? Nequis autem me dicat licentia magna vſum in hoc loco reſtituendo, quia valde media illa dictio in excuſis etiam meis libris variata eſt: nec γὰρ ſimilitudinem aliquam habet, cum τ' αὐτ' vt legi debet, veterem ſcripturam, quae me olim fefellit, indicabo: fideliterque ante oculos omnium ponam: Ita enim illic legitur. ΟΥ ΤΑΤΟΝ ΕΙΔΟΣ. deſideratur igitur ſolum vna littera, quam in exſcribendo, rudem Graeci ſermonis, accuratum licet virum omiſiſſe, mirum non eſt: magis autem locum inquinarunt, qui corrigere ipſum volentes, ἰνδίας poſtea ſcripſerunt. Arbitror igitur locum feliciter reſtitutum, tenebraſque, quae ipſum obſcurabant, longe pulſas. nam me oſtendiſſe teſtimonio Latini ſcriptoris vocem hanc, olim ferri ſolitam, non ingratum eſſe debet harum elegantium ſane litterarum ſtudioſis.

Collata M. Ciceronis, plena animi, ſententia, cum Aeſchyli ſententia.

CAP. VII.

NARRAT M. Cicero in epiſtola illa longa, ad ipſum ſcripta, P. Lentulo, quemadmodum, Vatinij, importuniſſimi hominis, improbitatem fregerit: contumeliaeque in ſe plenam vocem retuderit; pronuntiatum vero illud ab ipſo fuit libere in primis: magnoq; animo, vt ſane ipſe alio loco teſtatur: reſq; ipſa declarat, oportere maledicta inimicorum refelli; inquit igitur Cicero. Ego, ſedente Cn. Pompeio, cum vt laudaret P. Seſtium, introiſſet in vrbem: dixiſſetque teſtis Vatinius, me fortuna & felicitate C. Caeſaris commotum, illi amicum eſſe coepiſſe, dixi me eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis, victoriiſque anteferre. Similis autem huic loco eſt ille ſummi poëtae, Aeſchyli, qui & ipſe fecit, grauem perſonam, Prometheum, & quem mala ingentia, quae ſuſtinebat, non domuerant, nec ſpiritus ipſius vllam in partem contuderant, eodem pacto reſpondere Mercurio, qui ipſum laceſſerat: in aliiſque dixerat, eum ſua contumacia: inſolentibuſque dictis, conieciſſe ſemet ipſum in aceruum illum miſeriarum: inquit igitur, ſe non commutaturum ſtatum illum ſuum malum, cum ipſius ſecundis rebus, miniſterioque, quod obibat; ſatiuſque eſſe adfixum illi ſcopulo haerere, quam nuntium eſſe Iouis: mandataque ipſius fideliter exequi: ad extremum vero addit, quod vim illius ſuae orationis aperit ac conſtituit, decere par pro pari referre: & contumeliam illatam, contumelia refellere. verba ipſius poëtae ſunt.

Τῆς σῆς λατρείας τὴν ἐμὴν δυσπραξίαν,
Σαφῶς ἐπίστασ', οὐκ ἂν ἀλλάξαιμ' ἐγώ
Κρεῖσσον γὰρ οἶμαι τῇδε λατρεύειν πέτρᾳ,
Ἢ πατρὶ φῦναι Ζηνὶ πιστὸν ἄγγελον,
Οὕτως ὑβρίζειν τοὺς ὑβρίζοντας χρεών.

Cum autem illic ſcholion vetus aperiat ſenſum omnem eius loci, niſi perturbatum foret, non me pigebit etiam oſtendere ἀπραξίαν in ipſo, pro δυσπραξίαν perperam ſcriptum eſſe. Quod vero in extremo addidit, cum iam animo ſuo ſatisfeciſſet: refutaſſetque Mercurij contumeliam, ſimile eſt illi ſententiae Ciceronis, atque idem prorſus valet. Similis eſt etiam his aliquo modo vox illa Leonidae, fortiſſimi atque optimi viri, qui cum a Xerxe, rege Perſarum, ſollicitatus eſſet de proditione: pollicebatur autem ipſi regnum Graecorum, ſi ad ſe tranſiſſet

ſiſſet conatumque illum ſuum adiuuiſſet, magnifice honaſteque ipſi reſpondit, non tamen iracunde, ſed cum exprobratione iniuſti illius belli acturpis poſtulati: inquit enim. Si quae ſunt recta & honeſta in vita didiciſſet, ſibi ipſum tamperaturum fuiſſe a cupiditate rerum alienarum. ſibi autem ſatius eſſe pro libertate Graeciae interire, quam iniuſte in ſuos dominari.

Quod apud Latinos poëtas eſt humectare, videri ὑδραίνειν eſſe apud Graecos.

CAP. VIII.

HVMECTARE Latinum, exprimit egregie Graecum verbum ὑγραίνειν: parque illi omnino eſt. ipſo vſi ſunt Lucretius ac Virgilius pluribus locis: nam apud M. Ciceronem nuſquam, quod recorder, ipſum offendi. Cum Galeſum, prope Tarentum fluentem amnem, deſcriberet eleganter Maro, ipſo vſus eſt: ita enim cecinit.

" Namque ſub Oebaliae memini me turribus altis,
" Qua niger humectat flauentia culta Galeſus,
" Corycium vidiſſe ſenem.

Euripides in prologo Helenae de Nilo, quem putat niue liqueſacta Aegyptum irrigare: camposque illos ita vberes & foecundos reddere. ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον λευκῆς τακείσης χιόνος, ὑγραίνει γύας. Totum autem locum cum accepiſſet inde Ariſtophanes θυμοσοφικῶς pro ὑγραίνει poſuit νοτίζει. inquit enim, λευκῆς νοτίζει μελανοσυρμαῖον λεών. Alio tamen loco idem tragicus cum idem prorſus oſtendere vellet aliquantum mutato a ſuperiore nomine ὑδραίνειν, dixit ſuo patrioque vocabulo (neq; enim ab ὑγρὸν hoc, ſed ab ὕδωρ conformatum eſt) cum illic laudaret Crathim, eiuſdem, cuius Galeſus, laudatus a Virgilio, Italiae partis, magnae quondam Graeciae vocatae, formoſiſſimum admirabiliſque naturae amnem. ipſius haec verba ſunt e Troadibus, pronuntiata (vt opinor) a grege captiuarum Troianarum, ex quibus chorus conſtat, ſiue parte ipſius. Nam nullo modo videntur conuenire Hecubae, quamuis in excuſis libris notatum ſit, ipſa a calamitoſiſſima illa muliere edita: ſuſpicor autem ex eo loco οὐκ ἰδαίοις ἱστοῖς κερκίδα, vſque ad verba illa καὶ μὴν Ἀχαιῶν cuncta ab eadem perſona prolata. Sunt inquam haec Euripidis verba. de illa tellure loquentis.

" Αὖ ὑδραίνων καλλιστεύων
" Ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσαίνων
" Κρᾶθις.

Nam, quod narrat aquam eius fluminis flauam lanam, rutilam reddere, mira quoque a Theophraſto tradita fuerant de vi ipſius, vt refert Plinius libro xxxi. cui tamen omnino non conuenit cum Euripide: longe namque aliter potu illius aquae mutari colores tradit, ſiue hoc ipſius culpa factum ſit, ſiue Graeci ipſi auctores de hoc inter ſe diſſenſerint. inquit enim Theophraſtus in Thuriis Crathim candorem facere: Sybarim nigritiam bubus, ac pecoribus, & quae ſequuntur.

Euripidis grauis locus, ductus aliquo modo ab Homero.

CAP. IX.

PARS (vt opinor) chori: ſiue totus ille grex captiuarum, vnde ipſe conſtabat, in fabula Euripidis, cuius ſupra mentionem feci, cogitans poſſe fieri, vt erus opera ipſius vtatur in explenda libidine ſua, vehementer ſollicitus de hac re, & tamquam extremum omnium malorum id reformidans, optat noctem illam extingui e numero noctium; periteque, qua tam turpi miniſterio ſeruire deberet. quod ſi factum fuiſſet, numquam ipſe dedecus illud, infamiamque ſubiiſſet. hoc enim prorſus ſignificare voluit, cum in eam mentem venit. Locum vero hunc indicare placuit, quia elegantem puto: expreſſumque ex Homero ingenioſe, fonte paene omnium huiuſcemodi ſententiarum, quae poſtea valde celebratae ſunt, ac per omnium ora vagabantur. Sed etiam me mouit, vt hoc facerem, quia macula ipſum obſcurabat, quam, auctore antiquo libro, non ſine gratia aliqua ſtudioſorum hominum, tollam. Ita igitur totus ſcribi debet.

" Αἰ αἶ ποίαν δ' εἰκτοις
" Τὰν νὰν λώβαν ἐξανύσω;
" Οὐκ ἰδαίοις ἱστοῖς κερκίδα
" Δινεύουσ' ἐξαλλάξω,
" Νέατον τεκέων σώματα λεύσσω
" Νέατον μόχθοις ἕξω κρείσσω

Ἢ λέκτροις

ἢ λέκτρεσι πλαθεῖσ' ἐπ' ἄνδρα·
Ἐχθροῖς δ' αὐτῇ καὶ δαίμοσι. Eſt autem ſimilis, vt apparet iam, Homericae illius vocis; τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών: quam, in Latinum ſermonem verſam, pronuntiari fecit Virgilius a Didone: Dido tamen non diu manſit in forti illo, dignitatiſque pleno propoſito, ſed facile inde & ſororis ſuaſu & amoris illecebris deiecta eſt. dixerat autem. Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat, & quae ſequuntur. verbis autem Graecis aliquando M. Cicero ipſam edidit, in epiſtola vltima ad Q. Fratrem, vel potius eam innuit; neque enim, vt notam peruulgatamque integram poſuit: alio tamen loco eandem plenam. Sed etiam, cum idem oſtendere vellet in alia epiſtola, verbis itidem Graecis, alius tamen poëtae, id protulit: nam inquit cum ſignis quibuſdam indicaſſet, Octauianum puerum ciuili poteſtate contentum non eſſe, ſed regno inhiare. μηδ' σωθείην, ὅταν τοῦτο. Sed Euripides etiam aliquando idem paene iiſdem verbis protulit, vt cum in fabula, quae vocatur Heraclides, fortiſſimum virum Theſeum, accuſantem tyrannidem, ita fecit loquentem. μὴ ζῴην ἔτι, Εἰ σοί μὲ τίνων πρὸς βίαν ὑπόσχεσις. Sed quis demum poëtis tam honeſtam & forti generoſoque viro dignam, ſententiam non pronuntiauit? Nam & aliis ipſius veſtigiis repetiuntur apud Homerum. Et apud Sophoclem Oedipus optat prius mori, quam turpem illam maculam ſibi haerere intelligat.

Collati inter ſe duo elegantes loci: alter Euripidis, Virgilij alter.

CAP. X.

DVo magni poëtae, alter Graecus: alter Latinus, magnitudinem metus oſtendere volentes: ſonumque horribilem, qui non ſine cauſa, cunctos, qui audirent perterrefaceret, eodem ſe contulerunt, & ab eo, quod conſequutum eſt, id patefecerunt, quamuis non omnino illud idem ſit: exiſtatque inter ipſos aliquid diſſimilitudinis. totum igitur ipſum proferendum putaui. vt conſiderent ingenioſi & eruditi viri, cum ambae illae res miram in modum id declarent, vtra earum magis id aperiat, & quaſi in conſpectu ponat. Euripides igitur Troadibus, vocem ſaeuam, clamoremque hoſtilem exprimere volens, qui vndique excitatus eſt, capto Ilio a Graecis, cum in eam vrbem noctu milites irrupiſſent, inquit audito illo, pueros matribus adplicuiſſe manus, pauore oppreſſos, & quaſi ſe totos in ſinum ipſarum coniecisſe. Verba poëtae ſunt. βοὰ δὲ φίλια περὶ πέπλους ἔβαλλε ματρὶ χεῖρας ἐπτοημένα. Virgilius autem ingentem & ipſe, ſonum tubae illius, quam inflarat Alecto, aperire volens: & quantam vim haberet perterrefaciendi, contra inquit matres: de ſalute filiorum ſollicitas, magis arcte ipſos complexas fuiſſe, quaſi prope raptores haberent: & qui e manibus ipſarum eos auellere conarentur. ita igitur cecinit. Et trepidae matres preſſere ad pectora natos. Quin certe vtrumque contingat huiuſcemodi aliquo formidoloſo tempore: & cum ſubito quippiam nouum & inexpectatum ad aures peruenit, dubitandum non eſt, ſed quaeritur vtrum eorum magis aptum ſit illi rei atroci atque horribili ſignificandae.

Diligenter animaduerſa vox Mithridatis, qua L. Lucullum, aduerſarium ſuum, valde commendauit.

CAP. XI.

PRODITVM memoriae eſt, Mithridatem, Ponti regem, ſummis laudibus tuliſſe in caelum L. Lucullum imperatorem, qui contra ipſum exercitum duxerat, & a quo non ſemel in bello magna incommoda acceperat: ea enim virtutis eximiae vis eſt, vt cogat etiam aduerſarios ſe laudare, ſi praeſertim magno animo praediti ſunt. An id eo conſilio Mithridates faciebat, quis dum virtutem aduerſarij: ſcientiamque rei militaris celebrabat, culpam ſuam minuebat, qui ab eo victus, regnoque exutus fuerat? M. Ciceronis haec verba ſunt e prooemio illo Academicarum quaeſtionum, quo Lucullum valde ornauit: inquit enim. Vt rex ille, poſt Alexandrum maximus, hunc a ſe maiorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legiſſet, fateretur. Vt autem rex hic eum, quem aliis de cauſis odio habebat, laudat, ita apud Homerum Agamemnon Hectorem acerrimum, ſuum inimicum, celebrat, & eadem paene de illius fortitudine pronuntiat, quamuis non talem, ſemper eum extitiſſe affirmet, ſed vnius potiſſimum diei res geſtas eius commendet: inquit igitur ſe neminem vmquam vidiſſe: neque ab alio accepiſſe, qui id commemoraret, quempiam tot magna & praeclara facinora animo percepiſſe, quot Hector effeciſſet, & detrimenta Graecis attuliſſet. quare non ſine cauſa exiſtimare aliquis poſſet, Mithridatem, regem illum regum imitari voluiſſe: nec

ſibi

ſibi indecorum eſſe putaſſe, quod ſapiens ille rex honeſte feciſſe merito exiſtimatus eſt. Sed poëtae maximi verba ponamus, qui rem quantum potuit auxit, & ita denique eum locum tractauit, vt perſpiciantur verba illa e corde Agamemnonis manaſſe.

Οὐ γάρ πω ἰδόμην, οὐδ' ἔκλυον αὐδήσαντος,
Ἄνδρ' ἕνα τοσσάδε μέρμερ' ἐπ' ἤματι μητίσασθαι,
Ὅσσ' Ἕκτωρ ἔρρεξε, Διῒ φίλος, υἷας Ἀχαιῶν.

Nam duobus etiam illis verbis, arbitror auctam eſſe non parum virtutem Hectoris, quibus ſignificauit multo plura ipſum praeſtitiſſe, quam ceteri cogitare, & animo complecti potuerint. Vt ſimilitudinis aliquid hic locus cum illo M. Ciceronis habeat, qui cum Cn. Magnum ornaret, ſuadens legem Maniliam, inquit de ipſo. Qui plura bella geſſit, quam ceteri legerunt; plures prouincias confecit, quam alij concupiuerunt, qui Latini oratoris locus ſimilis idem eſt illi diſertiſſimi ſcriptoris, Iſocratis in libro, quem ad Philippum miſit, cum valde illum regem celebraret. ὅτι ἤδη τοσαύτας τυγχάνεις κατεστραμμένος, ὅσας οὐδεὶς πώποτε τῶν ἄλλων ἠλπισεν πόλεις ἑλεῖν.

Non omnino repugnare, vt videtur, quod dictum eſt, atrum lumen.

CAP. XII.

ATRVM lumen cum aliquando vocarit Virgilius, videri poſſet res contrarias coniunxiſſe: nihil enim tam repugnat luci ac ſplendori, quam nigror, vnde apte nubes atrae vocantur: eſtque id proprium naturae ipſarum. Euripides quoque Troadibus, cum de incendio Troiae loqueretur; flammamque illam ingentem poneret ante oculos, eodem pacto locutus eſt: appellauitque, quod idem valet, αἴγλαν μέλαιναν. nec tamen non eodem loco addidit, quod proprium luminis eſt, & quaſi contrarium contrario oppoſuit, vt locum ornaret, & vim earum rerum, in quibus quaſi immutatio quaedam facta eſſet, magis aperiret: παμφαὲς enim σέλας nominauit: ſignificare igitur vtrumque poëtam flammam, fumi plenam, apparet, cuius fumi vi & nigrore nitor flammae obſcuraretur: totus autem Euripidis locus hic eſt. ἐν δόμοις δὲ παμφαὲς σέλας πυρὸς μέλαιναν αἴγλαν ἔδωκεν ὕπνῳ: nam ille Virgilij notus eſt, cum furia facem ardentem in Turnum intorſit.

Et fumus, & aliae non nullae res celeres, vacuae ab animo, ac paene etiam corpore, dictae a poëtis, alas habere.

CAP. XIII.

MOS videtur fuiſſe Graecorum poëtarum, vt alas affingerent rebus celeribus, quamuis illae animo ſenſuque carerent: ita enim putabant declarari curſum velocitatemque earum. Euripides igitur eo conſilio (vt arbitror) in Ione dixit, cum ortum ſolis oſtendere vellet ἀμφ' ἡλίου πτέρυγι θοᾷ: alam enim ſolis vocauit, quia cum repente lux eius adueniat, imitatur autem aliquam, quae vtitur in motu illo ſuo, ala. Eadem de cauſa idem poëta in alia fabula, quae Troades appellatur, fumo alam tribuit, atque id duobus locis, non tamen valde remotis: primum enim inquit, πτέρυγι δὲ καπνὸς ὥς τις οὐρανίᾳ πεσοῦσα. Poſt autem. κόνις δ' ἴσα καπνῷ πτέρυγι πρὸς αἰθέρα. Eodem autem pertinet, quod in ſuperiore fabula fumum dixit volare. Σμύρνης δ' ἀνύδρου καπνὸς εἰς ὀρόφους Φοίβου πέταται. Sed eadem etiam mente, niſi quod nomen fumi non ponit, quamuis rem ipſam oſtendat, Virgilius inquit, volat vapor ater ad auras.

Clara ſententia Ciceronis, quae ornat ſtudia litterarum, indicata ſumpta eſſe ab Ariſtotele.

CAP. XIIII.

SENTENTIA illa, valde celebris, de fructu, qui capitur ex cognitione bonarum artium, multiplex ſolidaſque, fluxit e fonte omnis ſcientiae: omniſque ſapientiae, Ariſtotele: ille enim, vt memoriae prodidit Laërtius Diogenes, dixit παιδείαν eſſe ἐν μὲν ταῖς εὐτυχίαις, κόσμον: ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις, καταφυγήν: auxit autem illam multis modis: magiſque explanauit M. Cicero in defenſione Archiae poëtae, loco valde apto illi rei faciendae: inquit igitur diſertiſſimus orator. Haec ſtudia adoleſcentiam alunt: ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolacium praebent. delectant domi. non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur,

cantur. Nolo autem omittere, quin admoneam aliter legi primam partem huius loci Ciceroniani in libris manu ſcriptis, cuncti enim magno conſenſu pro alunt, habent agunt. quam lectionem non omnino contemnendam arbitror, vt valeat fortaſſe illic agunt, erudiunt, inſtituunt. quin certe ἄγειν apud Graecos hoc ſignificet dubitari non poteſt, vnde vocata eſt ab illis liberorum inſtitutio ἡ τῶν παίδων ἀγωγή. potuit igitur exprimere M. Cicero, id verbum, atque id ſane mihi admodum veriſimile eſt. Nec tamen me fallit M. Ciceronem aliquando μεταφορικῶς hoc verbo vſum, vt pro M. Marcello, cum inquit. Illa inquam, illa vita eſt tua, quae vigebit memoria ſeculorum omnium, quam poſteritas alet. Neque tamen me hoc ſententia penitus mouet, aut omnino declarat, peruulgatam lectionem eſſe exploratam.

Monſtratus locus Ciceronis, qui videtur ex Homero expreſſus.

CAP. XV.

ALLVSIT aliquando M. Cicero in orationibus ſuis ad locos quoſdam Homeri illuſtres; ſententiaſque alias etiam valde celebres, & quae in ore politorum hominum eſſent: neque tamen id facit ita aperte, vt paſſim ab omnibus intelligi poſſit, eo ipſum reſpexiſſe, quia locus tempuſque illud id non patiebatur. Cum igitur in Philippica ij. inquit. Neque vllam ſocietatem optimis ciuibus cum importuniſſimo hoſte, foedere vllo, confirmari poſſe credidi, arbitror ipſum exprimere voluiſſe locum illum diuiniſſimi eius poëtae, cum fecit Achillem, repudiantem condicionem Hectoris, pactumque de reddendis corporibus; cauſamque ſui conſilij afferentem, dicere. ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά: niſi fallor enim non potuit melius, ſi verbis aptis ei loco vti vellet, & recte, quod faciebat facere, vertere ſententiam illam. Sed etiam, cum in eadem oratione inquit, accuſans M. Antonium, quod contra officium feciſſet. At etiam litteras, quas me ſibi miſiſſe diceret, recitauit, homo & humanitatis expers: & vitae communis ignarus; quis enim vmquam, qui paulum modo bonorum conſuetudinem noſſet, litteras ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita, in medium protulit, palamque recitauit, quis non fateatur eum in mente habuiſſe hanc ſententiam, atque ipſam reddere voluiſſe? ἱερὸν χαίρω τὰ κρυπτὰ μετ᾽ ἀρχῆς φίλων. ipſe certe huius opinionis ſum, vt putem eius animo tum obuerſatam hanc peruulgatam vocem fuiſſe.

Correctus error Gazae in vertendo problemate Ariſtotelis.

CAP. XVI.

LAPSVS eſt Theodorus in vertenda quaeſtione illa Ariſtotelis, valde erudita, de atra bile; nec vidit huic loco ipſius maculam haeſiſſe: cum enim verba haec exprimeret ἔσονται σίβυλλαι καὶ βακχίδες (ita enim illa paſſim leguntur) reddidit. Ex quo Sibyllae efficiuntur & bacchae, ipſe autem, coniectura ductus, olim putaui βάκιδες. vna minus littera, legi debere; quam tamen opinionem meam poſtea confirmaui auctoritate calamo exarati libri, in quo ita ſcriptum offendi, & ſane hoc pacto legi debet. Bacis enim fuit antiquus vates, atque is profecto magni nominis. quod autem numero multitudinis, nota figura vſus, ſummus philoſophus, dixit βάκιδες, intellexit non illum ſolum, ſed ceteros omnes eius generis, atque illi ſimiles. Cum vero & M. Cicero, & Ariſtophanes νεφέλαις, Bacidis huius mentionem fecerint, qui magis hanc emendationem adiuuat, locum Plutarchi indicabo; ille enim in eo libro, qui inſcriptus eſt γυναικῶν ἀρεταί, coniunxit paene vt Ariſtoteles, propter ſimilitudinem duo haec nomina. quin certe ab eo, nomine illo, vir ſignificetur dubium non eſt. haec igitur verba ſunt erudītiſſimi ſcriptoris. τί δ᾽ εἰ λέγοντες τὴν αὐτὴν ποιητικὴν ἢ μαντικὴν ἀποφαίνοντες οὐχ ἑτέραν μὲν ἀνδρῶν: ἑτέραν δὲ γυναικῶν οὖσαν, ἀλλὰ τὰ ἀπὸ τῆς σαπφοῦς μέλη τοῖς ἀνακρέοντος, καὶ τὰ σιβύλλης λόγια τοῖς βάκιδος ἀντιπαραβάλλομεν. Quod autem in primis iudicium meum conſtituit, furor Baccharum diuerſus eſt a furore vatum: nec eundem ortum habet, aut idem prorſus efficit: atra enim humor in furorem agit vates: facitque vt illi aliquando futura praedicent, & tamquam oracula quaedam edant. Ioannes Vincentius Pinellus, vir quamuis merito ab omnibus, aliqua laude dignis, plurimum laudatus ob multas, & magnas animi ſui dotes, numquam tamen ſatis laudatus, ſignificauit mihi epiſtola quadam ſua, ſe, quod tunc me fefellerat (neque enim cuncta, quae legimus, perpetuo recordari poſſumus, praeſertim in hoc genere ſtudiorum, quod non requirit exquiſitam diligentiam) legiſſe tres fuiſſe Bacidas, qui cuncti eidem ſtudio dediti fuerint, magnumque nomen conſecuti ſint, ob praeſenſionem rerum futurarum, gloriamque diuinandi: & praeter quam

apud

apud interpretem Ariſtophanis, loco valde noto, & ante oculos poſito, etiam apud Aelianum libro xij. de varia hiſtoria; idem etiam fecerat Aretius Neapolitanus, poëta bonus, & omni eleganti doctrina excultus, qui & ipſe me multum dilexit, & monimentis etiam ingenij ſui ornauit, cum ad eum, primo illo tempore exemplar parui huius mei laboris miſiſſem.

Indicatus Cicero contra morem ſuum vſurpaſſe aliquando plenum cum ſexto caſu.

CAP. XVII.

ADNOTATVM eſt a veteribus grammaticis M. Ciceronem patrium generandique caſum ponere poſt nomen plenus, vt dicat plenus vini, & non vino, atque id ſane ſeruare, quod cuſtodiuit etiam Terentius, cum M. Varro, C. Caeſar cum ſexto caſu id vſurpent. Eſt profecto id verum, ſemperq; cum poteſt id Cicero facit, non tamen ita reformidat alteram illam eius vocabuli conſtructionem, vt velit omnino aliter loqui. nam cum res poſtulat, vt maiorem culpam declinet (ſi hoc etiam nomine vocari debet, quod commiſerunt libere ac ſine vllo metu offenſionis illi optimi ſcriptores) huc confugit, & opinionem aliorum ſequitur, vt fecit, cum in C. Verrem inquit, Verris ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum: apparet enim quam moleſta auribus eorum, qui audirent futura fuerit compoſitio verborum, ſi ornamentorum illo loco dixiſſet, ac conſuetudinem ſuam retinuiſſet. cum ſequantur ſtatim duo nomina eodem pacto deſinentia. Sed alterum etiam in eius ſcriptis locum inueni, in quo a conſuetudine ſua diſceſſerit: nec ſane cauſam afferre poſſum tantae conſilij mutationis, niſi aliquis putet id natum ab animi perturbatione magna, qua tunc premebatur: eſt enim in iij. libro epiſtolarum ad Atticum, quas ſcripſit cum patria expulſus foret: inquit enim initio cuiuſdam epiſtolae. Et tuis litteris plenus ſum expectatione de Pompeio, quid nam de nobis velit aut oſtendat.

Illuſtratus locus Aeſchyli, deletis maculis e declaratione ipſius.

CAP. XVIII.

CVM olim curauerim excudendas veteres quaſdam declarationes in Aeſchyli fabulas, quae ſuperſunt, e multo maiore ipſarum numero, vetuſtate deletarum, in eodem propoſito adhuc manens, adiuuandi grauem eum doctumq; poëtam, indicabo locum, qui in ipſis ſcholiis ita deprauatus eſt, vt fructum nullum ea explicatio ferat lectori: & quomodo legi debeat, oſtendam. In Eumenidibus igitur, quo loco illae ipſae vltrices ſcelerum deae, communi animo ſignificant ſe nolle amplius id munus obire, quia Oreſtes, certus matricida, ipſis eriperetur, ſunt verba haec. ἅπτεται μέγα τὸ κράτος διὸς ὡσαύτως ἄλλα [illegible]. quorum ſententiae explicandae ſunt adpoſita verba haec ἀλλ' ἄλλας ἱερᾶ ὁ θεὸς ἰδ' ἐπὶ δίκης, ſine dubio maculoſa. legi igitur debet, reſtituto vno verbo; ceteriſq; melius diſtinctis, ὁ θεὸς ἰδ' ἐπὶ δίκης. Significant autem id quod Statius quoque cecinit, cum inquit Primus in orbe Deos fecit timor: ſententia enim haec Graecum neſcio quem auctorem habuerat, ita certe verbis ipſa expreſſa legitur apud Plutarchum in libro, quo diligenter docet quomodo inſtructi adoleſcentes accedere debeant ad lectionem poëtarum.

Similes valde monſtrati duo loci duorum magnorum ſcriptorum. quorum tamen alter auctorem citat, vnde ſumptus ſit.

CAP. XIX.

PLATO in epiſtola quadam, quam ſcripſit ad Dionyſium Syracuſanorum iniuſtum regem, cum oſtendere vellet ipſum non ſolum improbe feciſſe, qui ſe ſine honore vllo dimiſiſſet; valde vtilem ſibi ac fidelem rebus ſuis, verum etiam ſtulte, vt qui non cogitaret poſſe ſtatum illum ſuum florentiſſimum immutari; nec intelligeret, quid commodi capi poſſit ab amicis in rebus aduerſis, vſus eſt ſententia Euripidis valde graui, & quae potentiſſimos homines admonet fortunae volubilitatis, vt auctoritate illius poëtae, quae magna in primis erat, declararet malo conſilio illum vſum fuiſſe. Eſt autem hic omnis locus καί μοι τὸ τοῦ Εὐριπίδου κατὰ καιρὸν ἐπεισιν εἰπεῖν. ὅτι σοι πραγμάτων ἄλλων ποτὲ ξυμπεσόντων εὔξῃ τοιοῦτον ἄνδρα σοι παρεστάναι. Quis autem negaret idem ſatis apte vſurpaſſe Ciceronem pro Milone; & hunc prorſus locum doctiſſimi poëtae exprimere ipſum voluiſſe. Cum ita cum Cn. Magno in ea oratione inducit Milonem loquentem, redigentemque ipſi in

mentem

mentem infirmitatem rerum humanarum. Erit erit illud profecto tempus & illuceſcet aliquando ille dies, cum tu, ſaluatibus vt ſpero rebus tuis, ſed fortaſſe motu aliquo communium temporum immutatis, qui quam crebro accidat, experti debemus ſcire, & amiciſſimi beneuolentiam, & grauiſſimi hominis fidem & vnius poſt homines natos fortiſſimi viri magnitudinem animi deſideres. Nam, quod a M. Tullio in mediam hanc ſententiam inculcatum eſt, ſapienter ab ipſo hic additum fuit, ne ominaretur amiciſſimo homini aliquid maioris mali; & ita ipſius animum perturbaret, nec tamen deſtitit ille confirmare ſtatim, id poſſe & ſolere crebro vſu venire ac contingere.

Expoſitum artificium, quo vtitur Homerus in declaranda ignauia Paridis, cum Diomedem percuſſit.

CAP. XX.

EGREGIA expreſſit Homerus timiditatem Paridis, qui in proelio non ſolum eminus vulnerauit Diomedem, ſed in inſidiis ſtans; poſt columnamque in ſepulchro poſitam; tectuſque demum illa, tamquam aggere quodam, iecit in ipſum ſagittam, vnde ſummus poëta de illo inquit, cognoſcente fortiſſimum virum a ſe percuſſum: ἐκ λόχου ἀμπήδησε: affectus enim laetitia incredibili Paris, intelligenſque ſibi amplius nocere non poſſe heroem illum, tardatum vulnere, ſe ipſi oſtendit, quod certum iudicium eſt ignaui militis ac glorioſi. Eandem virtutem adhibuit Terentius, cum militem illum inertiſſimum notare vellet; & mores eius deſcriberet; fecit enim a Gnathone dici. Fundam tibi nunc nimis vellem dari. Vt tu illos procul hinc ex occulto caederes, facerent fugam. Genus igitur illud teli & locus, in quo ſtabat, arguunt ignauiam militis eius, qui verbis tantum ferox erat: re autem ipſa timidus: & ſi Hercules quoque ſagittis vtebatur: inſimulatuſque & ipſe hoc nomine aliquando eſt ab inimicis: inſidiae praeterea illae, quae in bello ab imperatoribus contra hoſtes ſtruuntur, requirunt fortes milites. qui autem, loco tectus, vulnerat aduerſarium, non poteſt non ignauus & parui animi, miles haberi. Nam, quod comicus Latinus ex occulto inquit, puto ipſum reddere voluiſſe, quod fortaſſe apud Graecum erat, vnde fabulam illam vertit, ideſt Menandrum, ἐκ τοῦ ἀφανοῦς: his certe verbis vſum eſt antiquum ſcholion, quod Homericum illum locum illuſtrat: inquit enim, ὁ δὲ τὸν ἐκ τοῦ ἀφανοῦς τοξεύοντα, ἐκ λόχου ἀναπηδῆσαι φησί.

Laudatus Charondas νομοθέτης, monſtratuſque locus, vbi ſunt veſtigia quaedam legum ipſius.

CAP. XXI.

CHARONDAS Catanaeus, cuius Ariſtoteles & Cicero mentionem pluribus locis fecerunt, ſcripſit leges egregias: ipſiuſq; nomen magnum erat, vt Zaleuci, Lycurgi, Solonis clariſſimorum hominum, & in hoc genere ſapientiae valde probatorum, qui tamen duo poſtremi magis celebrantur, quia legibus ſuis ornarunt duas claras & honeſtas ciuitates, Lacedaemonem & Athenas, ſed horum etiam praeclara ingenij monumenta; aptaque mirifice ad homines optima diſciplina inſtruendos, non minus atque ſuperiorum amiſſa ſunt, ac vetuſtate deleta: reſtant tamen apud Stobaeum quaedam veſtigia legum Charondae & ipſa quidem non mala, quaeque (vt arbitror) forent perſequenda & ſummo ſtudio illuſtranda, quemadmodum lex illa, qua ſtatuit, ne indicare homines affines alicui culpae, haberet in ſe dedecus ac turpitudinem vllam. voluitque nomina eorum deferre, qui iniuſte aliquid feciſſent, honeſtum eſſe: purumque etiam ac pium illum haberi, qui ſecum etiam ſanguine maxime coniunctos, & omni denique neceſſitudine copulatos, indicaſſet, cuius ſententiae ſuae rationem hanc reddidit; dixitque nihil eſſe, tam neceſſarium nobis, quam patriam. idem autem protulit Cicero in M. Antonium cum docere vellet, nullam eſſe excuſationem illam, qua aliqui vterentur, qui cum accuſarentur, quod peſſimum ciuem & inutilem reip. defenderent, ita ſe purgabant, Meus cognatus eſt. An poteſt inquit Cicero, cognatio propior vlla eſſe quam patriae. Verba Charondae, verae pietatis plena; dignaque, quae vbique legantur, haec ſunt. Καλὸν δ' ἔστω καὶ μηνύειν, ἐάν τις τῷ συνειδῇ ἀδικοῦντι. ἵνα ἡ πολιτεία σώζηται, πολλοὺς ἔχουσα τῆς δικαιοσύνης φύλακας: ὁ δὲ μηνύσας ὅσιος ἔστω καὶ κατὰ τῶν οἰκειοτάτων ἐξαγγέλλων: οὐδὲν γὰρ οἰκειότερον πατρίδος. Sequuntur non nulla in eam ſententiam, & quae confirmare conantur vtilitatem huius inſtituti.

Soluta quaeſtio, quae non ſine cauſa perturbaret quempiam, in epitheto Achillis apud Homerum.

CAP. XXII.

PVTARET aliquis, non omnino rudis Homericae Iliadis; nec tamen in eo poëmate diligenter verſatus, Ciceronem erraſſe, qui in epiſtola quadam ad Plancum, cum ipſum ſedulo hortaretur, vt M. Antonium opprimeret, atque ita reliquias eius belli deleret, inquit. Itaque Homerus non Aiacem, nec Achillem, ſed Vlyſſem appellauit πτολιπόρθιον: in xv. enim libro eius pulcherrimi operis legitur hic verſus pronunciatus ab Ione, de Thetide loquente. λισσομένη τιμῆσαι Ἀχιλλῆα πτολίπορθον. Sed quia hic omnis locus ſuſpectus eſt, nec teſtimonium hoc multum valeret: non enim deerant plures veteres grammatici, qui non paucos verſus inde tollerent; indicabo alium, in quo itidem eodem epitheto ornatur fortiſſimus heros; eſt autem hic. Αὐτὰρ ὅ γ᾽, ὡς ἐνόησεν Ἀχιλλῆα πτολίπορθον: non dubitari igitur poteſt, quin Achillem quoque vocarit aliquando poëta πτολίπορθον, quamuis plerumque aliis nominibus ipſum decorare ſoleat, & dicere denique eum ποδάρκη, ποδώκη, πόδας ὠκύν. nec tamen affinis eſt vlli culpae M. Tullius. appellat enim Homerus Vlyſſem ſolum πτολίπορθον, cum oſtendere vult illius potiſſimum opera factum eſſe, vt Ilium caperetur; ſoli enim ipſi tribuit hanc gloriam. ab Achille tamen quoque initio belli Troiani plura oppida expugnata fuerant. quare potuit quoque ille vere vocari πτολίπορθος. Nam ſi de Ilio ſermo eſſet, quomodo potuit Achilles eo honore affici, qui ante excidium eius vrbis extinctus fuit a Paride in proelio: videtur enim interitum Troiae laudi dare voluiſſe illis, qui ſuperſtites fuere, cum vrbs illa capta eſt: in primis autem huic ſummi conſilij viro, vnde in ij. etiam libro, multo ante, quam id factum fuit, ita Vlyſſes vocatus eſt ratione illa, quam grammatici προαναφώνησιν nominant. ἀνὰ δ᾽ ὁ πτολίπορθος Ὀδυσσεύς. ἔστη, σκῆπτρον ἔχων, quo loco vetus declaratio, ita legi ſolitum ab Ariſtarcho docet: perperamque non nullos facere, qui inde tollant articulum, quia poëta, ſui conſilij conſcius, ac iam animo videns exitum eius belli προαναφωνεῖ τὴν πόρθησιν δι᾽ αὐτοῦ γενησομένην.

Quid ſuae opinionis ſit de loco Varronis, qui dixit Menedemum Terentianum ſolitum vocari διφθερίαν.

CAP. XXIII.

NARRAT M. Varro in libro de re pecuaria, ſenes ſolitos vocari in tragaediis a pelle ouium, ſiue caprarum, quibus induerentur, διφθερίας, & itidem in comoediis, qui in ruſtico opere morarentur, vt apud Terentium in Heauton timorumeno ſenem, non tamen, e comici verbis elicitur, ita Menedemum vocatum: neque etiam alio vllo indicio perſpicitur, ſenem eum, qui in agro colendo toto animo & corpore volutabatur, illo Graeco nomine appellatum fuiſſe. praeterea cum legerim Graecas fabulas tragicorum, non memini me vnquam in hoc nomen incidiſſe. Eſt igitur accurate videndum, quo ſenſu hoc dixerit doctiſſimus omnium Latinorum, vt autem ipſe, quod mihi in mentem venit, aperiam, arbitror Menedemum διφθερίαν tunc vocatum, quia mos eſſet, actorem eum in ſcenam venire pelle indutum, qui veſtitus illi ſtudio conueniebat: cunctae enim perſonae, quae partes eſſent fabulae, vt memoriae prodidit Pollux in Onomaſticho, ſuum ac proprium veſtitum habebant, & colore veſtis: formaque, vt reliquo etiam ornatu, ſtatim vt illae viſae forent a ſpectatoribus, intelligi poterant eſſe illas, aut adoleſcentem amori deditum, aut militem, aut paraſitum, aut meretricem, aut lenam, aut matronam, aut aliam demum quamlibet perſonam. Eodem igitur pacto ruſtici homines & coloni veſtitum eum gerebant, qui illi rei & arti congrueret. Seruabatur autem hoc diligenter: adiuuabat enim non mediocriter exitum fabulae: efficiebatque vt ſpectatores melius omnia perciperent, nec in perſonis diſtinguendis confunderentur. Nam agricolarum fuiſſe illum veſtitum, declarat etiam quod Strepſiades, agreſtis homo, apud Ariſtophanem, Phidippidem filium vellet exemplo ſui διφθέραν indutum eſſe, non ξυστίδα, quam auus ipſius maternus Megacles, nobilis ac fortunatus vir, geſtare ſolitus erat. Pollux autem ipſe tradit ornatum fuiſſe agricolarum, manticam, pedum, & pelliceam hanc veſtem: & non ruſticorum hominum ſolum, ſed etiam pauperum omnium ac miſerorum, vt Philoctetae, & Telephi, quae tragicae perſonae erant, poſtquam ſpoliati regno & fortunis ſuis amplioribus forent. vocabulum ſane Graecum διφθέρα vſurpatur a M. Cicerone in epiſtola quadam ad Atticum, vbi loquitur de libris ſuis Academicis, ſed valet illic carta: in pellibus enim ouillis, aut caprinis illi quoque, vt nos hodie facimus,

ſcribere

ſcribere conſueuerant. Inquit igitur Quattuor διφθέραι ſunt in tua poteſtate: Nam liber etiam antiquiſſimus noſtratum Pandectarum e pellibus eſt, ſed vitulinis: quae tamen tenuiſſimae ſunt. Seruos vero & tenuis admodum condicionis homines, ſolitos pellibus veſtiri, intelligitur etiam hoc teſtimonio Euripidis, cuius haec ſunt verba in Cyclope, pronuntiata a choro ſatyrorum, Δίπλακας ἀμφὶ δορὰς τᾷδε τράγου χλαίνᾳ μελέᾳ. arbitror autem videndum, poſtquam ſuperiorem Ciceronis locum adduxi, an verior ſit lectio optimi illius libri, cuius auxilio infinitae maculae a me ex his epiſtolis deletae ſunt: in illo enim pro διφθέραι, legitur διφθερίαι, vna plus ſyllaba, vt valeat pelliceae: epithetonque ſit cartarum: mihi quidem certe hoc valde veriſimile eſt.

Inuentus locus apud Homerum, valde ſimilis Ciceroniano cuidam, ſententiam grauem continenti.

CAP. XXIIII.

LOCVS hic M. Tullij in nobili illa oratione, qua M. Antonij vitam omnem ipſius aptam notauit. Dum genus hominum: dum populi R. nomen extabit, quod quidem erit (ſi per te licuerit) ſempiternum, tua illa peſtifera interceſſio nominabitur, valde ſimilis eſt illi Homerico, cum diuinus poëta Aiacem, Telamonis filium, diuinare aliquo modo ac praeſagire fecit, cum illo ipſo loquens in media pugna, quae eſſent Hectori incommoda & grauia mala euentura: affirmauit enim tempus propinquum eſſe, cum ipſe optabit ac votis omnibus a Ioue impetrare conabitur, vt equi illi, quibus vehebatur, aquilis velociores fiant, vt poſſint ipſum ſaluum & incolumem, ereptum hoſti, in vrbe ſiſtere: vt enim hoc ipſum non multo poſtea factum eſt, ita interceſſio illa peſtifera poſt tot ſecula commemoratur, & ab omnibus perſpicitur per Antonium ſtetiſſe, ne Senatus remedio illo ſuo tantorum malorum vti poſſet. nam in eo quoq; plane Cicero praeſagus fuit, & diuina quadam ſapientia praeditus, qui iam tum veritus eſt, ne Antonius interitum afferret reip. & optime fundato imperio: ille enim origo fuit omnibus temporibus malorum eorum omnium, quibus fracta & labefactata eſt dignitas populi R. & Senatus auctoritas. Sed ad Homerum redeamus, in cuius, monſtratum a nobis locum, extat vetus ſcholion, quod affirmat Aiacem tunc minime diuinare, ſed potius coniecturis ductum ita prorſus fore dicere. nam audierat prius Achillem, glorioſe de ſe loquentem, dicere. ſe vita hoſtem orbaturum & omni ſupplicio ipſum affecturum, cuius orationi fidem habebat, nec eum falli poſſe putabat. Verba huius antiquae declarationis haec ſunt. Οὐ προμαντεύεται, ἀλλὰ στοχάζεται· ἀκήκοε Ἀχιλλέως:

Ἀμφὶ δ' ἤτοι τῇ' μῇ κλισίῃ, καὶ νηὶ μελαίνῃ
Ἕκτορα καὶ μεμαῶτα, μάχης σχήσεσθαι ὀΐω.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXVII.

Correctus, & explicatus locus Euripidis e Troadibus.

CAP. I.

NOBILIS & fortunata quondam, mulier Troiana, apud Euripidem Troadibus, quae capto Ilio, vna cum reliquis captiuis in poteſtatem hoſtium venerat, cum ſecum cogitaret, quae ſua vita futura eſſet: quibuſque miniſteriis, indignis genere ſuo, ſeruire deberet, vidit poſſe etiam fieri, vt alendis liberis eri deſtinaretur, vnde magis tantam fortunarum ſuarum commutationem ſtomachatur: eſt enim tenue admodum vileque munus illud: nam ſolitos Graecos opera ancillarum in ea re vti ex comoediis etiam notum eſt. Apud Demoſthenem, cum ingenuae mulieri obiectum eſſet in iudicio, quod mercede aliquando infantes nutriiſſet, purgat ſe illa, probans id factum ab ſe eſſe, tempore belli, cum Athenienſes fructus agrorum amiſiſſent, nec poſſent ſatis commode dignitatem ſuam tueri: concedi enim tunc debere, vt aliquantum homines declinent a ſplendore ſuo, & ſine vera turpitudine res ad vitam neceſſarias parent. Poëtae ipſius verba ponam, & eodem tempore locum illum corrigam, miſerum in modum lacerum ac depranatum, & ſane hoc in primis adnotandum putaui, vt ſimul hoc praeſtarem, & eruditiſſimo poëtae opem ferrem. ita autem legitur in antiquo libro, cuius praeſidio plurima ex hac fabula menda ſuſtuli: rara autem inuenta eſt illa in calamo exaratis exemplaribus. Νικῶν ἀμεινόνων ἄρσενα ὁ τὴν παρὲκ τεσσάδας θυλακαῖς χριπὶχων: ἃ παίδων θρέπτρ᾽, ἃ νεαλὰς Ἀρχέμοις ἀχέ. τιμᾶς. Nam, quod in extremo femina haec narrat, ſe antea ſummum locum in Troiana ciuitate obtinuiſſe, cum videatur mirifice conuenire perſonae Hecubae, repugnat (vt opinor) quod illa oſtendit ſe adhuc ea aetate eſſe, vt poſſit vberibus ſuis infantes alere: Hecuba vero tunc anus erat, & illi officio nullo modo idonea. Sed etiam, interiectis paucis verbis chori, eadem perſona ſe iuuenem vocat.

Declaratus locus Ciceronis ex oratione pro A. Cluentio.

CAP. II.

CVM confirmare vellet crimen Oppianici Cicero in defenſione A. Cluentij, ſcelerateque eum feciſſe oſtendere qui Viriam, fratris vxorem, praegnantem veneno ſuſtulerat, ne partu eius ab hereditate fraterna excluderetur, vſus eſt exemplo: docuitque aliquando feminam, ream eius culpae, capitis damnatam fuiſſe. Sed verba ipſius ponam, quibus totam rem complexus eſt: auxitque crimen illud quantum potuit. Memoria teneo Mileſiam quandam mulierem, cum eſſem in Aſia, quod ab heredibus ſecundis, accepta pecunia, partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam: neque iniuria, quae ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familiae, deſignatum reip. ciuem ſuſtuliſſet. Mirari autem olim, vt verum fatear, ſolebam, Ciceronem tantum ſtudium in re plana conſtituenda adhibuiſſe, quaſi non compertum exploratumque foret, poena illa dignam mulierem eſſe, quae ſcelus id admitteret: inueni tamen poſtea non omnes olim de illo facto eodem pacto ſenſiſſe: fuiſſeq; , qui graui illa poena feminas, huic culpae affines, liberarent, vel potius nihil ſceleris commiſiſſe exiſtimarent. Erat autem olim in manibus oratio Lyſiae, quamuis non deeſſent antiquitus, qui nullo modo putarent ipſam Lyſiae eſſe, in qua de hac ipſa re quaerebatur: diſputabaturque, ſi quod conceptum iam in vtero eſſet homo foret, & an feminae, quae partum abegiſſent, in iudicium eo nomine vocari poſſent: inſcripta autem illa erat περὶ τῆς ἀμβλώσεως. Meminit huius orationis,

totuſque

totiuſque rei, quam expoſui, Theon ſophiſtes in ſuis progymnaſmaſi, quo loco docet, non ſolum philoſophis accommodatas eſſe θέσεις, cuius ſtudij proprium eſt res remotas a perſonis, locis, & omnibus aliis explicare: verum etiam vſurpari aliquando ipſas vtiliter ab oratoribus: extareque orationes quaſdam, quae id argumentum habeant, & non cauſam aliquam tractent, ideſt factum vnum aliquod certae perſonae, vt hanc ipſam, quae Lyſiae nomine circumferebatur, & aliam etiam, cuius index erat περὶ τῶν ἀνακαλυπτηρίων. Nactus autem huius rei leuem occaſionem, volui admonere, locum in xlviij. libro Digeſtorum. titulo de poenis maculoſum eſſe: vbi enim Tryphonius eandem rem narrat, quam M. Cicero memoriae prodidit, vſus teſtimonio ipſius, erratum librarij eſt in cognomine Cluentij, pro Habito enim ſcriptum illic eſt, Anito; magis eandem credendum puto conſenſui plurium ſcriptorum, qui inde teſtimonium ſaepe citant, quam vni exemplari, quamuis vetuſtiſſimo, & optimo. Omne autem erratum, vt opinor illic eſt, quod initio illius vocis nota aſpirationis appoſita non eſt; nam pro h, infinitis locis cepiſſe, qui ſcripſit eos libros, u, propter ſimilitudinem ſoni, exploratum eſt.

Quae vocata ſint olim ἀνακαλυπτήρια, & an dona, quae ſponſae a viro data fuerint, eripi poſtea ipſi, facto diuortio poſſint.

CAP. III.

POSTQVAM ſuperiore capite mentio a me facta eſt τῶν ἀνακαλυπτηρίων, declarandum puto, quae vis ſit: notioque illius nominis: ita igitur in veteribus moribus, inſtitutiſque Graecorum, tradente hoc etiam Harpocratione in Lexico Atticorum oratorum, appellabantur munera donaque, quae darentur a ſponſo nouae nuptae, vt illa pateretur ſe videri: faciemq; detegeret, cum conſuetudo temporum eorum eſſet, vt adhuc eſt, quarundam gentium, vt virgines vultum velo tegerent, nec poteſtatem alicui ſpectandi ſe facerent. Sed apud incertum etiam interpretem Euripidis in Phoeniſſas, leguntur verſus Euphorionis, in quibus fertur Iouem Proſerpinae Thebas hoc nomine dilargitum fuiſſe: vt autem iam ſignificaui, ferebatur per manus oratio Lyſiae nomine, quae indicem illum haberet, ſed illius etiam orationis argumentum magis aperuit ſophiſtes ille: verum cum in verbis, quae id explanant, mendum ſit, & mendum tale, vt non ſine cauſa quemlibet, doctum etiam & acutum virum poſſit perturbare, putaui ipſum a me tolli oportere: vidi autem quomodo legendum, ſit auxilio antiquiſſimi libri huius auctoris, qui in Medicea bibliotheca ſeruatur: ita vero illic omnis locus legitur οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ ζητεῖται. εἰ τὰ δοθέντα ἀνακαλυπτήρια γυναικὶ γαμουμένῃ, βεβαίως ἔχειν αὐτὴν δεῖ. cum prius in excuſis foret γαμουμένῃ βιαίως, omnino perperam. tradit igitur Theon in ea oratione quaeſitum eſſe, an munera, quae data eſſent a viro vxori, cum primum nupta eſt, propria certaque ipſius forent, nec auferri inde poſſent, aut ab ipſo, aut ab heredibus: id enim valet, aliquid ἔχειν βεβαίως, ideſt ita poſſidere vt firma certaque poſſeſſio ſit, cum minime deeſſent, qui de ea ec aliter exiſtimarent. Demoſthenes quoque ita locutus eſt pro Creſiphonte, cum oſtenderet Philippum Macedonem ſtuduiſſe caſtella quaedam Athenienſium occupare, antequam iureiurando, pacem iam factam, confirmaret, ſperantem illa ſe retenturum, quamuis contra foedus in ea inuaſiſſet. νομίζων inquit, ἅπερ ἂν ἕλοι, ὅσα τῆς ἀρχῆς προλάβοι, πρὸ τοῦ τοὺς ὅρκους ἀποδοῦναι, πάντα ταῦτα βεβαίως ἕξειν.

Valde ſimiles duo loci ſignificati, vnus Aeſchyli: alter Liuij.

CAP. IIII.

HAEC eſt natura mortalium, vt non facile res magnas. & inexpectatas, quamuis bonas & magnopere expetitas, credant. vel potius potiſſimum ipſas, quae valde proſperae ſunt, & animis eorum acceptae, non credant: declarauit hoc doctiſſimus poëta Aeſchylus in Agamemnone, cum fecit Clytemneſtram ita reſpondere nuntio illi, qui ſubito ipſi ſignificarat, captum eſſe ilium a Graecis. πῶς φῂς; πέφευγε τοὔπος ἐξ ἀπιστίας: cognouerat autem id ille ex ſigno, quod illius ſummi gaudij ſe daturum, diſcedens domo, conſtituerat Agamemnon. Idem etiam in re non minore ſignificauit T. Liuius, qui narrauit, vniuerſos fere Graecos in magno conuentu hominum, audita voce praeconis, qua liberabantur a populo R. reuocaſſe illum: iuſſiſſeque eam vocem iterare. quia ob ingentem laetitiam, qua repente perfuſi fuere, fugerat id illos, vixque poterant credere ſe id audiſſe.

Cur Graeciam κουροτρόφον vocarit Euripides in Troadibus.

CAP. V.

QVAERENDVM puto, cur vocauerit Euripides Graeciam κουροτρόφον: atque id, quod commune videtur eſſe omnium terrarum, vni potiſſimum illi nationi tribuerit. omnes namque gentes alunt liberos: ſtudentque ipſos, poſtquam editi ſunt, in vita tueri. Homerus idem hoc iunctum nomen adpoſuit Ithacae, qui tamen puſillam eam & aſperam inſulam, non ſimpliciter κουροτρόφον eſſe dixit, ſed addidit bonam, quod ſi factum quoque ab Euripide foret, nihil dubij haberemus. videndum igitur an tragicus eruditiſſimus ſignificare voluerit, non tam ſtudium Graecorum in alendis liberis, quam diligentiam plurimam, quam adhiberent in iiſdem inſtituendis, & omni arte, ingenuo homine, digna, expoliendis. Quod vero Homerici loci mentionem feci, in quo idem verbum vſurpatur, animaduertendum eſt, an M. Cicero, qui ſine dubio ipſum illum locum adumbrauit, nidulum appellarit, quod Homerus illo nomine oſtendit: haec autem ipſius verba ſunt, cum de amore erga patriam, inſito in animos noſtros a natura, diſputaret. Cuius rei tanta eſt vis, atque ea natura, vt Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis, tamquam nidulum, affixam ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret. Homeri vero verſus noti ſunt, & ab hoc ipſo etiam Latino ſcriptore alio loco poſiti.

Diſſentire aliquando inter ſe in rebus non nullis narrandis hiſtoriae auctores.

CAP. VI.

NON eſt opus ſemper, cum aliquid inuenimus apud aliquem nobilem ſcriptorem e vetere memoria ſumptum, quod aliter literis proditum ſit, ac fecerit quiſpiam antiquus rerum praeteritarum auctor, putare id negligentia commiſſum eſſe: imbecillitatiq; memoriae id aſſignare: nam iiſdem de rebus a variis auctoribus longe aliter aliquando ſcriptum fuerat. Quod igitur Cicero inquit de inexplebili cupiditate voluptatum, qua incenſus fuerit Xerxes rex Perſarum, non exiſtimandum eſt ſtatim minime verum eſſe, quia Plutarchus (vt videtur) hoc Sardanapalo tribuit, certe regi Aſſyriorum; habuit namque ille ſuos auctores, quorum fidem ſecutus, hoc ſine culpa teſtari potuit. Verba M. Tullij ſunt. Nam Xerxes quidem refertus omnibus praemiis doniſque fortunae, non equitatu, non pedeſtribus copiis, non nauium multitudine, non infinito pondere auri contentus, praemium propoſuit, qui inueniſſet nouam voluptatem, qua ipſa, non fuit contentus. Plutarchi vero e iiij. capite i. libri ſυμποσιακῶν haec. ὁ μὲν τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς ἆθλον ὑπὸ κήρυκος ἐκήρυττε τῷ καινὴν ἡδονὴν ἐξευρόντι. Quod igitur ſubleuat Ciceronem eſt teſtimonium Athenaei, qui commemorat Theophraſtum in libro de regno, quem miſit ad Caſſandrum (ſiue quis alius fuerit auctor ipſius: id namque parum conſtaſſe dicit) ſcripſiſſe reges Perſarum teneros nimis ac delicatos, ſolitos voce praeconis grandem pecuniam denuntiare illis, qui inueniſſent nouam aliquam voluptatem. Quod vero ſupra ipſe narraui de inconſtantia veterum ſcriptorum in iiſdem rebus aliter memoriae prodendis, intelligitur etiam verum eſſe auctoritate Ciceronis, qui non vno loco hoc ſignificauit, accurate autem in primis in epiſtola illa ad Atticum, quae eſt prima vi. libri.

Collatus locus Ciceronis cum loco Demoſthenis, qui tamen ambo ab Aeſchylo videntur expreſſi.

CAP. VII.

NON temere putaret aliquis M. Ciceronem locum Demoſthenis expreſſiſſe in cauſa illa pro Milone, quam a ſe, vt potuit, actam, domi poſtea ſcripſit accurate: cum enim ambo hi ſummi oratores probare vellent, licere legibus hominem interficere, vſi ſunt auctoritate Aeſchyli poëtae, qui in fabula, quam vocauit Eumenidas, fecerat Oreſtem abſolutum ſententia Mineruae, cum fateretur ſe matrem necauiſſe: verba Ciceronis ſunt. Itaque hoc indices non ſine cauſa fictis fabulis doctiſſimi homines memoriae prodiderunt, eum, qui patris vlciſcendi cauſa matrem necauiſſet, variatis hominum ſententiis, non ſolum diuina, ſed etiam deae ſapientiſſimae, ſententia liberatum. Graecus autem ille eandem rem ita perſecutus eſt in oratione contra Ariſtocratem: ſignificat enim primos illos, qui leges tulerunt, auctoritatem deorum ſecutos, ſtatuiſſe

caedem quandam iuſtam eſſe. Δεινὸν γὰρ μὴ ὁ κάλλιστα ... τοῦτο πρῶτον ἀπέκτεινε. οἱ θεοὶ πάντων ἐν ἀρχῇ τὸ δίκαιον ἐψήφισαν. οὔτε οὐδένα χρὴ φόνον ὅσιον εἶναι νομίζειν, ὅ τινά γ᾽ ἴδῃ ὅσιον νομίζειν. μαρτυρεῖ δ᾽ ὅτι μητέρα Ὀρέστης ἀποκτείνας, ὁμολογῶν, θεῶν δικαστῶν ἀποφυγὼν, νομίζεται δίκαιόν τινα εἶναι φόνον: οὐ γὰρ ἄν τά γε μὴ δίκαια θεοὺς ψηφίσασθαι. Huius etiam fabulae mentionem Cicero fecit, in cauſa Sex. Roſcij, cum tamen auctoritate illius aliud tunc probare vellet. Quamuis autem Aeſchyli nomen non poſuerit neutro loco Latinus orator, ſed vt mos eſt fere oratorum, ipſum reticuerit. nam pro Milone ne poëtam quidem fuiſſe, qui id finxit, commemorauit. pro Roſcio vero id commentum fuiſſe poëtarum confeſſus eſt: Demoſthenes autem, ne in ficta quidem fabula id tractatum eſſe ſignificauit, ſed tamquam rem geſtam id exponit. tamen auſim affirmare M. Ciceronem ipſum hunc tragicum intellexiſſe: ille enim in primis fabulam hanc docuit.

Probatur peccatum eſſe in praenomine clariſſimi viri, in oratione pro Archia.

CAP. VIII.

NON ſine cauſa arbitror aliter legi locum hunc Ciceronis pro Archia, in manu ſcriptis exemplaribus, quam in excuſis nunc paſſim legatur: cum enim impreſſi libri habeant; Adeſt vir ſumma auctoritate, & religione & fide L. Lucullus, qui ſe non opinari, & quae ſequuntur, in calamo exaratis cunctis, quos vidi; vidi autem plures, praenomen eius, qui ſubleuabat tunc Archiam, ac teſtimonio ſuo liberare e periculo conabatur, immutatum eſt, pro L. enim ſcriptum illi habent M. ita autem frater L. Luculli, ſummi imperatoris, minor aetate, vocatus eſt, vt memoriae quoque prodidit Plutarchus in vita, quam ſcripſit clariſſimi illius viri, qui iterum mentionem ipſius fecit. illum vero M. Cicero nomine non appellat in prooemio in ſecundum librum Quaeſtionum Academicarum, quo in prooemio ſummo ſtudio L. Lucullum ornauit, & ab ipſo etiam librum eum nominauit, ſed tantum fratrem ipſum habuiſſe ſignificat, qui eodem munere cum ipſo functus ſit, & Seruilium augurem, accuſatorem patris in iudicium vocarit. Quod ſi vera eſt vetus lectio, vt opinor: vnde enim aliter tantus conſenſus librorum naſci poteſt? quaerenda eſt cauſa, cur non L. ipſe in forum venerit, & praeſentia ſua opem familiari homini tulerit. nam quin ille in Italia tunc fuerit, dubitandum non eſt: multo enim antea, quam oratio haec habita eſt, reuerſus erat e bello contra Mithridatem, quamuis non multo prius triumphaſſet iniquitate aduerſariorum. Veriſimile igitur eſt, aut morbum, aut peregrinationem aliquam cauſam huius rei fuiſſe, quae vero faciunt ad teſtimonium augendum, dignitatemque eius viri declarandam, conueniunt etiam praeclare perſonae M. Luculli, non ſolum de L. vere praedicari potuerunt.

Videri peccaſſe Ciceronem in vetere hiſtoria tradenda.

CAP. IX.

NON omnino vere fideliterque commemorauit M. Cicero, quod ab Herodoto in v. libro hiſtoriarum memoriae proditum eſt de magnitudine animi Laconis, qui contempſit innumerabiles illas copias Medorum: vocemque eius, qui ipſas praedicabat ac ſine modo augebat, acute refellit. haec igitur verba Ciceronis ſunt, illuſtri loco poſita: loquebatur autem de Lacedaemoniis. E quibus vnus, cum Perſes hoſtis in colloquio dixiſſet, glorians, ſolem prae iaculorum multitudine & ſagittarum non videbitis. In vmbra igitur inquit, pugnabimus. Neq; enim id protulit Perſes aliquis: neque in colloquium venerunt Graeci cum hoſtibus eo bello, ſed Graecus homo, Trachiniuſque, vt diligenter narrat Herodotus, qui ita rem illam expoſuit, nam nomen etiam ponit fortiſſimi illius Spartiatae, qui ſane dignus fuit, qui ob praeſentiam illam animi, lepidumq; ſimul ingenium, ſemper celebraretur: Dienaeces enim vocatus eſt. vnde etiam perſpicitur, quae cauſa fuit noſtro lapſionis: memoriam enim ſecutus eſt, non librum conſuluit, cum ſcriberet: neque enim veriſimile eſt, ſi recordatus foret, nomen eum tam clari viri taciturum fuiſſe, quem hiſtoricus ille ornat ſummis laudibus.

Λακεδαιμονίων δὲ καὶ Θεσπιέων τοιούτων γενομένων, ὅμως λέγεται ἄριστος ἀνὴρ γενέσθαι Σπαρτιήτης Διηνέκης, τὸν τόδε φασὶ εἰπεῖν τὸ ἔπος, πρὶν ἢ συμμῖξαί σφεας τοῖς Μήδοις, πυθόμενον πρός τευ τῶν Τρηχινίων, ὡς ἐπεὰν οἱ βάρβαροι ἀπιέωσι τὰ τοξεύματα, τὸν ἥλιον ὑπὸ τοῦ πλήθεος τῶν ὀιστῶν ἀποκρύπτουσι, τοσοῦτό τι πλῆθος αὐτῶν εἶναι. τὸν δὲ οὐκ ἐκπλαγέντα τούτοισι εἰπεῖν, ἐν ἀλογίῃ ποιεύμενον τὸ Μήδων πλῆθος, ὡς πάντα σφι ἀγαθὰ ὁ Τρηχίνιος ξεῖνος ἀγγέλλει, εἰ, ἀποκρυπτόντων τῶν Μήδων τὸν ἥλιον, ὑπὸ σκιῇ ἔσοιτο πρὸς αὐτοὺς ἡ μάχη, καὶ οὐκ ἐν ἡλίῳ.

Ariſtophanes quoq; in fabula, quam σφῆκας vocauit, huius vocis, mentionem fecit, quam tamen tribuit facete Atticis veſpis, e quibus chorus conſtabat, gloriae ſibi dantibus, quod periculum

illud ſuperare potuerint. haec autem verba poëtae ſunt. ἐπεὶ τῇ πρώτῃ εἰς ἐν ἐλθὼν τὸν ἀγῶνα. Animaduertendum autem, videri ibi illic interpretem, qui tradit confutatam fuiſſe hanc vocem ea ratione, qua ſupra demonſtratum eſt, a Leonida imperatore: & certe lapſus eſt, ſi Herodotum, optimum earum rerum auctorem, ſequimur. Sed tamen fieri poteſt, vt alij ſcriptores, quod in multis contigit, non idem de eadem re tradiderint. Plutarchum certe ille ſecum habet, qui & ipſe in Laconicis vocibus imperatorum a Leonida vocem illam ſpretam & magnifice confutatam expoſuit. Virgilium vero ad eam alluſiſſe, notum eſt, cum dixit. Et obumbrant aethera telis.

Collatus locus Salluſtij, cum loco Xenophontis, valde laudato.

CAP. X.

Locvs hic Xenophontis e libello, quo regem Ageſilaum ornauit: & praeclare quidem magnificeque ornauit, magnopere laudatur a veteribus, illis doctis viris, intelligo cum ipſe poſt pugnam commemoratam, qua Ageſilaus vicit Argiuos ac Thebanos, expoluit, vel potius ante oculos eorum, qui legerent, conſtituit, quae ſpecies fuerit campi illius, ſtrati cadaueribus, in quo proelium commiſſum fuerat: initium vero huius narrationis, vel potius omnis ea animaduerſio eſt. ἐπεὶ δ' ἔληξεν ἡ μάχη, παρῆν δὴ θεάσασθαι, ἔνθα συνέπεσον ἀλλήλοις, τὴν μὲν γῆν αἵματι πεφυρμένην: νεκροὺς δὲ κειμένους, φιλίους καὶ πολεμίους, μετ' ἀλλήλων: ἀσπίδας δὲ διατεθρυμμένας: δόρατα συντεθραυσμένα: ἐγχειρίδια γυμνὰ κολεῶν: τὰ μὲν χαμαί: τὰ δ' ἐν σώματι, τὰ δ' ἔτι μετὰ χεῖρας. Vt opinor autem Salluſtius locum imitatus eſt, cum in extremo libro de coniuratione Catilinae, & ipſe addidit, quae parta iam victoria, animaduerti tunc potuerant, & non ſine induſtria multa eadem fere res perſecutus eſt. inquit igitur Latinus ſcriptor, vt collatis duobus his locis, facilius cognoſci poſſit, an vere exiſtimem. Sed confecto proelio tunc vero cerneres, quanta audacia, quantaque animi vis fuiſſet in exercitu Catilinae: nam fere quem quiſque pugnando viuus locum ceperat, eum amiſſa anima corpore tegebat. pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paulo diuerſius, ſed omnes tamen aduerſis vulneribus conciderant, & quae ſequuntur.

Voluiſſe vero illum animos commouere, & quaſi tragoediam illic excitare, perſpicitur his extremis verbis. Multi autem qui de caſtris, viſendi aut ſpoliandi gratia, proceſſerant, voluentes hoſtilia cadauera, amicum alij, pars hoſpitem, aut cognatum reperiebant. ita varie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus, atque gaudia agitabantur. Quod facit autem ad locum Xenophontis, antiqui grammatici adnotarunt eandem virtutem, quam illic celebrant, manere etiam in Homeri verſu hoc, e nyctegerſia, vel potius multo maiorem, cum ſummus poëta fecit Diomedem, & Vlyſſem noctu accedere ad explorandas res Troianorum. narrat enim eos iter facere coepiſſe ἂμ φόνον, ἂν νέκυας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα. ſcholion igitur hoc illic reperitur, vnum e priſcis illis & ſane eruditum & elegans. τῇ ἐκπεπληγμένῃ φράσει ... ταῦτα, ἐπεὶ δ' ἔληξεν ἡ μάχη, & quae ſequuntur: totum enim locum perſequitur. ad extremum autem addit, celebrans poëtam, ταῦτα δὲ ὅμηρος, ἐν ἑνὶ στίχῳ συλλαβὼν, πάντα ἀπήγγειλε.

Exempla plura poſita luminis eius orationis, quod vocatur παρίσωσις.

CAP. XI.

Captasse M. Tullium ornatum illum orationis, qui a Graecis magiſtris dicendi vocatur παρίσωσις, vt cetera omnia lumina verborum, ac ſententiarum, apparet his exemplis, ex oratione, quam ſcripſit pro Milone. Vi victa vis, & multo poſt. Et non vnius viri vires, atque opes iudicantur, nec non. Sed tamen, ſin minus fortiſſimi viri virtus, grata ciuibus cecidiſſet, quamuis in extremo hoc non omnino eadem prima ſyllaba ſit. In iiſdem autem verbis, eodem pacto poſitis, Virgilius quoque luſit, cum cecinit. Multa viri virtus animo. Cum autem duobus locis adhiberi haec ſimilitudo ſoleat, quod etiam diligenter veteres illi admonuerunt, ideſt in principiis membrorum & in extremis membris, exempla, quae poſui, aperte ſunt illius generis, quod appellant, κατ' ἀρχάς. Demoſthenes quoque ſtatim initio primae olynthiacae inquit, eodem conſilio expoliendae orationis, πεποίηκα προθύμως, quod fecerat etiam ante ipſum Xenophon, ſuauiſſimus ſcriptor, ij. libro rerum Graecarum in oratione, quam fecit a Thraſybulo fortiſſimo viro, ciueque optimo, habitam: haec enim verba inde ſunt. καὶ δὲ αὖ ὑμᾶς ὥσπερ πρὸς φίλων, πρὸς ἡμᾶς ἀριθμὸν τὰ βέλη, & quae ſequuntur.

Explicati tres continentes verſus Menandri, e tertioq; mendum coniectura ſublatum.

CAP. XII.

SENARIVS hic Menandri eſt, quod indicio Theonis Sophiſtae cognoſcimus. ἐστὶν πάντων ἀγρυπνία λαλίστατον, duobus autem locis ipſum citat. ſententia eius (niſi fallor) haec eſt, ſuperare (vt exiſtimat ille, qui loquitur, ἀγρυπνίαν ceteras omnes res in hoc ipſo, quod reddit nos ſupra cuncta alia, quae id efficere poſſunt, loquaces ac garrulos: vocat vero ἀγρυπνίαν tempus, quo iacemus in lecto, nec tamen requieſcere ſomnumue oculis videre poſſumus, vt inquit Chremes Terentianus: tunc enim maxime, ſi habemus cum quo loquamur, ſatiari ea re nequimus. Hoc autem verum eſſe, confirmat etiam illud Ciceronis ad Atticum, quod inquit. Cum me aegrimonia non ſolum ſomno priuaret, verum ne vigilare quidem ſine ſummo dolore pateretur, tecum vt quaſi loquerer, hoc neſcio quid, nullo argumento propoſito, ſcribere inſtitui. Cum ſequantur autem poſteriore in loco hi duo verſus.

" ἐμὲ γοῦν ἀναστήσασα δεῦρο προήγαγε,
" λαλεῖν ἀπ' ἀρχῆς πάντα τὸν ἐμαυτοῦ βίον.

Non poſſum facere quin aperiam ſenſum animi mei: arbitror enim in Prima voce ſecundi verſus mendum eſſe: legique debere, immutata tertia tantum littera eius indefiniti verbi, pro λαλεῖν, λαλῶν, vt ſit plena ſententia. Huc me igitur in cubili ſublatum deduxit haec ipſa res, vt omnem vitam meam ab initio exponam, a nemine rogatus: valet enim λαλεῖν, vt notum eſt, garrire.

Declarati, qui vocati ſint ἐπίγονοι Heraclidae: locuſque correctus Hecataei apud Longinum rhetorem.

CAP. XIII.

QVI ἐπίγονοι in Graeco ſermone vocari ſoliti ſint poſteri alicuius, clari & illuſtris viri, certo quodam modo ab eo nati: e ſanguineque ipſius profecti, dubium non eſt. nam, qui ex obſcuro, aliquo, & infami genere proficiſcuntur, non fere nominantur: habent tamen & ipſi ἐπιγόνους ac poſteros. Qui igitur originem ducebant ab Hercule, & auctoremque ipſum habebant ſuae ſtirpis, ἐπίγονοι Heraclidae nominabantur, ſic certe locutus fuerat in hiſtoria ſua Hecataeus, cuius haec verba citantur a Longino. Κῆυξ δὲ, ταῦτα δεινὰ ποιούμενος, αὐτίκα ἐκέλευε τοὺς Ἡρακλείδας ἐπιγόνους ἐκχωρεῖν: ita enim legitur in antiquiſſimo libro, non κῆρυξ, vt ſcriptum eſt in eo, quem excudendum curauit Franciſcus Robortellius: arbitror autem lectionem hanc veram eſſe: ſenſumque omnem eius loci hunc. Ceycem regem iniquo animo tuliſſe quaedam, quae facta, ſiue dicta fuerant ab Heraclidis, quae vero illa fuiſſent, expoſuerat ſupra ſcriptor ille: eaque de cauſa iuſſiſſe, vt ſtatim poſteri illi ipſi Herculis abirent ex ea tellure. De Ceycis autem (niſi fallor) huius nuptiis carmen confecerat Heſiodus, cuius multis locis meminit Athenaeus. Aeſchylus etiam fabulam docuit, quam inſcripſit Epigonos, ab argumento perſonaque eorum, qui in ea inducerentur, ſed vt opinor, non erant illi iidem epigoni. verum nati, vt coniicere licet, ex illis Argiuis viris, qui ad bellum Thebanum ierant, atque illic interfecti fuerant. huius fabulae mentionem quoque fecit Cicero in ij. Tuſculana, cuius haec verba ſunt, Tum Cleanthem,
" cum pede terram percuſſiſſet, verſum ex Epigonis ferunt dixiſſe, Audis ne haec Amphiarae
" ſub terram abdite.

Declaratum, quod abhorret ab opinionibus multorum, multis in rebus, ſimilem fuiſſe Socrati Epicurum.

CAP. XIIII.

MAXIMVS ille Tyrius, quod mirum omnibus merito videri debet, probat pluribus, & non contemnendis rationibus, ſimilem valde fuiſſe Sapphonem, laſciuam & delicatam mulierem, Socrati, philoſophiae parenti, in his rebus, quae propriae ſunt amoris, ſed in aliis etiam non nullis: alienis ab hoc vehementiore animi motu, in quibus argumentis hoc etiam eſt, atque id primum, quod ambo ſui generis deliciis & floribus valde dediti fuerunt, quare me non peccaturum exiſtimo, ſi oſtendero, quod ipſum etiam nouum & inauditum multis erit, eidem optimo & ſanctiſſimo ſeni parem

exſtitiſſe

extitiſſe non nullis in ſententiis & inſtitutis vitae, qui nunc vulgo habetur mollis atque impius, Epicurum. Primum autem conueniebat ipſi cum Socrate, quod ambo illi contemnebant diſciplinas mathematicas & omne ſtudium ſuum ponebant in vita ornanda, & ab omni turbido motu vindicanda. Verba haec Ciceronis e primo libro de finibus, teſtantur Epicurum fuiſſe auerſum ab omni illa cura & ſtudio perdiſcendi ſcientias has ſubtiliores: inquit enim, eum ipſas prius appellaſſet. Eas ergo artes perſequeretur: viuendi artem, tantam, tamque operoſam & perinde fructuoſam, relinqueret? Socrates autem, cum errorem multorum refellere vellet, qui poſthabita cura rerum, quae ad vitam, & mores pertinerent, toto animo incumberent mathematicis diſciplinis, verſum hunc Homericum pronunciare ſolitus erat: dicebat enim oportere prius videre. ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ᾽ ἀγαθόν τε τέτυκται. idest opus eſſe ſubtiliter cogitare vitia virtuteſque ſui animi: haſque augere conari, illa vero minuere ac conterere. Deinde ambo exiſtimati ſunt de pietate erga deos, male ſentire, quia non nullis in rebus diſcederent a iudiciis opinionibuſque idiotarum. quare alter eorum, eo nomine in iudicium vocatus, capitis damnatus eſt: alter vero id malum, adhibita multa cura, vitauit: nam ſcripſit etiam librum περὶ ὁσιότητος, vt opinio quorundam eſt, ea de cauſa. Commune etiam ipſorum fuit, quod ambo tenuem victum amarunt: paruoque contenti in omni vita fuerunt, etſi Epicuro crimini datum eſt, quod finem bonorum voluerit eſſe voluptatem, cum tamen, qui ſenſum ipſius callebant: nec omnino iniqui ipſi erant, aliam voluptatem & non corporis communemque nobis cum beluis, faterentur ipſum intellexiſſe. Praeterea fuit ſimilis in illis poenituſque par, quod ambo familiam duxerunt: habuerunt que, quibus diſciplinam tradidere, fideles valde: magnaque interſe beneuolentia coniunctos. Nam, cum conueniſſe quoque Socrati feminam illam maximi ingenij oſtenderit Maximus, quod ipſa nacta eſt acerrimas aduerſarias, vt Socrati ſemper vehementer repugnarunt Sophiſtae, quis neſcit magnam manum doctorum virorum: In primis autem Stoicos, ſedulo aduerſatos fuiſſe Epicuro. Et tamen fertur ille, vt reliquos, a quibus in ſtudio ſapientiae diſſentiebat, ita Socratem inſimulaſſe: & turpibus maledictis inceſſiſſe.

Homerum quoque cognoſſe, id, quod memoriae prodidit M. Cicero, quomodo aliquis mederi poſſit vitijs ſenectutis.

CAP. XV.

NON fefellit Homerum, ſtudium ac diligentiam a ſenibus adhibitam in emendandis vitiis ſenectutis multum prodeſſe ac poſſe quaſi medicinam facere omnibus malis, quibus ipſa affinis eſt: cum enim Neſtorem laudaret, qui contra conſuetudinem eius aetatis, vireſque corporis, verſaretur in bello, ac fortiter pugnaret, quo munere ceteri ſenes liberantur, inquit, ἐπεὶ οὐ μὲ ἐπέτρεπε γῆρας λυγρόν, quaſi cauſa totius huius boni, & quod duros labores illos ſuſtinere poſſet, foret, quia ſe non languori ac deſidiae dediſſet, ſed illi rei, natura ſua malae & plenae multorum incommodorum, praeterita omni ſua vita, reſtitiſſet. De eadem re Cicero eodem pacto exiſtimauit: fecitque M. Catonem in libello de ſenectute idem accurate docere, hanc ſcilicet eſſe veram ac certam viam defendendi ſenectutem a non nullis vitiis, quae paſſim ipſi obiicerentur: incipit autem a memoria, cum opinio ſit ſenes ipſam amittere, & eodem pacto purgat alia, quae vulgo de illa dicerentur. At memoria minuitur. credo niſi exerceas eam, aut etiam ſi ſis natura tardior.

Adumbraſſe Virgilium locum Homericum, in facto illo Niſi & Euriali exponendo.

CAP. XVI.

APPARET Virgilium, cum fecit Niſum & Euryalum, per media caſtra hoſtium tranſeuntes, magnam caedem feciſſe, imitatum fuiſſe Homerum; vſus enim eſt etiam eadem collatione rei illuſtrandae cauſa, qua vſus antea fuerat eo loco princeps ille poëtarum: cum enim oſtendere vellet Homerus & quaſi ante oculos eorum, qui legerent, conſtituere, impetum Diomedis in Thracas, inquit.

Ὡς δὲ λέων μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν
Αἴγεσιν ἢ ὀΐεσσι κακὰ φρονέων ἐνορούσῃ,
Ὣς μὲν Θρήικας ἄνδρας ἐπῴχετο Τυδέος υἱός.

Virgilij autem hi ſunt verſus, eodem ſimili vtentis.

Impaſtus ceu plena leo per ouilia turbans
Suadet enim veſana fames, manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu: fremit ore cruento.

De eadem

De eadem magna re, eodem pacto ſenſiſſe Herodotum, & Ciceronem.

CAP. XVII.

VERE M. Cicero ſubtiliterque fugam laboris doloriſque, cauſam eſſe dixit, cur homines ferant ſeruitutem. vt enim careant malis illis, omnia alia in vita aequo animo perpetiuntur. quod ſi duri eſſent, ac ſuſtinendis laboribus exercitati, contemnerent breuem illum paruumque dolorem, vt perpetuo grauiſſimoque ſe liberarent: illum autem ſaepe declinare non poteſt, qui liber eſſe vult. haec igitur ipſius verba ſunt e Philippica x. cum hortaretur ciues ad libertatem defendendam: magnoq; animo Antonio reſiſtendum. Omnes nationes ſeruitutem ferre poſſunt, noſtra ciuitas non poteſt; nec vllam aliam ob cauſam, niſi, quod illae laborem doloremq; fugiunt, quibus vt careant, omnia perpeti poſſunt. Herodotus in vi. libro hiſtoriarum, cum Graeci, qui Aſiam incolebant & propinquas inſulas, a rege Perſarum defeciſſent, haec fecit, virum magnum Dionyſium Phocenſem in aliis quibuſdam, ſuadentem illis, vt in propoſito permanerent: & duram illam ſeruitutem a ſe penitus depellerent, loqui apud ipſos. νῦν ἂν ὑμεῖς, ἢν μὲν βούλησθε ταλαιπωρίας ἐνδέκεσθαι, τὸ παραχρῆμα μὲν πόνος ὑμῖν ἔσται. οἷοί τε δὲ ἔσεσθε, ὑπερβαλόμενοι τοὺς ἐναντίους, εἶναι ἐλεύθεροι. εἰ δὲ μαλακίῃ τε καὶ ἀταξίῃ διαχρήσεσθε, οὐδεμίαν ὑμέων ἔχω ἐλπίδα, μὴ οὐ δώσειν ὑμέας δίκην τῷ βασιλέϊ τῆς ἀποστάσιος. Illi tamen cum ſe primum ipſi totos commiſiſſent, paucos poſt dies, laboribus deterriti, mentem mutarunt: ac forte illud conſilium repudiarunt.

Duo Salluſtij loci, ad imitationem Thucydidis prolati, indicantur.

CAP. XVIII.

MEMORIAE proditum eſt Salluſtium multa ſumpſiſſe a Graecis rerum ſcriptoribus, vt aliis etiam locis ipſe exemplis productis, oſtendi: ſtudebat enim plurimum hiſtorias illas ſuas ornare: ac virtutes maximorum ingeniorum exprimere, quin certe hi duo loci e Thucydide, ſummo & graui auctore, accepti ſint, & ad imitationem illius facti, dubitari non poteſt. vnus eorum eſt, cum fecit, C. Caeſarem ita in Senatu dicere. Profecto virtus atque ſapientia maior in illis fuit, qui ex paruis opibus, tantum imperium fecerunt, quam in nobis, qui ea bene parta, vix retinemus. Graecus enim in oratione, qua ille hortabatur ciues ſuos ad fortiter reſiſtendum Lacedaemoniis, ita induxit Periclem verba facientem. τῶν τε πατέρων μὴ χείρους κατ᾿ ἀμφότερα φανῆναι: οἱ μετὰ πόνων καὶ οὐ παρ᾿ ἄλλων δεξάμενοι, κατέσχον τε καὶ προσέτι διασώσαντες παρέδοσαν ὑμῖν αὐτά. αἴσχιον δὲ ἔχοντας ἀφαιρεθῆναι ἢ κτωμένους ἀτυχῆσαι. Alter locus eſt initium eiuſdem orationis. Omnes homines P. C. qui de rebus dubiis conſultant ab odio, amicitia, ira, atq; miſericordia vacuos eſſe decet. Idem enim Graecus ſcriptor haec fecit Cleonem, turbulentum illum ac ſeditioſum ciuem, dicentem, cum tamen ad crudelitatem impellerent: auctorque eſſet Athenienſibus, vt aſpere animaduerterent in Mitylenaeos, non vt Caeſar ad clementiam & mitiorem ſententiam hortaretur. Ita igitur Cleon locutus eſt, μηδὲ τρισί, τοῖς ἀξυμφορωτάτοις τῇ ἀρχῇ, οἴκτῳ καὶ ἡδονῇ λόγων καὶ ἐπιεικείᾳ ἁμαρτάνειν, & quae ſequuntur. ſine dubio autem hi loci valde ſunt ſimiles, quamuis non omnis res eaſdem appellent.

Defenſus a vitio locus Ciceronis, quem non nulli maculoſum putabant.

CAP. XIX.

DISPVTABO breuiter de loco quodam M. Tullij ex oratione pro L. Flacco, quem locum duo, valde acuti & docti viri, ſuſpectum habuerunt, ac mendoſum exiſtimarunt, cum contra ipſe integrum putem & ab omni macula vacuum. Is autem eſt, vbi non nulla dicit de accuſatore L. Flacci: rationemque omnem, qua ille in ea vſus fuerat, reprehendit. verba Ciceronis haec ſunt. Vehementem accuſatorem nacti ſumus iudices & inimicum in omni genere odioſum ac moleſtum, quem ſpero his rebus fore magno vſui, & amicis & reipublicae, ſed certe inflammatus incredibili cupiditate hanc cauſam accuſationemque ſuſcepit. Oſtendit igitur Gabriel Faërnus in ſcholiis, quae confecit in eam orationem, ſe aliter ſcriptum inueniſſe in libris calamo exaratis: legique in illis pro his rebus, his verbis: ſibi tamen neutrum placere. Addit autem, Guido Lolius legit, aliis rebus, ipſe igitur non diſſentiendi cupiditate ab honeſtis & eruditis viris, ſed veritatis inueniendae cauſa, arbitror, vt dixi, locum correctione non egere, & cum, His rebus Cicero

inquit, intellexiſſe illum puto ingenium vehemens & acre D. Lelij: ſtudiumque perſequendi iudicio eos, quos exiſtimabat inutiles reip. ciues. Nam laudem ſolitam habere conſuetudinem illam, vocandi in iudicium improbos homines, & qui aliquam partem reip. male adminiſtraſſent, notum eſt. Naturam autem talem, qualem deſcribit illius, poſſe etiam praeſidio eſſe amicis, conuerſam ad auxilium ipſis ferendum, quis non videt? ſed eſt etiam fortaſſe in verbis illis εἰρωνίᾳ quaedam, non quae omnino criminetur ſtudia illa & artem, ſed videatur velle, ſi poſſit, defendere.

Declaratum veteres Graecos, vt nos patrio ſermone facimus, voraces homines notaſſe.

CAP. XX.

PHΓΝΥΣΘΑΙ quempiam Graeci dicebant ὑπὸ πλησμονῆς, ideſt rumpi qui praeter modum comediſſet, ac nimio cibo ſe impleſſet, vt nos quoque patrio ſermone loquimur, cum huiuſcemodi aliquem, voracem hominem & helluonem, notare volumus. Plutarchus in iij. libro συμποσιακῶν, capite, quo quaerit de tempore opportuno Veneri, illo modo locutus eſt, diſſerens contra Epicurum, qui aiebat, in primis vitandam eſſe Venerem poſt cibum ſumptum: ipſe enim non putat illo quoque tempore coitum eſſe nimis pertimeſcendum, ſi aliquis modice biberit atque ederit. verba ipſius haec ſunt, quibus id potiſſimum ſignificat. οἴῃ μὲ μεθύων τις, ἢ ῥηγνύμενος ὑπὸ πλησμονῆς, ἅπαντα διαφθαρμενός. tunc enim ipſe quoque concederet, Venerem eſſe fugiendam, cum ſcilicet aliquis potu ciboque obrutus eſt.

Cur Cicero vocet Venerem, improbiſſimam voluptatem.

CAP. XXI.

M. CICERO multis locis, quibus vſum Veneris ſignificare vult, appellat ipſum improbiſſimam voluptatem, voce, vt aliquis putarit, nimis iniqua & odioſa. Cur enim rem naturalem, & non vtilem tantum humano generi, ſed etiam neceſſariam, vocet verbis, quae vitium oſtendunt, & id quidem turpiſſimum: ipſe igitur, ne temere exiſtimetur Cicero ſaepe in eandem culpam incidiſſe, ita arbitror omnes illos locos accipiendos, vt non intellexerit ſimpliciter Venerem, ſed vſum ipſius legibus vetitum, & quod ſceleris aliquid in ſe contineat, vt ſtuprum, adulterium, quae ſine dubitatione vlla illo modo appellari poſſunt ac debent: conuenit autem, vt opinor, in hoc Ciceroni cum Ariſtotele, qui & ipſe vocabulo ſatis inimico & apto ad oſtendendum ipſorum flagitium, nominauit eos, qui vitam beatam poſitam putarent in voluptate, φορτικωτέρους: etſi inuenti aliquando ſunt homines, moderati & graues qui ab hac ſententia non abhorrerent, ſed aliam tamen voluptatem, non corporis propriam, intelligerent, vnde Alexander etiam miratus, vt apparet, cur tantam ipſis illa turpi voce dux ſuos notam inuſſiſſet, de nomine eo: iudicioque philoſophi ſubtilem & eruditam quaeſtionem confecit: prima autem, qua opinionem illam refellit, ratio hoc quoq; facit: eſt autem, quia finem bonorum conſtituebant in rebus, quibus non minus frui poſſent mancipia ac pecudes, quam homines. Sed veniamus ad locos eos, quibus Cicero videtur Veneri ipſi iniquus. in iij. in Verrem. Iſtius ille, verbo lictor: re vera miniſter improbiſſimae voluptatis. nec multo poſt. Propter hominis flagitioſiſſimam ſingularemq; nequitiam atque improbiſſimam cupiditatem. In eadem, Magnum hoc Lampſacenum crimen eſt libidinis, atq; improbiſſimae cupiditatis. In ij. libro de Finibus, cum eandem rem ſignificaret atque ἀφροδίσια denique exprimeret, appellauit ipſam obſcenam voluptatem, verbis ſane diuerſis, & ipſis tamen eodem pacto contumelioſis, verum illic diſputabat contra Epicurum, cui valde infenſus erat, inquit igitur. Aurium delectatione & obſcena voluptate capiatur.

Quod fecit multo poſtea imperator Romanus elato animo, feciſſe prius Aiacem Oilei apud Homerum.

CAP. XXII.

T. LIVIUS narrat C. Claudium Neronem, cum in caſtra rediſſet, poſt felicem illam Senenſem pugnam & quae ſalutem populo R. dedit, caput Aſdrubalis, quod ſeruatum cum cura ſecum attulerat, proiici ante hoſtium ſtationem iuſſiſſe, vt ſignificaret Annibali plagam, quam accepiſſet, & ſpiritus eius frangeret. Exemplum autem huius ferociae & animi aliquo modo inſultantis hoſtibus, eſt apud Homerum: ille enim quoque fecit Aiacem, Oilei filium, caput Imbris, abſciſſum a ceruicibus, coniecisse in mediam aciem

Troianorum

Troianorum, quod forte cecidit ante pedes Hectoris. Verba poëtae, rem eam commemorantis, ſunt haec. κεφαλὴν δ' ἀπαλῆς ἀπὸ δειρῆς,
Κόψεν Ὀιλιάδης, κεχολωμένος Ἀμφιμάχοιο
Ἧκε δέ μιν σφαιρηδὸν ἑλιξάμενος δι' ὁμίλου
Et quae ſequuntur.

Monſtratam apud Homerum ſententiam Agamemnonis, cui conuenit cum opinione M. Tullij.

CAP. XXIII.

CVM Agamemnon Homericus in valde malis rebus Graecorum fuiſſet, vt diſcederetur ab Ilio; ſententiaque ipſius, vt inutilis & indigna tanto rege, vehementer accuſaretur ab Vlyſſe, tunc rex ille regum, mutato conſilio, ne videretur alienus a ſalute dignitateque ſuorum, poteſtatem fecit omnibus dicendi id, quod in animo haberent: exiſtimarentque prodeſſe poſſe reipublicae, nullam excipiens aetatem, aut gradum honoris. Verba ipſius apud diuiniſſimum poëtam, haec ſunt. cum prius oſtendiſſet ſe minime offenſum libertate illa Vlyſſis: leuiterque ſe purgaſſet.

Νῦν δ' εἴη, ὃς τῆσδέ γ' ἀμείνονα μῆτιν ἐνίσποι,
Ἢ νέος, ἠὲ παλαιός, ἐμοὶ δέ κεν ἀσμένῳ εἴη.

Similis igitur huic eſt (vt nullo negotio quilibet intelligere poteſt) locus hic M. Tullij in viij. Philippica: cum enim & ipſe inſimulaſſet conſulares, vt parum fortes, & non toto animo proſpicientes reipublicae: illorum enim ea cura erat, vt primi ſententiam dicerent, addidit. Sed (vt ſaepe iam dixi) omnes in tanto periculo, qui recte & fortiter ſentient, erunt conſulares. Vetus autem ſcholion in ſuperiorem locum Homeri conſilium poëtae aperit, & quod documentum capere inde debeamus oſtendit; quod quia breue eſt, & non malis verbis expoſitum, ponam. Διδάσκει ὁ ποιητὴς, δέχεσθαι τὴν παραίνεσιν, ἐν καιρῷ κινδύνου. Praecipit inquit, nobis poëta, vt in noſtris periculoſis rebus omnium monita & conſilia attendamus. Sed etiam apud Appollonium in i. libro ἀργοναυτικῶν, cum vocatis conſultricibus, quid ſui conſilij eſſet aperuiſſet Hypſipyle, poteſtatem fecit omnibus aliis dicendi, ſiqua forte vtiliorem ſententiam inueniſſet. imitatus igitur ille eſt hunc locum Homeri. verba ipſius ſunt.

Χραίσμη δ' εἴτις ἄρειον ἔπος μητίσεται ἄλλη
Ἐγρέσθω· τοῦ γὰρ καὶ εἵνεκα δεῦρο κάλεσσα.

Ἀγάλματα vocata a Graecis cuncta, quibus aliquis ſemetipſum ornaret: quaeque in delicijs haberet.

CAP. XXIIII.

AΓΑΛΜΑ valere ſtatuam, ſimulachrumque alicuius dei aut honeſti viri, notum eſt: & omnibus, qui etiam primoribus labris Graecum ſermonem guſtarunt, exploratum. ſignificat tamen idem verbum, vt veteres accurati grammatici teſtantur, quidquid eſt alicui in amoribus ac delicijs. & demum vt ipſi affirmant, loquunturque, πᾶν, ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται. Cum autem exemplum ipſi alicuius veteris ſcriptoris non adferant, qui ita vſus fuerit eo nomine, non alienum duxi me aliquod indicare. Euripides igitur (vt opinor) cum in Troadibus fecit ita Caſſandram loquentem, quae abiiciebat tunc coronam e capite, ὦ στέφη τοῦ φιλτάτου μοι θεῶν, ἀγάλματ' εὔια, χαίρετ', ἐκλέλοιφ' ἑορτὰς, αἷς πάροιθ' ἠγαλλόμην. Erat igitur corona illa valde Caſſandrae accepta: itaque ipſa ornata, ſe putabat gratam eſſe, mirificeque placere, illi deo, quem colebat ac venerabatur: ab illis vero ſacris abſtracta, quibus delectabatur, non patitur amplius apud ſe ornatum eum manere. nam, quod verbo in extremo vtitur, vnde hoc nomen conformatum eſt, valet hoc multum ad totam rem confirmandam. Sed verbo etiam hoc ipſo vtitur Homerus, vbi inducit Alcimedontem in acerrimo praelio Automedonti exprobrare, quod ceſſaret, cum Patroclus interfectus foret, & Achillis armis indutus eſſet Hector, ob quae maxime ſibi placeret: inquit igitur ille τεύχεα δ' Ἕκτωρ Αὐτὸς ἔχει ὤμοισιν ἀγάλλεται Αἰακίδαο: nec verbo tantum, verum etiam nomine, vt cum cecinit βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα Ἀμφότερον κόσμος θ' ἵππῳ: ἐλατῆρί τε κῦδος. Sed Euripides aliis etiam in locis: nec non Sophocles, vt in Antigona, cum inquit. τί γὰρ πατρὸς θάλλοντος εὐκλείας τέκνοις Ἄγαλμα μεῖζον ἢ τί πρὸς παίδων πατρί, Et in eadem fabula vocat Bacchum Καδμείας νύμφας ἄγαλμα.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXVIII.

Illuſtratus Virgilij locus contra ſententiam Politiani.

CAP. I.

NON idem ſentio de loco quodam Virgilij, quod Angelus Politianus, vir ingenij magni & in hoc ſtudiorum genere magna cum laude verſatus; ille namque, cum poëta fecit Panthum, qui deplorabat exitium Troiae: oſtendereque conabatur optimo ciui ac fortiſſimo viro, malo illi remedium nullum adhiberi poſſe, dicentem; fuimus Troës. fuit Ilium, & ingens Gloria Teucrorum, exiſtimauit ipſum protuliſſe illud e more quodam Lacedaemoniorum: gregeque ſenum, qui apud illos canerent. ἄμμες πόκ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι: ipſe enim puto, Virgilium reſpexiſſe ad locum quendam Euripidis in Troadibus: expreſiſſeque ſententiam illam: eſt autem hic τρὶς πότ' ὤμοι. δίδυμος ἦλθεν. δίδυμα τρὶς, pronuntiatus a duabus calamitoſis perſonis, Andromacha: & Hecuba. prima namque tria verba illic Andromacha: reliqua Hecuba edidit. Cum enim ſtudioſus valde fuerit eius tragici poëtae, eam in primis fabulam veriſimile eſt Virgilium accurate legiſſe, vt inde multa transferret in ſecundum ſuum Aeneidos, quo in libro idem paene argumentum perſequitur. vel potius multis ſignis perſpicitur hoc ipſum ſedulo feciſſe. vt autem hoc proprium eius argumenti, ita illud alienum, ac nimis (niſi fallor) remotum. ſolemus autem, cum rem aliquam ſcribimus, quid aliis in eadem tractanda in mentem venerit, ſedulo inueſtigare, non ad rem, valde diſſimilem, animum conuertere.

Correctus locus Euripidis e Troadibus, atque idem explicatus.

CAP. II.

ARBITROR locum hunc Euripidis e Troadibus mendoſum eſſe, cuius tamen macula, ſiquis acute videat, facile deleri poſſit: cum enim illic Hecuba ita loquatur, ſe purgans, quod vteretur ſimili eius rei, quam non omnino cognitam perceptamque haberet, id quod apparebat, nec quempiam fallere poterat.

Γραφῇ διδοῦσα καὶ κλύουσ' ἐπίσταμαι,

In prima parte verſus opinor vitium eſſe: ſuſpicorque pro διδοῦσα nulla littera immutata, ſed tantum prima a reliquis: conſequentibuſque ſeparata, quibus importune haeſerat, δ' ἰδοῦσα, legi debere, vt ſententia totius loci ſit. Quod ita loquor de rebus nauticis, cum tamen mare numquam ingreſſa ſim, ſequor ea, quae vidi ſaepe in tabula aliqua picta & audiui a peritis eorum periculorum: ita enim non omnino rudis illorum malorum poſſum exiſtimari. Perſpicitur autem, ſperni nullo modo poſſe hanc huius loci correctionem, collatione alterius huius eiuſdem poëtae ex alia fabula: in Hippolyto enim inducitur optimus hic ipſe adoleſcens, defendens ſe contra patris accuſationem, qui inſimulabat illum eius culpae, a qua ſe longiſſime ſemper afuiſſe ſignificat, cum eſſet & caſtus & integer, nedum ſe tanto ſcelere contaminaſſet: tantum enim affirmat ſe rem eam oratione alicuius cognoſſe, & pictam in tabula vidiſſe. verba ipſius, quae faciunt ad ſuperiorem locum confirmandum, ſunt haec.

Οὐκ οἶδα πρᾶξιν τήνδε, πλὴν λόγῳ κλύων,
Γραφῇ τι λεύσσων.

Extare exemplum apud Homerum rationis eius, qua vſus eſt C. Caeſar, in caſtigando metu ſuorum militum.

CAP. III.

ASTVTE C. Caeſar, cum intelligeret metu perculſos eſſe ſuos milites, quia audierant ipſum exercitum ducere velle contra Germanos, quorum erat eo quoque tempore opinio magna fortitudinis pudore ipſos affecit, ac voluntatem eorum ita commutauit: eodemque tempore conciliauit ſibi magnopere partem illarum copiarum, de cuius virtute conſtantiaque ſe nihil dubitare ſignificauit. Verba magni imperatoris haec ſunt. Quod ſi praeterea nemo ſequatur, tamen ſe cum ſola x. legione iturum, de qua non dubitaret: ſibique eam praetoriam cohortem futuram. Huius quoque callidi conſilij exemplum eſt apud Homerum: vidit enim ille quoque, qui omnia diuinitate ſui ingenij perſpexit, hoc tempore adhibitum, magnopere vtile eſſe. fingit igitur Diomedem inſimulantem Agamemnonem: contraque ipſius ſententiam libere loquentem, dicere, ſi ille ipſe cum ſuis diſceſſerit ab Ilio, reliquos Achiuos manſuros eſſe vſque ad finem eius belli: addiditque (in quo tota res poſita eſt) ſi illi etiam ipſi reuerti in patriam ſtatuerint, ſe Sthenelumque ei bello non defuturos, donec Ilium expugnatum ſit. Quis igitur non videt ipſum hac oratione obligaſſe ſibi in primis animum Stheneli: feciſſeque magno conſilio ne ille vmquam periculum vllum recuſaturus ſit, ſed etiam ardentiores alios reddidiſſe, de quorum perſeuerantia in laboribus prius bene exiſtimarat, quamuis non tam conſtanter de illis id affirmaſſet. Hanc autem vim eſſe huius rationis, docet vetus declaratio in eum locum: ea enim breuiter, ſed erudite tamen, mentem poëtae explanat. ῥητορικῶς προεχειρίσατο αὐτῶν τὴν γνώμην. id eſt more oratorum, ante vſum eius rei, obligauit ſibi animum ipſorum.

Diſputatio ſubtilis de loco Homeri ex Odyſſea, quem Cicero exprimere voluit.

CAP. IIII.

MARCVS CICERO in libello de ſenectute, diſſerens de voluptate, quae capitur ab ea aetate e rebus ruſticis, miratur Heſiodum, qui curam illam ſuſceperat: cultumque agrorum tradebat, mentionem nullam facere ſtercorationis, cum Homerus, quem ille putauit multo antiquiorem, quam Heſiodum, illam etiam tetigerit: quare id negligentia commiſſum putat ab Heſiodo; oſtendere vero volens ſtercorationem, rem valde accommodatam illi ſtudio, Homero ignotam non fuiſſe, vtitur hoc argumento, atque inquit. At Homerus Laërtem, colentem agrum & eum ſtercorantem facit. intelligit igitur hunc locum eius poëtae e poſtremo Odyſſeae libro.

λιστρεύοντα φυτόν, ῥυπόωντα δὲ ἕστο χιτῶνα
ῥαπτόν, ἀεικέλιον,

Ita enim ille nunc legitur apud eum poëtam, cum tamen appareat Ciceronem aliter legiſſe, id eſt vt a me nunc ſcribetur, niſi omnino exiſtimamus ipſum deceptum fuiſſe: perperamq; demum orationem illam diſtinxiſſe, quod nullo modo exiſtimo. λιστρεύοντα φυτόν, ῥυπόωντά τε. ἕστο χιτῶνα ῥαπτόν, ἀεικέλιον. Putauit igitur Cicero ῥυπόωντα aptum eſſe e ſuperiore ſententia: valereque actum ac reſpondere primo illi verbo λιστρεύοντα, vt ſit & ipſum, vt nunc grammatici loquuntur, participium. quare reddidit ſtercorantem. qui autem lectionem immutarunt, arbitrati ſunt cum inferiore ſententia id coniungi debere: eſſeque & ipſum ῥυπόωντα, vt reliqua duo, χιτῶνα id eſt veſtimenti. Quaeſtio ſane haec obſcura difficiliſque eſt, pro Cicerone facit forma eius vocabuli, quae referre participium videtur, non ſimplex nomen: adiuuat receptam lectionem, quia ſi pro coniunctione δὲ poneretur τε, quae ſequitur ſententia diſſoluta eſſe, & carere ſua copula videretur. Nec tamen non reperiuntur apud hunc poëtam plures loci, in quibus itidem deſiderari videtur coniunctio. Vt autem liberius loquar, quam adhuc feci de omni hac re, nomina ipſa, quibus appellantur ea, de quibus eſt omnis controuerſia, diligenter animaduerſa, videntur oſtendere non agi hoc loco a poëta de fimo, rationeque hac colendi ſtirpes, quae ſtercore vtitur, nam ῥύπος ad veſtium maculas ſordeſque potius pertinet, quod teſtimonio etiam Ariſtophanis, vt auctoritates alias praeteream, confirmatur: cum enim hic comicus deum illum diuitiarum deſcriberet in fabula ab ipſo vocata: ſituq; obſitum eum, ac ſqualidum eſſe ſignificaret, inquit, in aliis multis, ipſum ῥυπῶντα eſſe, quod prorſus hoc valet. Praeterea fimus agrorum: & id quod facit laetas ſegetes communi vocabulo omni ſtercori a Graecis κόπρος vocatur: quare ſi rem hanc ſignificare voluiſſet, hoc nomine vſus, vt opinor, fuiſſet. Verum ſane eſt, quod Cicero narrat, Homero cognitam fuiſſe ſtercorationem. ſed vereor ne hoc probarit teſtimonio

parum apto ad rem demonſtrandam. quod ſi ad alium locum ſe contuliſſet eiuſdem operis, facile id confirmare potuiſſet: vbi enim de cane Argo loquitur Homerus, quem reliquit domi, cum ad bellum Troianum profectus eſt, Vlyſſes: eundemque poſtea ad ſuos reuertens, adhuc viuum inuenit, inquit ipſum eo tempore iacuiſſe in multo ſtercore, quod ante fores villae, e ſtabulis mulorum boumque euectum, effuſum erat, vt famuli poſtea Vlyſſis ipſum in agrum comportarent, ſtercoraturi ipſum. Verba poëtae haec ſunt.

» Δὴ τότε κεῖτ' ἀπόθεστος ἀποιχομένοιο ἄνακτος
» Εν πολλῇ κόπρῳ. ἥ οἱ προπάροιθε θυράων
» Ημιόνων τε βοῶν τε ἅλις κέχυτ', ὄφρ' ἂν ἄγοιεν
» Δμῶες Ὀδυσσῆος, τέμενος μέγα κοπρήσοντες.

Vt igitur illud non ſatis certo rem conſtituere poteſt: & fortaſſe nihil valet ad hoc explanandum, ita hoc firmum ſolidumque argumentum eſt. Sed non quaeritur tam a me de veritate rei, ideſt an ſtercoratio cognita fuerit Homero, quam intellexerit ne poëta ipſam illo loco, quem indicat M. Cicero, quod ſane ego non arbitror.

Quod verbis rectum eſſe de honore deorum, feſtoque die, humilis perſona apud Aeſchylum dixit, id re grauis vir cuſtodiuit P. Scipio.

CAP. V.

APVD Aeſchylum, in Agamemnone, praeco cum Clytemneſtra' loquens, dixit, non oportere feſtum diem: dicatumq; honori deorum verbis triſtioribus: nuntiiſque grauioris mali contaminare, affirmans liberum: remotumque eſſe debere ab omni huiuſcemodi re, quidquid ad deos colendos: honoreque afficiendos pertinet. Verba grauiſſimi illius poetae ſunt haec,

» Εὔφημον ἦμαρ οὐ πρέπει κακαγγέλῳ
» Γλώσσῃ μιαίνειν. χωρὶς ἡ τιμὴ θεῶν.

Quod igitur ille verbis rectum eſſe, ac ſeruari debere affirmauit, id P. Scipio re factoque verum eſſe declarauit, cum cauſam dicere noluit ea die, qua victoriam illam praeclaram conſecutus erat: ac populum R. ingenti metu liberarat. Tota res accurate copioſeque exponitur a T. Liuio libro xxxviij. Verba tamen Scipionis ipſius, quae tunc habuit ad tribunos plebis, quiritesque, hic ponam, digna magnitudine animi ipſius: & tot tantiſque rebus pro imperio po-
» puli R. & ſalute totius Italiae geſtis. Hoc inquit die tribuni plebis, voſque quirites, cum An-
» nibale & Carthaginienſibus ſignis collatis in Aphrica bene ac feliciter pugnaui: itaque cum
» hodie litibus & iurgiis ſuperſederi aequum ſit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem opt.
» max. Iunonemque & Mineruam ceteroſque deos, qui Capitolio arcique praeſident, ſalutan-
» dos ibo: hiſque gratias agam, quod mihi & hoc ipſo die & ſaepe alias egregie gerendae reipu-
» blicae mentem, facultatemque dederunt: & quae ſequuntur.

Declaratus locus Aeſchyli e Prometheo: ſcholionque, quod in ipſum extat, emendatum.

CAP. VI.

TVRPE mendum eſt in ſcholio quodam in Prometheum Aeſchyli, quod ſi ſuſtulero, ſpero me gratum ſtudioſis facturum, cum animaduerſio illa ſit non parui ponderis, ac valeat multum ad artem ipſam poëtarum illuſtrandam. Quo loco igitur queritur vehementer Prometheus de iniuria, quam ſe accepiſſe putabat a Ioue: dirigitque orationem ſuam ad elementa ipſa rerum, naturaſque eas
aeternas: initium autem illius lugubris cantus eſt. ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαί. legitur hoc
» ſcholion, corruptum in mea etiam editione. μεγαλοφυῶς δὲ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐπικαλεῖται, μόνος.
» ὢν δὲ πάντων ἀποστάντων. quorum, profecto extremorum verborum ſententia leuis & inſulſa
» eſt: legi vero debet, ſuperiore ſententia verbis, quae nunc relinquo, abſoluta. μονῳδεῖ δὲ, πάν-
» των ἀποστάντων. valent autem ipſa, Prometheum ſolum loqui, quia ceterae perſonae illius fabulae diſceſſerant e ſcaena: ſoluſque ipſe illic relictus erat. Non tam igitur (niſi fallor) valet illic μονῳδία cantum lugubrem, vt ſaepe, quam orationem alicuius, qui ſecum loquatur, ac quae tempus illud fert, nullo audiente, pronuntiet. Quemadmodum ſane grammatici veteres capere quoque hoc verbum conſueuere. Vt Donatus cum Bacchis Terentiana inquit.
» Quantam obtuli, aduentu meo, laetitiam, & quae ſequuntur, vſque ad exitum eius ſcaenae. Reliqua pars argumenti per monodiam narratur, ſed etiam in eadem hac fabula Aeſchyli infra,

cum

cum ſtatim vt aduenit, Io dixiſſet. τίς οὗ. τί χρέος. τίνα φῶ λόγων, ita incipit ſcholion, quod declarat eum locum. καὶ τῆς δ' εὐπειθοῦς μετὰ τὸ μὴ εἰδέναι περὶ ὑπομνήσεως, συνίζησιν.

Quod Virgilius inquit, Paris alter, videri ad imitationem loci Euripidei prolatum.

CAP. VII.

PARIS alter, quód Virgilius inquit ex perſona Iunonis, Aeneae infenſae: odioque vehementiore flagrantis in illum, manifeſto ſignificauit, vita & factis futurum illi delicato & libidinoſo homini ſimilem Aeneam, vt ipſum ita exprimeret, vt non facile ab illo diſtingui poſſet. Eodem pacto Andromacha apud Euripidem in fabula, cuius index eſt Troades, cum Hecuba loquens, ait, δύσπαρις ὤν, cum & ipſa idem oſtendere vellet, inuentum inquam eſſe, qui ſceleratum illum hominem & impurum imitatus eſſet, ac factum illius improbiſſimum in altera ipſius filia reddidiſſet. Verba Andromachae ſunt, magno dolore commotae.

Φεῦ. φεῦ. ἄλλος τις αὖ σοι ὡς ἐμοὶ ἐφύετο.
Παιδὸς πεσόντος σῆς.

Duxit igitur hoc quoque e Graeco ſermone Latinus poëta: mirificeque id expreſſit, neque tantum eo loco, verum etiam altero hoc ex eodem opere, cum ſcilicet cecinit, muris iterum imminet hoſtis Naſcentis Troiae: nec non exercitus alter. Sed etiam in paſtorali carmine. Alter erit tum Tiphys, & altera quae vehat Argo Delectos heroas.

Supplicium, quod ſumpſit Agamemnon de hoſte iam mortuo, cum ſaeuum videatur, iuſtam cauſam habere.

CAP. VIII.

HOMERVS fecit Agamemnonem ſaeuum ſupplicium ſumpſiſſe in proelio de filiis Antimachi Troiani, non quia odio proprio ipſorum aliquo illos proſequeretur, ſed quia iratus merito erat eorum patri, qui muneribus acceptis a Paride, cauſam ipſius enixe defenderat, ac non reddi debere Helenam praeter ceteros omnes, & ipſos pecunia corruptos: gratiaque regij filij, ſemper cenſuerat. iiſdem igitur poenis vel ludibriis potius, facit ipſum vſum in alterum illorum, quibus M. Cicero narrat vſum fuiſſe impurum hominem Dolabellam in C. Trebonium, quem Smyrnae inſidiis interfecit: verba Latini oratoris ſunt. Poſt, ceruicibus fractis caput abſcidit: idque fixum geſtari iuſſit in pilo. reliquum corpus tractum atque laceratum, abiecit in mare. Graeci vero poëtae ſunt haec.

Ἱππόλοχος δ' ἀπόρουσε. τὸν αὖ χαμαὶ ἐξενάριξε
χεῖρας ἀπὸ ξίφεϊ τμήξας, ἀπό τ' αὐχένα κόψας
Ὅλμον δ' ὣς ἔσσευε κυλίνδεσθαι δι' ὁμίλου.

Niſi quod igitur Hippolochi caput non geſtauit in pilo, reliquis partibus expleuit odium ſuum in hoſte Agamemnon, quibus vſus eſt crudeliſſimus ciuis in aduerſario, ſed tempus illud non ferebat, vt hoc etiam pacto rabies illa exerceretur: longeque alius vſus erat tunc pilorum ac lancearum. Virgilium vero moris huius, vt priſci, mentionem facere notum eſt: ita enim Niſi & Euriali capita a Latinis geſtata his verbis, tradit. Quin ipſa arrectis (viſu mirabile) in haſtis. Praefigunt capita.

Quod poſtea crebro vſurpatum eſt μεταφορικῶς, κείρεσθαι, & quod reſpondet ipſi, tonderi, videri poſſe ortum ab Homero.

CAP. IX.

APTE prorſus & eleganter de ouibus & omni pecore, cum paſcuntur, a Latinis poëtis dictum eſt tondere ipſas herbas & prata: nihilque magis ſimile afferri poteſt ad demonſtrandam naturam eius rei: rationemque paſcendi, qua vtuntur pecudes. nam & paulatim progrediuntur: nihilque intactum relinquunt, & ſummas tantum partes herbarum decerpunt. Fluxiſſe autem haec translatio videri poteſt ex Homeri Iliade: primumque illum, diuinum poëtam, vidiſſe exiſtimare non ſtulte licet ſimilitudinem harum rerum, ideoque ab altera ad alteram ornandam: honeſtiuſque exponendam, vocabulum tranſtuliſſe: vbi enim facit Aiacem, pedetemptim diſcendentem e

procelio, quia impetum in ſe vnum omnium Troianorum amplius ſuſtinere non poſſet, ſimilem aſello, ſegetem depaſcenti: contemnentiq; puerorum verbera, inde ipſum depellere conantium, inquit de tarda illa belua, quae ſemel nacta erat facultatem ſedandi famem. κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον. Lucretius poſtea cecinit, admirabili ingenio & ipſe praeditus, Nam ſaepe in colli tondentes gramina laeta Lanigerae reptant pecudes. Nec non Virgilius, ſecutus illum, vt arbitror, idem pluribus locis vſurpauit, vt cum in libro primo de re ruſtica inquit, Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci. M. Cicero, cum exprimeret verſum Graecum, ore Epaminondae Thebani, ſummi imp. prolatum, retinuit hanc translationem, quam illic inuenit, vt a me olim declaratum eſt. Latinus igitur verſus eſt: Conſiliis noſtris laus eſt attonſa Laconum. Idem vero verbum eſt in Graeco, quod in Homerico illo. ſignificare autem voluit auctor ipſius, prudentia clariſſimi illius ducis factum eſſe vt gloria Lacedaemoniorum, ab ipſo in bello ſuperatorum, magna ex parte minueretur, & quaſi florem omnem amitteret. Vt autem auctor Graeci eius verſus κείρεσθαι poſuit pro conteri & extenuari, ita quoque Homerus in Odyſſea, cum de fortunis Vlyſſis loqueretur, quae a procis abſumebantur, eodem pacto ipſo non ſemel vſus eſt, ſed etiam Sophocles ad alia aliquando tranſtulit, vt in Aiace, cum ipſum inſanientem, impetum feciſſe in greges pecudum captarum ſignificauit: magnumq; numerum ipſarum gladio interfeciſſe: nec non in Trachiniis eodem verbo μεμορφωμένος vſus eſt.

Locus ex epiſtola Ser. Galbae, valde ſimilis eſſe declaratus Homerico loco.

CAP. X.

IDEM feciſſe ſe narrat Ser. Galba in proelio Mutinenſi, cum e mediis aduerſariis ſaluus abire niteretur, quod fecit Homericus Aiax, cum & ipſe cederet Troianis, nec impetum ipſorum vllo pacto amplius ferre poſſet, vt enim tutus eſſet a iaculis, quae ſciebat in ſe, terga dantem, iactum iri a Troianis, reiecit ſcutum atque ita partem illam corporis expoſitam hoſti, eo periculo liberauit. verba haec Galbae ſunt in epiſtola ad M. Ciceronem. Interim video me eſſe inter Antonianos: Antoniumque poſt me eſſe aliquanto, repente equum immiſi ad eam legionem, quae veniebat e caſtris, ſcuto reiecto. Antoniani me inſequi, noſtri pila conicere velle. An non tam fecit hoc Galba, vt ſe a telis inimicorum tutum praeſtaret, quam vt amici ſpeciem ſuis, ad quos confugiebat, praeberet? hoc enim oſtendere videntur ſuperiora extrema verba. ſed certe ſubitum illum conſilium duobus modis eo tempore ipſi prodeſſe potuit. Homeri verſus, quem ſignificaui, eſt: στῆ δὲ ταφὼν, ὄπιθεν δὲ σάκος βάλεν ἑπταβόειον. Aiax ipſe hoc facto ſine dubitatione, cum potius honeſte cederet, quam effuſe fugeret, poſteriorem partem corporis tegere voluit, nec aliquid mali a ſuis, cum ab illis cognoſceretur, metuebat.

Declarantur, qui ſint νόμοι θετικοὶ apud Ariſtotelem; oſtenditurque locus vitium non habere, quem tamen quidam vt mendoſum culparunt.

CAP. XI.

ARISTOTELES commemorat in extremo ij. libro πολιτικῶν leges quaſdam, quas Thebanis Philolaus Corinthius ſcripſerat de liberis adoptandis: id enim valere illic arbitror περὶ παιδοποιΐας, vocatas ab illis eſſe νόμους θετικούς, de cuius poſterioris nominis ratione quid ſentiam, non ſine cauſa declarabo. video enim verbum illud negotium exhibuiſſe non paucis, qui libros eos accurate legerunt. cum etiam extiterint, qui ipſum mendoſum putarint, ac pro θετικοὺς legi debere τεκνικούς, exiſtimarint. ij autem, vt apparet, lapſi ſunt etiam in eo, quod ſuperius illud περὶ παιδοποιΐας, de procreatione liberorum valere crediderunt. alij, qui verbum illud ipſum ſuo loco reliquerunt in notione eiuſdem: rationeque reddenda ipſius nominis aberrarunt. Ipſe igitur puto lectionem integram, ac veram eſſe: θετικοὺς que νόμους illos appellatos, quia θέσθαι παῖδα conſuetudo erat dicere, cum aſciſcere ſibi alienum filium, & in familiam ſuam adoptare, ſignificare volebant. quod etiam iis verbis, vt ſatis notum eſt, oſtendebant ποιεῖσθαι παῖδα, vnde ſuſpicor ab Ariſtotele ſupra leges eas περὶ παιδοποιΐας dictas. Qui totam rem conſiliumque Philolai apud hunc, ſummum ſcriptorem, perſpexerit (niſi fallor) ita exiſtimabit. Excogitarat enim hoc ille, vt numerus familiarum ſeruaretur, qui manifeſto minuebatur, ſi aliquis liberos non ſuſcepiſſet. Hoc igitur remedium ille huic malo adhibuerat, vt qui procreare liberos ex vxore non potuiſſet, alienos ſibi adoptaret,

Deleta macula ex oratione pro Deiotaro, totuſque locus explicatus.

CAP. XII.

LOCVM (vt opinor) apud M. Ciceronem mendoſum, libet emendare: maculamque e pulchro illuſtrique loco delere, qui tamen nunc talis, contaminatus, minime videri poteſt: multumque ſplendoris ac gratiae ſuae amittit. Ita igitur in oratiuncula pro Deiotaro verba haec vulgo leguntur. Praeſertim cum is vnus eſſet, qui poſſet de abſente ſe vindicare. Loquitur de Phidippo medico, ſeruo regio, quem Deiotarus cum legatis ſuis ad C. Caeſarem Romam miſerat: docetque ſapientiſſimum illum regem ſtulte facturum fuiſſe, ſi illum, quem conſcium tanti ſui maleficij ſciret eſſe, Romam proficiſci paſſus eſſet. Arbitror igitur in extremo eorum verborum vitium eſſe, ac pro vindicare, non magna mutatione litterarum facta, indicare legi debere: ſupra enim quoque de illo, vt indice, locutus eſt: inquit enim, Medicum indicem ſubornauit. ille enim, ſi verum fuiſſet, quod accuſator ſiebat, vnus poterat conſilium Deiotari aperire, cum fratres ipſius, qui erant conſcij, in vincula a Deiotaro coniecti forent. quod autem valet vna cum aliis argumentis multis, ad opinionem meam conſtituendam, mos Ciceronis eſt, non tantum dicere indicare aliquem, cum oſtendere vult [illegible] & improbum factum ipſius patefacere, verum etiam, de aliquo, vt cum pro L. Flacco inquit, Sed tamen quis tibi Laeli de epiſtolis iſtis indicauit? Animaduerti etiam, quod proferre valde vtile eſſe arbitror ad hunc optimum auctorem purgandum, multis locis apud eum perperam pro indices legi in excuſis libris iudices, qui error natus eſt ex ſimilitudine vnius litterae, ſed vt ad propoſitum redeam, quomodo potuit ſeruus ille & infimus homo de Deiotaro rege vindicare, aut quomodo ſermo hic elegans latinuſque eſt [illegible]

Legem de non dandis ſepulturae corporibus proditorum, primum latam ab Homero.

CAP. XIII.

GRAMMATICI illi veteres, vndique poëtam ornandi ſtudioſi, affirmabant legem eam ſeueram, qua vetabatur, proditorum corpora ſepelire, ortum habuiſſe ab Homero: ille namque fecit Hectorem in ſuis valde ſecundis rebus, cum ſperaret ſe caſtris hoſtium potiturum, ſi Troiani milites officio functi eſſent, ſibique a ſpoliandis corporibus hoſtium eo tempore temperaſſent, vt metu omnium ingentium ſuppliciorum inde eos absterreret, in aliis grauibus poenis hanc etiam minatum eſſe: dixiſſeque quemcunque nactus fuerit illorum, remotum a loco, in quo acriter praeliabatur, ſe ipſum obtruncaturum, nec paſſurum etiam vt fratres ſororeſque ipſius mortuum eum comburant, vt moris tunc erat.

Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἑτέρωθι νοήσω
Αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, οὐδέ νυ τόνγε
Γνωτοί τε γνωταί τε πυρὸς λελάχωσι θανόντα.

Scholion vero hoc vetus illic vetuſtiſſimus liber habet [illegible], Notum autem eſt hoc etiam M. Antonium Ciceroni, vt alia non nulla, inique obieciſſe, quod corpus P. Lentuli ad ſepulturam Iuliae vxori ipſius: matrique ſuae, non dediſſet, quod non tantum ipſe facile purgat, ſed etiam Plutarchus in Antonij ipſius vita falſum eſſe teſtatur, & ſi vere id poterat, vt reip. hoſtis, ſi legem eam ſequi voluiſſet, quemadmodum etiam, qui ei tempori defuiſſet, vt inimicum communis ſalutis, puniri poſſe Hector recte arbitrabatur.

Quod vere Plinius dixit de tempore votorum, prolatum quoque fuiſſe; ac plenius etiam, a Graeco ſcriptore.

CAP. XIIII.

QVOD Plinius dixit, cum de Helpidia Samij periculo vitae magno loqueretur, qui non ſine cauſa ſollicitus de ſua ſalute, inuocauit liberum patrem, vt ſibi praeſidio eſſet: Quoniam tum votorum locus eſt, cum ſpei nullus eſt: quod ipſius dictum vim habet γνώμης, inueni animaduerſum olim fuiſſe, & litteris etiam proditum, a Graeco, erudito viro, cum accurate legeret Homerum, & ſtudio etiam ſuo ipſum illuſtraret: vbi enim poëta facit Troianos, Hectore duce, qui tamen ante ſe

habebat Apollinem, iter ipſi munientem, atque aggerem foſſae exaequantem, in caſtra Graecorum irrupiſſe, narrat ipſos deſperatos paene de ſua ſalute, ad preces deorum confugiſſe. atque ipſi ſupplices manus tetendiſſe, quo munere in primis eo tempore egregie functus fuerit, maxime pius homo, Neſtor: illic igitur in antiquo libro vetus hoc ſcholion legitur, Δυστυχίας ἐπίτασις, ἢ ταπεινὸν ἀφάνειαν, εὐχὴ θεῶν. Quae verba maniſeſto idem valent, quod Pliniana illa, vel potius poſterior pars ipſorum: nam Graecus ille, quicumque fuit, exiſtimauit duplicem quaſi ortum eſſe votorum. cum ſcilicet res aduerſae ſine modo creſcunt, & cum, qui illis premuntur, nullam aſpiciunt viam ſalutis.

Eadem laude, maxima illa quidem, ac propria vtriuſque populi, affeciſſe ſuos ciues, Salluſtium ac Thucydidem.

C A P. X V.

QVOD Salluſtius honeſte praedicat de veteribus illis Romanis hominibus, a Thucydide primum tributum fuerat Athenienſibus, qui ipſius aetate viuerent. Non ſine cauſa igitur putaret aliquis Latinum ſcriptorem, accuratum hominem & eruditum, id ſumpſiſſe a Graeco, qui magna cum laude, & ſingulari opinione prudentiae in eodem ſtudio verſatus fuerat. Intelligo autem cum inquit, Poſt, vbi pericula virtute propulerant, ſociis atque amicis auxilia portabant: magiſque dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. Verba autem Periclis ſunt apud Graecum auctorem haec. Οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες, κτώμεθα τοὺς φίλους. Et tamen id, quamuis in mentem antea venerit Thucydidi, qui fecit ipſum dictum a Pericle, non minus vere puto pronuntiatum fuiſſe de Romanis viris: optimaeque ipſorum, ac ſanctiſſimae diſciplinae conuenire.

Quaeſitum, an Aſius Homericus Niſi Virgiliani fuerit frater.

C A P. XVI.

NON illepide quaeri poſſet, an Aſius, Troianus homo, quem Homerus Hyrtacidem vocat, Niſi fuerit frater, illius valde celebrati a Virgilio, & vt fortiſſimi militis, ita etiam fidiſſimi amatoris. nam ipſe quoque Hyrtaci filius fuiſſe dicitur a Latino poëta. Niſus erat portae cuſtos, acerrimus armis Hyrtacides. Homeri vero de ſuo illo verba ſunt. Ἀλλ' οὐχ Ὑρτακίδην ἴδεν Ἄσιον, ὄρχαμον ἀνδρῶν, Ἀσιάδην ὃν Ὕρτακος ... Poſſunt etiam non ſine cauſa exiſtimari fratres fuiſſe, quod par ingenium animuſque in illis erat: ambo enim aggreſſi ſunt rem periculi plenam: & inducuntur ab his maximis poëtis in primis audaces, quamuis fortaſſe temeri culpae affinis fuerit Aſius, qui contempſit optimum conſilium Polydamantis, ſapientiſſimi viri, & cui ceteri omnes paruerunt. nec tam iuſtam cauſam, quam Niſus habuerit, vt vitam ſalutemque ſuam tanto periculo obiiceret. Huiuſcemodi autem quaeſtiones non ineptae putabantur olim ab ingenioſis & diſertis viris in eo poëta natae, quem ſemper in manibus habebant, & cuius ſingulas voces & ſententiae diligenter ponderabant. Nam, cum Alcmaonem, quem grauiter percuſſit in pugna, commiſſa ad munitiones Graecorum, Sarpedon, Theſtoridem vocet, quaeſitum eſt eodem pacto an ille Chalcantis auguris fuerit frater, quem etiam idem, princeps omnium poëtarum, e Theſtore quodam natum facit. Nec tamen me fallit repertos aliquando aliquos, qui grammaticos hoc nomine inſimularent, vt qui ingenium contererent in tenuibus rebus: & vnde nullus magnus fructus caperetur.

Diſputatio de loco Lucretiano, qui videtur culpae affinis.

C A P. XVII.

VERROR magnopere, ne antiqua conſuetudo Atticorum, qui aliter capiebant hoc vocabulum καρδία, quam inferioris aetatis Graeci fecerint, non percepta T. Lucretio, cauſa ipſi fuerit magni erroris: vbi enim ille deſcribit atrocem illam peſtilentiam, quae inuaſit Athenas, expreſſam magna ex parte e Thucydide, loquens de initio eius morbi & quas corporis partes, ordine quodam ſeruato, occuparet, tradit ipſum poſtquam in pectus deſcenderat: nam a ſummo capite ordiebatur, in cor confluere ſolitum; quod cum fiebat ilico aegrotus moriebatur, cum tamen Graecus ille, grauis ſcriptor, narret morbum, deſcendentem ſemper, poſt pectus in ſtomachum penetrare ſolitum;

quo etiam in loco non conſiſteret, ſed inferius ſemper ferretur: καρδία enim in priſca illa lingua ſtomachum valet, quod teſtantur etiam veteres grammatici; nec non Galenus ipſe pluribus locis. Verba igitur Thucydidis. καὶ δι' οὐ πολλοῦ χρόνου κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη πόνος μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ, καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξειεν, ἀνέστρεφέ τε αὐτὴν καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσαι, ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσὶν, ἐπῇσαν. Non tantum igitur auctoritates ſcriptorum docent valere eo loco καρδίαν ſtomachum, ſed praeterea quae tradit ſtatim conſecuta, idem declarant: illa enim in ſtomacho fiunt, non in corde: neq; enim ſubuertitur cor, ſed ſtomachus, ut in hoc ipſo etiam manet bilis, & tamen Lucretius inquit, manifeſto hunc locum vertere in animo habens,

Inde vbi per fauces pectus complerat, & ipſum
Morbida vis in cor maeſtum confluxerat aegris
Omnia tum vero vitai clauſtra lababant.

Tela in pugna μεταφορικῶς ab Homero dicta ῥεῖν de manibus militum: & eadem a Cicerone cum eodem ornatu, fluere.

CAP. XVIII.

OMNIS elegantiae, omniſque in dicendo virtutis dux: auctorque fuiſſe Homerus, non ſine cauſa exiſtimatur. quas inde poſtea ſtudioſe acceperunt, non poëtae tantum, Graeci ac Latini, verum etiam oratores. Hoc ego aliis exemplis verum eſſe atque ita ſe prorſus habere, oſtendere mihi viſus ſum, & nunc etiam argumento hoc non malo comprobabo: cum enim ponere ante oculos vellet vim ingentem ac multitudinem telorum, quae in pugna, commiſſa ad murum munitionemque caſtrorum, mittebatur a Graecis in Troianos, & a Troianis rurſus in Graecos, vſus eſt verbo tranſlato: inquitque: nam antea collatione vſus erat in eadem illa re illuſtranda, cuius collationis haec eſt redditio,

Ὡς τῶν ἐκ χειρῶν βέλε' ἔρρεον, αἱ μὲν Ἀχαιῶν
Ἠδὲ καὶ ἐκ Τρώων.

M. Cicero igitur in xiij. Philippica inquit, ab eadem re verbum transferens. Excident gladij: fluent arma de manibus: nihil enim minus quam fluere arma poſſunt, ſiquis propria id verbum vſurpet. Nec tamen me fallit M. Ciceronem, non copiam telorum immiſſam in hoſtes, voluiſſe ita ſignificare, ſed caſum prolapſionemque ipſorum, quae tamen & ipſa cum copioſe & ſine cura eorum, qui antea tenebant, id fit, ipſe & ipſa illo verbo demonſtratur. Quin etiam cum idem optimus poeta, non ſane illo ipſo verbo, ſed pari ipſi, μεταφορικῶς iiſdem vſus eſſet in eadem re exprimenda: oſtendere enim volens manum militum per portam fractam ſe coniecisse in caſtra, cecinit.

Οἱ δὲ κατ' αὐτὰς
Ποιητὰς ἐσέχυντο πύλας.

Cicero autem eodem pacto inquit, C. Marius, influentes in Italiam, Gallorum copias repreſſit. Nec non Virgilius, cum cecinit, pilataque plenis Agmina ſe fundunt portis.

Sententia Ciceronis elegans, concinnaque, oſtenditur facta ad ſimilitudinem Graecae vocis.

CAP. XIX.

QVIS non intelligat non temere collocaſſe M. Ciceronem propinquo in loco, duo paria inter ſe, verba, vel potius adhibito ſummo ſtudio: vocemque Graecam, multis modis huic ſimilem, exprimere volentem, ita ſcripſiſſe in xij. oratione aduerſus M. Antonium. Nam me iiſdem edictis neſcit laedat, an laudet. quod vt planius cognoſcatur ipſum conſilio feciſſe, indicabo alterum locum, in quo iiſdem coniuncta illa ſunt: eſt autem is pro M. Fonteio, cum inquit. Nunc vero cum laedat nemo bonus: laudent omnes veſtri ciues atque ſocij, & quae ſequuntur. cum autem dixerim, videri ipſum imitatum fuiſſe Graecam ſententiam. peruulgatam & in ore omnium poſitam, intellexi vocem Apollodori Athenienſis, qui magnifice de ſe atque opere quodam ſuo, eximius pictor, praedicauit: inſcripſitque μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. & ipſe enim profecto ludere in eadem re voluit, & captauit illam ſimilitudinem nominum, quorum tamen notiones eſſent valde diuerſae.

Vocis,

Vocis, quae vulgo editur, de valde aduerſo proelio, exemplar inueniri apud Homerum.

CAP. XX.

VIDETVR fluxiſſe ab Homero & illud, quod vulgo dicitur de aliquo calamitoſo proelio, & in quo acies altera paene tota deleta ſit. Ne relictum quidem eſſe nuntium illius aduerſae pugnae. Vbi enim facit, prudentem in primis virum, Polydamantem ſuadere diligenter Hectori, ne irrumpens in caſtra Graecorum, atque illic acriter pugnaturus cum hoſtibus, qui omnibus viribus atque opibus naues defenſuri eſſent, ſecum ducat equos; exponens ora illius, quae pericula & grauia mala Troianis impendeant, ſi forte hoſtes, recepto animo, perſequi coeperint Troianos: conatique fuerint eiicere ipſos e caſtris: tunc enim timor ſturam ipſos eſſe foſſam caſtrorum, & omnem illam munitionem, inquit:

Οὐκ ἔτ' ἔπειτ' ὀΐω οὐδ' ἄγγελον ἀπονέεσθαι,
Ἄψορρον προτὶ ἄστυ, ἑλιχθέντων ὑπ' Ἀχαιῶν

Eodem pacto, vt ſuſpicari licet Trogus: Iuſtinus certe in epitome hiſtoriarum ipſius inquit. Vt ne nuntius quidam tantae cladis ſuperfuerit, ſed etiam T. Liuius libro xxxiij. Vt vix nuntium tantae cladis hoſti relinquerent. Vt autem hoc maxime declarat plenam, integramq; victoriam, ac plerumq; optatur de hoſtibus, quos magno odio aliqui proſequuntur, ita aliquando diuerſo conſilio: eodem tamen animo, cupido ſcilicet laudis, ac gloriae ab aliquibus contemnitur, vt a M. Liuio, qui cum vna cum Claudio collega, praeclaram pugnam viciſſet; exercitumque omnem Aſdrubalis occidione occidiſſet, eiſque ei nuntiatum, reliquias quaſdam hoſtilium copiarum, ſine ordine vllo abire, quae nullo negotio deleri poſſent, inquit. Superſint aliqui nuntij, & hoſtium cladis, & noſtrae virtutis.

Exemplum poſitum animaduerſionis Phalerei, de ratione imitandi Homerum, qua vſus eſt Thucydides.

CAP. XXI.

DVOS magnos Graecarum rerum ſcriptores Herodotum ac Thucydidem, ſummos fuiſſe imitatores Homeri tradidit Demetrius Phalereus, qui tamen ipſum non eodem pacto reddere, ſententiaſque ipſius exprimere ſoliti ſint, ſed longe alia ratione, ac iudicio diuerſo. quippe cum aperte id, ſimpliciterque Herodotus fecerit, ac nomen etiam ipſius poëtae poſuerit non ſententias tantum inde tranſtulerit, cum contra Thucydides maiore artificio id tractarit, & furta illa tegere, ac leuiter immutare, ne facile agnoſcantur, ſemper conatus ſit. Locos Herodoti, inde ſumptos, monſtrare, cum ipſemet ſe indicet, ſuperuacaneum foret. Quin autem Thucydides ſententiam hanc ab eo poëta acceperit, dubium non eſt: vbi enim Cnemum, ducem Peloponneſiorum, adhortantem ſuos: oſtendentemque bene ipſos ſperare debere de euentu eius proelij naualis, quod inſtabat, dicere, plerumque qui & plures numero eſſent, & magis parati forent, vincere, manifeſto ſumpſit hoc ab Homero: apud ipſum enim Sarpedon, cum verba faceret ad ſuos Lycios: accuſaretque illos, quod ſegnes forent in pugna, ac multum remiſiſſent veteris ferociae, rogans ipſos, vt ſe ſequerentur, quia ſolus, quod magno animo aggrederetur, efficere non poſſet, in concluſione illius orationis inquit, loco ſane ad id apto, ac valde opportuno πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον. Sed verba etiam Graeci illius, ſummi ſcriptoris ponam, vt facilius ſtudium ipſius, & induſtria in exprimendis locis eius poëtae, ac ſuis eo pacto reddendis perſpiciatur. τὰ δὲ πολλὰ τῶν πολλῶν, καὶ ἄμεινον παρεσκευασμένων, τὸ κράτος ἐστίν.

Quis fuerit qui extenuarit laudem ducum, communicaritque cum omnibus, qui fortiter pugnaſſent, quod obſcure dictum eſt a Cicerone.

CAP. XXII.

VT M. Cicero pro M. Marcello inquit. Nam bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis eaſque detrahere ducibus: communicare cum multis, ne propriae ſint imperatorum, affirmare ipſum auſim certum quendam Euripidis locum intellexiſſe. in quo id quod dicitur ſtudioſo ſit. Eſt autem in Andromache quo loco Peleus confutat orationem Menelai: principio eius diſputationis ille accuſat prauam conſuetudinem Graecorum, qui cum victoriam aliquam nacti eſſent: tropaeaque conſtitui deberent, ſinerent, vt imperator ſuum tantum illic nomen aſcriberet: vniq; ſibi eam laudem aſciſceret, cum tamen totius exercitus labore ac virtute res bene geſta eſſet.

Locus

Locus autem ille omnis valde clarus & illuſtris eſt. expreſſit vero eum, non intellexit ſolum Q. Curtius in hiſtoria, cum Cliti necem commemoraret: inquit enim in media expoſitione illius
» ſaeuiſſimi facti. Tum Clitus, ne ipſe quidem ſatis ſobrius, ad eos qui infra ipſum cubabant,
» conuerſus, Euripidis retulit carmen, ita vt ſonus magis, quam ſermo exaudiri poſſet, quo ſi-
» gnificabatur, Male inſtituiſſe Graecos, quod trophaeis, regum duntaxat nomina inſcriberent:
» alieno enim ſanguine partam gloriam intercipi. Sed etiam Plutarchus in Alexandri ipſius vita, eandem rem narrans, verſus Euripidis ponit. quos etiam me hic affigere, non alienum puto.

» Οἴμοι, καθ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται,
» Ὅταν τροπαῖα πολεμίων στήσῃ στρατὸς,
» Οὐ τῶν πονούντων τοὔργον ἡγοῦνται τόδε,
» Ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται.
» Ὃς εἷς μετ' ἄλλων μυρίων πάλλων δόρυ,
» Οὐδὲν πλέον δρῶν ἑνὸς, ἔχει πλείω λόγον.

Homines conuictos grauis facinoris, Latinos ſontes & nocentes, Graecos vero vocaſſe ἐν αἰτίαις ὄντας.

CAP. XXIII.

M. Cicero damnatos legibus & qui ſupplicio affici debebant, vocauit ſontes in ſ. Tuſculana, vbi ita de gladiatoribus loquitur. Crudele gladiatorum ſpectaculum,
» & inhumanum non nullis videri ſolet: & haud ſcio an ita ſit, vt nunc fit: cum vero
» ſontes ferro depugnabant: & quae ſequuntur. idem genus hominum Celſus, de incidendis corporibus diſſerens (quam diſciplinam Graeci vocant ἀνατομήν) appellauit nocentes. haec au-
» tem ipſius verba ſunt. Longeque optime feciſſe Herophilum & Eraſiſtratum, qui nocentes
» homines, a regibus e carcere acceptos, viuos inciderunt: Eoſdem Strabo intellexit, cum inquit ἐν αἰτίαις ὄντας. id eſt (vt arbitror) graui culpae affines. loquitur autem de inſtituto quodam Leucadiorum, qui, ludis Apollinis e ſua Leucate petra deiiciebant in mare hominem, putantes ita a ſe auerſuros eſſe grauia mala. quod etiam cum ſaeuum factum videretur, ritum illum ſeruare volentes, rationem eam excogitarunt, quae minime crudelis haberetur. Verba
» geographi ſunt. ἦν δὲ καὶ πάτριον τοῖς Λευκαδίοις κατ' ἐνιαυτὸν ἐν τῇ θυσίᾳ τοῦ Ἀπόλλωνος ἀπὸ τῆς σκοπῆς
» ῥιπτεῖσθαί τινα, τῶν ἐν αἰτίαις ὄντων, ἀποτροπῆς χάριν. Sed hoc etiam putari non ſine cauſa poteſt Ci-
» cero expreſſiſſe, cum dicit quempiam in crimine eſſe, vt locutus eſt libr. vi. In Verrem. Daret-
» que operam, vt is eo crimine damnaretur, ne ipſe eſſet in crimine.

Illuſtratus Virgilij locus, declaratumque, qui ἄφετοι vocentur homines, atque aliae animantes.

CAP. XXIIII.

Virgilius, vbi de ceruo Tyrrhidae pueri, cuius caedes origo fuit ſaeuiſſimi belli: ſic loquitur.

» Errabat ſiluis: curſuſque ad limina nota
» Ipſe domum ſera quamuis ſe nocte ferebat.

Significat ipſum fuiſſe ἄφετον; ita enim Graeci appellant beluas, quae ſine cuſtode vllo libere vagantur, emiſſae ab hominibus, in quorum manum poteſtatemq; venerint, quae tamen domum poſtea cum paſtae ſunt, reuertantur. Verbo hoc, ad aliam rem translato, egregie vſus eſt Iſocrates, vt admonuit Ariſtoteles in iij. libro de arte dicendi, quo in loco explicando, ipſe olim exempla praeterea non nulla ipſius poſui. Euripides quoque in Ione eodem pa-
» cto illo vſus eſt: haec enim tragici illius verba ſunt, de illo ipſo Ione loquentis. ὁ δ' ἐν θεοῦ δό-
» μοισιν ἄφετος ὡς λάθοι, παιδεύεται. Sed etiam Plutarchus in commentario, quem a materia de qua lepide copioſeque illic diſputatur, ἐρωτικὸν appellat, ipſum hoc verbum eodem pacto vſurpa-
» uit, inquit igitur. οὕτως, οἷς ἂν ὁ ἔρως κύριος ἐγγένηται, τῶν ἄλλων δεσποτῶν καὶ ἀρχόντων ἐλεύθεροι καὶ ἄφε-
» τοι, καθάπερ ἱερόδουλοι, διατελοῦσιν. Tantam enim vim eſſe amoris docet, vt qui in ipſius poteſtate ſint, ſtatim omnium aliorum dominorum iugum exuentes, liberi & ſoluti viuant. Inde etiam perſpicimus venerios illos in Sicilia, quos ſaepe M. Tullius in Verrinis appellauit, cum eſſent ἱερόδουλοι ac Veneri conſecrati, recte poſuiſſe ἀφέτους nominari. Perſpicitur etiam Appium illum maiorem, cuius acutam vocem commemorat M. Cicero, vbi de ridiculis agit, huc re-
» ſpexiſſe & huiuſcemodi pecus aliquod ſignificaſſe. Non eſt inquit Lucilij pecus illud, erra-
» tis: ego liberum puto eſſe. qualubet paſcitur. vim autem ioci melius intelliget, qui totum locum apud auctorem legerit.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXIX.

Πήδημα vocatum ab Euripide μεταφορικῶς violentum ſaltum, ſed cum adiuncto nomine, quod rem declaret.

CAP. I.

HECTORIS filium Aſtyanactem, puerum adhuc, poſt captum Ilium, deiectum fuiſſe a Graecis e muris ciuitatis, litteris proditum eſt, ne reſtaret imago vlla eius viri, qui tot ipſis, & tam magna incommoda in longo illo & periculoſo bello attuliſſet: rem eam narraturus Euripides in fabula, cui nomen dederunt mulieres Troianae, captae ab hoſtibus, tranſlato verbo vocauit iactum illum crudelem miſeri & innocentis pueri, πήδημα. tanquam ipſe ſponte inde ſe coniecisſet, non praeceps actus fuiſſet ab hoſte: in hoc enim verbo, cum aliquis proprie ipſum vſurpat, voluntas intelligitur eius, qui id facit, non vis ipſi adhibita: nomine tamen, quod ipſi additum eſt, aliquomodo declarauit poëta ſaltum illum, non fuiſſe verum ſaltum, nec ſponte ſuſceptum: tradit enim eum fuiſſe triſtem & odioſum: omnis igitur ille locus hic eſt:

Πύργων δὲ πήδημ' εἰς τράχηλον ἴδιον
Πεσὼν, ἀπώλεσας ψυχὴν ἀπρέπως ἰδεῖν.

Nos quoque patrio ſermone, rem ſimilem ſignificantes, eodem pacto verbum transferimus: venit enim in conſuetudinem vox haec apud nos: dicuntque vulgo, cum id ipſum exponere volunt, intelligo ſaquam exturbatum eſſe quempiam ex alto loco, vt intereat. il ſalto di Baldaccio; quod ex hiſtoria ſumptum eſt: fuit enim olim centurio, quod etiam rerum noſtrarum ſcriptores memoriae mandarunt, qui cum ſuſpectus inuiſuſque eſſet illis, qui tunc ciuitate potiebantur, exturbatus, indicta cauſa, fuit e feneſtris publici palatij atque ita interfectus: Baldaccius autem ipſi nomen erat. Hinc autem, vt ex plurimis aliis rebus, perſpici poteſt ſimilitudo noſtri cum Attico ſermone. Sed hoc relicto, idem tragicus in Oreſte fecit Electram appellare motus illos corporis, quos Oreſtes inſanus edebat, depellere a ſe furias ſtudens, δυστυχῆ πηδήματα. in ſuperiore vero eadem fabula, rem eandem iudicaturus, alio verbo tranſlato ipſam demonſtrauit, appellauitque caſum illum eius pueri δίσκημα. qui diſcus ſurium iactus, vt moris erat, cadebat. ita igitur cecidit Aſtyanax. nam poſteriore etiam hoc loco, cum diſcus animi cauſa iaceretur: contra autem iactus eius pueri eſſet triſtis, πικρόν, idest amarum ſaeuumque ipſum vocauit. Quo etiam epitheto vſus eſt, diſtinguere itidem volens illum a ludicro ſaltu in Hippolyto, cum inquit πήδημ' ἐς ἅδου πικρὸν ὁρμήσασά μοι: ſermo autem erat de Phaedrae nece. Eodem pacto vt planum fiat quam frequens apud eum foret haec tranſlatio, in Hecuba; ἅλματι βίαια vocauit. Sed etiam in Ione Euripides ab inſtrumento illo, cuius erat vſus in ludicris certaminibus verbum conformauit, ac de ſaltu, vel iactu potius Creuſae, inquit: ἴδου πετρῶν ἅλμα δισκευθήσεται. Diſci vero ipſius forma, cum luſionis illius veſtigium nullum extet, perſpicitur in antiquis monimentis: habet enim apud nos Franciſcus Gallius, artifex egregius, & in ea familia natus, quae floruit multitudine, & gloria eius generis opificum, ac nobilium architectorum, brachium diſcoboli e marmore, firmum validumque, quale eſſe oportebat eius, qui illi ludo cum laude operam daret: nam Homerus quoque παχεῖαν Phaeacis βραχίονα vocauit, in eo ſe exercentis: in manu autem illud diſcum habet, cuius diameter eſt pes.

Declaratum certa ratione, Aeſchylum fuiſſe valde diſertum, & vberem in ſcribendo.

CAP. II.

AESCHYLVS ille, non grauis ſolum tragicus, elatuſque in primis fuit, verum etiam eloquens ac copioſus. declarant facundiam ipſius loci quidam apud eum, quibus idem prorſus dixit variis verbis atque iis omnibus elegantibus, vt cum grex Eumenidum queritur Oreſtem ſibi e manibus aufugiſſe: in quo tamquam fera quadam, captan lo multum illae laborarant. Sumptis igitur verbis a ſtudio venatorum propter ſimilitudinem illae primum inquiunt. ἐξ ἀρκύων πέπτωκε deinde, ab eadem re verba transferentes. οἴχεται δ' ὁ θήρ. Sed etiam eadem manus furiarum ait, eandem rem oſtendens. ὑπὸ χερῶν ἐκπέπταται ἄγρας ὤλεσα. alio etiam loco, ſignificans, vnde id factum eſſet: ac de illa iniuria libere cum Apolline querens, oratione ad eum conuerſa, protulit.

ἰὼ παῖ Διός, ἐπίκλοπος πέλῃ. Porphyrius Tyrius, qui in aliis multis ſuis, maximiſque ingenij dotibus, valde ſtudioſus fuit gloriae Homeri, cum purgare poëtam vellet, tuerique dignitatem ipſius aduerſus non nullos, infantiam eius & ἀδυναμίαν improbe accuſantes. quod iiſdem verſibus ſaepe vteretur atque iiſdem ſententiis pluribus locis, eandem rationem, quam ipſe nunc, in illis ſuis quaeſtionibus in eum poëtam ſecutus eſt: monſtrauitque non nullos locos, qui valde diuerſis verbis, cum iidem prorſus eſſent, quod ad ſententiam facit, expreſſi expolitique forent. quod videbatur arguere, ac plane declarare fuiſſe illum eloquentiſſimum, ac ſummam facultatem habuiſſe exornandae orationis: atque idem omnino variis modis tractandi.

Qui animum tenerum dicit, quod fecit Homerus, videri dicere eundem mortalem.

CAP. III.

PVTAT Homerus animum creſcere vna cum corpore: vocat enim ipſum ἁπαλόν, ideſt tenerum ac mollem. qui tamen cum ita de illo ſentit, loquitur de hinnulo teneraque belua, non de homine. vbi igitur oſtendere vult, & auxilio ſimilis aperire, quam facile interfecerit Agamemnon duos Priami filios, Iſum & Antiphum, quibus pereuntibus opem nullam tulerint Troiani perterriti, facit illam rem ſimilem praedae leonis, qui ſpectante cerua, nec remedium vllum illi malo adhibente, cum peruenerit ad cubile, deuoret ipſius natos infirmos, nec vllam in partem reſiſtere valentes. Verba poëtae ſunt.

Ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα
Ῥηϊδίως συνέαξε, λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν
Ἐλθὼν εἰς εὐνὴν ἁπαλόν τέ σφ' ἦτορ ἀπηύρα.

Epicurus autem, cum poneret idem etiam contingere animo hominis, vt ſcilicet vna cum corpore oriretur ac creſceret: nec non etiam tabeſceret: vireſq; amitteret, argumentabatur ipſum eſſe mortalem. Lucretius, cum omnibus opibus ac viribus id confirmare vellet, ipſum etiam hoc iis verbis expreſſit. Praeterea gigni pariter cum corpore & vna Creſcere ſentimus: pariterque ſeneſcere mentem. & quae ſequuntur, apta ad id comprobandum. Vetus quoque ſcholion in eum Homeri locum, narrat Antipatrum etiam medicum affirmare ſolitum creſcere vna cum corpore animum. qui (vt opinor) de animo hominis, non alicuius expertis rationis animantis, ita ſentiebat, de quibus dubium nullum eſt. Cum autem ἁπαλὸν ἦτορ exprimere volens, dixerim, tenerum animum, certum eſt, vel ex illo prouerbio ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων, quod Cicero a teneris vnguiculis reddidit, verbum hoc Latinum reſpondere plerumque illi Graeco: & ſi molle etiam ſatis accommodatum notioni illius aperiendae arbitror, nolo tamen praeterire, quin admoneam, ignem etiam ipſum ἁπαλὸν vocaſſe aliquando bonos auctores, cum ipſum, vt ratio quarundam epularum poſtulabat, lentum illis & non ſubitum: vehementemque dari debere, ſignificarent: ita certe locutus eſt Athenaeus, cum inquit. in ix. libro. καὶ ταῦτα διατρίψας ἐπιμελῶς, ἐπίβαλε εἰς λοπάδα καινήν, ἁπαλὸν καὶ συνεχὲς διδοὺς τὸ πῦρ. Quod etiam tenerum vocauit Horatius, cum praecepta falſi Epicurei traderet, in ſatyra ſcribens.

Si veſpertinus ſubito te oppreſſerit hoſpes
Ne gallina (malum) reſponſet dura palato,
Doctus erit, viuam mixto merſare falerno:
Hoc teneram faciet.

Ἁπαλὸν itidem appellabant Graeci, quamuis in eo oſtendendo non vno tantum hoc vocabulo vterentur, ſed idem etiam ἑφθὸν & ὀπτὸν vocarent. intelligo inquam dapes, quae ſine intervallo

teruallo temporis, ſiue huiuſcemodi quapiam ratione, ori ſtomachoque idoneae factae fuerint: quod teſtatur etiam Plutarchus, qui & ipſe in vi. libro συμποσιακῶν, aliam viam einſdem rei efficiendae oſtendens, quaerit cauſam ipſius, dicens cur tenera cito fiant, quae mortua in ficu ſuſpenſa fuerint: ἁπαλὰ hic ipſe illa appellat, ideſt in indice: infra tamen in quaeſtione ipſa diſſoluenda inquit de gallo, qui hoc artificio coqui, breui tener factus erat: vnde ille ab o-
" mnibus laudatus fuerat. ὅτι τῷ ἀρχιμαγείρῳ θυομένῳ ἀλεκτρυόνα παραθεὶς ἐκέλευεν, ὥσπερ χθιζόν, ἁπαλὸν
" εἶναι καὶ πρόσφατον. Cum autem, collectis multis exemplis, accurate diſſeruerim de Graeca voce ἁπαλῶν, addere praeterea volo, veteres illos videri vocaſſe ἁπαλά, oua, quae in aquam ſine putamine coniecta coquuntur, vnde nos, patrio ſermone ipſa, affogate, μεταφορικῶς appellamus, ſimulque Cornelij Celſi locum emendare valde corruptum in quarti libri cap. iij. apud
" eum enim legitur, in excuſis libris: Sorbitionibus vtendum; itemq; ouis ſorbilibus, aut a pul-
" lis mollibus, ius aliquod aſſumendum: vsm pro a pullis ſcripti quidam habent apalis: vt noſter etiam quidam, ſatis antiquus, & fidelis, qui ſeruatur in Medicea bibliotheca: cum autem videatur alterum horum, ideſt, aut apalis, aut mollibus ſcholion eſſe, veriſimilius eſt, Graecum ἁπαλοῖς, declarationem fuiſſe Latinae vocis, mollibus, quae ſequitur; quis enim vnquam crederet Romanum ſcriptorem, & eum quidem purum, atque elegantem in media oratione ſua Graecam vocem vſurpaſſe: priſcorum autem grammaticorum morem fuiſſe Graecis nominibus, vt magis communibus, magiſque notis, vim aperire, notionemque Latinorum verborum, ſatis notum eſt: cuius totius ſententiae eſt Ioannesuincentius Pinellus, qui me huius eruditae, diligentiſque animaduerſionis admonuit, vt amicus meus ſummus, & laudis meae vndique ſtudioſus.

Monſtratum exemplum apud Euripidem eius ſermonis, quo vſus eſt Aeolus ad Iunonem, cum ſe totum dixit eſſe in poteſtate ipſius.

CAP. IIII.

QVod fecit Virgilius, Aeolum Iunoni dicere, cum ſe paratum eſſe oſtenderet, facere quodcumque illa iuſſiſſet: nec poſſe aut debere vllum ipſius imperium recuſare: quod inquam fecit ipſum his verbis orationi illius deae reſpondere. tuus ô regina, quid optes,
" Explorare labor: mihi iuſſa capeſſere fas eſt.
" Idem apud Euripidem in Ione reſpondet vetus famulus illius familiae, Creuſae: quae ſe operâ ipſius vti velle ſignificarat in re non ſatis honeſta. vel potius affini graui ſceleri ac nefaria: haec igitur ipſius verba ſunt, oſtendi ſibi volentis locum ac modum illius rei peragendae.
" σὺ νῦν τί δρᾶσαι, τὸν λέγειν· τὸ πρᾶξαι δ' ἐμόν. poteſt igitur facile cognoſci huius etiam ſententiae exemplo breuitas & elegantia Graeci ſermonis, qui paucioribus verbis idem commode expreſſit. ſed etiam auctoritate duorum horum locorum perſpicitur hanc orationem conuenire illis, qui paratos ſe eſſe oſtendunt, cum rogantur a potentioribus, facere improbum aliquod facinus: aliquo modo enim ita ſe purgant: & obſcure culpam illorum ſcelerum in auctores conferunt: nam, quod petierat etiam ab Eolo Iuno, ſaeuum erat, tantum periculum creare claſſi & illam paene mergere fluctibus, nullius culpae conuictam, ſed ob proprias tantum inimicitias & odium.

Mentio cruentae illius facis, quam vaticinata eſt Caſſandra, inuenta apud Euripidem.

CAP. V.

CVm apud Euripidem Troadibus, Helena ſe cauſam non fuiſſe belli Troiani: exitiique illius praeclarae vrbis oſtendere vellet: primumque Hecubam ſuſtinere cauſam eorum malorum dixiſſet, quae Paridem pepererat, addidit aſſignari debere culpam illam ſecundo loco Priamo, qui infantem eum non necauiſſet, vt facere ipſum debere a Caſſandra filia obſcure admonitus fuerat. nam fax illa, cruoris plena, quam ipſa furore percita, praedicauit, nihil aliud ſignificabat, quam futurum puerum illum, qui natus erat, vel cuius partus appropinquabat, ſi creuiſſet, cauſam maximorum incendiorum: interituſque demum patriae. Verba Euripidis haec ſunt.

" Δεύτερον δ' ἀπώλεσε
" Τροίαν τ' ἐμέ, πρέσβυς, οὐ κτανὼν βρέφος,
" Δαλοῦ πικρὸν μίμημ', Ἀλέξανδρόν ποτε.

Tetigerat eandem rem vetus Latinus tragicus, cuius hoc carmen poſitum eſt a Cicerone in primo libro

» mo libro de diuinatione. Adeſt adeſt fax inuoluta ſanguine & incendio. Multos annos la-
» tuit, ciues ferte opem & reſtinguite. nam prononntiatum id fuiſſe a Caſſandra, declarant ver-
» ba, quae ſequuntur. Deus incluſus corpore humano iam, nun Caſſandra loquitur. Teſti-
monio vero Nonij, qui locum hunc duobus locis citat, videmus putare debere fabulam illam
» a M. Varrone ſcriptam fuiſſe: haec enim ipſius verba ſunt primum in Fax. Fax pro face.
» Varro Γεροντοδιδάσκαλος. Confluit mulierum tota Roma. quae noctu fieri initia ſolita, e-
» tiam nunc pinea fax indicat. Idem ſexageſi. Adeſt fax inuoluta incendio. deinde in Inuol-
» nere. Varro ſexageſi. Adeſt fax inuoluta incendio. Meminiſſe vero huius facis Virgilium
duobus locis, notum eſt.

Vt M. Cicero belli os, ita Homerus πτολέμου στόμα appellauit.

CAP. VI.

TRIBVIT Homerus os bello, cum (vt putatur) vorax ipſum eſſe: abſorbere-
que corpora militum oſtendere vellet. nam, quod magnum ipſum illud os eſſe
addidit, magis adhuc auiditatem belli ſignificauit: facultatemque immenſam o-
mnia abſumendi. verſus, quo vim eſſe hanc naturamque ipſius docuit, eſt hic.
» Ἠὲ ποτὶ πτολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο.
Cum igitur M. Cicero de bello & ipſe, tamquam de vaſta immanique aliqua belua, loquans,
os fauceſque ipſius appellauerit, non ſina cauſa exiſtimari poteſt, inde id accepiſſe ac ſummum
diuiniſſimumque poëtam imitatus fuiſſe, praeſertim cum eo tempore ſtudium illud ornaret ac
» poëtae reo auxilium ferret. Haec autem ipſius verba ſunt pro Archia. Populi R. laus eſt, vr-
» bem amiciſſimam Cyzicenorum eiuſdem conſilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore &
» faucibus, ereptam eſſe atque conſeruatam. mirifice autem Cicero ita difficultatem illius facti ac
ſingularem virtutem L. Luculli declarauit. qui conſilio ſuo paene captam & oppreſſam extor-
ſit e manibus Mithridatis eam vrbem: & omnem conatum illius eluſit.

Vetus lectio Ciceroni reſtituta, in perbella oratione, & noua commenticiaque inde exploſa.

CAP. VII.

VARIE doctus & eloquens vir Lazarus Bonamicus: cuiuſque magnum fuit no-
men in humanioribus his ſtudiis, emendare aggreſſus eſt, coniectura ductus, vt
accepi ab auditore ipſius, locum Ciceronis pro Archia poëta, qui (niſi fallor)
emendatione nulla egebat. cum autem quidam, iudicium ipſius, tamquam cer-
tum ac minime fallax, ſecuti, correctionem illam vt veram receperint: atque e
ſua ſede veterem lectionem iniuſte exturbarint, videtur id mihi indicandum eſſe: ac veritas
huius facti tota patefacienda, ne auctoritas quorundam, huius aetatis hominum, obſit antiquis
ſcriptoribus; & ne qui excudunt libros, putent ſemper explorata eſſe quaecumque illis viſa fue-
rint, coniecturas ſaepe quaſdam inanes ſequentibus: ac nimis opinioni ſuae tribuentibus.
Locus vero hic eſt. qui ſane ita, vt perſpici facile poteſt, in libris quoque, qui non multo ſu-
» pra hanc aetatem impreſſi formis ſunt, legebatur. Quod ſi non hic tantus fructus oſtendere-
» tur, & ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur, tamen (vt opinor) hanc animaduerſionem
» humaniſſimam, ac liberaliſſimam iudicaretis. cum igitur egregius ſenſus ex his verbis elicia-
tur atque is quidem ſatis planus & apertus, illi ſine cauſa immutata voce illa Animaduerſio-
nem, pro ipſa, duo haec verba Animi remiſſionem reſtituerunt. reſpondet autem, in quo il-
los deceptos puto, qui id non viderunt, verbum Animaduerſionem ſuperiori illi Studiis non
ei, quod ſequitur, delectatio, vt falſo ipſi putarunt. cum igitur idem paene Cicero exprimere
vellet, variandae orationis cauſa inquit infra pro ſtudia, animaduerſionem. cuius nominis ea-
dem fere vis, notioque eſt. quin autem id a M. Cicerone alias hoc ſenſu vſurpatum ſit, du-
bium non eſt. valet autem διάχυσις, ἄνεσις. Quid oportuit igitur fidelem ac germanam ſcri-
pturam contaminare? atque ipſam improbe loco ſuo depellere?

Hh Motum

Motum illum animi, quem ſignificauit Cicero in Catilina exacto, & Virgilius in tauro victo, declaratum extitiſſe in alijs fortiſſimis perſonis.

CAP. VIII.

AFFECTVM eundem animi, quod animaduerterunt etiam veteres grammatici, tribuit Virgilius tauro, qui victus in pugna, pellebatur e ſuis ſedibus, quem affectum M. Cicero in L. Catilina extitiſſe dicit, cum eiectus ab ipſo ex vrbe fuit: cognouitque ſe ad finem peſſima ſua conſilia perducere non poſſe: vterque enim dolorem, quem animo tunc ſentiebant, & quam inuiti inde abirent, ſigno quodam demonſtrarunt. ſummus igitur orator inquit. Retorquet oculos profecto ſaepe ad hanc vrbem, quam e ſuis faucibus ereptam eſſe luget. nam poëtae verſus hic eſt.

Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit auitis.

Addam & ipſe teſtimonium Homeri, qui etiam hoc fieri vidit: notamque eam ſatis certam eſſe aegritudinis magnae cognouit. Cum igitur facit Aiacem perturbatum repente, iniecto metu a Ioue animo ipſius, diſcedere ſane e proelio, ſed cum dignitate, ita de ipſo loquitur. ἐντροπαλιζόμενος, ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων. Valet autem (vt opinor) primum nomen hoc ipſum ſcilicet crebro oculos conuertiſſe ad hoſtes, quos a ſe tunc relinqui, ſpei laetitiaeq; plenos, iniquo animo ferebat. quamuis motum illum, conuerſionemque potius in animo, quam in corpore verſatam tunc fuiſſe veteres non nulli crediderint: putarintque Homerum declarare voluiſſe illum, in ancipiti tunc fuiſſe: abeundum ne foret, an in hoſtes redeundum. Sed Liuius etiam idem narrat in Annibale conſpici potuiſſe, cum reuocatus a patria inuitus, maeſtuſque ex hoſtium terra exceſſit; inquit enim de illo. Reſpexiſſe ſaepe Italiae littora ferunt. & praeterea Plutarchus cum & ipſe eodem pacto perturbatum expoſuit Pyrrhum abiiſſe e Sicilia: accerſitus enim ille quoque fuit a ſociis, quos in eadem terra habebat: illi namque ſine ipſo vix in vrbibus reſiſtere poterant hoſtibus: narrat igitur regem illum, cum iam nauim aſcendiſſet, conuerſis oculis ad eam terram, dixiſſe cum dolore magno. Qualem relinquimus palaeſtram Poenis ac Romanis.

Indicatus locus T. Liuij grauis, valde ſimilis ſententiae Thucydidis, aetate omni verae cognitae.

CAP. IX.

PERICLES, vehemens ille orator: honeſteque ſemper in rep. verſatus, in prima illa contione apud Thucydidem, qua bellum contra Peloponneſios ſuaſit, vt adderet animum Athenienſibus: oſtenderetque non magnopere reformidare illos debere conſenſum illum multorum populorum aduerſus ipſos, ſedulo collegit, patefecitque mala, quae inuenirentur in his ſocietatibus ac συμμαχίαις, vt Graeci ipſas vocant: eſt enim totus ille locus, ſiquis accurate attendat, potius διαβολὴ huiuſcemodi communionum, quam ſtatus multitudinis, vt falſo putauit, qui ſcripſit Graecum ſcholion, quod illic legitur. incipit autem criminatio illa ab his verbis. ὅταν μήτε βουλευτηρίῳ ἑνὶ χρώμενοι vſq; ad haec ipſa. καὶ μὴν οὐδ' ἐπιτείχισις, quibus verbis declarat poſſe etiam ipſos non ſine cauſa contemnere aliud, quod multi nimis perhorreſcebant. Idem etiam fecit T. Liuius, qui & ipſe expoſuit eadem mala, vel potius vitia incommodaque, quae inuenirentur in rep. quae regitur a multitudine in iiij. libro de bello Macedonico. vbi commemorat aſtutam rationem, artemque, qua vſus eſt T. Quinctius in reuocandis animis Graecorum ab obſidenda Lacedaemone: volebant enim legati eorum ſeruitute liberari nobilem eam ciuitatem, vt ceteras omnes, oppreſſae a tyrannis, opera ſtudioque ipſius liberatae fuerant: haec igitur auctoris ipſius verba ſunt, poſtquam aſtutum conſilium Romani imperatoris narrauit. Haec oratio primum animos omnium ad reſpicienda cuique domeſtica mala conuertit, ſegnitiam, & inuidiam, & obtrectationem domi manentium aduerſus militantes, libertatem difficilem ad conſenſum, inopiam publicam, malignitatem conferendi ex priuato.

Quid documenti capiatur ex facto quodam Hectoris Homerici, quod ab imperitis contemneretur.

CAP. X.

ANIMADVERTERVNT veteres illi grammatici diligentiam Hectoris, qui expugnaturus caſtra Graecorum, cum arduum opus illud eſſe intelligeret, deſiderioque ipſius efficiendi arderet, ſecum duxit etiam aurigam, cum cognoſceret maiorem

virtutem in ipſo eſſe quam in proprio illius miniſterio requireretur. illa igitur vti voluit in re quae tunc premebat: alteriq; muneri deſtinauit alium viliorem hominem. cum tamen moris potius ſit tali tempore legere magni animi milites, & fortiſſimos quoſq; ex omnibus copiis ſumere. Hoc igitur vidit Homerus & vt nos etiam ſciremus, laborauit. virtutem inquam & magnitudinem animi, vbicumque illa ſit, eſſe ſemper expetendam. inquit igitur poëta.

[illegible]

[illegible]

Apud Terentium Thraſo, qui tamen ſummum imperatorem ſe eſſe ſtulte putabat, cum ipſe quoque difficilem rem aggrederetur (ita enim arbitrabatur) in meretriciamque domum vi irrumpere vellet, queſtus eſt, quod non omnis familia in eam expeditionem ducta eſſet quaſi numerus hominum, non vſus ac magnitudo animi illis temporibus vtilis eſſet: ita enim iterum quid aliis factum eſſet interrogauit. Vbi alij? merito igitur a Sanga irriſus eſt, qui talibus hominibus confideret.

Locus Ciceronis deprauatus e V. Philippica aliter correctus ac Faërnus putarit.

CAP. XI.

ERAT locus in v. Ciceronis Philippica plane mendoſus, quem tamen Ferrarius, cum ſtudio ac diligentia ſua conatus eſt libros illos emendare, fere non attigit: nec viſus eſt maculam illam perſpexiſſe, ita autem paſſim legebatur. Vt eos iudices haberemus, quos ſocios ad epulas habere hoſpites nemo velit. ipſum poſtea Faërnus, ſecutus fortaſſe antiquiſſimi illius exemplaris, quod repperit, fidem, ſublatis quibuſdam verbis, ita reſtituit. Vt eos iudices haberemus, quos hoſpites habere nemo velit. credidit igitur ille (vt opinor) quae inde verba dempſit, declarationem quondam fuiſſe illius verbi, quod ſequebatur, hoſpites. Ego autem, niſi obſtet veteris libri auctoritas, qui tamen non vſquequaque integer ac purgatus eſt, ſic emendarem, vno tantum nomine leuiter immutato: & a plurium numero ad vnius numerum translato. Vt eos iudices haberemus, quos ſocios ad epulas habere hoſpes nemo velit. Vt enim M. Tullius voluerit oſtendere hominum illorum, quos in eum ordinem M. Antonius coniecerat, ſordes & humilitatem, dixerit eos tales fuiſſe, vt qui domi ſuae ipſos iure hoſpitij recepiſſet, recuſaturus fuerit ipſos participes ſuae menſae facere: volueritque, eos vna cum famulis & ancillis, vt moris eſt de tenuibus ac vilibus hominibus, cibum capere. cum propter humanitatem ac vinculum illud, eiicere ex aedibus non poſſit, non tamen in animum inducat, dignitatis ſuae gratia, videri illos vna ſecum accumbere. Niſi autem fallor haec ſententia grauior eſt: certe magis apta ad ſordes illorum obſcuritatemq; oſtendendam, contraq; illa frigidior: nam ſi ſemel aliquis receptus in eam formam amicitiae eſt, non poteſt poſtea excludi, ita autem vtrumque cuſtoditur.

Monſtratus locus Ciceronis par, ſimilisque loco Thucydidis, cum ambo defendant vitam iucundam.

CAP. XII.

QVOD de ſuis Athenienſibus multo prius Pericles apud Thucydidem magnifice vereque praedicauit, quamuis illi non abhorrerent a corporis voluptatibus: vitamque lenem ac remiſſam amarent, cum contra Lacones duram & aſperam colerent, tamen eoſdem, temporibus reip. poſtulantibus, pares eſſe laboribus tolerandis, Cicero quoque de Romanis hominibus narrat: cum vitam talem ac mores cauſa, quam defendebat, vt ornaret, tuereturque, ipſum impelleret. haec igitur ipſius verba ſunt pro L. Muraena. Neque tamen Lacedaemonij, auctores iſtius vitae, atque orationis, qui quotidianis epulis in robore accumbunt: neque vero Cretes, quorum nemo guſtauit vnquam cubans, melius quam Romani homines, qui tempora voluptatis laboriſque diſpertiunt, reſp. ſuas retinuerunt. Orator autem ille magnus apud eundem ſcriptorem in laudatione eorum, qui interfecti erant in proelio: in qua tamen dum mores atque inſtituta patriae laudaret, inſimulauit etiam Lacedaemonios, cum quibus eo tempore ipſis bellum erat, ita eandem ſententiam perſecutus eſt, ἡμεῖς δὲ ἀνειμένως διαιτώμενοι, οὐδὲν ἧσσον ἐπὶ τοὺς ἰσοπαλεῖς κινδύνους χωροῦμεν. nam & ipſe antea accuſauerat Lacedaemonios vt Cicero facit, qui cum magnis & continentibus laboribus premerentur, nihil vnquam in vita ſuauitatis deguſtarant.

Duo praeclara exempla illius argumentationis, quae vocatur κατὰ συγχώρησιν.

CAP. XIII.

VOCABATVR a Graecis, dicendi magiſtris, genus quoddam argumentationis κατὰ συγχώρησιν. cum ſcilicet in diſputando concedebatur, quod poterat reprehendi: & affine eſſe non paruae culpae demonſtrari: atque id non vt crimen illud minueretur, ſed vt quod inferretur, collatum cum ipſo, grauius eſſe atrociuſque intelligeretur. Eo argumento vſus eſt egregie Terentius in Adelphis, cum ita induxit Hegionem apud Demeam, maioris ipſius filij, facinus accuſantem. Vero amplius. nam hoc quidem ferendum aliquo modo eſt. Perſuaſit nox. amor. vinum. adoleſcentia. Humanum eſt. vbi ſcit factum. & quae ſequuntur: ſtatim enim addidit, quod artificio hoc augere voluit. Eodem etiam, multo maiore in re, vſus fuit Homerus: vbi enim facit Sarpedonem oratione ſua Glaucum excitare: & ad mortem contemnendam cohortari, ſi iactura vitae egregium aliquod factum poſſet adminiſtrari, ita egit, conceſſitque iuſtam fortaſſe cauſam futuram fuiſſe illam cum turpitudine, etiam retinendi, ſi, poſt dedecus admiſſum, perpetuo viuere deberemus, penituſque mortis expertes futuri fuiſſemus: additque, cum vero fugere ipſam nequeamus: multiſque modis eam ſemper impendentem nobis habeamus, ſtultum conſilium eſt amittere occaſionem ipſam praeclare & in honeſta aliqua re collocandi. Verba poëtae ſunt.

Ὦ πέπον, εἰ μὲν γὰρ πόλεμον περὶ τόνδε φυγόντε
Αἰεὶ δὴ μέλλοιμεν ἀγήρω τ', ἀθανάτω τε
Ἔσσεσθ', οὔτε κεν αὐτὸς ἐνὶ πρώτοισι μαχοίμην.

Et quae ſequuntur. neque enim totum locum oportet huc transferre, cuius loci virtuti cognoſcendae ſeruit etiam vetus ſcholion: hoc enim quoque veteres illi, doctiſſimi viri, illic adnotarant. τὸ σχῆμα δὲ τοῦ λόγου, κατὰ συγχώρησιν καλοῦμεν. cuius etiam totius rationis vim accurate explicat M. Cicero, qui viſus eſt in Philippica quadam hanc ſententiam exprimere voluiſſe, vt multo ſupra adnotaui, nihil tamen aduerſario dedit. ſed negauit id quoque bonum expetendumque eſſe, quod illic fugiendum eſſe oſtendebat. quia quanto longior vita eſſet, oppreſſa ſeruitute, tanto moleſtior & odioſior eſſe debebat. Theopompum vero tranſtuliſſe in ſuas hiſtorias argumentum illud Homeri, libereque ipſo vſum fuiſſe, indicio veteris ſcriptoris, intelligitur: haec enim ipſius verba leguntur apud Athenaeum. εἰ μὲν γὰρ ἦν, τὸν κίνδυνον τὸν παρόντα διαφυγόντας, ἀθανάτους διάγειν τὸν ἐπίλοιπον χρόνον, οὐκ ἂν θαυμαστὸν ἦν φιλοψυχεῖν: νῦν δὲ τοσαύτης οὔσης ... [illegible]

Translatum verbum eximie ab Homero, in quo etiam manet hyperbole, magis adhuc illuſtrem locum reddens.

CAP. XIIII.

IN nyctegerſia Homerus, cum vellet oſtendere ſingularem vigilantiam canum paſtoriciorum & paſtorum etiam ipſorum, in magno periculo gregis, curam, vſus verbo translato, dixit ſomnum periiſſe ex oculis ipſorum: qui enim interitum dat rei animi experti, manifeſto transfert verbum ab animantibus, quae proprie oriuntur & occidunt. Propter ſimilitudinem igitur ſomnus, qui & ſi animantem corripit: ipſiuſque requies eſt, non tamen ipſe animans eſt, cum penitus inde eiicitur atque exturbatur, eleganter apteque ad rem ipſam exprimendam dictus eſt periiſſe atque extinctus fuiſſe. Eodem autem vſus eſt ſtatim in redditione ipſa, cum de cuſtodibus caſtrorum, vigilibuſque ipſis loqueretur. quos ſimiles tunc fuiſſe affirmant propter vigilantiam illam canibus, penitus vacuis a ſomno, vt demonſtratum eſt. Verſus ſummi poëtae, quibus eandem rem, in diuerſis animantibus poſitam, perſequitur, hi ſunt.

Πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ἐπ' αὐτῷ
Ἀνδρῶν, ἠδὲ κυνῶν: ἀπό σφισιν ὕπνος ὄλωλεν:
Ὡς τῶν νήδυμος ὕπνος ἀπὸ βλεφάροιιν ὀλώλει.

Sed non tantum egregia translatio in eo verbo eſſe intelligitur, verum etiam, ſiquis diligenter attendat, ὑπερβολή quaedam: qui enim dicit rem aliquam periiſſe, ne veſtigium quidem vllum ipſius reſtitiſſe docet: itaq; demum fractam ac diſſipatam ipſam eſſe, vt reuocari non poſſe videatur. quod etiam teſtatur his verbis vetus ſcholion, vnum ex illis ſcholiis priſcis, quae remanſerunt non ſine vtilitate, multa e multo maioribus monimentis optimorum ingeniorum in optimum hunc poëtam. Διὸ ὑπερβολικῶς εἶπε τὸ ὄλωλεν. ὡς μηδὲ ἴχνος, ἢ λείψανον, καταλείπεσθαι αὐτῷ.

ſignis

Signis quibuſdam declaratum, ſcuta peditum in Graeca, & Romana militia ponderoſa fuiſſe.

CAP. XV.

SCVTA, quae ferrent in bello pedites, valde grauia fuiſſe: nec facile potuiſſe ſuſtineri, declarauit etiam M. Cicero in v. Philippica, cum totum ordinem agminis Antoniani deſcriberet, qui Antonius ita in ſenatum veniebat cinctus vndique armatis, vt ſi ad proelium cum hoſtibus committendum proficiſceretur: narrauit enim eos ſtatim, vt ventum eſſet ad aedem Concordiae, ſcuta humi depoſuiſſe, lecticis obiectis, quod factum eſſet conſilio ipſius, qui parcere vellet familiaribus ſuis, vt non tam tecta illa eſſe ſtuderet, quam onere illo iodales ſuos leuare. inquit igitur. Gradus complebantur, lectitae collocabantur, non quo ille ſcuta occulta eſſe vellet, ſed ne familiares, ſi ſcuta ipſi ferrent, laborarent. arbitror igitur valere hoc in loco ferreot, geſtarent & brachiis ſuſtinerent. nam in itinere & antequam eo peruentum eſſet, opinor illos tuliſſe. Eodem pacto de eadem re locutus eſt Xenophon, ille Socraticus: cum enim pugna committi deberet, duce Thraſybulo ab exulibus Athenienſium cum xxx. illis viris, qui domi remp. vt ipſis commodum erat, adminiſtrabant, omnibus iam rebus paratis, appropinquantibuſque aduerſariis, oportere exiſtimauit Thraſybulus ſuos cohortari. quare cum mandaſſet vt ſcuta deponerent, ad illos & ipſe, ante pedes ſcuto collocato, verba fecit. haec autem Xenophontis ipſius verba ſunt e ij. libro de rebus Graecorum. οἱ δὲ ἢ προσῄεσαν οἱ ἐκ ἄστεως, Θρασύβουλος τότε μετ' αὐτῶν θέσθαι κελεύσας τὰς ἀσπίδας καὶ αὐτὸς θέμενος, τὰ δ' ἄλλα ὅπλα ἔχων, κατὰ μέσον στὰς, ἔλεξε. Morem autem hunc fuiſſe cunctorum imperatorum, cum ad exercitum verba facerent, praeter quam cum iam pugnaretur, ad manuſque peruentum eſſet, percipitur etiam ex illo Virgilij. nec ſcuta aut ſpicula denſi Deponunt.

Diſputatum de loco quodam in philippica Ciceronis, defenſaque communis lectio, contra iudicium non nullorum.

CAP. XVI.

QVo loco vſus eſt egregie M. Tullius lumine illo orationis, quod vocatur ὑποτύπωσις, in xiij. Philippica, haec in aliis, quae vim habent illuſtrandi eam rem, verba poſuit. Quam vim anhelitus, quas contumelias fore cenſetis, minaſque verborum? ita enim paſſim legebatur in excuſis libris, antequam Hieronymus Ferrarius operam daret illis orationibus in M. Antonium emendandis: quod enim nunc in aliquibus formis impreſſis eſt. Quem vini anhelitum. ab illo fluxit, qui tamen affirmat ſe lectionem eam inueniſſe in quibuſdam calamo ſcriptis exemplaribus: cum igitur Ferrarius magis probarit poſteriorem hanc lectionem, & alteri illi anteponendam cenſuerit, ego ab ipſo diſſentio: & ſuperiorem veriorem puto: neq; enim loquitur nunc de M. Antonio, cuius naturae vitio haec lectio conueniret, ſed de familiaribus ipſius ac ſatellitibus, qui ipſum vndique cingerent & quaſi oppoſitu corporum ſuorum ab omni impetu aduerſariorum defenderent. qui familiares ipſius cum id munus ſollicito animo obirent, neceſſario etiam corpore laborabant, & anhelantes erant. Nec repugnat quod ſupra inquit. ſpiritum: aliud enim illic verbum illud valet, ſignificatque arrogantiam. Loquitur praeterea eo loco de Antoniis ipſis, non de ipſorum comitibus, vt non dici poſſit ipſum idem ſine cauſa inculcare. Aut igitur hoc oſtendit verior haec (niſi fallor) lectio: verumque anhelitum, ex curſu defatigationeque natum, ſignificat vt puto: aut rem, quae fit a nobis cum fremimus, ac quaſi nunc hoc malum aliquibus minamur, nihil tamen verborum addentes, vt ordinem ipſum rerum diligenter ſecutus ſit: primum enim quaſi fremimus, deinde minis vtimur: poſt contumelias iacimus: quare, ſi hoc verum eſt, ſemper auxit, & verum ordinem amplificandi tenuit. deſideratur autem haec oratio in antiquiſſimo libro, quem Faërnus repperit, vt deſtitutus ipſe illo duce, non tam facile locum emendare potuerit. Anhelitum vero verbum eſſe, quo in hac re oſtendenda paſſim vtuntur, apertum eſt. nam & Terentius inquit. Confugere anhelantem domum, & Plautus. Non vides me ex curſura anhelitum etiam ducere, &c. Priuſquam recipias anhelitum vno verbo eloquere, vbi ego ſim. Nec tamen me fugit anhelitum vini Ciceronem aliquando appellaſſe, vt in oratione poſt reditum in ſenatu.

Morderi humum ab his, qui confoſſi vulneribus cadunt, quod tetigit Virgilius, videri acceptum ab Homero.

CAP. XVII.

QVOD apud Virgilium Turnus de Mezentij, impuri hominis, honeſta morte protulit, quem tamen ille valde diligebat: & in iniuſtum illud regnum, vnde exactus erat, reducere cupiebat, & ipſum acceptum eſt ab Homero. Procubuit moriens & humum ſemel ore momordit. ille namque non ſemel eo vſus eſt, & cum fecit ita Agamemnonem dicere, vota Ioui nuncupantem. & praeclara quaedam optantem.

Πολέες δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι
Πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν.

Et cum Neſtorem ſua vetera facta commemorantem, haec loqui.

Πεντήκοντα δ' ἕλον δίφρους. δύο δ' ἀμφὶς ἕκαστον
Φῶτες ὀδὰξ ἕλον οὖδας, ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ δαμέντες

Inde etiam ſumptum, ipſum Euripides quoque vſurpauit φοινίσσαις de duobus fratribus, qui mutuis ictibus ceciderunt.

Γαῖαν δ' ὀδὰξ ἑλόντες, ἀλλήλων πέλας
Πίπτουσιν ἄμφω.

Ductus autem eſt hic modus loquendi vt arbitror, ab eo quod neceſſario vſu venit, cum aliquis confoſſus vulneribus concidit: vix enim fieri poteſt quin ille ore telluris aliquid ſumat. cadunt autem, quod Lucretius etiam tetigit, in vulnera qui occumbunt. nos etiam patrio noſtro ſermone (niſi fallor) idem exprimere volentes, dicimus, dar del ceſſo in terra. quod etiam moris eſt transferre ad alia, vt cum ſermo eſt de mercatore aliquo, qui decoxerit: dicimus enim tunc id factum eſſe. Hoc autem ipſum planius adhuc intelligitur antea prolatum fuiſſe ab Homero: viderique non ſine cauſa poteſt totidem verbis inde translatum fuiſſet de procis enim, cum interficerentur ab Vlyſſe, inquit, ὁ δὲ χθόνα τύψε μετώπῳ: & χθόνα δ' ἤλασε παντὶ μετώπῳ. Nec tamen me fallit aliter accipere Seruium ſuperiorem locum Virgilij: exiſtimareq; ipſum id facere eos, qui cadunt, conſulto, ne extremo illo tempore, dolore victi, edant vocem aliquam indignam ſua praeterita exiſtimatione ac vita. videndum tamen, quomodo tunc omnes veriſimile ſit de ea re tantopere laborare, non ſummae dignitatis etiam homines. conſueuerunt etiam in pugnis ſingularibus, cum aliquem, grauiter ictum, animam efflare vident, terram in os inierere. Sed hoc ceremoniae genus eſt, propriumque (vt opinor) noſtrae pietatis. Scholion autem vetus, explicans illud poëtae, pronuntiatum ab Achille.

Τῷ κ' οὐ τόσσοι Ἀχαιοὶ ὀδὰξ ἕλον ἄσπετον οὖδας,

Putat facere hoc illos, qui vulnerati ab hoſte in pugna procumbunt, propter indignationem ſtomachumque; nec non dolorem vulnerum illorum, quae acceperunt.

Ductum ab Homero, quod celebre eſt Arati, de vicina morte nautarum.

CAP. XVIII.

ARATVS, cum in ſuis φαινομένοις tempeſtatem deſcriberet, vel periculum potius graue, quod in mari ſemper inſtat nautis, mortem propinquam habentibus, remotamque ab ipſis exiguo ſpatio loci, cecinit. ὀλίγον δὲ διὰ ξύλον ἄϊδ' ἐρύκει. Videtur igitur ipſe reſpexiſſe ad locum Homeri e nyctegerſia, cum ſopitum inter ſuos Neſtor Diomedem excitauit: corripuitque verbis, quod vicinis hoſtibus profundo ſomno indulgeret. verba certe eadem paene ſunt: nec res vllo modo diſſimilis, & ſi ſtatum genuſque mortis omnino diuerſum. ita igitur rem illam ſuam expoſuit Homerus. ὀλίγος δ' ἔτι χῶρος ἐρύκει. Dionyſius tamen Longinus, magiſter dicendi magnus: & qui ſtudij multum poſuit in exiſtimandis ſcriptis veterum auctorum, putat Aratum alium locum eiuſdem poëtae exprimere voluiſſe, in quo ſane Homerus in collatione quadam ſaeuam procellam deſcribit, & quaſi ante oculos eorum qui legunt, conſtituit. eſt autem cum poëta ille ἐν τῷ πε- [illegible] fecit Hectorem incurrere in aciem Achiuorum: cuius cum impetum ferociamque oſtendere vellet, vſus eſt illo ſimili. in eadem igitur re commemoranda poëta inquit, τυτθὸν γὰρ ὑπ' ἐκ θανάτοιο φέρονται. impulit igitur ipſum vt crederet imitari voluiſſe hunc Homeri locum Aratum ſententia: alium autem vt iudicaui, non ſine cauſa vt aliter crederet, & rei & verborum ſimilitudo. Sed hoc etiam addere placet, non valde probare criticum eum locum illum Arateum, affirmareq; minime potuiſſe ipſum reddere quod conatus eſt: cum enim dicat puſillum

lignum

lignum arcere mortem a nautis, exiſtimat ipſum, quod non oportebat, in tuto vitam eorum ponere: cum contra Homerus ſingulis paene verbis rem eam augeat; neque vnquam graue illud malum ab ipſis depellat. Sed tamen enim Aratus inquit fragilem materiam, & eam quidem tenuem, remouere ab illis mortem, non valde tutam ſalutem eorum eſſe declarat. nam quin illi adhuc viuant dubium non eſt. ſed qui vim ventorum cogitat & impetum fluctuum, ſtatim videt illam in lubrico verſari. Latino etiam cuidam poëtae non diſplicuiſſe rationem illam Arati apparet. quia ipſam imitatus eſt: inquit enim cum & ipſe audaciam nautarum, temeritatemque accuſaret.

Digitis a morte remotus
Quattuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima teda.

Videtur autem ipſe ad Anacharſidis, illius Scythae, vocem reſpexiſſe, qui in naui exiſtens, cum e nauta quaeſiſſet, quantum ab aqua abeſſent: audiſſetque quattuor digitos. tantum inquit abſumus a morte.

Quo conſilio vocatus ſit apud Homerum Vulcanus a matre κυλλοποδίων.

CAP. XIX.

NOLVIT accuſare Iuno Vulcanum, cum apud optimum poëtam ipſum κυλλοποδίωνα appellauit: apertum enim erat vitium pedum ipſius, nec tegi vllo pacto poterat. nullo autem verbo magis deum illum oſtendere poterat, quam ſi inde ipſum vocaſſet: fuiſſet enim alienum a perſona matris filium ſine cauſa laedere: praeterea tempus illud, quo cum ipſo ita egit, id non patiebatur. imminuto igitur illo nomine blande filium Iuno appellauit: ſignificauitque eum leuiter claudicare. nos quoque patrio ſermone, ſi perſonam talem, quod nomen par eſt Graeco, eodem conſilio Zoppettino vocaremus, videremur potius malum ipſius conterere, quam id ipſi exprobrare: intelligeremurque ſubito ipſam valde amare & vitio illius dolere. Idem autem (vt opinor) ſignificare voluit Cicero: hoc ipſumque prorſus exprimere pictor ille eximius conatus eſt, in eo deo effingendo. qui in ij. libro de natura deorum inquit: Et quidem laudamus Athenis Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes, in quo, ſtante atque veſtito, leuiter apparet claudicatio non deformia.

Epicurum ſolitum vocare nomina rerum φθόγγους, certis teſtimoniis comprobatum.

CAP. XX.

EPICVRVS vocabula, quibus oſtenderentur res, φθόγγους appellabat, quaſi ſonos. id autem verbum proprium eſt muſicorum. Cicero, cum ſententiam eius philoſophi, falſo habiti ac dicti mollis, exprimeret, reddidit voces. qui tamen non multo poſt, verbis quae ſequuntur, magis expreſſit vim ac notionem eius Graeci nominis. In ij. namque libro de finibus Cicero inquit. Eumque, qui crebro dicat diligenter oportere exprimi, quae vis ſubiecta ſit vocibus, non intelligere interdum quid ſonet haec vox voluptatis. Cum igitur addidit. Quid ſonet haec vox, manifeſto vertere voluit hoc ipſum nomen. ita vero ſolitum appellare Epicurum nomina, plane intelligitur teſtimonio illius ipſius: cuius haec verba leguntur apud Laërtium ex epiſtola, quam ſcripſerat ad Herodotum quendam, cupidum iuuentae rationis ab eo perdiſcendae. in ea igitur haec verba leguntur. πρῶτον μὲν ἂν τὸ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις ὦ ἡρόδοτε δεῖ εἰληφέναι. Eodem autem conſilio Cicero in eodem libro haec verba de eodem protulit. Si enim ad honeſtatem omnia referantur: neque in ea voluptatem dicant ineſſe, ait eos inani voce ſonare.

Videri diſcrimen eſſe: & quidem magnum, inter duo Graeca verba, quae non valde diſſimilia ſunt.

CAP. XXI.

NON memini me alibi legiſſe diſcrimen, quod Demoſthenes ponit inter duo haec verba κτῆμα & ἔγκτημα in oratione, quam habuit de Halonneſo vel potius, quo ipſe docet alios vſos eſſe idest Cardianos, qui cum Athenienſibus eo tempore litigabant de iure ſuae telluris ac dominio vt arbitror: aiebant enim illi ſe liberos eſſe & minime ditionis ac poteſtatis Athenienſium. quare oportere agros illos, quos priuatim Athenienſes in ſuis ipſorum

finibus poſſiderent, vocari ἐγκτήματα, & non κτήματα. cum contra Athenienſes fundos illos appellarent κτήματα, quo verbo declarabatur regionem, in qua illi forent, ſui iuris eſſe; neque enim Cardiani recuſabant, quin fructus caperent eorum agrorum Athenienſes, vt ſuorum, ſed tantum affirmabant appellandos eſſe, vnde ipſos caperent, priore illo Graeco nomine, non poſteriore. vnde naſcebatur, id quod ego dixi, ſui iuris ac poteſtatis eſſe Cardianos, quia praedia, quae aliqui poſſiderent in aliena terra & loco, moris eſſet vocare ἐγκτήματα: haec enim vis erat praepoſitionis illius, quae addita erat illi nomini, vt indicaret alieni iuris ſedem eſſe ac regionem eam, in quo illi agri poſiti forent. exempli gratia. ſiquis noſter ciuis, a ſe emptum, aut alia ratione paratum, fundum haberet in Lucenſi aut Bononienſi agro, ἔγκτημα fundus ille, non ſimpliciter κτῆμα, vocari deberet: quia publice noſtri homines nullum ius haberent in eas terras, quod ſi aliter factum eſſet, tunc vocati fuiſſent κτήματα. verba oratoris
» haec ſunt de Cardianis prolata. ἐπὶ τῆς φασι χώρας οἰκεῖν οἰκείας καὶ οὐχ ὑμετέρας εἶναι καὶ τὰ μὲν ὑμέ-
» τερα εἶναι ἐγκτήματά φασιν, ὡς ἐν ἀλλοτρίᾳ: τὰ δ᾽ αὑτῶν κτήματα, ὡς ἐν οἰκείᾳ. Placuit autem mihi hoc adnotare, quod tanti momenti foret, cum tamen lis eſſe videretur de vna ſyllaba ac praepoſitione, inuentum & ipſum a me in ea oratione, quae ſane & ipſa de nominis controuerſia, vnaq; aut altera ſyllaba addita, ſiue dempta, habita videretur, cum tamen multo maioris ponderis eſſe litem illam, quae falſo tenuia exiſtimaretur, accurate in ea doceat Demoſthenes, ſi vera haec ipſius oratio eſt. nam de hoc etiam olim inter eruditos viros diſputatum eſſe, notum eſt.

Vere dixiſſe periteque Catullum, Theſſaliam gignere magnam vim florum.

CAP. XXII.

Putari non ſine cauſa poteſt illud ſubtiliter & ex hiſtoria dictum fuiſſe a Catullo: non eſt certe alienum ab ingenio & doctrina ipſius, qui cecinit Theſſaliam abundare floribus: totamq; eam oram refertam eſſe ſuauiſſimis odoribus. Hi autem verſus ipſius ſunt, qui & ipſi iucundiſſimi ſunt, & olent ſummam elegantiam.

» Nam quodcumque ferunt campi, quos Theſſala, magnis
» Montibus ora creat, quos propter fluminis vndas
» Aura parit flores tepidi fecunda fauoni.
» Hos in diſtinctis plexos tulit ille coronis
» Quis permulſa domus iucundo riſit odore.

Nam Theophraſtus in vij. libro de hiſtoria eorum, quae oriuntur in terra, hoc tradidit: cum
» enim loqueretur de floribus, inquit. πλείω δὲ πολλαχοῦ ἐστι περὶ Φιλίππους: οὕτω γὰρ λαμβάνοντες ἐκ
» τοῦ Παγγαίου, φυτεύουσι: ἐκεῖ γὰρ γίνεται πολλά. Cum autem conſtet, nationem Turcarum, quae vt in aliis inſtitutis ſaeua & triſtis eſt, ita in hoc mitis & iucunda, valde floribus oblectari, vt erat vetus conſuetudo Graecorum, & Latinorum hominum, qui in conuiuiis & laetis omnibus temporibus coronati erant, accepi ego a noſtris mercatoribus, qui Byzantij vitam degerunt, extare illic multos, qui e vicinis montibus eos petant. vnde etiam noui aliqui, & non antea illic viſi aliquando in eam vrbem adferantur. Sed ſtudio quoque & diligentia noſtrorum aliqui illinc viſque ſuauiſſimi, aut ſaltem valde commendati ab antiquis, flores huc ad nos comportati ſunt, vt hyacinthus & narciſſus & alij, cum prius eos, nec tam pulchros, nec tam ſuaues haberemus.

Non poſſe nos honeſte fugere pericula, ſi qua forte ſecum ferunt conſilia, quae reip. dederimus.

CAP. XXIII.

Valuit multum ad Ser. Sulpicium ornandum: aequitatemque animi ipſius declarandam, quod Cicero de illo dixit, cum orationem de laudibus ipſius mor-
» tui habuit. Neque eius ſententiae periculum vitaturum, cuius ipſe auctor fuiſ-
» ſet: cum enim ille diligenter ſuaſiſſet ſenatui, vt mitterentur legati ad M. Antonium: ipſeque vnus eorum legatorum ab eo ordine creatus eſſet, quamuis intelligeret ſe obire id munus non poſſe ſine certo vitae periculo, tamen non recuſauit id facere, non tantum, vt tempori illi voluntatique ſenatus non deeſſet, ſed etiam ea de cauſa, quam dixit. Idem etiam perſpicitur vidiſſe Homerum. quem nihil vnquam fefellit, quod ad officia pertineret: vbi enim facit Neſtorem, ſapientiſſimum illum ſenem, conſilium dediſſe Graecis, vt praeſidio firmo cingerentur caſtra: cuſtodeſque, magni animi iuuenes, deligerentur, primum

eorum

eorum enunciat poeta Thraſymedem, filium ipſius: inquit enim, incipiens quod factum eſſet, narrare.

> Ἐν δὲ φυλακτῆρες σὺν τεύχεσιν ἐστιχόωντο
> Ἀμφί τε Νεστορίδην Θρασυμήδεα, ποιμένα λαῶν.

Hoc etiam adnotarat olim acutus & eruditus vir, cuius hoc ſcholion legitur in antiquo libro: poſtulat igitur officium honeſti & ſapientis viri, vt hoc obſeruetur ſemper, quod hi optimi ſcriptores ſubtiliter admonuerunt: neque decet vllo pacto facere, quod Terentianus Thraſo, qui alios inſtruxit, & in periculum coniecit, ipſe ſibi cauit loco. Verba Graecae illius, quam dixi, declarationis, haec ſunt, quae quia pauca ſunt, & ſatis concinna, poſui, Ἐν. τῷ περὶ φυλακῆς ἱστορουμένων πρῶτος ἐσημειώσατο υἱός.

Demonſtrati duo ſtimuli, qui impellunt milites ad acriter proeliandum, accepti a maximis auctoribus.

CAP. XXIIII.

T. Livivs de proelio M. Marcelli, qui fremebat ſe victum fuiſſe in acie ab Annibale: nec aequo animo ferre poterat id incommodum, quare poſtero die rurſus fortunam belli temptauit ac ſtatuit ἀντιμάχεσθαι, ita loquutus eſt, & docuit quid effecerit, vt diu par, aequaliſque pugna illa fuerit: motus enim animorum contrarij auxerant magis virtutem, ſua ſponte fortiſſimorum vtriuſque exercitus, militum. Pugnatum vtrinque aliquanto quam prius, acrius eſt: Poenis ad obtinendum heſternum decus adnitentibus. Romanis ad delendam ignominiam. Cum autem Homerus quoq; commemoret poſteriorem pugnam, quae commiſſa eſt ad naues Graecorum, valde acrem fuiſſe: ſuſtinuiſſeque conſtanter Achiuos impetum Troianorum, qui duce non ſolum Hectore, ſed etiam Apolline, irruperant magno animo in caſtra, exiſtimare poſſumus eo etiam tempore motus paene eoſdem: certe non valde diuerſos, multum valuiſſe ad eos in officio retinendos, & vt fortiter dimicarent, impellendos. Vbi igitur poëta inquit, αὐτὰρ Ἀχαιοὶ,

> Τρῶας ὑπερχομένους μένον ἔμπεδον· οὐδὲ δύναντο
> Ῥηγνύμεναι τῆς ἴστας, ἀπώσασθαι παρὰ νηῶν,

Vetus haec declaratio in antiquo libro legitur. τοῦτό ἐστιν ἰσόρροπος ἡ μάχη οἱ μὲν γὰρ, ἐκ τοῦ τῶν νεῶν ἰσόρροποι: οἱ δὲ, ἀνυγρόαν σωτηρίας ἐπέσχον. Docet etiam Liuius pugnam illam diu ancipitem fuiſſe. quin autem hoc valeat, translatum verbum a lancibus, ἰσόρροπος, dubium non eſt, quo ſane iuncto nomine vtantur Graeci hiſtoriae ſcriptores. Videtur quoque Cicero in Academicis ſuis huc reſpexiſſe, cum inquit. Vt cum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum inuenirentur.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXX.

Reſtitutus locus in epiſtola M. Ciceronis ad Q. Fratrem, miſerum in modum deprauatus.

CAP. I.

NON potui olim depellere tenebras, quae mihi videbantur locum Ciceronis obſcuraſſe in epiſtola quadam ad Q. fratrem; quare ipſum, vt inueni, reliqui. nunc autem, diligentius animaduerſa vetere ſcriptura, arbitror me lucem vidiſſe atque illinc omnem caliginem diſturbaſſe. Quis autem non facile intelligat in his verbis (ita enim paſſim in excuſis libris legitur) maculam manere. De te magis a Sipylo mentio eſt honorifica facta, cum te vnum dicerent poſtulationi L. Seſtij Panſae reſtitiſſe. Quam enim vim illic habere poteſt illud Magis? vnde etiam apium eſt in ea lectione Dicerent. cum autem ita ſcriptum ſit in meo illo optimo exemplari. De te a mag. ab Sipylo, & quae ſequuntur. exiſtimo prorſus legi debere. De te a Magnetibus ab Sipylo: duo enim erant genera Magnetum, alteri illorum appellabantur a Graecis μάγνητες ἐπὶ μαιάνδρῳ: alteri vero μάγνητες ὑπὸ σιπύλῳ. & eorum oppidum eodem pacto diſtinguebatur. Magnetum horum poſteriorum, vel potius ciuitatis ipſorum, meminit Strabo in xiij. libro his verbis. ἐκ ἀνατολῶν δ' ἐστὶ τῆς πόλεως αὐτῆς ἡ μαγνησία ἐστὶν ἡ ὑπὸ σιπύλῳ, ἐλευθέρα πόλις ὑπὸ ῥωμαίων κεκριμένη. Magneſiae vero ἐπὶ μαιάνδρῳ idem in xiiij. Sed etiam Magnetes a Sipylo appellati ſunt a Plinio.

Propoſita quaeſtio elegans de noſtro quodam ſermone, quae orta eſt e verſu Catulliano.

CAP. II.

VAERENDVM eſt (vt opinor) an, cum male precantes alicui, dicimus patrio ſermone. va in mal' hora, intelligamus tempus, quod initium illius infelicis itineris eſſe optamus, vt ſane intelligere neceſſe eſſet, ſi ita pronuntiaremus, vt a me nunc ſcriptum eſt, extremum illud nomen, ideſt aſpirate, quo pacto ego notaui aliquando ſcribere ſolitos eruditos & accuratos viros. ſiue ſine nota illa aſpirationis & hoc ſenſu, vt accipi debeat ſedes ac regio, in quam ille venturus ſit, vt exiſtimaret, qui Catullum ſequeretur, & inde putaret fluxiſſe hunc modum loquendi, quem etiam ipſe ſumpſerit e conſuetudine: manifeſto enim ita ille cepit, cum in Vibennios, execrans eos, inquit, Cur non exilium, malaſq; in oras Itis. nam & ſi ora cum valet, regionem, non eſt proprium verbum noſtri ſermonis, planum tamen eſt alios quoque non nullos modos, loquendi, vt vigente adhuc Latina lingua vſurpari ſoliti erant, integros in eo reſtaſſe, atq; in ipſum radices egiſſe. nam quod ad ſententiam facit, non eſt dubium, quin locus ſit ſuperiori illi rationi: dicimus enim quoque eodem animo. va in mal punto, quod anceps non eſt, ac tempus, puſillumque ipſius interuallum oſtendit: credimus enim vulgo vim aliquam habere ad exitum alicuius facti, initium illius proſperum, ſiue contra. Animaduertendum autem in Graeco quoque ſermone (quamuis hoc non faciat ad propoſitam quaeſtionem) ſimili ac propinquo verbo eaſdem res diuerſas ſignificare, vnde Plato, quoque, politiſſimus ſcriptor aliquando in hoc luſit, qui inquit, χώρᾳ καὶ ὥρᾳ. Luſit autem, vt mos ipſius erat, exagitans oratores, qui plurimum ſtudij in his concinnitatibus ponebant: eſt autem locus, ſi quis plenius ipſum ſcire velit, in ſermone, cuius index eſt Hipparchus: verbaque ipſius ſunt haec. τίς ἂν ἐπιστήμων περὶ φυτῶν τῆς ἀξίας, οἱ ἐπειδὰν ἄξια φυτεύσωσι καὶ χώρᾳ καὶ ὥρᾳ, ἵνα τι καὶ ἡμεῖς τῶν σοφῶν ῥημάτων ἐμβάλωμεν.

Subtiliter diſputatur de voce Menelai apud Homerum, quae ſimilitudinem non paruam habet cum voce quadam Annibalis.

CAP. III.

VIDENDVM eſt accurate an, cum Menelaus apud Homerum, accuſans Troianos, acriter inſtantes: naturamque eorum, vt nimis auidam belli exagitans, & quam nullum vmquam faſtidium caperet eius facti, cum ceterae omnes res, vt antea docuerat, quamuis iucundae, ſatietatem pariant, inquit, τρῶες δὲ μάχης ἀκόρητοι ἔασιν significare voluerit idem quod Annibal de M. Marcello dixit, cum vidit illum poſt malam ipſius pugnam, rurſus temptantem fortunam belli: ſeque prementem. his autem verbis vox ipſius exponitur a T. Liuio, Cum eo nimirum hoſte res eſt, qui nec bonam nec malam fortunam ferre poteſt: ſeu vicit, ferociter inſtat victis; ſeu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen. Quod autem Liuius inquit, inſtaurare cum victoribus certamen, Graeci dicere ſolebant ἀναμάχεσθαι.

Indicatus Graecus verſus, cuius ſententia ſimilis eſt voci Diogenis, recitatae a Cicerone.

CAP. IIII.

NOTA vox eſt Diogenis cynici: libera nimis in deos immortales: & quae improbe aliquo modo ipſos inſimularet: ipſam namque M. Tullius memoriae prodidit, qui Diogenes dixit Harpalum, nobilem latronem & in illo ſuo ſtudio valde fortunatum, contra deos teſtimonium dicere, quod in illa fortuna, tamdiu viueret. Quod igitur ſapiens ille de certo, quodam, iniuſto & ſcelerato homine, ſeparatim dixit, de cunctis improbis hominibus, qui contrarium eorum rerum ſuarum nacti eſſent atque oporteret, ac fortunati demum haberentur, prolatum fuit verſu quodam, qui legitur in ſententiis collectis e variis poëtis. eſt autem hic. θεῶν δ' ὄνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν. Nec tamen in ipſo verba, quibus ſententia expreſſa eſt, vt in illa voce Diogenis, ſumpta ſunt e foro, ſed tantum traditur eſſe culpam quandam deorum, atque id cum contingit, inurere ipſis turpem notam: cum ſcilicet praui homines fortunati ſunt, ac ventos ſecundos habent, qui ſtatus rerum conuenit honeſtis ac moderatis hominibus. Non incidi autem vmquam, quod recordor, in vocem ſuperiorem apud vllum Graecum ſcriptorem, & ſi Laërtius plures recitat ipſius, acutas ſane & plerumque amaras voces. Sed alter etiam hic verſus antiqui, vt opinor, tragici, qui eandem ſententiam continet, adducitur ab Olympiodoro, interprete Gorgiae Platonici: afferebat enim rationem illo quidam, cur non crederet res humanas conſilio deorum adminiſtrari. vel potius quid ipſum aliquando paene de opinione deduxiſſet, bene ſentientem prius de diis immortalibus.

Κακοὶ γὰρ εὐτυχοῦντες ἐκπλήττουσί με.

Inuentus Graecus verſus, qui eam ſententiam continet, quam vulgo probatam, ferrique ſolitam, teſtatus eſt ſeruus Terentianus.

CAP. V.

PROVERBIVM illud, quod tetigit Byrria, ſeruus apud Terentium, cum aequo animo exiſtimauit Pamphili, quod putabat conſilium, quamuis ipſum intelligeret eri ſui cupiditati valde aduerſari, prouerbium inquam illud expreſſum fuerat hoc verſu Graeci poëtae, qui legitur in ſententiis collectis e variis Graecis poëtis.

Φιλεῖ δ' ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα:

Ita enim arbitror legendum, non φίλει, vt perperam in excuſis libris ſcriptum eſt. Quis ſcit autem, an hunc ipſum verſiculum verterit Terentius, vt inuenerit ipſum eodem loco poſitum apud comicum, vnde in Latinum ſermonem vertit eam fabulam. verba ſane mirifice reſpondent

Omnes ſibi melius malle eſſe, quam alteri.

De amore autem hoc magno, quo cuncti mortales proſequuntur ſemetipſos, & quot quantaque mala gigneret, cum tamen ipſi nullum remedium ipſorum quaerant, ſubtiliter copioſeque diſputauit Plato in v. libro de legibus, qui etiam, politiſſimus ſcriptor, ſignificauit id volgo dici ſolitum: ita enim de omni hac re egit. πάντων δὲ μέγιστον κακὸν, ἀνθρώποις τοῖς πολλοῖς ἔμφυτον ἐν ταῖς ψυχαῖς ἐστιν, οὗ πᾶς ἑαυτῷ συγγνώμην ἔχων, ἀποφυγὴν οὐδεμίαν μηχανᾶται: τοῦτο δ' ἐστὶν ὃ λέγουσιν, ὡς φίλος αὑτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει τέ ἐστι.

Eadem

Eadem fere fuiſſe inſtituta Troianorum, auctore Euripide; quae fuiſſe Latinorum, commemorauit Virgilius.

CAP. VI.

Exposvit diligenter Virgilius inſtituta priſcorum Latinorum, & qua diſciplina imbuere pueros ſuos illi ſolerent, commemorauit. finem autem illa omnis habebat fortitudinem militarem, & ſcientiam rerum bellicarum, vnde poëta idem fecit alio in loco eius gentis hominem, magnifice illa praedicantem, vt hoſtibus, metum incuteret. Prius autem inquit.

" Ante vrbem pueri & primaeuo flore iuuentus
" Exercentur equis: domitantque in puluere currus,
" Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
" Spicula contorquent. & quae ſequuntur.

Eadem vero ſtudia fuere Troianorum, vt ex Euripidis loco intelligitur in fabula, quae a captiuis Troianis feminis inſcribitur: ita enim illic loquitur Hecuba, cum audiſſet interfectum fuiſſe Aſtyanactem. queritur enim ipſum ſaeuitia Graecorum & fortunae iniquitate, non perceptorum voluptates, quibus carere non potuiſſet, niſi tanta calamitas ciuitatem oppreſſiſſet.

" Ὦ τέκνον, οὐχ ἵπποισι νικήσαντά σε,
" Οὐδ' ἥλικας τόξοισιν, οὓς Φρύγες νόμους
" Τιμῶσιν, οὐκ εἰς πλησμονὰς θηρώμενοι.

Herodotus etiam in i. libro hiſtoriarum, cum mores Perſarum, puerilemque diſciplinam exponeret, narrat ipſos in primis illis duobus idem facere ſolitos: tertium tamen quoddam addidit proprium illorum, vel diuinum potius inſtitutum: & vnde maiores profecto fructus, quam e ceteris naſci poterant. illud autem erat, vt pueri veritatem colerent: & ab omni prorſus vanitate abhorrerent. Verba ipſius ſunt, παιδεύουσι δὲ τοὺς παῖδας ἀπὸ πενταέτεος ἀρξάμενοι, μέχρι εἰκοσαέτεος, τρία μοῦνα, ἱππεύειν, καὶ τοξεύειν, καὶ ἀληθίζεσθαι,

Quod conſilium fuerit Vlyſſis, cum in deliberatione magna, inquit, videndum eſſe, ne ſententia Agamemnonis perueniret ad aures exercitus,

CAP. VII.

Vlysses Homericus libere accuſauit Agamemnonem, qui in rebus aduerſis Graecorum, cum deliberaretur, quid conſilij capiendum eſſet, in ſententia dicenda, reditus in patriam & fugae auctor fuerat, ac vocem etiam illius repreſſit. Non potuit autem magis aperire errorem eius, qui ſapiens habebatur, quam fecit, dicens, cauendum eſſe, ne oratio illa perueniret ad aures exercitus. Incidit igitur in eandem culpam eo tempore Agamemnon, in quam poſtea lapſus eſt ſenator ille Romanus, qui bello Punico ij. poſt multa & magna detrimenta accepta, ſuaſit, nulla premente neceſſitate, vt ius ciuitatis daretur ſociis: communicareturque cum ipſis omnis reſpublica: ipſe enim quoque increpitus eſt: conſiliumque eius repudiatum, ac ſententiam demum illam pro non dicta habendam exiſtimatum. Cauſa cur tantopere exploſa ſit, plana eſt: ſi namque vox illa emanaſſet, & aliqua ad aures Latinorum populorum penetraſſet, ſubito deſiderium eius rei magnum in pectoribus eorum excitatum eſſet: nec ſi poſtulaſſent, negari id ipſis vllo modo potuiſſet. vnde apparet quantopere id vlcus tangere, periculoſum fuerit. Herodotus quoque in rebus illis narrandis, laudat Themiſtoclem, qui audientibus ſociis ſapienter non tetigit quippiam de reditu ipſorum in patriam & claſſis diſſipatione, metuens impetus eorum, beneque cognitam habens naturam multitudinis, quae reſiſtere non poteſt cupiditatibus ſuis, atque arripit ſaepe contra dignitatem omnem, quod gratum acceptumque animo ipſius eſt. Videndum tamen an Vlyſſes ea de cauſa docuerit, non oportere audiri ab Achiuis ſententiam illam, ſiue quia iudicauit id Agamemnoni turpe futurum: namque illa nihil habebat in ſe dignitatis, & ſi in extremo tangit quiddam, quod valet ad malum illud ſignificandum. Qui parum apte, vt a ſapientibus viris exiſtimatum eſt, in ſenatu id ſuaſit, fuit Sp. Carbilius, quod accurate narrat Liuius in xxiij. libro. Cum autem non defuerint, qui grauius adhuc id tulerint: magiſque exarſerint ob eam temerariam vocem, Q. Fabius, vt idem commemorat, & ipſe diligenter reddita ratione eorum omnium, ipſam refellit: & vt opprimeretur, quod factum eſt, operam dedit.

Et Graecos

Et Graecos, & Latinos poëtas dicere ſolitos tradi ventis diſsipanda, quae ſunditus aliqui obliuiſcuntur.

CAP. VIII.

PROMISSA & mandata, quae exitum non habent, poëtae dicere conſuerunt, e ventis diſcerpi, vel tota ipſis tradi ab illis, qui fidem violant, nec vllam in partem ipſa ſeruant, & vt Graeci, ita etiam Latini, ſic certe Catullus locutus eſt, vt cum inquit.

» Quae cuncta aërij diſcerpunt irrita venti.

Nec non alio loco, in eodem carmine.

» Immemor at iuuenis fugiens pellit vada remis,
» Irrita ventoſae linquens promiſſa procellae.

Sed etiam Virgilius, qui cecinit.

» Multa patri portanda dabat mandata, ſed aurae
» Omnia diſcerpunt & nubibus irrita donant.

Eodem pacto Euripides in Troadibus.

» Ἀργεῖ' ἐπαίνους καὶ φρυγῶν ψόγους
» Ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι. Ideſt non curo: & cito extingui, diſſiparique volo.

» Non tantum autem promiſſa & mandata, verum etiam vota & gaudia, vt declarant haec Vir-
» gilij loca, tedocem vt patria alta videret. Non dedit: inque notos vocem vertere procellae:
» & de Turno: nec ferre videt ſua gaudia ventos.

Pares inter ſe olim duo eiuſdem aetatis finitimi reges, in populis, quos regebant a calamitate liberandis.

CAP. IX.

PARES magnopere inter ſe fuerunt antiquitus duo clariſſimi viri in beneficiis publice dandis, animiſque totius eius gentis, quam ſubleuarunt, ſibi deuinciendis, Oedipus & Theſeus: ambo enim liberarunt nobilem ſuum populum ſaeuo & atroci quodam vectigali, quod victi grauibus malis pendebant, alter eorum Thebanum, alter vero Athenienſem, quare ipſorum facta merito celebrantur a duobus claris poëtis Sophocle atque Catullo: non ſine cauſaque illi populares reges & ſtudioſi publicae ſalutis habiti ſunt: nullum enim maius beneficium dari poteſt, quam graui aliquo perpetuoq; vectigali nationes liberare; non tamen ambo vſi ſunt iiſdem armis in praeclara re efficienda. Oedipus enim conſilio & ſollertia vſus eſt, & cum obſcuram illam vocem Sphingis, quam nemo vmquam antea explicare potuerat, aperuiſſet, frenauit eius monſtri audaciam: effecitq; ne amplius illa in Thebanum populum graſſaretur: aſſidueq; ipſum abſumeret. Theſeus vero fortitudine animi & praeſentia vſus eſt in frangendo: diſſipandoq; vectigali, quod Minos impoſuerat Athenienſibus, & cum monſtro cominus pugnauit. ſed locos iam nobilium poëtarum, ponamus. Sophocles igitur in fabula, quae ob ipſo, adhuc rege, appellata eſt, ita induxit ſacerdotem quendam beneficium illud vetus Oedipi laudantem.

» Ος γ' ἐξέλυσας, ἄστυ καδμεῖον μολὼν,
» Σκληρᾶς ἀοιδοῦ δασμὸν, ὃν παρείχομεν.

Catullus vero his verſibus commendauit magnitudinem animi Theſei, & praeclaram mentem in ſuos.

» Nam perhibent olim, crudeli peſte coactam
» Androgeoneae poenas exoluere caedis
» Electos iuuenes ſimul & decus innuptarum
» Cecropiam ſolitam eſſe dapem dare Minotauro
» Quis anguſta malis cum moenia vexarentur
» Ipſe ſuum Theſeus pro caris corpus Athenis, Et quae ſequuntur.

Tibiam dictam fuiſſe barbaram erudite a Catullo.

CAP. X.

NON temere vocauit Catullus tibiam barbaram loco illo, quo commemorauit ea muſica inſtrumenta, quibus vti ſoliti eſſent ſodales liberi patris, ideſt grex ille Satyrorum ac Silenorum, qui dicebatur ipſum ſequi.

Barbaraque horribili ſtridebat tibia cantu:

Perſpiciturque ex hoc loco, vt e plurimis aliis, valde doctum ipſum fuiſſe & ſatis peritum priſcorum inſtitutorum, ac morum. Vetus igitur opinio fuit αὐλοὺς inuentum fuiſſe barbarorum: nam artem muſicam aliis etiam rebus ornauerant barbari, vt memoriae proditum eſt ab antiquis auctoribus, & Homeri aetate tibias in nullo vſu fuiſſe Graecorum fertur: narrat certe ipſe poëta Troianos pernoctantes in campo ob laetitiam, quam animo conceperant propter res ipſorum ſecundas, inflaſſe tibias, & ita ſe oblectaſſe. quo etiam loco vetus ſcholion hoc, quod expoſui, tradit, & pluribus argumentis probare conatur. Idem quoque expoſuit Olympiodorus interpres Platonis, in VI. πράξει: laudat enim Homerum recteque feciſſe oſtendit, qui tribuit Troianis & Phrygibus tibiam, cum conſtans opinio ſit, inuentam tibiam in Phrygia: qua etiam in terra Marſyas natus eſt: vſum vero fuiſſe vult in eo certamine Marſyam tibia: Apollinem autem cithara.

Vt defendere pro arcere ac depellere aliquando reperiunt Latini, ita Graecos vſurpaſſe τὸ ἀρκεῖν.

CAP. XI.

NOTVM eſt Horatium capere verbum hoc defendere, pro arcere & depellere, longe alio ſenſu ac plerumque ceteri ſcriptores faciant, id ipſum profecto valet eo loco, quo cecinit. & igneam defendit aeſtatem capellis. M. quoque Cato de re ruſtica eodem pacto vſus eſt illo verbo: ita enim locutus eſt, Eo ſarmenta, aut crates ficarias, imponito, quae frigus defendant & ſolem. Duxit igitur ipſum ex antiquo Latino ſermone, nec omnino exiſtimari debet, quod multis aliis locis facit, in eo imitatus fuiſſe conſuetudinem Graecorum: nam Atticos quoque aliquando eodem pacto vſurpaſſe verbum ſuum, quod huic reſpondet, videor mihi reperiſſe. Euripides certe, cum in fabula, cuius index eſt Troades, ita fecit Andromacham loquentem. παιδί τ' οὐ δυνάμεθα θάνατον ἀρκέσαι, & ipſe verbum ἀρκεῖν aliquantum a frequenti ipſius vſu variauit. ſolet enim valere ἀρκεῖν opem ferre: &, vt iidem etiam loquuntur, βοηθεῖν. ſententia vero Andromachae haec eſt. Non poſſemus, quamuis omnia experiremur, defendere mortem puero, id eſt ab ipſo eam noſtro praeſidio remouere.

Pudorem, qui parum abeſſe putatur a virtute, non ſemper prodeſſe.

CAP. XII.

NON ſine cauſa inſimulauit C. Trebatium M. Tullius, quod a commodis ſuis procurandis pudore cohiberetur: quod enim aliis temporibus laudatur, eſt inimicum magnopere rei quaerendae: redditque nos timidiores ad fortunas noſtras conſtituendas benignitate potentiorum amicorum ac principum virorum. inquit igitur Cicero, Iam iſta tua culpa eſt, qui verecundiam tecum extuleris, & non hic nobiſcum reliqueris: fluxit autem ſententia haec a fonte omnium optimarum ſententiarum, quam tamen ipſe veterem fuiſſe narrat, ac prouerbij loco iactari ſolitam. Homerus enim quoque idem probauit ac verum eſſe teſtatus eſt, qui duo genera ponere ſolitus eſt huius timoris, qui αἰδὼς a Graecis appellatus eſt, vtrumque eorum bonum: alterum vero malum appellauit: malum autem quia inutilis foret illi, qui egeret, nec ſineret illum fortiter poſcere, quo careret. inquit igitur apud eum Telemachus, cum Eumaeo de Vlyſſe loquens, qui mendici ſpecie erat: docenſque quid facere ipſum oporteret.

Αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.

Et infra non diſſimilibus, verbis.

Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ προΐκτῃ.

Apud Euripidem quoque in Ione ille ipſe, vnde fabula vocata eſt, cum Creuſa loquens, idem praedicat: cum enim illa, narrationem quandam exordiens, diceret ſe pudore ab ea reuocari, reſpondit ſtatim Ion οὐκ ἄρα πράξεις οὐδέν: ἀργὸς ἡ θεός: Appellat igitur pudorem deum ignauum, quia homines impediti illo retrahuntur a rebus gerendis, quae accommodatae ipſis mirifice ſunt. ſimilis vero huic eſt locus Terentij Adelphis, cum enim fratrum alter dixiſſet Pudebat, reſpondet alter.

Ah ſtultitia eſt iſthaec, non pudor.

Videri Ciceronem verba quaedam aliquando vſurpare, longe alio ſenſu, ac vulgo capiantur.

CAP. XIII.

QVAEDAM apud Ciceronem verba longe alio ſenſu aliquando accipi debent, ac plerumque ſoleant, vt otioſus (niſi fallor). valet enim in Bruto, quo loco de Ser. Galbae ingenio loquitur, qui (vt narrat) multo melius dicere poterat, quam ſcribere, ἀπαθὴς, ſedatumque animum habens. Verba ipſius haec ſunt. Vt ipſi Galbae, quem fortaſſe vis, non ingenij ſolum, ſed etiam animi, & naturalis quidam dolor dicentem incendebat: efficiebatque vt & incitata & grauis & vehemens eſſet oratio. dein, cum otioſus ſtilum prehenderat, motuſque omnis animi, tamquam ventus, hominem defecerat, flacceſcebat oratio. Non ſignificat igitur hic otioſus ſolutus omni cura, vt apud Terentium loco illo. Diſſolui me, otioſus operam vt tibi darem, verum potius id, quod oſtendi. quin etiam Cicero ipſe quaſi interpretari verbum id voluit, & nouam eius notionem aperire verbis, quae conſequuntur: nihil enim aliud valet illud Motuſque omnis animi hominem defecerat. Nam, quod non contentus declaratione hac, vſus praeterea imagine eſt, magis adhuc perſpicitur ſtudium ipſius totam rem explanare volentis, & tamquam ante oculos conſtituere eorum, qui legunt: imago enim profecto eſt illud, Tamquam ventus: qua etiam vſus eſt in nobili illa oratione pro Cteſiphonte Demoſthenes, cum & ipſe oſtendere vellet repente Aeſchinem, nactum tempus, quale optabat, ex otio, in quo fuerat, oratorem ſpectatum eſſe. Addidit igitur ὥσπερ πνεῦμα in quo animaduertendum eſt, cum ventus & ſubito oriatur; & ſubito ceſſet, Graecum oratorem ſimile duxiſſe ab ortu ipſius: Latinum vero ab interitu. ſed, vt opinor, intelligit Cicero, cum ventus ſubito nauem currentem deficit: illa enim tunc, deſtituta ipſo, neceſſario quieſcit. Eadem ratio eſt huius nominis Obſcurus: non enim ſignificat in prooemio ij. libri in Verrem, ignotus & humili loco natus, ſed vafer, & qui ſenſum animi ſui tegat: inquit enim. Quod ſi, quam audax eſt ad conandum, tam eſſet obſcurus in agendo, fortaſſe nos aliqua in re aliquando feſelliſſet. Ex contrario autem, quod ipſi intra oppoſuit M. Cicero hoc verum eſſe intelligitur: addidit enim. Nam vt apertus in corripiendis pecuniis fuit, ſic in ſpe corrumpendi iudicij perſpicua ſua conſilia conatuſq; omnibus fecit.

Indicati duo Ciceronis loci, qui videntur ſumpti a Terentio.

CAP. XIIII.

NON inſulſe (vt arbitror) exiſtimaret aliquis Ciceronem Terentianum locum adumbrare voluiſſe, valde illuſtrem, nec minus etiam probatum: naturam enim ſimplicis adoleſcentis: cupidique illic, mirifice declarauit poëta: intelligo autem cum in diuinatione in C. Verrem, de Siculis loquens, inquit, Qui debere ipſum cauſam ſuam recipere affirmabant, ſi promiſſis ſtare vellet, inquit. Me ſaepe eſſe pollicitum. ſaepe oſtendiſſe dicebant, ſi quod tempus accidiſſet, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum, me non defuturum: veniſſe tempus aiebant & quae ſequuntur. Comicus vero in re leui & amatoria ita fecit Chaeream cum Parmenone agentem, Scis te mihi ſaepe pollicitum eſſe. Chaerea aliquid inueni modo, quod ames: in ea re vtilitatem ego faciam, vt cognoſcas meam, & quae ſequuntur. Ad extremum autem. Fac ſis nunc promiſſa appareant. Sed etiam in altero hoc videtur ſummus orator imitatus eſſe locum hunc eiuſdem comici, Samia mihi mater fuit. Poteſt taceri hoc: inquit enim in iiij. libro in Verrem, cum diſputaret de ſtatuis datis. Syracuſana ciuitas dedit ipſis ſtatuam. eſt honos, Et patri. bella haec pietatis & quaeſtuoſa ſimulatio, Et filio. ferri hoc poteſt; hunc enim puerum non oderant.

Quod arguit feciſſe Calenum Cicero, demonſtrat non itidem Demoſthenem oſtendere Aeſchinem feciſſe.

CAP. XV.

PRAECLARE intelligebat M. Cicero aſtutum conſilium Q. Fufij, qui vt ſententiam ipſius infirmaret, ſuadentis vt pararetur bellum contra M. Antonium: gereretutq; acriter, relicta diſputatione de illo ipſo bello, in vniuerſum pacem laudabat, & quot quantaq; bona inde naſcerentur explicabat, & aliquo modo ex hypotheſi, vt verbis Graecis & propriis magiſtrorum dicendi, vtar, theſin faciebat,

cognoſcens igitur artificium ipſius, illud exagitauit & nullam vim habere ad id, quod ipſe ſuadebat, refellendum declarauit. Inquit igitur. Hic mihi etiam Q. Fuſius, vir fortis ac ſtrenuus, pacis commoda commemorat. quaſi vero, ſi laudanda pax eſſet, ego id aeque commode facere non poſſem. Similes autem huic Ciceronis ſunt duo loci Demoſthenis ex eadem oratione, illa inquam, qua Aeſchinem accuſauit, quod in legatione ad Philippum Macedonem, multa contra officium legati commiſerat: ille enim quoque eodem confugiebat: pacis enim ſemper auctor fuerat, cum contra Demoſthenes bellum ſuaſiſſet. prior eorum, hic eſt, διέξεισιν ἡλίκα πᾶσιν ἀνθρώποις ἀγαθὰ ἐκ τῆς εἰρήνης γίγνεται: καὶ τοὐναντίον ἐκ τοῦ πολέμου κακά. Poſterior vero ad extremum eius orationis hic. μὴ λέγε ὡς καλὸν εἰρήνη. μηδ' ὡς συμφέρον: οὐδεὶς γὰρ αἰτιᾶται σοῦ τὸ πεποιῆσθαι τὴν πόλιν εἰρήνην. ἀλλ' ὡς οὐκ αἰσχρὰ, καὶ ἐπονείδιστος.

Cognoſſe peccatum ſuum Sophoclem, quod in optima fabula admiſit, quamuis penitus vitare non potuerit.

CAP. XVI.

PVLCHERRIMAE fabulae Sophoclis, nec vnquam ſatis laudatae, quae vocatur, Oedipus tyrannus, tamen haeret macula quaedam, quod admonuit Ariſtoteles, adeo arduum eſt aliquid fingere & comminiſci, quod vndique abſolutum, & ab omni labe vacuum ſit: illud autem eſt quod poëta facit Thebanos nullam curam de nece Laij, regis ſui, eo tempore, quo obtruncatus eſt, ſuſcepiſſe: nec ſtuduiſſe indagare ipſius interfectores, & vlciſci demum eius mortem, cuius vitam tantopere amauerant: hoc enim veriſimile non eſt, atque omni ratione caret. Minuit autem quantum potuit culpam hanc Ariſtoteles: docuitque, quia ἄλογον hoc eſt extra res, quae fabulam componunt, minus moleſtum eſſe, & aequiore animo ferri poſſe. haec igitur ſententia eſt ſummi doctoris de hac re. Mihi autem, diligenter legenti hanc tragaediam, venit in mentem ſuſpicari, vidiſſe hoc etiam abſurdum poëtam ipſum, praecipue hoc nomine celebratum, quod eximie res texeret: efficeretque vt illae firmiter inter ſe haererent: ac remedium illi malo, quod potuit & qua ratione potuit, adhibere voluiſſe, cum igitur ipſi in eo genere poëmatis loqui non liceret, nec partes ſuas tueri, facit in prima parte fabulae Oedipum, loquentem cum Creonte, quaerere ex illo, quomodo id commiſerint: paſſique ſint Thebani, regis inquam ſui necem inultam eſſe: ſtatimque ei reſpondere Creontem, purgantem ciuitatem reiicientemque culpam in Sphingem, dicere importunitate ipſius factum eſſe, quae cotidianis caedibus, grauiſſimiſque malis vaſtaret ciuitatem, vt Thebani poſthabitis rebus, valde obſcuris & quae vix poterant inueſtigari, incumberent toto animo in ea, quae aperta forent, & ante pedes obuerſarentur: eademque valde premerent ciuitatem. Hoc igitur (niſi fallor) magno conſilio excogitatum eſt a poëta: valetque multum ad eam maculam delendam.

Cum & Graeci, qui in bello Troiano fuerint: & Catullus, execrati ſint Troicum ſolum, iuſtiorem tanti odij cauſam, habuiſſe Graecos.

CAP. XVII.

APVD Homerum ſaepe Graeci aliqui accuſant Troiam, externamque illam ac longinquam terram criminantur, qui iniquo animo ferunt ſe illic mori, ac ſepulturae dari in hoſtili ſolo. Vlyſſes quoq; in ſuaſione ad Achillem hoc poſuit, tamquam ſummum omnium malorum, qui inquit, ſe vereri ne Iuppiter impleat minas Hectoris: ſibique neceſſe ſit.

Φθίσθαι ἐνὶ Τροίῃ ἑκὰς ἄργεος ἱπποβότοιο.

Cotidie autem huiuſcemodi aliquid contingere neceſſe erat, vt fit in bello. Caſus autem tulit, vt non ignobilis quoque poëta Catullus eidem telluri malediceret, atque eiſdem paene verbis ipſam accuſaret: contigerat enim fratrem ipſius illic mori, quod niſi priuatam hanc plagam in ea terra accepiſſet, cauſam nullam iuſtam ipſius execrandae habuiſſet. inquit igitur ille, impar tanto dolori ſuſtinendo.

Quem nunc tam longe, non inter nota ſepulchra
Nec prope cognatos compoſitum cineres
Sed Troia obſcena, Troia infelice ſepultum
Detinet extremo terra aliena ſolo.

Sed ſupra etiam, cum primum cauſam ſui doloris aperuit, vehementer illi vrbi, quae cauſam nullam eius facti habebat, maledixit.

Incuria

Incuria quadam ſcriptorum ipſorum factum fuiſſe, vt genera ſibi non reſponderent quodam loco apud Ciceronem, & Ariſtotelem.

CAP. XVIII.

INDICAVI quondam in epiſtola ix. ad P. Lentulum, ita hunc locum ſcriptum eſſe in optimo illo ac vetuſtiſſimo libro, cuius tunc ego fidem ſecutus, ſuſtuli plurima menda ex eo volumine, cui libri reliqui omnes manu exarati, & non nulli etiam excuſi formis, in hoc ſe comites praebebant, Quo in diſcrimine, cum mirifica ſenatus, incredibilis Italiae totius, ſingularis bonorum omnium, conſenſus in me tuendo extitiſſet, & quae ſequuntur. Et ſi autem apparet vitium eſſe in hac oratione: nam aperte diſſentiunt genera in illis duabus vocibus Mirifica & Conſenſus, tamen non potui tantum conſenſum librorum deſpicere: excidebat namque aliquid aliquando optimis etiam auctoribus in ſcribendo, non in dicendo ſolum, quod ſpeciem haberet ſolaeciſmi. Nunc autem, diligentiae illius meae veteris conſtituendae cauſa, libet adnotare ſimilem huic locum quendam Ariſtotelis: in libello enim, quem ſcripſit de ſomniis, cum oculos oſtendere voluiſſet, vocauerat ipſos ὄμματα. infra autem, illa voce minime mutata, reddidit virili genere, tamquam ὀφθαλμοὺς dixiſſet, φλεβώδεις. Ne autem aliquis putare poſſit, commiſſum hoc eſſe culpa librariorum, inferioribus his temporibus, interpres Graecus huius operis teſtatur ita quoque antiquitus ſcribi ſolitum. Totus igitur locus eſt. τὰ μὲν γὰρ ὄμματα διάκειται ὥσπερ καὶ ἕτερον μέρος ὅταν ἐκλείπῃ τὰ ὄμματα καὶ φύσει τυγχάνουσι φλεβώδεις ὄντες. nam, quod nunc eſt in excuſis, in quibus, pro φλεβώδεις legitur φλεβώδη, eſt a recentioribus immutatum, qui corrigere & emendare audacter voluerunt, quod videbant correctione egere, vt factum eſt in ſuperiore illo Ciceronis: nec tamen ipſi praeſtare id eo tempore debebant: rectius enim fecit interpres, cui ſatis fuit incuriam illam indicaſſe. Par negligentia eſt in epiſtola Balbi ad Ciceronem his verbis. Subpoſteaquam litteras communis cum Oppio ad te dedi, ab Caeſare epiſtolam accepimus. exemplum tibi miſi: ex quibus perſpicere poteris quam cupiat concordiam: cum enim epiſtolam ſupra dixiſſet, quia eadem res litterae vocatur, non attendens quo nomine vſus fuiſſet, Quibus reddidit: in numero igitur peccauit. Veſtigia vero ſuperioris diſcrepantiae generum inueniuntur quoque apud Homerum: cum enim ille iam dixiſſet νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε Κυανέη, infra quod ipſi reſponderet, protulit τὸ μὲν οὔποτ' ἐρωεῖ. cum igitur id ſimilitudinem vitij contineret, ita Plutarchus poëtam purgat. συνωνύμως λέγεται νεφέλη καὶ νέφος: προειπὼν δὲ τὴν νεφέλην, τὸ δ' αὖθ' ἕτερον νέφος ἐπήγαγε. eodem igitur pacto videntur poſſe duo, de quibus diſſero, loci defendi: Sed hic quoque poëtae locus par eſt ſuperiori.

Τῶν δ' ὥστ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά: adiunxit enim

Ενθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσιν:

Ita enim in aliquibus libris ſcriptum inueniri vetus declaratio teſtatur, & ſi Ariſtarchus ἀγαλλόμενα, ne genera inter ſe diſcreparent, malebat. Sed tamen apud Plutarchum, muliebri genere, ἀγαλλόμεναι legitur.

Tres loci emendati ex Ageſilao Xenophontis.

CAP. XIX.

MAGNVM, iuſtumque laudatorem nactus olim fuit Ageſilaus, rex ille Spartiatarum, Socraticum Xenophontem; libellumque, quo ipſum ornauit, magnus itidem orator, paucis ſane verbis, ſed plenis honoris, atque veritatis M. Cicero commendauit; eſt igitur in manibus opus ſummi ſcriptoris; legiturque libenter ab iis, qui Graecae eruditionis, atque Attici ſermonis ſtudioſi ſunt. Non tamen omnino (quod commune ipſi eſt cum ceteris monumentis bonorum auctorum) integrum ipſum vacuumque a mendis ad nos peruenit: etſi non defuit doctus vir, qui bonam, & vtilem operam ei in hoc nauarit; Ego quoque non nihil ſtudij, diligentiaeq; in eo purgando adhibui; quare indicabo modo duo, quae arbitror vitij aliquid in ſe continere, mancaq; eſſe, adiutus a vetere exemplari, ſed etiam tertium quoddam, in quo iudicium ſecutus ſum: primum igitur vbi lacuna eſt, vacuumque ſpatium relictum inter haec verba; ὁ τὴν ἑαυτοῦ φιλίαν, &, μὴ θαρρεῖν εἰς τὴν αὐτῶν ἰέναι, Ἀγησιλάῳ δὲ αὑτοὺς ἐγχειρίζειν, vna tantum ſyllaba ſupplet locum, ideſt articulus, οἱ, virilis, & nominandi caſus multitudinis; probat enim, quod dixit, maiorem fidem Ageſilao hoſtes habuiſſe, quam ſuis illius terrae principibus viris, cum timerent in ea loca accedere, in quibus ipſi imperium haberent, Ageſilao autem ſe committerent, tantum incommodi gignit puſillum librarij erratum. Alter locus eſt, qui declaratione non eget, ſtatim enim percipitur inuenta lectio haec plena eſſe; prope igitur extremum libri ita legitur in vetuſto exemplari, in quo itidem in fidelmre excuſo inane interuallum eſt: ἐκεῖνος γοῦν ἐν ἐσχάτῳ γήρᾳ μεγάλου, καὶ καλῆς ἐφιέμενος δόξης, εἰ καὶ μὴ τὸ σῶμα φέρειν ἐδύνατο τὴν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ῥώμην. Tertius, vt

opinor, corruptus locus eſt in medio horum, vbi enim excuſi habent, graui prorſus ac vera ſententia, καίτοι καλὸν, ὑφ᾽ ... τείχη ἀνάλωτα ἀλλ᾽ ... ὑπὸ πολεμίων: πολὺ μέντοι ἔγωγε κάλλιον κρίνω τὸ, τὴν αὐτοῦ ψυχὴν ἀνάλωτον κατασκευάσαι, καὶ ὑπὸ χρημάτων, καὶ ὑπὸ ἡδονῶν, καὶ ὑπὸ φόβου: pro [illegible], cui verbo, niſi valde fallor, locus hic non eſt, arbitror, legi debere [illegible], in qua correctione conſtituenda non laborabo, cum ſatis certa ſit, quamuis ex opinione.

Signa, quibus intelligatur virtus oratoris dicturi, expoſita a Cicerone, cuncta apparuiſſe Athenis, cum Calliſtratus cauſam nobilem acturus eſſet.

CAP. XX.

QVOD cupit oratori illi ſuo perfecto, quem fingebat, vſo venire M. Cicero, vt cum auditum ſit eum eſſe dicturum, locus in ſubſelliis occupetur: compleatur tribunal, gratioſi ſcribae ſocio dando, & cedendo loco; contigit Calliſtrato Athenis, cum cauſam de Oropo dicturus eſſet, cuius Calliſtrati magna erat opinio ingenii & conſtans fama eloquentiae, & cauſa etiam illa publica & nobilis, vt diligenter narrat Plutarchus in Demoſthenis vita, quam ſcripſit: illa enim dies excitauit, puerum adhuc, Demoſthenem: inſeuitque in animum ipſius vehementem amorem eius laudis ac gloriae conſequendae, quam vidit illum adeptum: aſpexit enim magnopere ornari & vno omnium ore celebrari. nam, quod facit admodum ad hunc locum, & quaſi videtur e ſuperiore ſententia expreſſum, hoc tradit de cuſtode Demoſthenis pueri ſcriptor ille, qui deſiderio diſcipoli ſeruiuit. vnde poſtea tantum bonum exortum eſt. ὁ δ᾽, ἔχων πρὸς τοὺς ἀνοιγνύντας τὰ δικαστήρια δημοσίους συνήθειαν, ἐπόρισε χώραν, ὅθεν καθήμενος ὁ παῖς, ἀδήλως ἀκούσεται τῶν λεγομένων. Valet autem ἀδήλως hoc loco, manſiſſe eum, cum cauſa illa ageretur, vbi non poſſet aſpici a iudicibus: quia moris non eſſet, vt pueri ſtarent in foro illo tempore, non tantum igitur miniſtri Demoſthenei locum dederunt, ſed aptum eum accommodatumque dederunt.

De miniſteriis eunuchorum indicatus Euripidis locus, ſimilis Terentiano.

CAP. XXI.

RECTE apud Terentium ancilla mandarat ſimulato eunucho, vt flabellum caperet & ventulum Pamphilae faceret: hoc enim proprium munus erat eunuchorum: cognoſcitur id etiam ex loco quodam Euripidis ex Oreſte, in quo eunuchus trepidans domo prodit, quia viderat interfici dominam ac praeſens illic adfuerat, cum irruperunt eo cum gladiis Oreſtes ac Pylades: narrat enim quid eo tempore faceret & in quo miniſterio verſaretur, cum illi acerrimi iuuenes calidiſſimum id factum aggreſſi ſunt. verba ipſius, pauore paene mortui, haec ſunt.

» Φρυγίοις ἔτυχον Φρυγίοισι νόμοις
» Παρὰ βόστρυχον αὔραν αὔραν
» Ἑλένας Ἑλένας εὐπηγεῖ κύκλῳ
» Πτερίνῳ πρὸ παρηίδος ἀίσσων
» Βαρβάροισι νόμοισιν.

Qui igitur diligenter attendet, videbit omnia conuenire. nam & forma flabelli intelligitur rotunda. & materia etiam, e qua reginae ac fortunatae mulieres ipſa compacta habebant: e pennis enim auium vt hodie e pauonum cauda ea fabricantur: quae ſunt elegantiora & molliora. nam, quod Latinus comicus ventulum, diminuto illo nomine, dicit, exiſtimo ipſum exprimere voluiſſe Graecum verbum; αὔραν.

Correctus locus in commentariis de bello ciuili, partim ope antiqui libri: partim coniectura.

CAP. XXII.

LOCVM hunc e iij. libro commentariorum Caeſaris de bello ciuili corruptum prorſus arbitror, & ſi integer ille falſo putatur. quare quomodo emendari poſſe putem, declarabo, atque id non tantum iudicium meum ſecutus, ſed veſtigia etiam veteris lectionis.
» Locum ſecurum ad dimicandum dediſſe. cum igi-
» tur ita in excuſis libris legatur, & antiqui habeant: locum, ſecum ad dimicandum dediſſe, puto legi debere. locum ſe aequum. & quae ſequuntur. primum autem non opus eſt contra peruulgatam lectionem diſputare: neque enim verbum illud, ſi-

quis ſubtiliter attendat: neque ſententia probari poteſt. Si namque locus, in quo pugnatum fuerat, [illegible] extitiſſet, victi Caeſariani non fuiſſent. Secutus etiam, in puro Latino ſermone, aliud valere apertum eſt. aequo autem loco aut iniquo dimicare multum valet ad victoriam adipiſcendam, aut incommodum aliquod accipiendum. nec poteſt merito reprehendi imperator, quod ad eam partem pertinet, qui locum aequum ad pugnandum ſuis dat. quemadmodum contra magnae culpae affinis eſt, qui locum iniquum capit. hoc tam planum eſt, vt videatur confirmatione non egere. Sed tamen quid vetat exemplum huius rei vnum aut alterum ponere. De bello Gallico libro iij. niſi aequo loco; aut opportunitate aliqua data, legato dimicandum non exiſtimabat, in primo de bello ciuili. Et ibi paulisper ſub armis moratus, facit aequo loco pugnandi poteſtatem.

In vite colenda verbis Latinum nomen cuſtoditum; notio tamen ipſius immutata.

CAP. XXIII.

PAMPINARE in re ruſtica: vitibuſque colendis, quid ſit, accurate docet M. Varro in primo trium eorum librorum, quos ſcripſit de ſtudio agricolarum: inquit enim Pampinare eſt ex ſarmento coles, qui nati ſunt de iis, qui plurimum valent primum ac ſecundum: non numquam etiam tertium relinquere: reliquos decerpere, ne, relictis colibus, ſarmentum nequeat miniſtrare ſucum. id Graeci vocabant βλαστολογεῖν: vt ex hoc Theophraſti loco intelligere licet. qui eſt in iij. libro de cauſis ſtirpium: ipſum vero videtur M. Varro exprimere voluiſſe. de cultu autem vitium, iam grandiorum ac perfectarum illic agit: primumque poſuerat putationem, quam ipſe appellat κλάσιν: primumque ac maximum omnium ipſius operum eſſe dicit: addit autem. [illegible] καὶ τρέφειν [illegible], ὁ βλαστολογεῖν: [illegible] καὶ πρὸς [illegible] καὶ πρὸς τὴν ὅλην φύσιν. noſtri agricolae nomen huius rei vetus paene retinuerunt: aliud tamen ipſo nunc ſignificant: vocant enim ſpampanare, cum, appropinquante iam vindemia: maximiſque caloribus iam extinctis, demunt folia, coliculoſque, qui bottones tegunt, vt facilius ita vua matureſcat. nam, quod multo prius fit, & a Varrone illo verbo ſignificatum eſt, ipſi vocant ſtralciare. ideſt demere decerpereque inutiles coles e vite. quos omnes coles & ſarmenta nos vocamus tralci. Sed ſarmenta etiam, e vetere noſtra lingua, ideſt Latina, ductum nomen, in hunc nouum ſermonem radices egit. conſuetudo tamen eſt ipſa tantum ſarmenta vocare, cum abſciſſa ſunt a vite, poſtquam putata eſt & iam exaruerunt: antea enim illo nomine, quod indicaui vtimur. ideſt tralci appellamus. quos, vt etiam declaraui, βλαστοὺς Graeci, vnde factum eſt iunctum nomen βλαστολογεῖν.

Videri theatri partem, quae aperta tota eſſet, duobus nominibus vocatam.

CAP. XXIIII.

DVOBVS diuerſis nominibus pars eadem theatri, aut non valde diſſimilis, videtur vocata a duobus magnis auctoribus, ideſt locus ipſius apertus: & qui ante oculos eſſet ſpectatorum: ita vt nihil eorum, quae illic fierent, quemquam poſſet fallere. Polybius igitur appellauit eum ἐξώστραν in xi. libro hiſtoriae, quo loco imagine vtitur ſatis eleganti: facit enim legatos quoſdam Graecae reip. quae rebus Macedonum fauebat contra foedus, quod ferierant Aetoli cum Romanis, bellumque inceptum geri in publico concilio accuſantes magnum errorem animi Aetolorum, ac ſtultitiam, ita dicere. τῆς τύχης, ὥσπερ ἐπίτηδες, ἐπὶ τὴν ἐξώστραν ἀναβιβαζούσης τὴν ὑμετέραν ἄγνοιαν: ſenſus enim totius loci hic eſt. Turpitudinem illius ſocietatis antea tectam fuiſſe: quia pacta illa improba neſciebantur adhuc: caſum autem feciſſe. vel potius quae ſequuta ſunt in eo bello, cum magna calamitate duarum Graeciae ciuitatum, omnia pateſeciſſe, & quaſi ante oculos hominum dedita opera conſtituiſſe, ne ſcelerata illa coitio amplius abdita foret. Cicero autem in oratione de prouinciis conſularibus, cum L. Piſonem notaret, inquit. Itaque ille alter aut ipſe eſt homo doctus: & a ſuis Graecis ſubtilius eruditus, quibus. cum iam in orcheſtra helluatur: antea poſt ſiparium ſolebat. & quae ſequuntur: valet enim (vt opinor) in orcheſtra, ἐν τῷ φανερῷ. vt contra poſt ſiparium, κρύφα.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXXI.

Confirmatum Q. Fabij honeſtum plurique factum auctoritate Homeri, qui talem, & ipſe finxit in ſimili tempore Neſtorem.

CAP. I.

CIVEM optimum, valdeque ſtudioſum communis ſalutis fuiſſe Fabium Maximum, ſignificauit T. Liuius, cum narrauit ipſum ſedulo L. Aemilium, proficiſcentem ad bellum contra Annibalem, admonuiſſe, vt in primis conaretur in officio retinere collegam; ipſiuſque ferociae, vel amentiae potius moderari: intelligebat enim inde maiora paene pericula, quam ab hoſte reip. impendere. omnem igitur ipſi rationem eius belli adminiſtrandi monſtrauit, cum tamen hae propriae ipſius partes tunc non forent. ſed amor ingens, quo proſequebatur rempublicam, & cura, quae premebat animum ipſius, praeclare cognoſcentis turbidum ingenium Varronis & callidum verſutumque Annibalis, impellebat, vt hoc officio fungeretur: ſenes enim potiſſimum & magnum rerum vſum habentes his temporibus opitulantur & conſilio iuuant eos, qui partem aliquam reip. regendam ſuſcipiunt, impares illi oneri ferendo. Auctoritatem autem horum talibus temporibus magnos fructus ferre vidit quoque Homerus: ipſe enim in valde anguſtis Graecorum rebus, cum mitterentur legati ad Achillem, vt placaretur Agamemnoni: opemque ferret exercitui, in magnis periculis conſtituto, fingit Neſtorem eodem officio functum eſſe, & quamuis intelligeret eos eſſe ſapientes, tamen non ceſſaſſe ipſis ſtimulum admouere, & conſilio ſuo eos meliores reddere. non tamen ille ſapientiſſimus ſenex apud poëtam eum vſus eſt accurata & longa oratione, qua doceret illos quid facto opus eſſet, vt facit apud Liuium Q. Maximus: neque enim tempus ipſum id patiebatur, ſed vno paene verbo ſtudium Neſtoris declarauit poëta, magnopere ſolliciti de ea re. oculoſque nunc ad vnum, nunc ad alterum legatorum torquentis: & ita quaſi ſuppliciter rogantis: atque admonentis, eos mitti pro ſalute totius exercitus: hoc enim valet δενδίλλων: & ſi addit poëta hoc pacto ipſum in primis ſignificaſſe Vlyſſi, vt nihil omitteret, quod valeret ad Achillem perſuadendum, in quo ſalus communis conſtabat.

Τοῖσι δὲ πόλλ' ἐπέτελλε γερήνιος ἱππότα Νέστωρ
Δενδίλλων ἐς ἕκαστον, ὀδυσῆϊ δὲ μάλιστα
Πειρᾶν ὡς πεπίθοιεν ἀμύμονα πηλείωνα.

Declaratum in noſtro ſermone idem fere prouerbium eſſe, quod continetur Graeco peruulgato verſu.

CAP. II.

SENTENTIA illa, quae Graeco hoc ſenario continetur.

Εὖ ἐν κακῶς φρονοῦσι, πράσσοντες καλῶς.

Et vera profecto eſt, & noſtro etiam ſermone celebratur: quod enim dicimus: Chi ben ſiede mal penſa, idem ſine dubio valet, niſi quod apud nos haec vox communis eſt: neminemque excipit: in Graeca vero non omnibus, quorum res ſecundae ſunt, id vſu venire traditur, ſed quibuſdam tantum, quare certior eſt apud illos: magiſque ab omni remota errore. Quin autem valeat in noſtra illa voce, ben ſedere, fortunatum eſſe, & res ſuas in firmo & ſtabili ſolo collocatas habere, non eſt dubitandum. Cum igitur in tam longinquis gentibus, & quae etiam tam magno interuallo temporis interiecto, floruerint, inuenerim idem probatum fuiſſe, pertinens ad vitam, & mores hominum, & ad declarandum mortalium animus aequos

non

non eſſe; nec vnquam rebus proſperis ſatiari, placuit id adnotare. Verſum autem Graecum non inueni apud auctorem ipſum: nec qui primus in ea re labi vehementer & peccare aliquos cognouerit, monſtrare poſſum. ſed repperi in eo ipſo libello, in quo diuerſorum poëtarum ſententiae collectae leguntur.

Locum Ariſtotelis, coniectura olim a me emendatum, nunc teſtimonio auctoris comprobatum.

CAP. III.

GAVTE ſemper (vt opinor) ac timide ſoleo aliquid attingere, fretus ingenio, in antiquis ſcriptoribus, ſi quid tamen vnquam huiuſcemodi temptaui, coactus aliquo modo & quaſi neceſſitate mihi eius rei impoſita, id facio. cum tamen poſtea inuenio coniecturam meam non inanem fuiſſe, & nouo aliquo firmoque argumento comprobo veterem meam opinionem, vehementer gaudeo, vt mihi accidit in loco quodam Ariſtotelis ex libro hoc vno, quem habemus de arte poëtica: cum enim refellere vellet optimus magiſter errorem quorundam, qui aliter acciperent, atque oporteret, fabulam eſſe vnam: putarentque, ſi non diſceſſum foret ab vna, eademque perſona, fabulam ſemper ſeruari vnam, inquit, multa, vel infinita potius numero, vni homini euenire, e quorum non nullis nihil poſſet fieri vnum, & quaſi in vnum corpus coagmentari, quia illa ſcilicet inter ſe valde diſſimilia eſſent. haec igitur ſatis certa ſententia erat illius loci: verba tamen ipſa ita legebantur, πολλὰ γὰρ καὶ ἄπειρα τῷ γένει συμβαίνει, & quae ſequuntur, corrupta prorſus & non ſine macula, quare lectione, quam non probarem, retenta, dixi me arbitrari legendum eſſe καὶ ἄπειρα τῷ γ' ἑνὶ, nulla littera immutata, ſed tantum vna voce diiuncta, quae quaſi ex duabus perperam coaluerat. Inueni autem poſtea ipſum hunc ſummum ſcriptorem eodem pacto locutum, cum idem ſignificare vellet: in ij. enim libro naturalis auſcultationis, vbi de duobus, magnopere inter ſe diuerſis generibus cauſarum, diſſerit, inquit, τὸ μὲν γὰρ καθ' αὑτὸ αἴτιον, ὡρισμένον: τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκός, ἀόριστον: ἄπειρα γὰρ ἂν τῷ ἑνὶ συμβαίη. non eſt igitur nunc dubitandum, quin vera ſit haec eius loci emendatio, prius miſerum in modum deprauati.

Reſtituta declaratio Donati Terentiani, quae deprauata, non monſtrabat, quod voluerat interpres, expreſſum fuiſſe locum eum a Cicerone.

CAP. IIII.

INDICAT Donatus Terentianus imitatum eſſe Ciceronem, cum inquit in diuina ſone in C. Verrem. Magna ſunt, ea quae dico, mihi crede, noli haec contemnere, locum hunc Terentij ex Adelphis, cum Micio placare iratum fratrem cupiens, inquit. Non eſt flagitium mihi crede, adoleſcentulum ſcortari, neque potare, non eſt: neque fores effringere, & ego prorſus id verum puto; praeter enim ea, quae prodita memoriae ſunt de hoc ab antiquis ſcriptoribus, cotidie magis inuenio ſummum amatorem fuiſſe Terentij Ciceronem. Verba tamen Donati corrupta ſunt, quibus hoc tradit: ita enim vulgo leguntur. Quod imitatus Cicero ſe caelum exagitat, cum ſcribi videatur debere, quod imitatus Cicero eſt, vbi Caecilium exagitat.

Inuentam apud diuerſos poëtas ſententiam eandem de inuidia & miſericordia, peruertentibus animos iudicum.

CAP. V.

MVLTO grauior poëta, in multo grauiore fabula, Aeſchylus in ore Argiuorum regis poſuit eandem paene ſententiam, quam Terentius in Phormione ab adoleſcente pronuntiari fecit: cum enim Phaedria apud comicum callide fratrem patruelem purgaret, reiecta culpa in iudices, ita cum patruo agens quod dicebat veriſimile videri fecit: Qui ſaepe propter inuidiam adimunt diuiti, Aut propter miſericordiam addunt pauperi: ſignificare igitur voluit hanc eſſe naturam mortalium, vt ipſorum animi ſaepe a vero diſtrahantur, vi duarum perturbationum, quae plurimum in ipſis valent: ambae autem eo tempore erga diuerſas perſonas excitatae ſunt, ideſt inuidia & miſericordia. id vero tunc factum eſſe, quare mirari non oportere, ſi iudicium illud prauum iniquumque fuit: Rex autem ille, quem dixi, apud tragicum ἱκέτισι, cum a ſalute virginum ea-

rum,

rum, quae fidem eius implorabant, non abhorreret, noluit tamen perſonam ſuam interpone-
re: intelligens ipſam inuidioſam eſſe, & munere illo, quod tempus earum requirebat, ipſas
fungi voluit, quas ſentiebat pluribus de cauſis facile miſericordiam inuenturas. Verba vero,
quibus hoc probauit, haec ſunt, primum autem cauſam adfert, cur ipſum id moliri minime
vtile ſit.

» Μήδ' ἀντεξετασθῇ λόγος
» Ἐμοῦ· κατ' ἀρχὰς γὰρ φιλαίτιος λεώς.
» Καὶ γὰρ τάχ' ἄν τις οἶκτος εἰσιδὼν τάδε
» Ὕβριν μὲν ἐχθήρειεν ἄρσενος στόλου·
» Ὑμῖν δ' ἂν εἴη δῆμος εὐμενέστερος·
» Τοῖς ἥσσοσιν γὰρ πᾶς τις εὔνοιαν φέρει.

Praeter autem quam quod idem aperte, quod oſtendi, poëta ipſe dicit, ſcholion praeterea ve-
rus alteram partem confirmat, peruulgata quadam voce, quae aiebat inuidiam moueri aduer-
ſus eum, cuius res valde bonae ſunt. Similem autem ipſam eſſe affirmat ei, quam declarabat.
» eſt autem haec. πρὸς τὸν ἔχοντα ὁ φθόνος ἕρπει.

Iugum hominum, μεταφορικῶς dictum, de paribus ſimilibuſque inter ſe a Latinis, & ζεῦγος a Graecis.

CAP. VI.

IVGVM impiorum μεταφορικῶς M. Cicero vocauit in Philippica xi. M. Antoni-
um & P. Dolabellam, cum pares eos eſſe & eodem animo praeditos aduerſus pa-
triam oſtenderet, peſſimo ſcilicet & conſceleratο. Verba autem haec ipſius ſunt.
» Quaſi vero non vnum idemque bellum ſit contra hoc iugum impiorum nefa-
rium. Eodem autem pacto Plutarchus Agin & Cleomenem, reges Spartiatarum, qui ambo
populares fuere, & quaecumque re potuerunt commodis multitudinis proſpexerunt, appella-
» uit ζεῦγος δημαγωγῶν. Polybius quoque in iij. libro hiſtoriarum, pugnas ſingulares, quas a-
lio nomine appellant μονομαχίας, vocauit κατ' ἄνδρα καὶ ζεῦγος ἀγωνίσματα. Tranſtulerunt i-
gitur hi tres magni auctores ea nomina, ſatis apte, a rebus ruſticis: vt enim boues, qui iungun-
tur ſimiles viribus, & magnitudine eſſe debent, ita etiam homines, qui & ipſi ob eam rem, eo-
dem, quo illi nomine in vtraque lingua appellantur.

Verſus Euripidis, cuius ſententia vera eſt & grauis, inuentus apud plures Graecos auctores.

CAP. VII.

VT multae aliae Euripidis ſententiae non ſine cauſa valde a multis celebratae
ſunt, ita haec a graui ſcriptore Polybio in hiſtoria plurimum laudata, qua ſigni-
ficauit vnius hominis ſapiens aliquod conſilium vincere multorum manus, & id
ſaepe efficere, quod illae ipſae moliri & ad exitum perducere numquam potuiſ-
ſent. loco autem meminit ille huius ſapientis vocis, & cum alias quoque id ve-
rum eſſe cognoſci potuerit, praecipue eo tempore exitum earum rerum, quas in manibus ha-
bebat, declaraſſe affirmat ita prorſus ſe rem habere. Verba igitur ipſius ſunt, cum de magno o-
pere mutatis fortunis Carthaginienſium loqueretur; illi namque, duce Xanthippo Lacedae-
monio, magno proelio vicerant in Aphrica Romanos, & M. Regulum ceperant, qui paulo an-
tea nimis duras ipſis, fractis bello, condiciones pacis ferebat: vnius enim Xanthippi virtute ac
» conſilio id factum teſtatur: inquit igitur: καὶ μὲν τὸ παρ' Εὐριπίδῃ πάλαι καλῶς εἰρῆσθαι δοκοῦν, ὡς ἓν
» σοφὸν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας νικᾷ, τότε δι' αὐτῶν τῶν ἔργων ἔλαβε τὴν πίστιν. Non inuenitur au-
tem, quod ſciam, in his eius tragici fabulis, quae extant, hic locus: ipſum tamen pleniorem ad-
huc repperi apud Sextum, vbi diſſerit de ſimplici enuntiato & illo, quod ratione confirma-
tur: inquit enim.

» Εἶτα φύσις μὲν ἦν ἡ γνώμη, καθάπερ τὸ τοιοῦτο·
» Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας νικᾷ.
» Σὺν ὄχλῳ δ' ἀμαθία πλεῖστον κακόν.
» Φέρει δ' οὐ παιδείαν ὁ νοῦς πρὸς τὸ καλῶς εἰρῆσθαι ἢ μὴ εἰρῆσθαι.

Sed etiam Plutarchus in libro, quo quaeſiuit, an deceat ſenem verſari in republica, priorem
horum verſuum citauit: ipſiuſque iudicium valde probat, & aliquo modo declarat: addit enim
ſtatim. Et vna ſententia, quae rationem habeat, vimque perſuadendi, pulcherrima & maxima
molitur,

molitur, ſecta publica. Vt autem hoc quoque addamus, qui diligenter attendet, videbit ab Homero accepiſſe hanc ſententiam tragicum hunc: ille enim valde commendauit prudentiam ac conſilium ex perſona eius, quem in primis finxit ſapientem, Polydamantis: & quae inde publice priuatimque commoda naſcerentur: haec enim poëtae verba ſunt.

Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς
Ἐσθλόν: τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ' ἄνθρωποι.
Καί τε πολέας ἐσάωσε; μάλιστα δὲ κ' αὐτὸς ἀνέγνω.

Non potuit igitur magis ipſam celebrare: addidit tamen tragicus *ἀντίδοτον*, quod apertius adhuc explanat vim illius.

Quae vocata ſit μονῳδία in fabulis ſcenicis.

CAP. VIII.

MONΩΔΙΑ plerumque valet cantum vnius tantum, & huic rei oſtendendae (vt arbitror) primum nomen hoc ita iunctum fuit, vt Ariſtides ſophiſtes confecit μονῳδίαν Smyrnae, qua oratiuncula deplorauit eius nobilis oppidi calamitatem, quod terremotu interierat. appellatur etiam μονῳδία in comoedia & tragoedia, cum in ſcaena perſona aliqua ſecum loquitur. verbo tranſlato a cantu & arte muſica. non tamen hoc in iis fabulis frequens ac crebrum eſt: cum enim oratio inepta ſit, vt ſenſum animi noſtri alieni patefaciamus, qui ſoli loquuntur, rem abſurdam & affinem inſaniae facere videntur. conceditur tamen hoc illis, qui valde animo commoti ſunt, & aut vehementer dolent, aut laetitia ingenti elati ſunt. Eſt igitur μονῳδία totus ille locus Hecyrae, cum Bacchis exponit quantae voluptatis cauſa fuerit Pamphilo, & quibus, grauibus ſane, malis adnentus ipſius remedium adhibuerit, quod adnotatum illic etiam eſt a vetere interprete, qui inquit, Reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur. Non dubium autem eſt, quin locus ille apud Euripidem in Medea, cum Medeae ipſius nutrix caelo atque terrae commemorat erae ſuae miſerias, ſit μονῳδία: maeror enim impulit eam, vt in ſolitudine exponeret res aduerſas eius, quam amabat, & tamen, quod illa neſciebat, praeſentes aderant ſpectatores, qui omnia audirent: ita enim fabulae argumentum narratur: non igitur irritus fuit illius ſermo, & ino ſane loco opportunoque id factum eſt: hoc autem ſaepe impellit ſcenicos poëtas, vt id committant, quod aliter vitioſum foret. Sed redeo ad nomen ipſum, vt μονῳδία non ſemper eodem modo capitur: ita μονῳδοὶ proprie poëtae vocantur, qui lugubres cantus vna ex perſona edunt: μονοπρόσωποι vero, qui totum aliquod argumentum faciunt vnam tantum perſonam exponere: cuius generis eſt Lycophron in obſcuro illo & tenebrarum pleno, poëmate.

Quid valeat τολμᾶν apud Euripidem: ſimulque rarior modus loquendi declaratus.

CAP. IX.

EST elegans modus loquendi in vſu Euripidis: notioque certa quaedam huius verbi τολμᾶν: valet enim (niſi ego fallor) in his locis, quibus inquit τόλμα, incipe & quaſi rem nouam & inuſitatam aggredere. vel, quod tamen idem eſt, noli metuere hoc facere. ceu vbi in Hippolyto, nutrix ipſius ſuadet Phaedrae, vt amet & ne timeat, quaſi rem aſperam & duram, quae ſuauis & iucunda eſt, amori ſe dare: inquit igitur τόλμα δ' ἐρῶσα. Item in Hercule inſano eodem pacto locutus eſt de Lyco, ſaeuo rege, qui tunc necabatur: ita enim cum ipſo egit chorus, ſiue potius Amphitrio.

Ἀμείβοις δ' ἐκτίνων;
Τόλμα τ' ἀνόλβων τῶν δεδραμένων δίκην:

Significat enim illic quoq; τόλμα, tempta rem, quam numquam antea expertus es, & aſſueſce dare poenas tuorum improbiſſimorum factorum. Nam, quod ambobus in locis pro modo indefinito, participium poſitum eſt, proprietas haec eſt Attici ſermonis, & ita ſaepe loquuntur diſerti eius gentis ſcriptores.

De more antiquorum, arboribus agros terminandi: & de oleis, vocatis ab Atticis σηκοῖς & μορίαις.

CAP. X.

M. VARRO in primo de re ruſtica, vbi agit de tuendis finibus fundi, auxilio arborum, quae, directo ordine ſatae, ſepararent ipſum a fundo vicini, appellat tantum pinos, cupreſſos, vlmos, quibus nous, vt docet, multi tunc vti ſolerent, ne confunderen-

rur praedia & lites oriſentur de finibus agrorum, reliquit igitur, vt facile licet exiſtimare, oleas: nam veteres illos & Graecos & Latinos ordinibus quoque olearum idem praeſtare ſolitos certum eſt. quod adnotare non alienum duxi. Perſpicitur autem hoc ex loco, quem indicabo Ciceronis pro A. Caecina: haec enim ipſius verba ſunt. Eius autem fundi extremam partem oleae directo ordine definiunt, & paulo poſt, Et clara voce imperat, vt eum, qui illum olearum ordinem intraſſet, occideret. Patet igitur oleas eas hac de cauſa ita ſatas fuiſſe. Non inſulſe autem arbitraretur aliquis lepidiſſimum comicum huc reſpexiſſe, cum fecit in Batrachis, ita chorum admonere Aeſchylum poëtam, qui erat acer ac vehemens, ne irae indulgeret, & quaſi ab ipſa abreptus, ferretur extra fines illius diſputationis: nam pro finibus & limitibus inquit oleas. Locus vero hic eſt, μόνον ὅπως μή σ' ὁ θυμὸς ἁρπάσας, ἐκτὸς οἴσει τῶν ἐλαῶν. Nec tamen me fallit ſcholia Graeca aliter accipere, quae tradunt in extremo curſu equorum ſatas ordine fuiſſe oleas quaſdam, verum hoc ſine teſte vllo & auctore. Nos quoque (id, quod etiam me non nihil mouet) cum videmus aliquem iracundia elatum, quippiam non ſatis prudenter & extra rem loqui, dicimus vulgo ipſum exire e terminis. Oleas autem alias quoque conſueſſe veteres directo ordine ſerere, vt nos quoque facimus, planum & apertum eſt, quas vocabant ea de cauſa στιχάδας, vt putauit etiam Pollux, cum in legibus Solonis inueniſſet ἐλαίας στιχάδας appellatas. oppoſuerat autem eas oleis illis, vt idem affirmat, quas Attici vocabant μορίας.

Longe aliter legiſſe Ciceronem verſum Arati, ac nunc paſſim legatur.

CAP. XI.

VERBUM hunc Arati e phaenomenis aliter ſcriptum habuiſſe M. Ciceronem in ſuo libro apparet.

Οἱ γάρ οἱ σύνδεσμοι ὑπουραίων καλέονται.

Cum enim ita verterit.

Atque vna tandem in ſtella communiter haerent.

Quam veteres ſoliti caeleſtem dicere nodum

Dubitari non poteſt, quin ipſe pro ὑπουραίων, legerit ὑπουράνιοι, & tamen in omnibus, quae vidi exemplaribus eius poëtae, & calamo exaratis, & formis excuſis, legitur eodem pacto ὑπουραίων. Sed etiam valde eruditus eius interpres & diligens, Theon peruulgatam hanc lectionem ſequitur, nec mentionem vllam facit alterius, vt multis aliis locis ſolet, quae incertam ac dubiam lectionem habebant. Higinus contra, quo loco ἀστερισμὸν piſcium notat, ὑπουράνιον apud Aratum legi tradit, eius autem haec verba ſunt. Horum coniunctionem, quae a pede arietis primo notatur, Aratus Graece σύνδεσμον ὑπουράνιον, Cicero nodum caeleſtem dicit, qui vtrique voluit ſignificare eum nodum non ſolum piſcium, ſed etiam totius ſphaerae eſſe. Nec minus me mouet, vt putem M. Tullij aetate in quibuſdam libris ſcriptum fuiſſe ὑπουράνιοι, quod video Auienum, qui & ipſe in Latinum ſermonem vertit idem opus, eandem lectionem ſecutum: credendum enim eſt eum Arati librum ſpectaſſe, cum redderet eos verſus, non totum ſe ad auctoritatem Ciceronis retuliſſe. Sed Andreas quoque Patricius, vir magni ingenij: nec minoris eruditionis, in libro, quem confecit, adhibita multa cura, in phaenomena Ciceronis, de veritate huius loci dubitauit: & Auienum quoque ὑπουράνιοι expreſſiſſe, adnotauit.

Explanatus Virgilij locus ope loci Euripidei: hiſtoriaq; obſcurior inde eruta.

CAP. XII.

QVOD obſcure tetigit Diomedes apud Virgilium, ſuadens legatis regis Latini, ne bellum ſuſciperent contra Troianos, de naufragio Graecorum, apud ſaxa Capharea, plenius expoſuit chorus apud Euripidem in Helena, cum mala, quae perpeſſi forent Graeci in ea expeditione defleret, nec tamen omnino plane & aperte: neque enim nomen ponit eius, qui in fraudem traxit Graecos, Graecus & ipſe homo, vt vlciſceretur iuſtum ſuum dolorem, & ipſos, graui malo oppreſſos, tempeſtateque iactatos, in maius adhuc malum trpuit, falſa ſpe ſalutis: pleniſq; fraudis luminibus, quae e promontorio illo ſuſtulit, hac nota callide ſignificans portum illic eſſe. Nauplius autem ille fuit, Palamedis pater, qui nactus occaſionem, illa vſus eſt: & veterem atrocem iniuriam vlciſci in animum induxit, cum Graeci filium, damnatum iniquo iudicio, interfeciſſent, & falſo etiam crimine proditionis infamaſſent. Locus igitur Euripidis hic eſt.

Φαεινὰς δ᾽, ἀμφιρύτους [illegible]

» Φλογερὸν σέλας ἀμφιρύτου
» Εὐβοίας, εἷλ᾽ Ἀχαιοὺς
» Μονόκωπος ἀνὴρ, πέτραις
» Καφηρίσιν ἐμβαλὼν
» Αἰγαίαις τ᾽ ἐναλίοις ἀκταῖς
» Δόλιον ἀστέρα λάμψας.

Apparet igitur quid valeat apud noſtrum poëtam Victor: nam dedit hoc Virgilius monti, quo, quaſi inſtrumento quodam, vſus eſt Nauplius explendi ſui doloris, quod calamitoſi illius ſenis proprium erat.

Teſtimoniis auctorum comprobatum, obeſſe in omnibus artibus nimis magnum ſtudium ipſas exornandi.

CAP. XIII.

Qui valde cupidi ſunt alicuius boni obtinendi, in illo perſequendo, quia modum nullum in ipſo tenent, ac plus eius rei petunt, quam oporteat, ſaepe labuntur, & maiori culpae affines ita fiunt, quam antea extitiſſent, ſi rudiore illo ſuo ſtudio contenti fuiſſent, ac non tantopere ipſum exornare conati eſſent. Oſtendit hoc vſu venire M. Cicero oratoribus quibuſdam, qui cum intelligant geſtus corporis magnopere adiuuare motus animi, ac debere eos, qui perſuadere volunt, & efficere quod ſtudent, exprimere affectus omnes, tanta cura incumbunt in eam rem, vt merito poſtea reprehendantur, & pro oratoribus hiſtriones fiant: videanturque in ſcena verſari, non in foro, amiſſo omni decore, ac perſonae ſuae dignitate. cum igitur praecepta quaedam traderet, quae ad ὑποκριτικὴν facerent hoc diligenter admonuit in iij. libro de oratore: inquit enim. Omnes
» autem hos motus ſubſequi debet geſtus, non hic verba exprimens ſcenicus, ſed vniuerſam rem
» & ſententiam, & quae ſequuntur. Animaduertendum autem, vt oratores errare docet Cicero, qui plus ſibi aſciſcant, quam deceret artis hiſtrionum, ac paene illi ipſi fiunt, ita peccaturos actores quoque fabularum, qui & ipſi eodem pacto in rebus imitandis iuſtam menſuram non adhiberent, ac nimis magnum ſtudium ponerent in ſingulis factis, quae referrent, exprimendis, & ante oculos ſpectatorum collocandis. Notum autem eſt accuſare Ariſtotelem tibicines quoſdam aetatis ſuae, qui & ipſi in hanc culpam inciderent, & ea, quae ſatis apte ſuis tibiis illuſtrare poſſent, inepte corpore reddere conarentur: inſimulat enim huius vitij nonnullos in extremo, quem habemus, libro de arte poëtarum, & quomodo illi e ſuis paene finibus exirent, exponit.

Quo ſigno ſcriptores oſtenderent magnam caedem factam eſſe: conuenireque Plutarcho cum poeta noſtro, in re obſcura narranda.

CAP. XIIII.

Non fuit vanum, nec ad rem augendam tantum excogitatum, quod eleganter a Petrarcha noſtro de Marij virtute, & incredibili tolerantia laborum prolatum fuit, cum inquit, victoriam ipſius praeclaram celebrans,

» Quando, aſſetato & ſtanco,
» Non piu beuue del fiume acqua, che ſangue:

Hoc enim vſu veniſſe aliquando, litteris mandatum eſt ab optimis ſcriptoribus. Thucydides, cum interitum exercitus Athenienſium: grauemque plagam, quam illi acceperunt in Sicilia, exponeret, de tranſitu Aſſinarij fluminis, in quo loco praecipue male acceptae fuerunt ipſorum
» copiae, inquit, καὶ τὸ ὕδωρ εὐθὺς διέφθαρτο, ἀλλ᾽ οὐδὲν ἧσσον ἐπίνετο, ὁμοῦ τῷ πηλῷ ᾑματωμένον. idem paene de rege Perſarum narrat Cicero his verbis in V. quaeſtione Tuſculana. Darius in fuga,
» cum aquam turbidam & cadaueribus inquinatam bibiſſet, negauit vnquam ſe bibiſſe iucun-
» dius. Sed poſtquam de proelio illo Marij & noſtris poëtis agere coepi, addam quod a Plutarcho in ipſius vita memoriae proditum eſt de ingenti pluuia, quae ſtatim poſt pugnam illam in terram effuſa eſt, quod vſu venire ſolere & ſaepe factum eſſe illis temporibus, id eſt poſt caedem magnam hominum, ipſe ſignificauit. Nam Dantes quoque oſtendit non multo poſt pugnam & ipſam atrocem, qua in agro Caſentino, loco qui vocatur Campaldinus, Guelfi deuicerunt Gibellinos & graue vulnus partibus illis impoſuerunt, idem conſecutum fuiſſe: nec tamen ille id contingere ſolere docet, ſed tantum eo ipſo tempore factum eſſe narrat. verſus ipſius, quibus hoc cecinit, ſunt in capite v. Purgatorij, vt verbo vtar, quo vno e tribus ille poëma ſuum diſtinxit. Quare id paſcatur, qui videre volet, totum locum apud doctiſſimum eum hiſtoricum le-

 get.

get. cum autem duas rationes eius reddat, altera illarum diuina eſt, altera naturalis. ſed etiam poëta noſter, valde & ipſe eruditus: nec minora ingenio praeditus, idem paene exiſtimaſſe videtur: ſtudio namque vel ira potius, mali daemonis, non boni vt Plutarchus, factum id tunc dicit: ſtatimque etiam de imbribus & ortu ipſorum naturali diſſerit, vt prorſus locus noſtri valde ſimilis eſſe videatur illi loco Graeci auctoris.

Lex Platonis explicata: cretamque eſſe terram eam, quam Graeci κέραμον *appellant, ſignificatum.*

CAP. XV.

PLATO ſuis in legibus licere noluit alicui ſumere aquam e puteo vicini, atqua ita omnibus horis diei moleſtum illi eſſe, niſi prius ipſe aquam ſedulo ſuis in ſedibus conquiſiuiſſet, & vſque ad cretam demum ſolum fodiſſet. qui vero hoc prius feciſſet, nec laborem vllum ſumptumque declinaſſet, cum omnia fruſtra expertus eſſet, libere poterat vti aqua propinquae domus. cretam vero terminum eſſe aquae notum eſt, quia ſolidam eam terram duramque penetrare illa non poteſt, vnde in ea tamquam in poculo, vaſeque aliquo aqua diu ſeruatur. Plinius etiam hoc, quod in ore o» mnium, aquas perſcrutantium, eſt, cognouit. nam in xxxi. libro, inquit, Figulari creta ſem» per adimitur ſpes, nec amplius puteus foditur. quam vero ille cretam figularem: Plato autem κέραμον appellat, noſtri pancone vocitare conſuerunt.

Quod Lacedaemone plenum bonoris putabatur, ingenuum hominem artem nullam colere, Athenis legibus vetebatur.

CAP. XVI.

DIVERSA inſtituta honeſtarum etiam ciuitatum, faciebant ſaepe, vt id factum, quod vni earum probaretur, alteri vehementer diſpliceret: nec tamen non ambae illae dignitatem colebant, ſed longe alia via ad eam feſtinabant. multis igitur modis inter ſe diſſenſerunt mores Spartiatarum & Athenienſium, in quibus etiam hoc fuit, quod Lacedaemonij, cum diſciplinam militarem colerent, turpe putabant eſſe, in alia vlla arte occupari, qui contra remp. Athenienſium legibus ornarat, cum otium valde reformidaret: ipſumque fontem multorum magnorumque malorum eſſe intelligeret, inertes homines poena afficiebat: metuque ipſos ad exercendam aliquam artem compellebat. declarat hoc ita ſe habuiſſe vox illa, ſiue factum potius Laconis eius, qui cum Athenis tunc eſſet; audiſſetq; quandam damnatum, vt inertem & otioſum hominem, triſtem e foro abire, comitantibus amicis, & ipſis maerorem praeſe ferentibus, rogauit eos, qui prope ſtabant, vt monſtrarent ſibi hominem, qui damnatus eſſet, quod liber & ingenuus foret. Adeo ſeruile eſſe & ignominiae plenum ducebant, verſari in aliquo ſtudio, quod rei quaerendae factum videretur. Viſum autem mihi eſt hoc adnotare ea de cauſa, qua dictum eſt; & praeterea quia apud Plutarchum, qui hoc commemorat in Lycurgo in extrema hac ſententia, quam ver» ti, mendum eſt. cum enim ita in excuſis legatur οὕτω δουλοπρεπὲς ἡγοῦντο τὴν περὶ τὰς τέχνας καὶ » χρηματισμὸν αἰσχολίαν, ſine vlla dubitatione ἀσχολίαν ſcribi debet, quod mendum alia quoq; loca propter ſimilitudinem aliquam harum vocum deprauauit. Vt hunc ipſum e vita Socratis, quam ſcripſit Laërtius: cum enim ita in excuſis nunc legatur (accuſabat autem ille tunc Eu» clidem, plurimum ſtudij ponentem in concertationem plenis diſputationibus) ἄχρηστον ᾔδει ἀνθρώ» των τὴν περὶ ταῦτα αἰσχρολογίαν, videtur omnino legendum ἀσχολίαν: nulla enim in illis contentionibus eſt turpitudo verborum. ita vero legi debere: vſurparique hoc verbum ſolitum de ſtudiis quoque litterarum, declarat alter hic locus eiuſdem ſcriptoris in vita Carneadis: cum enim tradat ipſum, totum deditum ſtudio ſapientiae; neglexiſſe omnem cultum corporis, ita loqui» tur. ὅθεν καὶ κόμην καὶ ὄνυχας ἔτρεφεν, ἀσχολίᾳ περὶ τοὺς λόγους.

Et haurire μεταφορικῶς *vſurpatum eſſe a Cicerone, & verbum, quod huic reſpondet a Graecis.*

CAP. XVII.

ET haurire μεταφορικῶς vſurpatum eſt a Cicerone, cum ſcientiam bonarum artium, cultumq; animi oſtenderet, ita verbum Graecum, quod huic reſponder, a Platone in » ſermone, illo, quem Ionem vocauit: ita enim illic locutus eſt. ὥσπερ αἱ βάκχαι ἀρύονται

ται ἐκ

» τὰ ἐκ τῆς ποταμῶν μέλι καὶ γάλα καταχέουσαι, & ſi Graecum hoc aliquis fortaſſe proprium, non tranſlatum illic eſſe diceret: illud tamen Latinum pro Archia dictum, manifeſto tranſlatum.
» Illa quidem certe, quae ſumma ſunt, ex quo fonte hauriam, ſentio. Sed animaduertendum etiam vt ambo illi ſuo in ſermone haurire ex fonte dixerunt, ita alterum eorum, & Lucretium etiam, alio pacto haurire fontem, aut aliquid ſimile dixiſſe: nam poëta de ſe inquit.
» Iuuat integros accedere fonteis.
Atque haurire. Et orator de aruſpicum reſponſis. Quam denique tam immanem Charybdim poëtae fingendo exprimere potuerunt, quae tantos exhaurire gurgites poſſet.

Euripidis verſum, teſtimonij loco citatum ab Ariſtotele, quadam ſui parte magis integrum illic, quam apud auctorem diu ſeruatum.

CAP. XVIII.

VERSVS hic Euripidis, in Iphigenia in Tauris.
» Δέλτου μὲν αἵδε πολύθρηνοι διαπτυχαί (pronunciatus autem eſt ab Iphigenia ipſa, cum Oreſti epiſtolam in manus traderet, quem tamen adhuc fratrem ſuum eſſe ignorabat) fortaſſe integer non eſt: ipſe certe multis ab hinc annis in hanc ſententiam veni vt pro πολύθρηνοι legi debeat πολύθυροι, quemadmodum ſane ille olim legebatur apud Ariſtotelem in iij. libro de arte dicendi, ac dolui, me in eo exemplo emendando (nam aliis quibuſdam ſui partibus deprauatum ipſum miſerum in modum erat) potius ſecutum eſſe peruulgatam poëtae lectionem, quam veſtigia vera ipſius, quae illic reſtabant. quare nunc id admonere volui: & quid de illa ſentiam, diligentius re animaduerſa, docere. Notio igitur huius iuncti nominis πολύθρηνοι, non videtur illic vllo modo quadrare: neque enim litterae illae maeroris, ſed laetitiae plenae erant, vt paulo antea Iphigenia ipſa ſignificarat, quae dixerat illam epiſtolam indicaturam eſſe Oreſti eos viuere, quos putabat iampridem mortuos, & demum nunciaturam ipſi eſſe voluptatem magnam & certam. Quod facit autem ad alteram illam lectionem confirmandam, θύρας arbitror illic vocatas μεταφορικῶς epiſtolae plicationes, quae ſpeciem quandam illius rei praebent. hoc vero non meum ſolum indicium eſſe, ſed veterum quoque, cognoſcitur teſtimonio hoc Heſychij, qui ſuo in lexico inquit, Θύρας, τὰς πτύχας ἔχοντας.

De miro quodam Alexandri amore erga Homerum, & ſtudio, quod poſuerat, vt eum poëtam emendatum, & correctum haberet.

CAP. XIX.

MAGNVM amatorem fuiſſe Homeri Alexandrum Macedonem memoriae proditum eſt: φιλόμηρος enim ea de cauſa vocabatur, & hoc prorſus verum eſſe ex non nullis ipſius vocibus aperte cognoſcitur. Quomodo autem non admirari potuit, & in delicijs habere tam eximium & grandem poëtam, fortis in primis & generoſi animi rex? & qui deſiderio laudis & gloriae ſtatim a teneris vnguiculis flagrauerat? non negligenter autem ille, & vt paſſim ferebatur, poëtam eum legerat, ſed ipſum etiam emendatum & meliorem vndique factum, habere ſtuduerat, in quam rem operam etiam ſtudiumque ſuum praebuerat ei optimus omnium artium magiſter Ariſtoteles, qui non minus, quam ille, auditor ipſius, diuinum eum poëtam amabat. habebat igitur ſaepe in manibus Alexander certum quendam Homeri librum, vt dixi, correctum diligenter, qui poſt illius interitum, cum diuulgatus eſſet, appellata eſt editio illa ἐκ τοῦ νάρθηκος, vt diſtingueretur ab aliis non paucis, quae valde celebres vetere illa aetate erant. nam multi & fortunati viri & ſcientia multarum rerum clari, in eam curam incubuerant: cum autem e diligentia principis peripateticorum prodiiſſe illa editio credita & dicta ſit, Strabo tamen commemorat Alexandrum vna cum Calliſthene & Anaxarcho, accurate Homerum legiſſe & non pauca tunc in ſuo libro adnotaſſe, quem librum poſtea in ſcriniolam condidit, inuentam a ſe in Darij gaza, ſumptuoſam & vndique ornatam, vnde poſtea nomen illud ſeruauit & ab ea tamquam capſula, ſemper vocatus fuit.

De variis vocabulis, quibus appellantur cuniculi apud Graecos, & venatione vetere ipſorum.

CAP. XX.

QVos cuniculos Latini vocarunt, δασύποδας plerumq; appellatos a Graecis conſtat, quod tamen nomen non eam tantum animantem oſtendit, ſed leporem omnem: eadem de cauſa alij λαγίδας ipſos nominarunt. nam λαγωοὺς paſſim lepores vocati notum omnibus eſt. quare non defuerunt, qui cuniculum in leporibus enumerarent, qui videntur putaſſe leporem reſpondere Graeco ſuperiori illi nomini, ac genus quoddam valere. Strabo, quo loco de inſulis Balearibus agit, teſtatur ipſos a quibuſdam nominatos λεβηρίδας, quae tamen Graeca vox communis ipſis erat cum aliis quibuſdam beſtiolis, vt veteres grammatici teſtantur. Cum autem diligens ille ſcriptor commemoraret miram quandam paucitatem eſſe beluarum pernitioſarum, & vnde aliquid detrimenti naſceretur hominibus, in illis locis, excipit cuniculos, a quibus fatetur peſtem afferri iis omnibus, quae oriuntur e terra, cum morſu violent eorum radices. Sed idem etiam exponit quod remedium adhibere illi ſoliti ſint huic tanto malo. id autem erat, quod alebant viuerras: ipſe appellat eas feles agreſtes, quas e vicina Africa petebant: ipſas enim, iniecto prius ori ipſarum freno, ne poſſent illic eos interficere, in cauos illos iniiciebant, atque ita inde cuniculos abditos educebant: illi namque viſa beſtiola, ipſis inimica, inde ſubito erumpunt: eoſque viuerra perſequitur. Verba quibus poſtremum hoc exponit Strabo, haec ſunt.
» καὶ δὴ καὶ γαλᾶς ἀγρίας, ἃς ἡ Λιβύη φέρει, φέρουσιν ἐπίτηδες: ἃς φιμώσαντες, παρίασιν εἰς τὰς ὀπάς.
Vnde autem acceperim Latinum nomen, quo ipſas appellaui, indicabo: a Plinio enim ſumpſi, qui idem tradens & de peſte, quam afferrent ſatis omnibus cuniculi, diſputans, ad extre-
» mum inquit, Magna propter venatum eorum viuerris gratia eſt: iniiciunt eas in ſpecus, qui
» ſunt multifores in terris, vnde & nomen animali; atque ita eiectos ſuperne capiunt. Narrauit autem mihi acris ingenij iuuenis, & multarum rerum peritus, ciuis meus, honeſto quidem loco natus, & omni honore dignus, Alphonſus Cambius importunus hanc venationem cuniculorum in inſula Prochyta hodie exerceri: cuius incolae e Sicilia afferunt beſtiolas, quibus eodem pacto eos captant, has ipſas ab illis vocatas forettas. puto ego eſſe, quas nos patrio ſermone vocamus donnolas, aut eiuſdem generis aliquas.

Acuta quaedam ſententia Dantis & incredibilis, inuenta etiam apud Euripidem.

CAP. XXI.

APud Euripidem ἱκέτισι chorus eius fabulae, qui conſtabat e mulieribus Argiuis, matribus ducum illorum, qui interfecti fuerant ad Thebas, cum miſerum ſuum ſtatum aperire vellet: condicionemque quandam vitae nouam & ante eum diem inauditam, dixit ſe neque in mortuis, neque in viuis numerari poſſe, ſed nactum eſſe ſortem quandam ſeparatam ab illis extremis & contrariis inter ſe. Verba eruditi atque ingenioſi poëtae: & pars denique eius luctuoſi cantus, quae vocatur ἀντιστροφή, ſunt haec.

» Ἑπτὰ ματέρες ἑπτὰ κούρους
» Ἐγεινάμεθ' αἱ ταλαίπωροι
» Κλεινοτάτους ἐν Ἀργείοις.
» Καὶ νῦν ἄπαις, ἄτεκνος
» Γηράσκω δυστανοτάτως.
» Οὔτ' ἐν τοῖς φθιμένοις
» Οὔτ' ἐν ζῶσιν ἀριθμουμένα
» Χωρὶς δή τινα τῶνδ' ἔχουσα μοῖραν.

Idem autem quod acute excogitauit Graecus hic poëta, in mentem quoque venit noſtro, non minore ingenio, neque doctrina praedito, poëtae Danti, qui, ſi politiore hoc ſeculo natus fuiſſet, vndique cultior & ipſe atque ornatior extitiſſet: obfuit enim ipſi non nihil inſcitia illius aetatis, qua vixit: nec ſiuit ipſum integram abſolutamque ingenij gloriam adipiſci, qua de cauſa etiam putari non poteſt eum ſententiam hanc ab Euripide accepiſſe, ſed naturae ſuae diuinitate, idem quod antea tragicus ille magnus viderat, & ipſum vidiſſe: locus autem hic eſt, cum exprimere vellet ſubitum quendam ingentem metum, qui animum eius occupauit, viſa horribili re, vel potius audito ſermone doctoris ſui, qui timore ipſum impleuerat.

Io non

» Io non morì: & non rimaſi viuo,
» Penſa horamai per te, s'hai fior d'ingegno,
» Qual'io diuenni, d'vno & d'altro priuo.

Magni quondam piratae, Antiates, coacti deſerere artem a Romanis, rogantibus id diligenter Graecis, honoris eorum cauſa.

CAP. XXII.

QVI Antium, non ignobile Italiae oppidum, antiquitus incolebant, in ſtudio non ſatis honeſto, vel turpi potius & iniuſto, verſabantur: piraticae namque dediti erant, & mare propinquum omne infeſtum habebant. cum igitur Graeci crebras ab illis iniurias acciperent, nec poſſent aequo animo id pati, queſti ſunt de his rebus cum ſenatu Romano, in quorum poteſtate, vt reliqua cuncta Italia, ita illi tunc erant, & libere ipſum accuſarunt: docueruntque ſatis acute, rem facere populum illum, quae admirabilis ac valde abſurda foret, & tamen illo ipſo tempore, quo de his factis cum ipſis expoſtularunt, non nullos eorum hominum a ſe captus remiſerunt: dixeruntque ſe illos dono dare reipublicae: nec in eos, quamuis iure poſſent, animaduertere voluiſſe ob cognationem, quam cum ipſis haberent: non tamen ſibi videri honeſtum, vt iidem homines imperium Italiae obtinerent, & in Graeciam praedones mitterent; Praeterea non conuenire, vt cum in foro aedem Caſtoris & Pollucis aedificaſſent: eoſque deos in ſummo honore haberent, quos omnes nautarum conſeruatores nominant, mitterent poſtea in Graeciam, qui patriam eorum diriperent. His igitur argumentis impulerunt ſenatum, vt Antiatibus praeciperet in alio ſtudio: condicioneque vitae occuparentur. Alexander autem prius & poſtea Demetrius reges, vt memoriae mandauit Strabo, huiuſcemodi litteras Romam miſerunt.

Sublatum mendum e primo libro M. Varronis de re ruſtica.

CAP. XXIII.

FVGIT olim me, neſcio quomodo, locus hic maculoſus M. Varronis, cum operae multum dedi ipſi emendando, & nitidiori vndique, ope antiquorum librorum, reddendo, quod arbitror me multis locis, vel infinitis potius, praeſtitiſſe: vbi enim praecipit de inſtrumento fundi, quod ſemiuocale appellauit, ita
» ſcriptum eſt in omnibus excuſis libris, nullo ſenſu. Ea ſola, quae agri colendi
» cauſa erunt, & ſolent eſſe pecuaria, pauca habenda. in cunctis autem calamo exaratis, vt in illo, vetuſtiſſimo omnium & fideliſſimo, pro pecuaria, recte legitur peculiaria: vocat autem pecora peculiaria, quae propria illius agri ſint, & ipſi colendo neceſſaria exiſtimantur. Ex iis autem, quae ſequuntur, perſpicitur hanc veram eſſe lectionem: reddit enim ipſis rationem ſui conſilij. Quo facilius mancipia, quae ſolent, ſe tueri & aſſidua eſſe poſſint: ſi namque multitudo maior pecoris, quam ea quae haberi ſolita eſt, illic aleretur, haec inde incommoda naſcerentur: in illo namque cuſtodiendo & cibo ipſi parando, plures ſerui occupati forent, quare cum definitus eorum numerus ſit, & tantus ſolum, vt fundo colendo idoneus exiſtat, non reſtaret illis tempus ad ſe reficiendos e magnis & continuis laboribus, quos in fundo colendo ſuſtinent: hoc enim exiſtimo valere, quod inquit, tueri ſe, nec poſſent etiam, impediti altera illa cura, aſſidui in opere ſuo eſſe. Haec autem huius loci lectio mirifice probatur Ioanni Caſelio Germano, viro optimo & maximo ingenio: ſingularique doctrina praedito, qui mecum diligenter legit libros hos M. Varronis, cum ambos nos eruditiſſimum hunc: politiſſimumq; ſcriptorem admiremur: nec minus ſtudio, quod tradit agri colendi, delectemur.

Intemptatum dixiſſe Virgilium, imitatione Graecorum, qui ἀπείρατον omne tale appellabant.

CAP. XXIIII.

INTEMPTATVM, quod vocatum eſt a Virgilio, vbi callida conſilia & praeſtigias Caci expoſuit, a Demoſthene ἀπείρατον dictum eſt: idem enim prorſus ſignificare voluit, cum in oratione pro Cteſiphonte de iniuria & importunitate aduerſariorum querens, inquit.
» καὶ οὔτ' ἀπόνοια σωσικλέους, οὔτε συκοφαντία φιλοκράτους, οὔτε διών-
» δου καὶ μελάντου μανία: οὔτ' ἄλλο οὐδὲν ἀπείρατον ἐν τούτοις κατ' ἐμοῦ. Qui autem in aliquo

facto ſe ita gerant, vt quamuis priores doli ac fallaciae ipſis non ſucceſſerint, tamen ſemper noui aliquid experiantur, manifeſto impudentes ſunt ac vecordes, vt improbiſſimus ille mortalia, vel monſtrum potius, Cacus. Eodem argumento, ac verbo quoque vſa eſt apud eundem poëtam Venus, cum Iunonem inſimularet, nec vlli rei parcere ſignificaret, vt perderet Troianos: inquit enim, cum iuſta ira commota quaſi obiiceret id, quod defendi non poſſet, & omnes numeros in te ſaeuiſſimi facti contineret,

Nunc etiam manes (haec intemptata manebat
Sors rerum) mouet, Et quae ſequuntur.

Sed Horatius quoque hoc verbo vſus eſt, cum tamen laudaret eos, qui hoc commiſerant: & honore dignos eſſe, non ignominiae vlli affines, arbitraretur: inquit enim de Latinis hominibus, qui tenerentur ſtudio poëticae.

Nil intemptatum noſtri liquere poëtae,
Nec minimum meruere decus, veſtigia Graeca
Auſi deſerere: & celebrare domeſtica facta:
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas:

Quomodo etiam ſuperius verbum cepit Herodotus in vij. libro hiſtoriarum in longe maiore re exponenda: cum inquam feciſſet Mardonium Xerxi regi Perſarum ſuadere, vt bellum Graeciae inferret: affirmauit enim ille in extremo ſuae orationis, oportere viros omnia experiri in vita, quia nihil boni ſponte ſua ad nos peruenire ſolet, ſed cuncta, quae obtinemus, a periculo illorum impetrandorum facto, exoriuntur, inquit igitur. ἔστω δ' ὦν μηδὲν ἀπείρητον.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXXII.

Erratum Theodori patefactum, in vertendo problemate Ariſtotelis.

CAP. I.

ARISTOTELES ſaepe, dum nititur res aliquas obſcuras aperire, atque ipſis plurimum lucis adferre, vtitur ſimilibus; quae ſimilia, niſi nobis cognita ſint, quod aliquando noſtra culpa contingit, non iuuant, ſed aliquid potius nouae caliginis inducunt. danda igitur in primis opera eſt, vt quaſi oculis videamus rem illam: non ſemper autem id facere poſſumus, valde mutatis tam longo temporis interuallo moribus & inſtitutis mortalium. Sed, vt ad id veniamus, de quo nunc agere volumus, haec verba ſunt Ariſtotelis in primo eorum problematum, quae faciunt ad ſudorem. ὥσπερ τὸ ὕδωρ ἐκ τῆς κλεψύδρας, ὅταν πλήρους οὔσης, ἐπιλάβῃ τις. quaerendum igitur quae nam potiſſimum ſint clepſydrae, quas intelligit: neque enim ipſum arbitror nunc ſignificare vas, quibus horae, ſpatiaq; temporis notantur. vt autem primum oſtendam, quid de hoc ſentio, exiſtimo vocatum quoque fuiſſe a Graecis hoc nomine vas illud, quo mos eſt, hortos irrigare. vt ipſum quoque in conſuetudine veterum illorum fuerit. nam contingit plane in hoc, quod tradit hoc loco Ariſtoteles, vt cum ſuperius foramen latum aliquis digito clauſerit, e tenuibus illis inferioribus foraminibus aqua exire non poſſit: ipſo autem aperto, ſtatim fluit e tenuibus illis aqua, quae rotis ſpeciem habet: & ante oculos ponit hominem corpore ſudantem. Theodorus qui, niſi fallor, in hoc lapſus eſt, ita hoc ſimile expreſſit. Vt in aqua fit vaſis, quod in mare demiſſum, dulcem intra ſe colligit humorem. Solebant ſane nautae aliquanto in magna egeſtate aquae, vas in mare demittere, ſed cereum, quod nulla aperta foramina in ſe contineret. cum tamen cera rara ſit. &, quae fallunt oculos, crebra foramina habeat, ſine ſale, & quaſi purgata aqua per illa ipſa eo penetrabat, qua ſitim lenirent nautae. ſed hoc, vt patet, nihil ad rem.

Explicatus accurate locus Ciceronis, initio II. Philippicae: indicatique pares ipſi duo loci duorum Graecorum oratorum.

CAP. II.

MAGNA vis eſt horum verborum, quae Cicero, vehementer commotus animo, effudit, non longe ab initio ſecundae orationis, quam habuit in M. Antonium. Quid putem? contemptum ne me? non video nec in vita: nec in gratia: nec in rebus geſtis: nec in hac mea mediocritate ingenij, quid deſpicere poſſit Antonius. quis autem non intelligit quam moleſtum & graue ſit ingenuo homini & libero, cum videt ſe contemni: & in eo genere hominum collocari, qui poſſunt ſine vllo metu a quolibet laedi ac violari? Eadem autem ſententia vſus eſt contra C. Antonium & L. Catilinam competitores, vt oſtendit Aſconius, qui haec inde verba citat. Me, qua amentia inductus eſt vt contemneret, conſtituere non poſſum, ſed etiam ſimilitudo quaedam ipſius extat apud Lyſiam, qui in oratione aduerſus ſodales, qui ipſum maledictis prouocaſſent, inquit. καὶ μὴν οὐδὲν οὕτως ἐξώρος, ὡς ἰδεῖν σε εἰκότως ὑπεριδόντα τὴν ἐμὴν ὁμιλίαν. Valet igitur apud ipſum ὑπεριδεῖν, quod apud Latinum oratorem contemnere. nam Demoſthenes, cum idem ſignificare vellet: irritaretque animos ſuorum ciuium, ignominiae inſolentium, in Philippum Macedonem, quem indicat in epiſtola quadam ſua, quam ad populum Athenienſem miſerat, ipſus deſpicere, alio verbo vſus eſt. haec ipſius verba ſunt in oratione de Halonneſo. ἆρ' ὑμῖν δοκεῖ πεφυλαγμένως ἄν πρὸς ὑμᾶς ἐπιστεῖλαι, ἀλλ' οὐ σφόδρα καταπεφρονηκώς; Sed idem etiam ſu-

» pta in eadem re oſtendenda, iiſdem verbis vſus fuerat: dixerat enim [illegible]
» [illegible]. Quod vero in ſuperiore exemplo ſummus orator inquit, [illegible], idem ſignificare volens Terentius, dixit accurare, eum & ipſe aliquo modo doceret ex perſona Simonis, aequiore animo poſſe quempiam ferre, ſi fallatur ab aliquo clam, quam ſi palam: tunc enim plane intelligere poteſt, ſe deſpici: ita igitur il-
» le loquutus eſt cum Dauo. Ita ne tandem idoneus tibi videor eſſe, quem tam aperte fallere
» incipias dolis? Saltem accurate, vt metui videar certe, ſi reſciuerim.

Diſputatio de loco Ciceronis, qui ſimulachrum quod iam caeleſte vocat lupam, cum effigies lupae non videatur in ſideribus collocata.

CAP. III.

M. Cicero, cum in iij. libro de natura deorum, ζῴδια quaedam, vt Graeci ipſi appellant, ſigna vocata a Latinis, nominaret, in illis poſuit lupam: cuius beluae ſimulachrum, effigiemque numquam memini me legiſſe relatam eſſe inter ſidera.
» Verba ipſius haec ſunt. Singulas enim ſtellas numeras deos: eoſq; aut beluarum nomine ap-
» pellas, vt capram, vt lupam, vt taurum, vt leonem. aut rerum inanimarum, vt argo, vt aram, vt coronam. nec tamen me fallit iuniores quoſdam beſtiolam, quam dextra manu tenet Centaurus, exiſtimaſſe eſſe lupum, deceptos nomine Graeco: θηρίον namque ab ipſis vocatur, cum tamen θηρίον omnis belua, experſque rationis animans appelletur, & non fera tantum & immanis. praeterea θηρίον pars ſigni eſt, & non ſignum, quare ſi ipſe quoq; Cicero putaſſet effigiem illam referre lupam, non numeraſſet ipſam in plenis & integris ſignis. hoc autem indicaſſe non alienum mihi viſum eſt. Eodem autem loco illud quoque mihi animaduertendum videtur, quod ἄστρα vocat ſtellas & adiungit etiam ſingulas, cum tamen ſigna cuncta conſtent e pluribus ſtellis: ἄστρονque ſit, ſidus vocatum a Latinis, coagmentatio plurium ſtellarum.

Inuenta apud Homerum locutio frequens in ore medicorum; cunctorumque, qui aliquid proprium eius artis praecipiunt.

CAP. IIII.

Quod medici, illi veteres, paſſim dicunt: & Latini ſcriptores omnes, qui aliquid tradunt, quod ad artem eam faciat, vt iubeant hoc aut illud aegroto dari ex aceto, ex melle, ex vino, ex aqua, vſurpatum antea fuerat ab Homero. vnde multae huiuſcemodi ſermonis concinnitates fluxerunt: apud ipſum enim ita Penelope loquitur in xix. libro Odyſſeae.

» Χαῖρέ μοι κατ' [illegible] πυρὸς ἰδοῦσαν
» Ἐξ ὕδατος. Sed etiam M. Varro in libro iij. de re ruſtica, quo loco praecipit
» quomodo itidem anſeres ali debeant, inquit. Pullis primum biduo polenta aut ordeum ap-
» ponitur; triduo proximo naſturtium viride, conſectum minutatim ex aqua in vas aliquod.
» Plautus quoque in Mercatore, cum Acanthio, cum hero loquens, dixiſſet Tua cauſa rupi ra-
» mices, iamdudum ſputo ſanguinem, ita fecit Charinum ipſi reſpondentem; Reſinam ex melle
» Aegyptiam vorato, ſaluom feceris.

Non penitus vere videri praecepiſſe Virgilium de flore Medicae arboris, ſignumque indicatum, quod declarat eam prorſus eſſe, quam citrium vocamus.

CAP. V.

Virgilius, vbi Medicam arborem deſcribit, quae nunc in multis Italiae locis frequens eſt: perſequiturque omnem hiſtoriam ipſius, de flore non ſatis di-
» ligenter videtur locutus, cum dicat. Flos apprime tenax: duo namque in ea
» ſunt genera florum, valde inter ſe diſcrepantia: alterum namque illorum ſterile & infecundum eſt, quod Theophraſtus vocat ἄγονον: neque enim inde vmquam pomum exiſtit, cum principio careat: videturque ipſum ornatus tantum gratia a natura in ea ſtirpe creatum: alterum vero fecundum, γόνιμον ab eodem appellatum, contrarium multis partibus illius. qui ſane flos firmus illic eſt & ſtabilis. quare recte vocatus eſt tenax a poëta, quod ἐπέχειν illi alteri nullo modo quadrat. Auxilio autem horum, diuerſorum inter ſe florum, certo tenetur, quae ſit arbos, quam antiquitus Medicam vocabant. Quare miror Athenaeum,

Macrobium, ceteros, qui de hoc ſedulo quaeſiuerunt: at multa vndique teſtimonia citarunt, vt probarent, quod oſtendere volebant, malum Medicam eſſe citrium, hoc firmo argumento vſus non eſſe: nam arbos eiuſdem generis, quam nos a colore pomorum malum rancium vocamus, flores omnes ſimiles inter ſe habet: & qui idonei ſint, niſi aliquid obſuerit, fructui ferendo. Addam autem hic, non alieno loco, quod mihi non ſine cauſa (vt arbitror) negotium exhibet apud Plutarchum, vt tota res accurate ponderetur: vbi enim ille in v. libro συμποσιακῶν quaerit, cur Homerus malum arborem potiſſimum vocarit ἀγλαόκαρπον, narrat, cum in cena doctorum virorum ſermo de hoc incidiſſet, Tryphonem quendam medicum dixiſſe, ita fructum hunc vocatum fuiſſe, ideſt laetum & ſpecioſum, ex collatione ipſius ad arborem, quae, cum valde puſilla ſit & aſpectu tenuis, pomum formoſum & amplum gignit: fructus ſane mali ſimpliciter appellatae, pulcher eſt: nec vllo modo exilis; ſed tamen arbor ipſa humilis & tenuis non eſt: taliſque demum vt mirari debeamus eam tam honeſtum & grandem fructum ferre: quare venit mihi in mentem aliquando ſuſpicari, Tryphonem Medicam hanc malum intellexiſſe: de illa namque hoc vere proferretur: nulla enim fortaſſe tam humilis ſtirps, tam ſpecioſum: & tam amplum fructum fert: & ſane (vt veteres grammatici volunt) cognorat arborem Medicam poëta, quamuis alio nomine ipſam appellarit, ideſt θύον: haec enim ipſius verba ſunt, vbi de inſula Calypſonis loquitur. θύον δ' ἀπὸ καλὸν ὀδώδει. Sed tamen videtur huic opinioni repugnare, quod pomum Medicae mali, ſua ſponte formoſum eſt ac valde quidem formoſum, vnde Athenaeus tradit, veteres illos minime ſolitos id comedere, ſed domi tamquam pulchrum quiddam & ſpectaculo dignum, tenere.

Vetus quaeſtio de loco Euripidis ex Oreſte, renouata: opinioque prior auctoris non negligenter confirmata.

CAP. VI.

ΑΚΡΑΣ τρίχας valere apud Euripidem in Oreſte partem illam capillorum, quae capiti haeret: non ſummam ipſorum partem, ſi quis accipiat ita ſummam, quaſi terminum ipſorum, & quantum denique illi creuerunt, hoc etiam non malo, vel ſolido potius huius rei argumento intelligi poteſt: Sophocles enim in Electra eodem pacto locutus eſt, cum eandem rem exponeret: fideliterque ipſam commemoraret: neque enim illic dolus eſſe poterat, ſuſpicioue fallaciae vlla manebat. Quo igitur loco eadem, magni animi virgo, ſororem Chryſothemin alloquitur: rogatque vt abiſciat quae ſepulchro Agamemnonis munera dederat ipſi nefaria mater ferenda: proque caeſarie Clytamneſtrae iubet ipſam portare ſuam ipſius comam, integram & ad cutem vſque detonſam: hoc enim pietas hortabatur: pollicetur que etiam ſuam illi ſe daturam, iiſdem paene verbis vſa eſt, quibus ſuperiore in loco alterius poëtae: hoc certe, de quo lis eſt, idem prorſus eſt. inquit igitur.

Σὺ δὲ
Τεμοῦσα κρατὸς βοστρύχων ἄκρας φόβας
κἀμοῦ ταλαίνης, σμικρὰ μὲν τάδ', ἀλλ' ὅμως
ἅ'χω: δὸς αὐτῷ τήνδ' ἀλιπαρῆ τρίχα

Non igitur, vt putarunt qui contrarium ſenſum inde eruerunt: ipſumque defendere omnibus viribus conati ſunt, ſi ad cutem totondiſſe Helenam capillum ſignificaſſet, dicturus fuiſſet, οἱ χαῖ aut οἱ ἄχθη, ſed quemadmodum locutus eſt, cum appareat Sophoclem, etiam ipſum politiſſimum ſcriptorem & ciuem Atticum, eodem pacto locutum eſſe. Qui autem rem ipſam ſibi ante oculos propoſuerit; & quomodo comae ſtent in muliebri capite attenderit, facile, vt opinor, veritatem huius quaeſtionis videbit: apparebunt enim illae propter longitudinem valde pendere, ac paene terram attingere. quare merito vertex, vnde illae cadunt, ſumma ipſarum pars, excelſaque dici poteſt: contraque non male etiam vocaretur altera pars ima atq; humilis. Hoc autem eſt, niſi fallor, quod omnem ſcrupulum euellit & veritatem ipſam aperit. Nec tamen inficiatur, quod ad vim notionemque verbi facit, aliquo modo poſſe etiam vocari ἄκρας τρίχας, vt nos quoque vulgo loquimur, aciem capillorum & ſane futuram ſummam extremamque partem, vt videtur cepiſſe Sophocles in Oedipo Coloneo, cum metum oſtendere vellet, excitatum ob ingentem ſonitum: inquit enim.

ἴδε μάλα μέγας ἐρίπεται
Κτύπος ἄφατος ὅδε
Διόβολος. ἐς δ' ἄκραν
Δεῖμ' ὑπῆλθε κρατὸς φόβαν

Sed cogitare oportet cum hoc contingit, ſtare capillos horrereque, non cadere & deorſum ferri. quare tunc pars illa non ſine cauſa ſumma celſaq; vocatur: eſt enim ſublimior, atq; elatior.

De caſeo, ὀπίας vocato: eundemque ab eadem re, ſed nomine alio nuncupatam, appellatum κραδῖον.

CAP. VII.

CASEVM ὀπίαν vocauit Euripides, a ſuco, vnde in ipſo faciendo lac coiiſſet, non qui alia vlla re diuerſus foret. e fico autem potiſſimum ſucus ille erat. apud hunc igitur poëtam ita loquitur Cyclops, ſuas diuitias commemorans, in tabula, cui ipſe nomen dedit.

Καὶ τυρὸς ὀπίας ἔστι καὶ βοὸς γάλα. Cum vero non huius tantum arboris ſucus ὀπὸς appelletur, ſed aliarum etiam, vt herbarum quoq; non nullarum, hoc ipſo, quem oſtendi, vti paſtores conſueſſe docet M. Varro in extremo libro de re pecuaria his verbis, quae ipſe olim, cum admodum corrupta forent, emendaui: & in eo loco reſtituendo citaui ſuperiorem Graeci tragici verſum. Alij pro coagulo addunt de fici ramo lac, & acetum aſpergunt. Item aliis aliquot rebus, quod Graeci appellant alij ὀπὸν: alij δάκρυον. Addere autem nunc libet, videri eundem caſeum vocatum κραδαῖον ab eadem re, ſed vocabulo alio. nam κράδας Attici ſcriptores vocabant (niſi fallor) cacumen rami, ſurculumque fici, vnde maior vis copiaq; ſuci flueret, ita autem partem illam pluribus locis vocauit Theophraſtus. Heſychius vero eſt, qui in ſuo lexico teſtatus eſt, ita vocatum genus quoddam caſei: inquit enim κραδαῖος τυρὸς, ὁ ὑπὸ τῷ ὀπῷ τῆς κράδης παγείς. Nec tamen me fallit Interpretem Ariſtophanis putare κράδην eſſe fici ſpeciem, vbi declarat locum hunc eius poëtae e Veſpis: in quo mentio eſt caſei, opiae vocati. ὀπίαν δ' ὡς ἐν χειμῶνι.

Declaratum, M. Varronis locum, nihil ſane vitij continentem, poſſe tamen aliter legi ex veſtigiis veteris lectionis.

CAP. VIII.

NON reprehendo, quae nunc videtur probari omnibus, lectionem; & quam ipſe etiam olim recepi: & nunc quoq; non damno, ſed tamen quid in antiquiſſimo libro offenderim, quod tunc reticui, & quo coniectura ferat, indicare nunc volo: cum enim ita hic locus M. Varronis e libro de re pecuaria, legatur in excuſis, Et veteres poëtae, qui alios vocant πολύαρνας: alios πολυμήλους: alios πολυβούτας, & quae ſequuntur, vetuſtiſſimum & optimum exemplar pro πολύαρνας, habet polyrnas. in quo iuncto nomine aperte eſt aliquid mendi. videndum igitur puto, an πολύρρηνας legi debeat; ita namq; vocati ſunt, qui habent multas oues: ῥῆνα enim in vetere Graeco ſermone appellabantur, quae poſtea vocata ſunt πρόβατα: nec tamen me fallit Homerum appellaſſe πολύαρνας diuites, vt vbi de ſceptro Agamemnonis loquitur: inquit enim ipſum Atreum reliquiſſe πολύαρνι Θυέστῃ. ſed cum e veſtigiis illis verae lectionis erui poſſit vtrumque nomen, placuit mihi hoc admonere: ex polyrnas enim, ſiquis poſt r duplicatum ponat e fiet polyrrenas, non minus quam ſiquis ante eandem litteram reponat a: eadem enim fere licentia vtrumque ex manca illa & mutilata voce effici poteſt. quin autem hoc quoq; nomine vocarint ea aetate diuites, dubium non eſt: idem enim princeps omnium poëtarum facit Agamemnonem hunc verſum pronuntiaſſe, cum praedicaret bona trium illorum oppidorum, quae ſe daturum Achilli pollicebatur, dotis nomine. ἐν δ' ἄνδρες ναίουσι πολύρρηνες, πολυβοῦται.

Acutae duae rationes excogitatae ad frenanda furta ſeruorum.

CAP. IX.

PLVTARCHVS in vij. libro συμποσιακῶν, dum morem quendam veterum illorum Romanorum hominum explicaret, meminit nouae cuiuſdam & callidae rationis, quam, cum fruſtra multa alia temptaſſet, excogitauit Polycharmus quidam ad cohibenda furta ſeruorum, quos domi haberet: cum enim ſaepe cognoſſet illos e lucernis extinctis oleum ſurripere, non poterat furti illos conuincere: dicebant enim aut nihil aut parum olei reliquum illic fuiſſe tunc, cum illae extinctae fuere. coepit igitur ipſe, ne poſſent eo confugere, ſtatim vt extinctae lucernae forent, ipſas implere, ne dicerentur, quae plenae inuentae forent, inanes relictae fuiſſe, cum lumen extinctum eſt. quia igitur facit ad tuendam rem familiarem, & nouum quoddam, ſatiſque acutum repertum eſt, libuit ipſum adnotare: nec non quia ſimile quoddam, & quod eodem protſus ſpectaret, narrat Q. Cicero in epiſtola ad Tironem, matrem ſuam facere ſolitam: illa enim lagoenas inanes obſignabat, ne dici poſtea poſſent inanes fuiſſe, quae furtim eſſent exſiccatae. ambo igitur hi idem animo vide-

runt

runt: nec tam conati ſunt primo furta coërcere, quam ne purgare ſe poſſent, qui manus non abſtinuiſſent, efficere: ita enim ſperabant eos magis in officio futuros: magiſque ſibi a furtis temperaturos. nam non eandem materiam, liquoremque, eadem ferme ratione ambos ſeruare ſtuduiſſe, apertum eſt: in lagoenis enim vinum condebatur, vt teſtimonio hoc etiam Plauti declaratur. qui in Curculione inquit. Quaſi tu lagoenam dicas, vbi vinum ſolet chium eſſe. index capitis, vnde id cepimus, eſt apud Plutarchum. Non paſſos eſſe priſcos R. menſam inanem tolli & in qua prius lucerna extincta foret. cuius veteris inſtituti meminit quoque Plinius.

Non habuiſſe veteres Latinos, vt nos habemus, duo nomina, quibus oſtenderent in oleis, quod in ceteris ſtirpibus florere vocamus.

CAP. X.

IN noſtro patrio ſermone duo verba habemus, quibus oſtendimus, poſſe nos non ſine cauſa ſperare olearum eo anno vbertatem futuram. cum ſcilicet contingit in arboribus ipſis, quod appellamus mignolare, & cum eaſdem poſtea bene defloreſcere dicimus. Eſt igitur apud nos diſtinctum florere ab eo, quod vocamus mignolare: prius enim fit in oleis, quod hoc verbo appellamus, quam ipſae florere incipiant, vt nos capimus in ipſis hoc verbum florere. nec tamen duobus nominibus vtimur in floribus vlli s aliarum arborum notandis, ſed vno tantum contenti ſumus. cum attenderim autem, non inueni duobus vti ſolitos in olea etiam Latinos, vt ex ſcriptis, quae reſtant, intelligere licet: dicunt enim ſemper florere: nec geminos illos quaſi ſtatus, in floribus, duobus diuerſis vocabulis oſtendunt. nos vero florere oleas dicimus, cum copia baccarum ea, quam vocamus mignia, aperta eſt: tunc enim magis refert florem: ſpeciemque ipſius maiorem praebet. M. certe Cicero (vt opinor) eo verbo vſus eſſet, ſi ipſi habuiſſent, cum in primo libro de diuinatione de Thalete inquit. Omnem oleam, ante quam florere coepiſſet, in agro Mileſio coëmiſſe dicitur: exiſtimo enim ipſum intelligere voluiſſe, quod nos dicimus mignolare. nec tamen hoc etiam ipſum certum ſignum eſt: contingit enim aliquando id: vel ſaepe potius, nec tamen baccae ſequuntur. ſed neq; etiam flos ipſe eſt ſatis certa nota: tunc enim agricolae melius ſperare incipiunt, cùm flores perforati cadunt. quare non omnino recte Cicero inquit in ij. eorundem librorum. Vt agricola, cum florem oleae videt, baccam quoque ſe viſurum ſperat: potius enim recte deflorere, quam florere ipſum, baccarum futurarum ſignum eſt. quod teſtatur etiam Theophraſtus: affirmatque ſui quoque temporis ruſticos, vt noſtri faciunt, eo ſigno vti ſolitos. eius autem haec verba ſunt in primo libro de ſtirpium hiſtoria. ἐν ἀμπέλοις ἐν ἐλαίᾳ. ἃς καὶ διαπίπτοντα διατετρημένα φαίνεται. καὶ τοῦτο σημεῖον λαμβάνουσιν, εἰ καλῶς ἀπήνθηκε: ἐὰν δὲ συγκαυθῇ ἢ βρεχῇ, συναποβάλλει τὸν καρπὸν καὶ οὐ τετρημένον γίνεται. eſt autem διατετρημένον ἄνθος, flos, quem ipſe quoque vocaui perforatum. Quod vero doctiſſimus ſcriptor inquit, συγκαυθῇ, oſtendens alterum eorum, quae laedunt flores, idem malum ſignificare volens Horatius in epiſtola ad Celſum, dixit: oleamque momorderit aeſtus. In ode vero quadam, quod fecit illic Theophraſtus, ambo coniunxit, quae interitum afferunt floribus, ita canens. Fundusq; mendax arbore nunc aquas Culpante; nunc torrentia agros, Sidera. Non tamen illic de olea tantum poeta loquitur, ſed de omni arbore, vt apparet, qui etiam tertiam quandam cauſam affert interitus ipſarum. idest hiemes iniquas. Superius incommodum videtur Aeſchylus in Eumenidibus φλογμὸν vocaſſe, cum ita induxit deas illas, vltrices ſcelerum, loquentes, optabant autem eo tempore omnia bona agro Attico. Δενδροπήμων δὲ μὴ πνέοι βλάβα, τὰν ἐμὰν χάριν λέγω. φλογμούς τ' ὀμματοστερεῖς φυτῶν. & quae ſequuntur.

Emendati duo loci coniectura e libro M. Varronis de villaticis paſtionibus.

CAP. XI.

SVSTVLI olim multa & magna menda e libris M. Varronis de re ruſtica, auxilio vetuſtiſſimi libri, ſed quia nullum eſt tam antiquum & fidele exemplar, in quo non aliquid maculae reperiatur, cum poſtea eoſdem libros diligenter legerem, notaui quaedam, quae mihi videntur correctione adhuc egere: & tamen in illo quoque exemplari (niſi fallor) corrupta ſunt. vnum eorum hoc eſt: vbi de rebus diſſerit, quae ſunt adfictae villae: cum enim illic legatur in omnibus libris. Leporaria te accipere volo, non ea, quae tritaui noſtri dicebant, vbi ſoliti lepores ſint, ſed omnia ſepta adficta villae quae ſunt. puto enim hic pro ſoliti, vna minus ſyllaba: atque ea quidem extrema, legi debere, ſoli. quod ex contrario perſpicitur, infra poſito. id eſt omnia. praeterquam quod illo modo non eſſet plena oratio. Additur his argumentis teſtimonium A. Gellij, qui in ij. li-

bro

bro cap. xx. vbi docet accurate, nouum verbum eſſe vinaria, & a nullo veterum vſurpatum, po-
nens hoc exemplum Varronis, & ipſe ita legit. Eodem pacto vereor, ne erratum ſit in his ver-
» bis, quibus dignitatem pecori comparare vult, vt toto illo capite. Et quod nomina multa ha-
» bemus ab vtroque pecore. a maiore & a minore. A minore Porcius, Ouinius & Caprarius.
» ſic a maiore. Equitius, Taurus. ipſe ſane arbitror Taurius hic, non Taurus legendum; pla-
num enim eſt nomina familiarum deſinere plerumque in ius: illud autem cognomen fuiſſe,
non nomen, de quibus cognominibus, ab iiſdem rebus ductis, poſt id verbum, ipſe ſedulo diſ-
» ſerit: in aliiſque non nullis hoc etiam ipſum ponit: inquit enim. Cognomine a ſignificati di-
» cuntur, vt Annij Caprae, Statilij Tauri, Pomponij Vituli: & a pecudibus alij multi.

Ventidium, illuſtrem ducem, qui mulio ab aduerſariis vocatus fuit,
videri Etruſcum fuiſſe.

CAP. XII.

VENTIDIVS ille, cuius poſtea nomen valde clarum & illuſtre fuit, ita obſcurus
primo erat, vt vix patria ipſius, locuſque, in quo natus foret aut ne vix quidem,
ſciretur. Quidam enim Picentem eum faciebant: alij Sabinum. ipſe videor mi-
hi e Cicerone elicuiſſe, ipſum Etruſcum fuiſſe: nec tamen ille propriam ipſius ſe-
dem oſtendit: neque etiam aperte regionem. Locus eſt, vnde mihi ſuſpicio haec,
» tenuis quidem illa, orta eſt, in xij. Philippica: inquit enim in ea Cicero. Dic mihi praeterea
» Panſa, Ventidius vbi ſit? cui ſui ſemper amicus, & quae ſequuntur. loquitur autem de Caſſia
via, quae Etruriam diſcriminabat, vt ipſe paulo ſupra, loquutus eſt. ſignificare igitur his verbis
videtur, Ventidij domum in ea via eſſe: aut non valde remoto loco ab ea. quare ſe tuto non
poſſe illac tranſire. Eodem enim pacto ſupra dixerat de Ceſenio Lentone, inimico itidem ſibi
» homine, quem ſine vlla dubitatione facit Etruſcum: haec enim ipſius verba ſunt. Scimus ne
» igitur Panſa, quibus in locis nunc ſit Lentonis Ceſenij ſeptemuiralis auctoritas? nobiſcum nec
» animo certe eſt, nec corpore. ſi autem aut domi eſt, aut non longe a domo, certe in Etruria
» eſt, id eſt in via. Quae A. Gellius, qui Picentem ipſum facit, plena admirationis de Ventidio
Baſſo, memoriae prodidit, ſatis omnibus nota ſunt. Cum autem Caſſiae viae mentio facta ſit,
non alienum puto affigere hic veterem memoriam, quam ignotam prius, licet in aperto loco, &
ante oculos omnium poſitam, primus notauit & ad nos miſit Onufrius Panuinus, omnis an-
tiquitatis valde peritus, & horum monimentorum, e tenebris eruendorum, ſtudioſiſſimus, cum
Romam rediens e Gallia Ciſalpina, montem Politianum acceſſiſſet: in ea enim vrbe in publico
poſita eſt columna, in qua haec inciſa ſunt, ſed non nullis locis vetuſtate, & aliis iniuriis exeſa
& conſumpta. Contigit igitur in hac re nobis, neſcio quomodo, quod Cicero narrat Syracuſa-
nis, ſe quaeſtore, vſu veniſſe, vt cum ignorarent ſepulchrum Archimedis, ſui ciuis, acutiſſimi
viri, illud ab Arpinate homine ipſis monſtraretur: ita cum hoc monimentum, quod aliquid va-
let ad priſcam dignitatem noſtrae ciuitatis teſtandam, multis modis certam, non animaduer-
ſum adhuc a nobis eſſet, primum a Veronenſi homine ipſum diſceremus. Sed cum multo plu-
ra ille & maiora, ſedulitate ſua & induſtria comparaſſet quae mirifice profutura eſſent cupidis
veterum inſtitutorum intelligendorum: illaq; in animo haberet cito edere, haec praeclara ipſi-
us voluntas, contentioq; vehemens iuuandi mortales, in medio curſu, morte hominis, fracta eſt.

IMP. CAESAR
DIVI TRAIANI
PARTHICI FIL
DIVI NERVAE NEP.
TRAIANVS HADRIANVS
AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. VII COS. III
VIAM CASSIAM
VETVSTATE COLLABSAM
A CLVSINORVM FINIBVS
FLORENTIAM PERDVXIT
MILIA PASSVVM
. . . .
XXCL.

Ciceronis locus explanatus, quem interpunctiones, non ſuo loco poſitae, perturbabant.

CAP. XIII.

MALE diſtincta ſunt interpunctionibus haec verba primae Philippicae, in editione etiam Faerni. Denuntio vim, arma remouete. ita autem (niſi valde fallor) interpungi illa debent. Denuntio vim, arma: remouete. Neque enim auctor erat Cicero patribus C. vt arma remouerent. quae arma, quod incommodi ac mali in ea re moliri poterant, iam effecerant. ſed vt remouerent leges eas, per vim latas. Eodem autem pacto ſupra quoque locutus fuerat, vt in excuſis quoque libris legitur.. Demonſtro vitia tollite. vt ambae periodi deſinant in vno tantum verbo. tollite ſcilicet & remouete. Praeterea ſupra quoque coniunxit eadem verba, vim inquam & arma. vbi inquit. Quo iure? an eo, quod vi & armis omne ſublatum eſt? ac multo quoque infra. vbi docet nullam cauſam M. Antonium habuiſſe reſtituendi Licinium Denticulam, de alea condemnatum. Vi oppreſſum & armis. Hoc ego, ſi non omnino magnum, quod tamen in ſcriptis tam elegantis auctoris turpe ac moleſtum eſſet, cum multo antea adnotaſſem, vidi poſtea Michaëlem Brutum, magno ingenio, & doctrina praeditum virum & ipſum correxiſſe in illa ſua editione harum orationum, quas (vt mos eſt) in tres partes diſſectas miſit amanter, nec ſine iudicio, ad tres nobiles & eruditos adoleſcentes, Iacominios fratres, affines meos, quos tamen ego non minus ob ſingularem probitatem, & ſpem egregiam, quam de ſua virtute excitarunt, quam ob ſocietatem ſanguinis diligo, & opera ſtudioque meo in ſcientia bonarum artium foueo & orno.

Mos diſputandi, ortus a Chryſippo, cuius meminit Cicero, monſtratus apud Graecos auctores.

CAP. XIIII.

QVOD a M. Cicerone in Lucullo traditum eſt, de more inſtitutoque Stoicorum in diſputando, qui cum metuebant ne aliquid fallaciae captioniſque foret in interrogatione, ſoliti erant quieſcere, auctore eius conſilij Chryſippo, inuentum quoque eſt a me apud Graecos auctores. verba ipſius Ciceronis haec ſunt. Placet enim Chryſippo, cum gradatim interrogetur. verbi cauſa, tria pauca ſint, an ne multa, aliquanto prius quam ad multa perueniat, quieſcere, id eſt, quod ab his dicitur, ἡσυχάζειν. per me ſtertas licet inquit Carneades, non modo quieſcas. & quae ſequuntur. Primum igitur Sextus eandem paene rem his verbis exponit. φασὶν οἱ περὶ χρύσιππον, ὅτι ἐπ' ἂν ὁ σωρείτης λόγος ἐρωτᾶται ἐν διαφορᾷ, ἵσταται ὁ σοφὸς καὶ ἡσυχάζει ἐφ' ὧν δὲ πλείων προκόπτει, τούτοις συγκατατίθεται τῇ ἑτέρᾳ, ὡς ἀληθεῖ. Deinde Plutarchus in libro aduerſus Coloten epicureum, vbi inquit, ſubtiliter diſputans contra illum ipſum: ὁ δὲ μὴ τιθεὶς, μηδ' ἀρνούμενος, ἀλλ' ἡσυχάζων, καὶ τῷ τιθέντι τὴν δόξαν ὅλην μάχεται τοῦ ἀρνουμένου καὶ τῷ ἀρνουμένῳ τοῦ τιθέντος. Sed etiam Simplicius in commentariis in Categorias hanc conſuetudinem tangit. qui inquit. διὸ καὶ ἐν τοῖς παρωνύμοις συλλογισμοῖς ἡσυχάζειν οἱ διαλεκτικοὶ παρακελεύονται, ἕως ἂν ἐπ' ἄλλο σημαινόμενον ὁ ἐρωτῶν μεταγάγῃ τὸ ὄνομα.

De inſtituto Athenienſium, valde diuerſo a noſtris moribus, in puniendis illis, qui alienam vxorem conſtrupaſſent.

CAP. XV.

EX oratione Lyſiae erutum, libet mihi adnotare Athenienſes maiore poena ſolitos afficere illos, qui alienam vxorem pretio aut illecebris corrupiſſent, quam qui eaſdem vi adhibita, violaſſent. illos enim morte multabant: hos vero dupli poena afficiebant, damnum quod illatum eſſet aeſtimantes. ita autem ſubtilis orator conſilium eorum interpretatur: putatque eos hoc ſecutos fuiſſe: qui enim vim mulieri adhibuerunt odio habentur ab illis, quas violarunt: contra autem qui ad ſtuprum pellexerunt, animos etiam corrumpunt earum, quas ſibi conciliarunt. atque ita quidem corrumpunt, vt ſibi ipſas magis beneuolas quam viris reddant, vnde omnis viri domus in manu & poteſtate adulteri ſtatim ſit. Hoc autem verum eſſe, atque ita prorſus ſe habere, non alienum eſſe arbitror claro exemplo demonſtrare. & ſi factum improbiſſimum Clytemneſtrae ſatis ſuperque poteſt id comprobare, quae coniugem, clariſſimum virum, necauit & filium

etiam interficere conata eſt. exemplum autem, quod intelligo, eſt id, quod accurate proditum memoriae fuit a Tacito, prudentiſſimo ſcriptore, initio quarti libri hiſtoriae de Seiani adulterio, Liuiae oblato. verba ipſius ponam, quae totam rem non ſine diligenti ſingularum partium animaduerſione commemorant. inquit igitur, cum Seianum appellaſſet, qui iniuriam acce-
» ptam a Druſo vlciſci cupiebat. Igitur, cuncta temptanti, promptiſſimum viſum ad vxorem
» eius Liuiam conuertere, quae ſoror Germanici, formae, initio aetatis, indecorae, mox pul-
» chritudine praecellebat. Hanc, vt amore incenſus, adulterio pellexit: & poſtquam primi fla-
» gitij potitus eſt: neque femina, amiſſa pudicitia, alia abnuerit, ad coniugij ſpem, conſortium
» regni, & mortem mariti impulit.

Circumuallare apud Terentium, exprimere, quod Graecis eſt περιστοιχίζεσθαι.

CAP. XVI.

TERENTIVS, cum, verbo translato vtens, inquit. Tot me vndique circum-
» uallant incommoda, expreſſit vt arbitror, quod apud Graecum comicum erat, περιστοιχίζεται: id enim proprie eſt circumuallare: in caſtris enim muniendis certo quodam ordine & e regione collocabantur valli. Graeco ipſo verbo eodem paene modo vſus eſt Demoſthenes in prima Philippica, cum ciues ſuos excitare niteretur, monſtraro illis magno malo, quod ipſis impenderet: inquit enim de Philippo rege.
» καὶ κύκλῳ πανταχῇ, μέλλοντας ἡμᾶς καὶ καθημένους, περιστοιχίζεται: Maiores noſtri, cum operibus cingere oppidum aliquod ſignificare volebant, Graeco verbo vtebantur. quod in patrium noſtrum ſermonem tranſiit: dicebantque ſteccare. hoc autem crebrum eſt in noſtris hiſtoriis. vnde orta eſt vox illa, acuta ſane, ſed ſcurrilis, & quae flagitium eius non texerit, Lupi, quae celebratur: cum enim ipſe, praefectus oppidi, videret ſe ita claudi ab hoſtibus aggere ac vallo, timidus homo & ignauus, ſubito caſtellum tradidit, dicens naturam lupi non ferre, vt in clauſis, ſeptiſque locis maneat.

Indicata duo loca Demoſthenis, quae videntur inter ſe repugnare.

CAP. XVII.

NON idem duobus locis de eadem re videtur dicere Demoſthenes, quae tamen tempore immutari variarique non potuerit, cum facta iam praeteritaque forent in ij. enim nunc vocata Philippica oſtendit Philippum Macedonem, cum decepiſſet Theſſalos, ſuaſque ipſis leges & libertatem ademiſſet, quos antea coeperat ornare, impoſuiſſe illis x. viros, qui rem publicam eorum, vt ipſi commodum eſſet, gubernarent. in iij. vero, cum eandem in illos iniuriam Philippi, fraudemque exponeret, tradit quattuor fuiſſe illos, impoſitos itidem ab eodem, qui ſummam apud eos, voluntate ipſius,
» poteſtatem habuerint. prior eorum locorum hic eſt. τί δὲ οἱ Θετταλοί; ἆρ' οἴεσθ', ἔφην, ὅτε αὐτοῖς τοὺς
» τυράννους ἐξέβαλλε, καὶ πάλιν Νίκαιαν καὶ Μαγνησίαν ἐδίδου, προσδοκᾶν τὴν καθεστῶσαν νῦν δεκαδαρχίαν ἔσεσ-
» θαι παρ' αὐτοῖς; planum autem & exploratum eſt δεκαδαρχίαν eſſe dominationem x. virorum. & cum paruus ille numerus vniuerſam aliquam gentem aut ciuitatem regit. poſterior vero hic.
» ἀλλὰ Θετταλία πῶς ἔχει. οὐχὶ τὰς πόλεις καὶ τὰς πολιτείας αὐτῶν παρῄρηται καὶ τετραδαρχίας κατέστησε παρ' αὐτοῖς? multo minorem igitur fuiſſe tradit numerum eorum. nunc videndum igitur quomodo hoc manere poſſit: ne cogamur dicere, ſummum & accuratum in primis oratorem in re tanti ponderis, ſibi ipſi aduerſari. Harpocration in libro, quo explicat voces Atticorum oratorum, alterum hunc locum teſtem citat. Lacedaemonios vero tradit eos fuiſſe, qui ſoliti eſſent creare δεκαδαρχίαν in oppidis ac nationibus, a ſe ſubactis. In coloniis autem & municipiis Romanorum magiſtratus creabatur, qui fere ex minore eo numero hominum conſtaret. vnde M. Cicero epiſtolam ſcripſit iiij. viris & Decurionibus Fregellanis: & in epiſtola itidem ad Atti-
» cum de M. Antonio, inquit. Euocauit litteris e municipiis decem: & iiij. viri venerunt ad vil-
» lam eius: in lapide tamen, qui non multo ante in vinea fodienda Praeneſte e terra erutus eſt, cum decuriones & populus appellentur, non nominantur iiij. viri, vt vides: hic enim inſcriptionem eam ponere volui, miſſam ad nos ab Iulio Columna, Stephani, fortiſſimi ducis filio, vetere ac certo iure domino eius vrbis.

SECVRITAT. AVG.
SACRVM
DECVRION. POPVLVSQ.
COLONIAE PRAENESTIN.

Correctum

Correctum ſcripturae vitium in commentariis de bello Gallico.

CAP. XVIII.

DIu fui huius opinionis: exiſtimauique locum, quem nunc corrigere temptabo, depravatum eſſe in iiij. commentario C. Caeſaris de bello Gallico: vbi enim fabricam pontis, quem fecit, Rhenum tranſiturus, exponit, ita haec verba in omnibus, quos vidi, libris, leguntur. Ac nihilo ſecius ſublicae ad inferiorem partem fluminis obliquae adigebantur. quae pro ariete ſubiectae & cum omni opere coniunctae, vim fluminis exciperent: & aliae item ſupra pontem mediocri ſpatio, vt ſi arborum trunci, ſiue naues, deiiciendi operis cauſa, eſſent a Barbaris miſſae, his defenſoribus earum rerum vis minueretur. arbitror igitur illic legi debere pro pariete, loco illius, pro ariete: neq; enim video quem locum hic aries habere poſſit. cum parietem contra appellet, ſiue potius inſtar parietis fuiſſe dicat, ordinem illum ſublicarum, qui parietem referebat. quia pontem defendebat a duabus rebus, quae contrariis in locis ipſum labefactare poterant. parietem vero huic rei efficiendae idoneum eſſe apertum eſt. ſi vna igitur tantum littera illi nomini praeponatur, locus (niſi fallor) reſtitutus eſt. Huic veteri coniecturae meae, quae ſine alio firmamento, non tenuis, neque imbecilla viſa fortaſſe foret, additum poſtea eſt teſtimonium grauis auctoris, qui & ipſe eodem pacto, in re ſimili tradenda, locutus eſt: M. enim Varro in iij. libro de re ruſtica, cum ornithonem ſuum deſcriberet, inquit. Inter columnas exteriores pro pariete reticuli e neruis ſunt vt perſpici in ſiluam poſſit & quae ibi ſunt, neque auis ea tranſire. Intra interiores columnas pro pariete rete auiarium eſt obiectum. duobus igitur vicinis locis eundem dicendi modum vſurpauit: quod arguit ita ſaepe Romanos homines loqui ſolitos: vocat autem reticulos e neruis ea ea materia confectos, quam nos vulgo minugia appellamus. qui tamen potius nunc ipſos e ferro aereque facimus: rete vero auiarium e lino, qualia retia ſunt, quibus aues capimus.

Defenſa communis lectio in epiſtola M. Ciceronis ad Q. fratrem, a non nullis ſine cauſa reprehenſa: eademque explicata.

CAP. XIX.

PLVRIMVM negotij exhiberet accurato lectori, qui rem totam non noſſet, locus hic Ciceronis in epiſtola quadam ad Q. Fratrem, in qua de ſcriptis Philiſti diligenter loquitur, ac quid ſui iudicij ſit de omni hiſtoria ipſius oſtendit. Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis, paene puſillus Thucydides: ſed vtros eius habueris (duo enim ſunt corpora) an vtroſque, neſcio. me magis de Dionyſio delectat: ipſe eſt enim veterator magnus, & perfamiliaris Philiſto Dionyſius. Vnde fuere, qui putarent ſuperuacaneam eſſe, & tolli debere praepoſitionem de, cum tamen illa eo loco neceſſaria ſit. cum autem perierit Philiſtus, neq; poſſit inde accipi veritas huius facti, Dionyſius Halicarnaſſeus omnem caliginem diſiicit: in epiſtola enim ad Cn. Pompeium, in qua ille exiſtimat de antiquis oratoribus atque hiſtoricis, de Philiſto Syracuſio ita loquitur: traditque ipſum hiſtoriam ſuam diuiſiſſe in duas partes, quae diuerſis indicibus notarentur: prior enim de Sicilia inſcripta erat, poſterior vero de Dionyſio: hoc igitur eſt, quod ſignificauit Cicero cum inquit. Me magis de Dionyſio delectat: alterum ſcilicet corpus, in quo de Dionyſij rebus geſtis egerat. vnde ab ipſo vocari voluit, vt magis caperet animum illius. Mentionem feciſſe Philiſti M. Ciceronem pluribus etiam aliis locis, notum eſt: nec ſolum in his ipſius libris, qui ſuperſunt: verum etiam in illis, qui amiſſi ſunt, vt indicio Nonij cognouimus.

Non omnes antiquitus principium feciſſe ſignorum enumerandorum arietem, quem tamen ipſorum ordinem nos hodie ſequimur.

CAP. XX.

PRVDENTER M. Varro, vbi de dignitate pecoris diſſerit in ij. rerum ruſticarum, inquit multos peritos ſiderum: non omnes (quod libenter feciſſet, ſi potuiſſet: erat enim aptum conſilio ipſius) numerare xij. ſigna ab ariete & tauro: neque enim omnes ab illis initium olim ducebant vt nunc fit: ſed potius a cancro, vt Graeci fere cuncti: intelligitur hoc teſtimonio etiam Arati, qui cum in Phaenomenis ſuis, ſigna ordine enumeraret, primum eorum, longe aliud ſpectans, cancrum nominauit. verſus ipſius hi ſunt, cum ſigniferum orbem, quem vocant ζωδιακὸν, deſcriberet.

» Τῷ ἐνὶ καρκίνος ἐστί. λέων δ' ἐπὶ τῷ. καὶ ὑπ' αὐτῷ
» Παρθένος, & quae ſequuntur: quinque enim verſus in illis appellandis conſumit. interpres autem Arati docet morem fuiſſe eius poëtae a cancro incipere: quia principium ſemper ſumeret rerum illarum tradendarum a ſeptentrionibus. nullum autem magis aquiloni propinquum ſignum eſſe in illis cancro.

Poëtae quidam Graeci, ornare flores volentes, veris filios ipſos appellarunt, alij vero pratorum, ſed alij etiam eiſdem parentes alios dederunt.

CAP. XXI.

Athenaevs libro xiij. tradit Chaeremonem vocaſſe flores, nunc veris filios, nunc vero pratorum filios, ſatis acute atque eleganter. teſtimoniaq; haec ipſius citat. ἐν δὲ. ἀνθηροῦ τέκνα ἔαρος πέριξ στρέψαντες. ἐν κενταύρῳ. ὁμοῦ. σῶμα ... τῇ εἰς ἀπείρονα στρατὸν τὴν κιδίαν ἀνδράσιν ἱερατεύοντες ἰδοῦσαι θαυμασίους τὰ λειμώνων τέκνα. Animaduerti autem ipſe (hoc enim exemplum eius ille non ponit) Aeſchylum eoſdem appellaſſe terrae filios: haec enim ipſius verba ſunt ἐν πέρσαις.
» Ἄνθη τε πλεκτά, παμφόρου γαίας τέκνα. Noſter vero, ſuauiſſimus omnium, non minus lepide & ingenioſe de illis canens, fecit illos e fauonio natos, qui inquit.

» Zephiro torna, e'l bel tempo rimena
» E i fiori, & l'herbe, ſua dolce famiglia.

Veterem quandam condituram olearum, in vſu etiam eſſe apud nos.

CAP. XXII.

M. Catonis aetate oleas eſui in lentiſco condiebant, ſed contuſas, non integras: quae conditura ipſarum in aliquo adhuc vſu eſt apud nos: inueniuntur enim hodie qui ipſas contundant atque ita inde nucleos elidant: hoc enim eſt contundere oleas: poſteaque in ollam condant plenam, non lentiſci foliorum, ſed ſtirpis iucundioris ac magis odoratae, ideſt arboris Medicae, ſiue eiuſdem generis alius, quibus omnibus cum veteres illi carerent, ſe ad lentiſcum, vt non ingratam ori ſtirpem, nec inſuauem, coniiciebant: puto enim lentiſci folia amatoris aliquid oleis adferre ſolita. Huius quoque veteris conſuetudinis, praeceptique Catonis, qui ipſe non nihil ſtudij poſuit in huiuſcemodi rebus tradendis, & non totus manſit in documentis propriis ruſticorum exponendis, meminit M. Varro his verbis.
» Oleas eſui optime condi ſcribit Cato orchites, & pauſeas, aridas vel virides in muria, vel lentiſco contuſas. quas autem contuſas ambo vocarunt: noſtri, quod verbo Latino illi egregie reſpondet, appellant, acciaccate. facilius autem ita conditae corrumpuntur. quare opus eſt ipſas non multo poſt promere, & in menſam adponere.

Emendata plura loca in libro Ariſtotelis de admirandis rebus.

CAP. XXIII.

Libet locum emendare in commentario Ariſtotelis, cuius index eſt περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, quod in eo collectae ſunt multae res nouae & inauditae auribus Graecorum, vel potius plures reſtituere illic inter ſe vicinos locos: ſimulque oſtendere veteres illi Tyrrheni, qui Volaterras incolebant, quantopere fuerint ſtudioſi libertatis retinendae. mendum autem eſt (niſi fallor) in nomine eius ciuitatis: illic enim negligentia librariorum pro οὐολατέῤῥα legitur οἰναρέα, niſi credere malumus verum nomen eius vrbis auctori huius libri expoſitum non fuiſſe. nam Strabo ita ipſam appellat. cum igitur oſtendiſſet id oppidum in excelſo colle conditum, natura loci valde munitum fuiſſe, addidit, ciues timentes ne ab aliquo ſuorum, freto opibus, imponeretur communi libertati, ſolitos magiſtratus creare libertos, qui apud ipſos antea ſeruitutem ſeruiſſent, qui cum legibus definitum tempus imperij abſoluiſſent, in eorum locum alij eiuſdem generis ſufficiebantur: atq; ita ſemper ipſos volentes illic traditum eſt ſe iuſto imperio priuaſſe, & ad indignos honorem illum detuliſſe, ne aliquando iniuſto imperio inuiti premerentur. omnem autem eam narrationem ad Volaterranos pertinere, praeter quam quod ex ſitu & poſitura loci perſpicitur, intelligere etiam licet ſuperiore proxima expoſitione, in qua de Ilua inſula, propinqua ſedibus ipſorum, quiddam commemoratur, cuius commemoratione incredibilis rei, cum

extremum

extremum ſit in excuſis libris Τυῤῥηνοὶ οἱ τὸ ποπλάνιον οἰκοῦντες, legi debet illic ſine vlla dubitatione, ποπλώνιον: intelligit namque Populoniam: ſic enim quoq; vocat hoc vetuſtiſſimum oppidum, cuius etiam nunc non parua veſtigia apparent, Strabo. Sed in principio etiam eiuſdem narrationis macula eſt. αἰθάλεια namque, non θάλεια a Graecia appellabatur inſula, vocata Ilua à Latinis. Sed multo infra etiam in alia narratione Graecum nomen eiuſdem inſulae corruptum eſt: αἰγιαλία namque ipſa falſo illic nominata eſt: cum prorſus eadem inſula intelligatur, vt teſtimonio quoque Strabonis cognoſcimus, qui eandem, antiquam admodum rem, commemorat. Verba autem, in quibus hoc vitium eſt, haec ſunt. καὶ ἐν τῇ αἰγιαλίᾳ δὲ νήσῳ, κειμένῃ ἐν τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει. & quae ſequuntur. quod corrigetur ſi ἐν τῇ αἰθαλίᾳ δὲ νήσῳ, ſcribetur. Sed quia alia praeterea errata ſunt illic apud excuſos libros, quae auxilio ſane exaratorum exemplariorum tolluntur, non alienum erit ſuperiorem illam totam narrationem hic adſcribere. Ἐν δὲ τῇ Τυῤῥηνίᾳ λίγεταί τις νῆσος αἰθάλεια ὀνομαζομένη, ἐν ᾗ ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου πρότερον μὲν χαλκὸς ὠρύσσετο, ἐξ οὗ φασὶ πάντα κεχαλκευμένα παρ' αὐτοῖς εἶναι. ἔπειτα μηκέτι εὑρίσκεσθαι. χρόνου δὲ διελθόντος πολλοῦ, φαίνεσθαι ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου σίδηρον ᾧ νῦν ἔτι χρῶνται Τυῤῥηνοί, τὸ καλούμενον ποπλώνιον οἰκοῦντες. Ἔστι δέ τις ἐν Τυῤῥηνίᾳ πόλις οἰναρία καλουμένη ἣν ὑπερβολῇ φασὶν ὀχυρὰν εἶναι: ἐν γὰρ μέσῃ αὐτῇ λόφος ἐστὶν ὑψηλός, τριάκοντα σταδίους ἀνέχων ἄνω, καὶ κάτω ὕλην παντοδαπὴν καὶ ὕδατα. φοβουμένους οὖν τοὺς ἐνοικοῦντας λέγουσι μή τις τύραννος γένηται προϊστάναι αὐτῶν τοὺς ἐκ τῶν οἰκετῶν ἠλευθερωμένους, καὶ οὗτοι ἄρχουσιν αὐτῶν, κατ' ἐνιαυτὸν δ' ἄλλους ἀντικαθίστανται τοιούτους.

Confirmata vetus emendatio, quae cum tota nixa foret fide antiqui libri, nunc auctoritate teſtium comprobatur.

CAP. XXIIII.

CORREXI olim (vt opinor) hunc locum in Oratore Ciceronis, quo loco vocem quandam Carneadis commemorat: aiebat enim ille. Clitomachum eadem dicere: Charmidam autem eodem etiam modo dicere. legebatur autem prius in excuſis. pro Charmidam perperam Carneadem. deleui igitur tunc hanc maculam ſecutus veſtigia veteris ſcripturae, quae Charmadam habebat. nunc autem quis fuerit hic Charmidas indicabo: Sextus enim meminit ipſius, vbi de variis Academiis diſſerit. nam plures αἱρέσεις philoſophorum illo nomine vocatas, conſtat. ἔνιοι δὲ καὶ τετάρτην προστιθέασι, τὴν περὶ φίλωνα καὶ χαρμίδαν. iiſdem autem paene verbis Euſebius προπαρασκευῆς εὐαγγελικῆς. ἔνιοι δὲ καὶ τετάρτην προστιθέασι τὴν τῶν περὶ φίλωνα καὶ χαρμίδαν. Item Sextus quo loco de arte dicendi agit. οἱ δὲ περὶ τὸν κριτόλαον καὶ οἱ ἀπὸ τῆς ἀκαδημίας, ἐν οἷς ἐστι κλειτόμαχος καὶ χαρμίδας, εἰώθασιν. & quae ſequuntur.

PETRI VICTORII
VARIARVM LECTIONVM
LIBER XXXIII.

Conueniſſe noſtris hominibus, in re tenui & quae cito extinguitur, monſtranda, cum veteribus Graecis.

CAP. I.

EODEM paene nos, quo veteres illi Graeci, prouerbio vtimur, cum rem imbecillam admodum & nullarum virium, oſtendere volumus: videtur enim id ipſos vocare ſolitos καλάμινον πῦρ, ideſt ignem, qui ex arundinibus conflatus ſit: & illa materia alatur. nos vero a palea, quae infirmior adhuc tenuiorque eſt, appellare ipſum conſueuimus: cum enim rem aliquam, quae cito tranſeat, repenteque ſe nobis ex oculis eripiat, ſignificare volumus, dicimus. E fu vn fuoco di paglia. In vi. igitur quaeſtione tertij ſegmenti problematum Ariſtotelis, quibus omnibus in quaeſtionibus diſſeritur de his, quae a temulentia proficiſcuntur, ſunt haec verba in extremo. καθάπερ τὸ καλάμινον πῦρ· καὶ γὰρ τοῦτο, διὰ τὴν τῆς ὕλης ἀσθένειαν, ἀσθενέστερόν ἐστι τοῦ ξυλίνου, loquitur autem illic de hominibus, qui largius bibere merum conſueuerunt: traditque in ipſis, vinum, quod calidum eſt, vna cum calore a natura inſito, magis abſumere, quae in ipſorum corpore exſtant, viatica & alimenta ſui ac proprij caloris: illumque ipſum calorem eſſe imbecillum adiungit, quia materies, in qua adhuc conſeruatur, talis & ipſa eſt, ideſt infirma. ſimili autem, quod docet, illuſtrare volens, addit quae ſupra poſita ſunt, verba. illa vero ita Theodorus interpretatus eſt. Quomodo ignis, quem arundo reddiderit: hic enim, propter materiae imbecillitatem, infirmior eſt, quam qui a ligno praeſtatur. Habet igitur, vt opinor, hoc quoque ſimilitudinem prouerbij. καλάμινον autem ἀπὸ τοῦ καλάμου arundineque deductum eſſe vocabulum, putare videmur debere: ita enim quoque cepit hoc nomen Herodotus in v. libro hiſtoriarum, cum quomodo Sardis captae forent a Perſis exponeret, vnde factum ſit vt praedam nullam ex ea copioſa vrbe victorea egerint: docet enim maiorem partem domorum ex arundinibus conſtructas fuiſſe: & quae latericiae erant, tecta tamen ex illa materia habuiſſe. quare cum iniecto in ipſam igne vna illarum combuſta foret: flammaque propinquam corripuiſſet, ita vniuerſam vrbem incendio abſumptam. Non poteſt autem dubitari, quin hic καλάμινα, quo verbo ipſe vſus eſt, arundinaceae valeat: nam, qui omnino vellet omnibus partibus par eſſe prouerbium Graecum noſtro: putaretque ἀπὸ τῆς καλάμης deriuatum id nomen, quae Graecis ſtipula eſt, niſi ipſe fallor, erraret: & ſi teſtimonio etiam Homeri intelligamus, eam, quam dixi notionem eſſe huius nominis, qui fecit ab Vlyſſe hoc pronuntiari.

Ἀλλ' ἔμπης καλάμην γ' ὀΐομαι εἰσορόωντα
Γινώσκειν.

Quem verſum citat etiam Ariſtoteles in iij. libro de arte dicendi: docetque verbum illud καλάμην ſatis acute translatum illuc, ingenioſeque fuiſſe.

Quaeſtio propoſita de loco Catulli, eademque diſſoluta.

CAP. II.

CVR dixit Catullus, Aſinium Marrucinum non belle vti manu ſiniſtra, qui fur eſſet? haec autem poëtae verba ſunt. Marrucine Aſini, manu ſiniſtra: Non belle vteris in ioco atque vino: Tollis lintea negligentiorum: neque enim ſenta ſolum fures vtuntur, cum rem alienam clam auferunt, ſed dextra quoque: & ſane crebrius dextra. vt quae promptior ſemper ac paratior eſt ad omnem rem tollendam. idem igitur Vibennios, patrem & filium, exagitans, loquit. O furum optime

balneariorum

balneariorum Vibenni pater, & cinaede fili. Nam dextra pater inquinatiore, ſed auctoritate opus non eſt, cum hoc planum & apertum ſit. An in illo genere furrorum, quorum inſimulabat tunc poëta Aſinium, qui ſurripiebat lintea familiarium hominum praeſentium, nec tamen attendentium, magis vtilis manus illa eſt: faciliuſque ipſa poſſunt fallere, qui hanc ſordidiſſimam artem habent: nam ad dextram eorum, qui coram ſunt, magis intentos oculos habere ſolemus. Fuit autem in ea vrbe Aſiniorum familia nobilis, & cum dignitate verſata in rep. quod intelligitur etiam teſtimonio T. Liuij, praeter quam quod Catullus etiam hoc videtur indicare, qui vt hunc accuſat, ita fratrem ipſius laudat. In epitome autem libri lxxiij. T. Liuij haec verba leguntur. C. Marius proelio Marſos fudit, Hirnio Aſinio, praetore Marrucinorum occiſo.

De lingua continenda in ira, quod praecepit M. Cicero, inuentus itidem Graecus ſenarius.

CAP. III.

M. Tvllivs in epiſtola illa longa ad Q. fratrem, & quae plena eſt optimorum praeceptorum, iram intelligens, cui plurimum Quinctus indulgebat, inquit. Cumque ea maxime animum moueat, tum tibi eſſe diligentiſſime linguam continendam. exiſtimari igitur poteſt illic Cicero reſpexiſſe ad ſententiam illam peruulgatam, quae legitur nunc in γνώμαις illis, collectis e pluribus veteribus comicis aut tragicis poëtis. his autem verbis continetur. γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν. non nullas etiam alias veterum illorum poëtarum expreſſit variis locis Cicero, quae nunc illic leguntur.

Quomodo Graeci dicant, quod apud Terentium eſt, ſomnum oppreſſiſſe Pamphilam, cum coepit illa dormire.

CAP. IIII.

Apvd Terentium in Eunucho Chaerea de Pamphila, inquit. Interea ſomnus virginem opprimit. Ariſtoteles vero in vi. ſegmento problematum, cum idem oſtendere vellet, duobus verbis vſus eſt: primum enim inquit. ὕπνον ἐπέχειν quoſdam. deinde in alia quaeſtione, quae extrema eſt eius ſegmenti, eundem, ſomnum ſcilicet λαμβάνειν altos. poſterioris huius loci verba ſunt haec. ἐν τῷ σκότει θᾶττον ὕπνος λαμβάνει. aliter tamen Ariſtoteles dixit ſomnum capere nos celerius in tenebris & vbi nihil videmus: aliter M. Cicero, qui in epiſtola quadam ad Atticum inquit. Ego, ſi ſomnum capere poſſem, tam longis te epiſtolis non obtunderem: quis enim non videt ſignificare ipſum voluiſſe ob moleſtias magnas & ſollicitudinem animi, ſe, cum maxime cuperet: daretque operam illi rei, non poſſe vllo pacto ſopiri. Vt Ariſtoteles autem poſteriore loco, ita quoque locutus eſt Euripides in Ione, cum fecit illum ipſum aedituum Apollinis dicere, ſe nullum neque thalamum, neque cubile certum habere, ſed ſolitum eſſe illic dormire, vbi ſomnus ipſum oppreſſiſſet. inquit igitur.

ἅπαν θεοῦ μοι δῶμ', ἵν' ἂν λάβῃ μ' ὕπνος.

Sed etiam Alexis comicus, cuius hi quattuor ſenarij leguntur apud Athenaeum. Hoc vero ipſius exemplum eo libentius hic pono, quod lepidam ſententiam continet: exponuntur enim illa incommoda, quae abeſſe non poſſe dicit a conſuetudine mala accubandi multo ante, quam cena parata ſit: alterum eorum eſt, quod nemo tunc poteſt dormire: alterum vero, quia non attenditur ſermo illius, qui tunc aliquid non contemnendum dicat: atque id, quia animus eſt in patinis, vt ait Sanga ille Terentianus: idem enim prorſus, qui loquebatur apud eum comicum dixit. quare adhuc grauior haec animaduerſio eſſe debet. verſus Alexidis, ſunt hi.

Ὡς ἐν [illegible]
Οὔτ' [illegible]
Οὔτ' [illegible]
Ὁ νοῦς [illegible]

Diſputatum diligenter de lectione verſus Horatiani, contra ſententiam non nullorum.

CAP. V.

Plvres, eruditi & ingenioſi viri, epiſtolam Horatij, in qua multa collegit praecepta, pertinentia ad artem poëtarum, interpretati ſunt & inde ſane non parum caliginis depulerunt. cum autem valde dubitatum ſit, quomodo verſus hic legi debeat.

Intererit

Intererit multum Dauus ne loquatur, an heros:

Quidam enim pro his duobus extremis verbis putant reponendum, herus ne. nec deſunt etiam qui arbitrentur legi debere diuus, non Dauus. Vt alij quoque, qui ambabus ſimul vocibus immutatis ſcripſerint, diues ne loquatur, an Irus, quid mei iudicij ſit de hac re aperire libet: ipſe enim melius eſſe arbitror peruulgatam lectionem tueri, quam etiam in omnibus antiquis libris manere animaduerti. vidi autem non pauca vetera exemplaria huius poëtae. mouit etiam me non parum quaſi teſtimonium quoddam Plutarchi: hic enim grauiſſimus ſcriptor in collatione illa Ariſtophanis & Menandri comicorum, quam facit, cum inſimularet Ariſtophanem, qui vt ipſe affirmat, in hoc vitio toto corpore volutatus eſt: atque eodem ſermone ſemper induxit vtentes magnopere inter ſe diſtantes perſonas, inquit. καὶ οὐκ ἂν διαγνοίης εἴθ' υἱός ἐστιν, εἴτε πατήρ, εἴτ' ἄγροικος, εἴτε θεὸς, εἴτε γραῦς, εἴτε ἥρως ὁ διαλεγόμενος. nec tamen quamuis Plutarchus in perſonis notandis, quae longe alium ſermonem requirunt, meminerit dei, ſentio cum illis qui malunt apud Horatium diuus legi, quam Dauus: valde enim diſtantes perſonas & quaſi e regione poſitas, nominaſſe, exiſtimo poëtam, non propinquas. quem ordinem ſecutus eſt etiam Plutarchus vt apparet. nec Plutarchus ſolum, verum etiam Plato. qui in Ione, illum ipſum vt ſibi videbatur, optimum artificem harum rerum quaſi hoc praecipientem inducit: facit enim eum ita loqui cum Socrate. Ἃ πρέπει, οἶμαι ἔγωγε, ἀνδρὶ εἰπεῖν, καὶ ὁποῖα γυναικὶ, καὶ ὁποῖα δούλῳ, καὶ ὁποῖα ἐλευθέρῳ, καὶ ὁποῖα ἀρχομένῳ, καὶ ὁποῖα ἄρχοντι.

Emendatus locus Ciceronis pro A. Cluentio, ſimilitudine etiam Graeci ſermonis.

CAP. VI.

IN his verbis Ciceronis, quibus vſus eſt pro A. Cluentio, de L. Craſſo loquens, mendum eſſe puto: ita enim in excuſis libris leguntur. Qui cum L. Plancum defenderet, accuſante M. Bruto, homine in dicendo vehementi & callido & quae ſequuntur. cum tamen videatur legi debere. & calido: neque enim cohaeret poſterius illud nomen cum priore: neque facile videtur poſſe aliquis in ſuis factis eſſe vehemens & callidus: qui namque callidi verſutique homines ſunt, non ſunt vehementes & acres; contraque calidi homines vocantur, qui ſunt in omni ſua vita vehementes & inconſulti. Idem autem mendum occuparat locum Terentij in Eunucho, quod tamen Gabriel Faërnus inde ſuſtulit, accurate redditis rationibus ſui iudicij. intelligo autem cum Parmeno Chaereae inquit. Vide ne nimium calidum hoc ſit modo. nam Graeci quoque (quod tamen non addidit corrector ille prudens: puto autem valere ipſe ad vtrumque locum confirmandum.) dicebant calidum factum. vt Ariſtophanes, apud quem eſt.

Ὦ θερμὸν ἔργον κἀνόητον καὶ παράμωρον,
Τολμᾶν τ' ἐμοῦ τ' ἀνθρωπείῳ κακοδαίμονι.

Defenſa vetus lectio loci Catulliani, quae falſo putata eſt a non nullis corrupta.

CAP. VII.

VERSVS hi Catulli, ex elegia expreſſa e Callimacho, ita leguntur in iis, quos vidi, libris ſcriptis: vidi autem plures: nec vllum tamen (vt verum fatear) ex illis ſatis vetuſtum.

Qui cum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers
Vnguentis, vna milia multa bibi.

Sed etiam qui primis illis temporibus huius inuenti, excuſi fuere, lectionem eandem retinent. extitere poſtea qui, coniectura ducti, mutato caſu eius nominis, pro vnguentis fecerunt vnguentorum. ipſe tamen arbitror priorem illam lectionem, veram eſſe: nec mutari vllo pacto debere: ſenſumque hunc inde duco, vt coma dicat; numquam ſane ſe, antequam nupſerit Berenice, guſtaſſe vnguenta (neque enim moris erat, vt innuptae vnguentis vterentur) poſtea tamen quam illa in matrimonio collocata eſt, commemorat ſe plurimum vnguenti bibiſſe, quo maxime delectantur, vndeque capiunt vtilitatem magnam, comae. Valet etiam ad hanc lectionem confirmandam, quod contumelia eſſet aliquo modo, dicere nobilem & ſummo loco natam virginem, expertem omnium virorum fuiſſe: neque enim aliter exiſtimari de illa ſine iniuria poteſt. Morem vero non fuiſſe, vt virgines vterentur libere vnguentis, praeter quam quod ex noſtris etiam inſtitutis intelligi poterat (ſemper enim certa quaedam praecepta ſeruantur ſimilia. neque decet vllo pacto aetati illi nimis indulgere, & huiuſcemodi teneris ſtu-

diis valde ipſas delinire) probat aliquo modo Xenophon in Sympoſio his verbis. οὐ μέντοι
" γυναῖκες (ἄλλως τε καὶ νύμφαι τύχωσιν οὖσαι, ὥσπερ ἡ Νικηράτου καὶ Κριτοβούλου μύρου μέν τι καὶ πρὸς δέονται·
" αὐταὶ γὰρ τούτου ὄζουσιν. cum enim doceat mulieribus ſolis conceſſa eſſe vnguenta, praeſertim nuptis, declarare videtur vſum eorum virginibus, quae domi cuſtodiuntur ſeuere, interdictum eſſe. Sed etiam Electra apud Sophoclem, quae, vt nomen quoque declarat, virgo atque expers coniugij erat, comam ſuam vocat ea de cauſa ἀλιπαρῆ, ideſt ſquallidam & quae vnguentis illita non foret. quod tamen aliquis, qui repugnare vellet, diceret ob ſollicitudinem maeroremque ingentem illi contigiſſe, non quia domi, grandis iam virgo, maneret. Declarat autem Callimachum apte mentionem feciſſe vnguentorum, loquentem de Berenice, quod proditum eſt memoriae ab Athenaeo: ille enim narrauit in primis, quae conficiebantur Alexandriae vnguenta laudari ſolita, & propter eius vrbis copias, & propter ſtudium, quod haec regina in illis ponebat: nec tantum ipſa, verum etiam Arſinoe. Locus tamen hic non legitur in excuſis libris, ſed in calamo exarato, qui cuſtoditur in bibliotheca Medicea, illo loco xv. libri, vbi in impreſſis adnotatum, deſiderari plura: & ſane multae paginae in eo ſcriptae praeterea ſunt, in quibus de floribus, & vnguentis copioſe agitur.

Quod Graeci ſaepe dicunt ἔχειν φρένας, *Latinos dicere vno verbo ſapere.*

CAP. VIII.

" QVOD Graeci paſſim dicunt, ἔχειν φρένας, valet ſapere. Oedipus apud Sophoclem, cum ſe iam cognoſſet eſſe miſerum: ac ſolum mutare vellet, conuerſus ad filias, adhuc teneras, inquit.

" Σοφῶν δ' ἂν ὦ τέκν', εἰ μὲν εἰχέτην φρένας,
" Πόλλ' ἂν παρῄνουν.

M. vero Cicero, in eadem paene aduerſa fortuna conſtitutus, eodem animo dixit in epiſtola ad
" Terentiam. Nam quid ego de Cicerone dicam, qui cum primum ſapere coepit, acerbiſſimos
" dolores, miſeriaſque percepit. Item in ij. Philippica. Vt pro tanta mercede nihil ſapere diſceres. nec non in eadem. In qua, quamuis nihil ſapias, nihil tamen tibi poteſt eſſe iucundum. nec non Catullus, quem etiam libenter pono in illis, qui puro ſermone vtuntur.

" Inſulſiſſimus eſt homo: nec ſapit pueri inſtar.

Sed extremis paene his cunctis exemplis poteram ſuperſedere: poſita namque illa iam fuerant ab Achille Statio, diligenti & erudito interprete huius poëtae. Nec tamen ſemper Graeci duobus verbis id exprimunt, ſed aliquando etiam, vt Latini, vno vtuntur, vt idem acutiſſimus tragicus in Aiace, cum illum ipſum, vnde fabula vocata eſt, induceret, cum puero filio loquentem, quem portari ad ſe iuſſerat, vt poſtremum ipſum videret.

" Καίτοι σε καὶ νῦν τοῦτό γε ζηλοῦν ἔχω.
" Οθ' οὕνεκ' οὐδὲν τῶνδ' ἐπαισθάνῃ κακῶν.
" Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος.
" Τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ κάρτ' ἀνώδυνον κακόν.
" Ἕως τὸ χαίρειν καὶ τὸ λυπεῖσθαι μάθῃς,

Cum autem fortunatum ipſum vocet, qui nihil eorum malorum intelligat, quae domum ipſius premebant: putetque in eo ſtatu animi vitam eſſe iucundiſſimam; non multum enim ſapere fatetur eſſe malum, ſed tamen malum quod careat dolore, exiſtimat vſque eo verum eſſe, quod dixerat: ſententiamque eam probari debere, donec aliquis ad eam aetatem venerit, vt poſſit iam recte ſtatuere, quibus rebus dolendum, quibuſue laetandum ſit.

Similitudo oſtenſa, in prouerbiis notandis, Graecorum & Latinorum.

CAP. IX.

NOTVM eſt Graecos auctores, cum vocem aliquam peruulgatam eſſe oſtendere volebant ac prouerbij denique vim habere, addere ſolitos φασί, quo declarabant, non ſuam tantum ſententiam eam eſſe, ſed reliquorum etiam fere omnium mortalium. Id expreſſit Catullus, cum inquit.

" Hoc eſt quod dicunt, Ipſa olera olla legit.

Nec non etiam altero hoc loco,

" Hoc eſt quod dicitur illud,
" Fraternum vere dulce ſodalitium.

Sed M. quoque Varro ita locutus eſt ſtatim in principio primi libri de re ruſtica. Quod, vt dicitur,

dicitur, ſi eſt homo bulla, eo magis ſenex. & non multo infra. Et ſimul cogitans, Portam itineri dici longiſſimam eſſe. ſed exempla deeſſe non poſſunt: eſt enim hoc ſatis frequens, quamuis non ſemper eo verbo vterentur, ceu Terentius, qui aiunt, inquit. Sed ille praeterea ſine aduerbio vt, & ſine pronomine, quod more Graecorum dixit.

Vt quimus aiunt, quando vt volumus non licet.

Vt autem tenuem hanc animaduerſionem meam, ſed tamen non inutilem, neque iniucundam (vt arbitror) futuram illis, qui puro Latino ſermone delectantur, ornem: & aliquid ipſi addam, quod acuminis non nihil in ſe, diligentiaeque contineat, extremo huic M. Varronis prouerbio, puto nos habere in patrio noſtro ſermone, quod penitus reſpondeat: dicimus enim nos quoque, idem ſignificare cupientes. Il piu duro paſſo è quel della ſoglia. quia, qui profecturi aliquo ſunt, non ſine moleſtia ſollicitudineq; aliqua animi, deos penates, ac caras ſibi perſonas relinquunt: ſed cum progredi coeperint ac ſe itineri dederint, poſthabitis omnibus illis curis, alacri animo pergunt. Valet demum idem paene prouerbium hoc Latinum, quod Graecum illud. ἀρχὴ ἥμισυ τοῦ παντός.

Uti aliquando etiam Homerum tenuibus collationibus, ſed mirifice aptis ad res illuſtrandas.

CAP. X.

ADNOTAVI in ſuperioribus libris Catullum tenui admodum, puſillaque collatione vſum fuiſſe, ſed illa tamen apposita: mirificeque rem, quam declarare volebat, illuſtrante. Sed non tantum Catullus, humilis plerumque poëta, humili illa collatione eo loco vſus eſt, ſed etiam Homerus, grandis ſemper & amplus, aliquando idem fecit, qui vt oportet, in eam tantum rem toto animo incumbit, vt auxilio rei notae & ſaepe ſpectatae, rem obſcuram & incertam illuſtret. vt cum monſtrare vellet, quam breui ac ſine vllo negotio Apollo diruit monimenta caſtrorum, quae maximis cum laboribus ac diuturno tempore conſtruxerant Achiui, inquit non magis ipſum laboraſſe quam pueri faciant, qui cum in littore aceruum harenae extruxerint: ipſaque imaginem alicuius rei reddiderint ludentes, paulo poſt iidem ludendi itidem animo, in eam fabricam manibus pedibuſque incurrunt, ac totam ſubito diſſipant: nihil enim Homerus excogitare potuit magis aptum ad rem declarandam: quodque vt valde omnibus notum eſſet, ita etiam in primis humile ac tenue foret: vnde vetus hoc ſcholion antiquus liber eo loco habet. quod paucis verbis totum hoc docet & explanat. ταπεινὴ μὲν εἰκὼν, ὅμως πᾶσι γνωστή. Fatetur igitur imaginem humilem eſſe: amandam tamen illam affirmat, cum valde nota foret.

Animaduerſum aliter vſurpare Plutarchum hoc verbum χρῆσθαι, ac vulgo ipſum capi ſoleat.

CAP. XI.

NOTANDA eſt, non valde frequens apud bonos auctores, notio huius verbi χρῆσθαι: ita enim cepit Plutarchus in iiij. libro quaeſtionum, conuiuiis accommodatarum, cum dixit puerum ἄρτῳ χρῆσθαι, tamquam ſi idem prorſus valeret, quod panem ipſum comedentem, vno illo cibo contentum eſſe, & non quaerere ſuauiores epulas. ſed idem etiam eodem loco χρήσιμα appellauit, cuncta, quae famem ſedare poſſunt, & eundem vſum hominibus ex ſe praebent. exempla autem ſunt haec. ἰδὼν δὲ τὸ παιδίον ἅμα τῷ φίλωνι, τὸ νῦν, ἄρτῳ χρώμενον, ἄλλου δὲ μηδενὸς δεόμενον. & infra. ὃν φασὶ μόνῳ ποτῷ χρησάμενον ἄλλῳ, μετ᾽ ὀλίγματι, πλὴν ὁ γάλακτος, διαβιῶσαι πάντα τὸν βίον. Videtur autem Horatius eodem pacto Latinum verbum, quod huic Graeco reſpondet, cepiſſe, cum inquit.

Quali igitur victu ſapiens vtetur. In ſatyra, quae idem fere argumentum habet, quod quaeſtio Plutarchi: index enim eius eſt. εἰ ἡ ποικίλη τροφὴ τῆς ἁπλῆς εὐπεπτοτέρα, in hac vero laudatur tenuis victus, & in caelum ſummis laudibus fertur.

Valde illuſtrem & expolitum Virgilij locum, expreſſum ab eo fuiſſe ex Homero.

CAP. XII.

QVIS non videat ornare voluiſſe Virgilium locum, quem in manibus habebat, repetita ſaepe voce, quae rem ſignificat ornamenti plenam? & qua mortales vti conſueuerunt, cum aliquid illuſtrare volunt, & plurimum ipſi ſplendoris afferre? haec enim profecto mens ipſius fuit, cum de Chloreo, ſacerdote Cybeles, ita cecinit.

Aureus ex humero ſonat arcus, & aurea vati
Caſſida. tum croceam chlamydemque, ſinuſque crepantes
Carbaſeos, ſuluo in nodum collegerat auro.

Sed paulo etiam ſupra, eandem materiam appellarat. Nec eo ſane vno tantum hoc in loco ſe contulit, ſed aliis etiam non nullis, vt cum Didonis ſtudium in ſe ornanda ſignificare voluit, quo magis amatori ſuo placeret, inquit enim.

Cui pharetra ex auro. crines nodantur in aurum
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Quin etiam cum de ornatu equorum Latini regis, quos oratoribus Aeneae dono dedit, loqueretur.

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent
Tecti auro. fuluum mandunt ſub dentibus aurum.

Sumpſit autem Latinus poëta a Graeco eiuſdem generis, omnium optimo, decus hoc, lumenque orationis: ille enim multo prius idem hoc fecerat magna cum ingenij laude: de Neptuno enim, altero fratre Iouis, loquens: ſpeciemque omnem illius aperire volens, inquit. equos autem, quibus vehebatur, prius attigit.

Ὠκυπέτα, χρυσέῃσιν ἐθείρῃσι κομόωντε,
Χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ· γέντο δ' ἱμάσθλην
Χρυσείην. Et quae ſequuntur. ſed ipſe quoque, propinquo in loco antea nobilem eandem materiam appellarat, cum de domiciliis eius dei loqueretur: vocauerat enim illa χρύσεα, vt declaretur, omni adhibita induſtria, locum eum expreſſum fuiſſe a Virgilio. ſed non tantum concinnitate hac & elegantia illuſtrauit ſuum locum Homerus: qui grauiſſimus erat, ſed etiam ſententiis, quae dignitati Neptuni conuenirent, vt accurate docuit eruditiſſimus magiſter dicendi: & maximus exiſtimator veterum ſcriptorum, Dionyſius Longinus. hoc tamen nunc mihi oſtendere propoſitum non eſt. Sed Homerus ornatus itidem gratia in deſcribendo curru Iunonis, eaſdem voces repetit & ſi ponit illa longiore interuallo inter ſe diſtantia. Ouidium etiam adumbrare hunc ornatum duorum horum ſummorum poëtarum notum eſt, cum & ipſe cecinit.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummae
Curuatura rotae.

Plura loca poëtae, cuius ſcripta amiſſa ſunt, eruta e veterum commentariis.

CAP. XIII.

EVPHORIONIS poëtae teſtimonia multa citant veteres grammatici, cuius poſtea ſcripta vetuſtate conſumpta ſunt, niſi putamus cauſam fuiſſe, quod ille iterum interierit, obſcuritatem operum ipſius. nam Cicero quoq; memoriae prodidit eum nimis obſcurum fuiſſe. ipſius opera in Latinum ſermonem vertiſſe Cornelium Gallum narrant nobis Seruius Virgilij interpres. qui etiam tradit illum ſignificatum fuiſſe a Virgilio, cum Mæro ex perſona Galli cecinit.

Ibo & Chalcidico, quae ſunt mihi condita verſu
Carmina, paſtoris Siculi modulabor auena.

Theon, Arati interpres, vbi poëta ille loquitur de hydra, tres hos ipſius verſus ponit: ſtudet enim probare apud poëtam, quem explicat & erudite ſane, ſubtiliterq; explicat, αἰθαλόεν, de hydra prolatum nomen, valere, quae veneno imbuta eſt ardente.

Ἡ μὲν πολλὰ δ', ὅσα που φύει εὐπέταλος αἶα.
Ἡ φύλλων ἢ ποίην. ὅτ' ἐχρίμψατο, λυθρὸν
Ὡς πυρὶ καρφόμενον, ψαφαρῇ ἐνδιέκλιτο πέτρῃ.

Sed etiam vetus ſcholion in locum eum Homeri, vbi inducit Agamemnonem in rebus aduerſis Graecorum, neſcientem ſolum remedium inuenire tantorum malorum, confugere ad Neſtorem, vt vna cum ipſo conſilium caperet de ſalute exercitus, vt aegrotus ad medicum ſe confert, vt ope ipſius depellat a ſe morbum. haec vero verba ſunt eius declarationis. *περὶ ὀλίγου δὲ χαρίζεται ὡς εἰς ἰατρὸν τρέπων θέλων φησὶν πάλιν αὐτῷ καὶ Εὐφορίων φησί.*

Πολλάκις τὸν κλισίῃσι πολυγλεύκοισι τανυσθεὶς
Εὐνύχιοι πίτυεσσι νόσῳ. ἅτις ἰατῆρας.

Praeterea verſus eiuſdem poëtae adducitur a ſcholio altero in locum illum, quo Agamemnon per ſuperos & inferos deos iurauit, ſe non iniſſe cubile Briſeidis: neque manus vllo pacto corpori ipſius admouiſſe, quem eo libentius indico, quia (vt videtur) celebratur ipſo Homerus: ad cuius laudem dignitatemque negat alium vllum poëtam peruenire omni etiam conatu

poſſe.

poſſe. vtitur autem Euphorion verbo, quo, in ſuperiore ſententia exponenda, vſus antea illic fuerat Homerus, ideſt ἀεργτίμασαι: eius vero notio eſt, cuius vim facultatemque arduum eſt adipiſci. verſus, quem dico, hic eſt.

» Μοῦναι παίσατο καὶ ἀεργτιμάκτος ὅμηρος.

Sed interpres etiam in Θηριακὰ Nicandri plura huius poëtae teſtimonia citat. Stobaeus quoque, vbi ſententias de pueris prolatas collocauit, quinque eiuſdem continentes verſus citat, quibus mater filio exponit faſtidia, quae ſuſtinuit, cum ipſum in vtero geſtauit, partuſque itidem dolores; nec non labores, cum eundem poſtea lacte ſuo aluit. Sed idem etiam, quo locu collegit, quae apta ſunt ad aegritudinem leniendam, duos eiuſdem integros verſus ac dimidiatum tertium poſuit, quibus oſtenditur oportere adhibere modum in maerore ac luctu, ob interitum ſuorum.

Explanatum a duobus ſummis poëtis ſtudium mulierum, in tegenda ſua fucata pulchritudine.

CAP. XIIII.

Locvs Lucretij, quo diligenter deſcripſit ſtudium mulierum in ornando corpore: totamque eam rem poſuit nobis ante oculos, quam tamen ipſae conantur tectam & abditam eſſe omnibus hominibus: in primis autem amatoribus ſuis: locus inquam ille, valde ſimilis eſt Homerico huic, cum ingenioſiſſimus poëta & qui vitam omnem mortalium eximie expreſſit, fecit Iunonem, vt imponeret Ioui & ſpecie corporis ipſum ad ſe alliceret, vnde arctus ſomnus conſequeretur, formam illam ſuam ornaſſe & cuncta feciſſe, quae mortales feminae facere eo tempore conſuerunt, addidit. antea quam tamen aliquid, quod eo faceret, attingeret, narrat ipſam partem eam domus, quo ſe contulerat, ſepſiſſe, ne aliquis eo penetrare poſſet. Idem autem ſignificauit Lucretius, diligentiam videlicet plurimam, quam adhibent mulieres in artificio hoc ſuo celando: nam inquit, cum ſordidum & humile omne illud miniſterium eſſe oſtendiſſet, & tale vt prorſus cognitum & perſpectum auerſurum eſſet ab amore.

» Nec Veneres noſtras hoc fallit, quo magis ipſae
» Omnia ſummopere hos vitae proſcenia celant.
» Quos retinere volunt, aſtrictoſque eſſe in amore.

» Eodem igitur pacto Homerus inquit de illa dea. θύρας ἐπέθηκε φαεινάς. reliqua praeteribo, quae paria admodum ſunt: quia in illuſtri, & qui ſugere neminem poſſit, loco poſita ſunt: & pro illis ponam hic vetus ſcholion, quod hoc ipſum callidum conſilium ipſarum explicat: ferteque in caelum artificium poëtae, qui accurate pinxerit totam eam rem. Θαυμαστῶς δὲ τὰς μίμησιν· ἐν ἀπορρήτῳ γὰρ τὰ τοιαῦτα πράττουσιν. ὡς τὸ μὴ ὑποδεικνύειν ἐκ τέχνης κομματικῶς αὐταῖς τὸ κάλλος, ἀλλὰ γνήσιον φαίνεσθαι.

Aratum non minus imitatorem fuiſſe Heſiodi, quam Homeri: quamuis ipſum multum amaſſe Homerum, exploratum ſit.

CAP. XV.

Existimatvs eſt a veteribus illis Aratus in poëmate pangendo non ſolum propoſuiſſe ſibi ad imitandum Homerum, quod reliqui fere omnes poëtae faciebant: verum etiam Heſiodum, & non minus ſane hunc quam illum, cuius gloria maior erat, exprimere conatus eſſe & certe, ſi multi ipſius loci diligenter attendantur, nullo negotio intelligetur, non ſine cauſa hoc ipſos in incerto reliquiſſe. ipſe nunc duos locos indicabo, vnde cognoſci poſſit induſtria Arati & amor ipſius par erga ambos hos vetuſtiſſimos poëtas. Heſiodus, cum curſum fluminis deſcriberet, fecit ipſum ſimilem ſerpenti. Aratus contra dixit ſerpentem, qui inter arctus aſpicitur, ſimilem eſſe flumio. Heſiodi verſus » eſt, citatus a Theone, καί τε διερχόμενος ἀπηγμένος ἶσι δράκοντι ὥς. Arati vero.

» Τὰς δὲ δι' ἀμφοτέρας, οἵα ποταμοῖο ἀπορρώξ,
» Εἰλεῖται μέγα θαῦμα, Δράκων.

Infra Aratus de ſerpente hoc ipſo inquit. παλίνορσος quaſi ille metueret ac fugeret arctum. Homerus vero eo verbo vſus eſt cum loqueretur de illo, qui retro cedit, repenteque ſe conuertit viſo ſerpente, quem illic minime expectabat: inquit enim in collatione.

» Ὡς δ' ὅτε τις, δράκοντα ἰδὼν, παλίνορσος ἀπέστη. Aratus vero.
» Ἐκ δ' αὖτις παλίνορσος ἀνατρέχει.

Coniectura

Coniectura emendatus locus e primo libro Varronis de re ruſtica.

CAP. XVI.

CVM olim purgarem M. Varronis libros de re ruſtica, auxilio antiquorum librorum, reliqui hunc locum (vt opinor) maculoſum. quia nihil inde adminiculi, vnde ſolebam, accipere potui ad notam, quae inſederat, delendam. Nam huiuſce pedes ſolent dolere, in fronte contrahere rugas. Suſpicor igitur contrahe legi debere, atque ita ſententiam reſtitui, ſi ab indefinito modo ad imperaodi modum tranſieris. ſunt autem verba C. Stolonis irridentis, vt ſupra fecerat, praecepta quaedam e libris Saſernae. cum autem ſuperioribus illis vnum additurus eſſet, quod in primis inſulſum ipſi, ridiculumque videbatur, homo facetus, primum iubet C. Fundanium attente audire: expectareque, toto animo ad eam rem conuerſo, graue id, nouumque documentum. εἰρωνικῶς autem loquebatur: & longe aliud intelligebat. qui autem ſe ilico audituros putant rem ſeriam & vnde multum vtilitatis ad ſe peruenturum ſit, hoc habitu animi, corporiſque eſſe ſolere notum eſt.

Monſtratus locus Ciceronis in Philippicis, cui videtur macula haerere.

CAP. XVII.

HAEC verba M. Ciceronis e ij. Philippica mendi aliquid in ſe continent. Veniſti e Gallia ad Quaeſturam petendam. aude dicere prius ad parentem tuum veniſſe, quam ad me? multo enim antea Marcus, illius pater, mortuus erat. quomodo igitur poterat filius domum ad eum accedere. Hoc verum eſſe, docet hic alter locus ex eadem oratione. Tenes memoria praetextatum te decoxiſſe. patris inquies iſta culpa eſt. praeterea Plutarchus aperte narrat M. Antonium domi P. Lentuli educatum. nam mater ipſius, poſt interitum prioris viri, illi nupſerat. videndum igitur an parentem tuam legi debeat, vt illam ipſam intelligat, quam viduam domi poſterioris viri vixiſſe veriſimile eſt. quid autem valeat omnis haec commemoratio apertum eſt: fuiſſe enim tempus docet, quo M. Antonius multum praeſidii, ad id, quod volebat obtinendum, in M. Ciceronis patrocinio poſitum putaret & eius ſibi beneuolentiam ſummo ſtudio conaretur conciliare.

Quod reprehendit M. Cicero in ſententia, quam ſenator dixit, videri poſſe Demoſthenem laudare, ſed falſo tamen.

CAP. XVIII.

QVESTVS eſt magnopere M. Cicero de Fuſio Caleno in Senatu: ipſumq; praeſentem modice accuſauit, qui decreuerit litteras M. Bruti ad eum ordinem, recte & ordine ſcriptas eſſe: addiditque (totus autem locus eſt in x. Philippica) Quid eſt aliud librarium Bruti laudare, non Brutum. multaque in eam ſententiam, quae declarant hoc ipſum iniquo & maleuolo animo feciſſe: Demoſthenes tamen oſtendit in oratione περὶ ἀλοννήσου in plebiſcitis Atheníenſium, ſiue in ſententiis dicendis oratorum, cum litteras aliquas laudabant, ſcribi dici ve ſolitum epiſtolam illam εὖ γεγράφθαι. videndum igitur accurate vnde natum fuerit, vt eandem rem vnus eorum factam reprehenderit: alter vero probarit. Inſimulat ſane Graecus quoque orator eos, qui ita decreuerant. verum alia de cauſa: accuſat enim ipſos, quod cauſam agerent Philippi, & illi, inimico Athenienſium, occulte fauerent. reprehendit igitur animum voluntatemque eorum, qui dixiſſent id recte ſcriptum eſſe, quod improbe & iniuſte ſcriptum foret. nam plena erat epiſtola illa iniuriarum contumeliaeque in populum Athenienſem. rationem tamen illam ſcribendi, dicendique ſententiam non reprehendit, vt videtur facere Cicero.

Verbum κατακλύσαι, fuiſſe translatum eleganter a Xenophonte.

CAP. XIX.

VERBVM hoc κατακλύσαι, quod, ſua in ſede poſitum, valet inundare & aquis operire, vnde κατακλυσμὸς Ogygis a M. Varrone vocata eſt eluuio terrarum, tranſtulit eleganter Xenophon ad aliam rem, in ſuo οἰκονομικῷ, cum induxit integerrimum virum Socratem ita loquentem: ὅδε, πάνυ μικρᾶς χειμασίας, κατακλύσουσιν αἱ ἀξίαι τὴν ἐμὴν δίαιταν:

ſignificare enim voluit. implerent copia & vbertate meam domum. ſed in Latinis verbis non eſt eadem quae in Graecis venuſtas. Loquitur igitur politiſſimus ſcriptor de copia illa bonorum tamquam de aqua, & ipſa quidem copioſa: quae praeſtat id, quod dictum eſt. Sed animus aequus Socratis faciebat, vt non magna vis earum rerum efficeret, quod in aliis facit ſolum copia & abundantia. M. Cicero (vt opinor) cum idem hoc exprimere cuperet, dixit redundare. Graeco verbo eodem pacto vſus quoque eſt in Troadibus Euripides, vbi inducit Hecubam accuſantem Helenam: dicentemq; eam ſecutam fuiſſe Paridem, quia ſperabat ſe opimam vrbem Phrygum: auroque refertam, ſumptibus inundaturam eſſe. ita igitur locutus eſt.

» Σπάρτης δ' ἀπαλλαχθεῖσα, τὴν Φρυγῶν πόλιν,
» Χρυσῷ ῥέουσαν, ἤλπισας κατακλύσειν.

Cum dictum ſit, tragicos Graecos vocaſſe lunam ſolis filiam, qui nam fuerint hi.

CAP. XX.

INTERPRES Arati Theon: & diligens ſane atque eruditus interpres eius poëtae (fuit enim valde peritus rerum caeleſtium, & praeterea quae ad artificium poëtarum intelligendum faciunt, non ignorabat) tradit tragicos poëtas appellare ſolitos eſſe lunam ſolis filiam: quia cum lumen accipiat a ſole, ſine luce & caecaſua vi exiſtens, quaſi gignitur ab ipſo. cum haec igitur & alia huiuſcemodi non» nulla dixiſſet, quae plana & explorata ſunt, addidit. διὸ καὶ παρὰ τοῖς τραγικοῖς θυγάτηρ ἡλίου λέγεται. Viſum igitur mihi eſt indicare, quos potiſſimum tragicos intelligat: cum eorum nomen » reticeat. Euripidis haec verba ſunt e Phoeniſſis. ὦ λιπαροζώνου θύγατερ ἀελίου σελαναία, χρυσεόκυκλον φέγγος. Sed Aeſchylus etiam eiuſdem ſententiae fuit. cum Heſiodus fratrem ipſius ſolem eſſe cenſuerit: quem manifeſto Virgilius ſecutus, cecinit.

» Nec, fratris radiis obnoxia, ſurgere luna.

Notam propinquorum imbrium a lucernae fungis, quam expoſuit Virgilius, ſumptam ab Arato.

CAP. XXI.

VT alia fere cuncta, quibus agricolae praeſentire poſſent, quid ſibi a ſuperis ſedibus impenderet, ita etiam hoc ſignum futurorum imbrium ſumpſit Virgilius ab Arato, cum cecinit.

» Ne nocturna quidem carpentes penſa puellae.
» Neſciuere hiemem, teſta cum ardente, viderent.
» Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.

Locus autem Graeci poëtae hic eſt.

» Ἢ λύχνοιο μύκητες ἀγείρωνται περὶ μύξαν.

Sed etiam Callimachus, qui eadem aetate, vt memoriae proditum eſt, qua Aratus floruit, idem » animaduerterat: ipſius enim hoc teſtimonium citatur a Theone interprete. ὧς φη.

» Λύχνου δαιομένου ἄλλοτ' ἐγείρονται μύκητες.

Sed verius fortaſſe diceretur, ſi, qui primus hoc memoriae prodiderit, oſtendendus foret, Theophraſtum hanc notam obſeruaſſe, qui tempore vicit tres hic ſupra appellatos poëtas: ille namque in libello, quem ſcripſit de notis ventorum, pluuiae, ſerenitatis: huiuſcemodiq; omnium rerum, quae μύκητες vocantur, hoc quoque litteris mandauit, eodem, quo Aratus & Callimachus vſi ſunt, vocabulo, eandem rem nominans: quod etiam, ab illis acceptum, expreſſit Virgilius: inquit enim.

» Καὶ οἱ μύκητες, ἐὰν νότια ᾖ, ὕδωρ σημαίνουσι.

Putari igitur debet haec nota ſatis certa, poſtquam a tot claris ingeniis probata & celebrata eſt. Sed etiam noſtrae mulieres hoc verum eſſe affirmant.

Quae Graeci vocant ἐπιρρήματα θετικὰ, Latinos recentiores appellaſſe gerundia.

CAP. XXII.

NOTVM eſt Graecos grammaticos huiuſcemodi vocabula, frequentia in ſermone veterum illorum, θετέον, λεκτέον, & infinita alia huiuſcemodi, ſolitos vocare ἐπιρρήματα θετικὰ quia conſtituant rem aliquam & prorſus efficiendam eſſe oſtendant. Latini inferioris aeta-

tis aetatis, appellarunt gerundia: vt cum Virgilius cecinit. & pacem Troiano a rege petendum. Salluſtius quoque in hiſtoria ſcripſerat, quod eſt eiuſdem generis. Agendum atque obuiam eundum eſt. quem locum ipſius vt ſuperiorem etiam noſtri poëtae, in teſtimonium vocauit Donatus, cum verba illa Terentij interpretaretur. vxor ubi ducendast Pamphile hodie. nam inquit. Mire ducenda. ſemper hoc genus declinationis neceſſitatem importat. & quae ſequuntur.

Quid valeat ψεκάδιον in Graeco ſermone, quae minuta pluuia, declarata illo nomine, idonea eſt cochleis captandis.

CAP. XXIII.

ΨΕΚΑΔΙΟΝ, Imminuto eo nomine, Graeci vocare ſolent tenuem imbrem, & qui aliquo modo imitetur rorem. nos patrio ſermone ſpruzzaglia vocare ſolemus. ideſt aſperſionem, quia ſimilis imber ille eſt puſillae aquae, qua aſpergimus leuiter alienum aut noſtrum os: hoc enim facere apud nos eſt ſpruzzare. vnde etiam ſaepe noſtri agricolae, translato hoc verbo ad aliam rem, vt mos ruſticorum hominum eſt, dicunt pomorum aliquorum tantum ſpruzzaglia quandam eſſe, cum infrequentiam & paucitatem ſignificare volunt. ſed ad Graecum vocabulum redeamus. vſus eo eſt Ariſtias comicus, cuius verba haec leguntur apud Athenaeum de quodam, qui captaret cochleas. καὶ κοχλίας, γινομένου ψεκαδίου, ἀναγκάζων, καὶ λείχουσα τὴν αὐτοχεῖρα: quis enim neſcit hoc potiſſimum tempore cochleas apparere: nam neque pluuiam concitatiorem: neque magnos calores ferre poſſunt: vt ſignificauit etiam M. Varro in iij. libro de re ruſtica, cum de illis alendis ſedulo multa praeciperet: inquit enim, de ſede diſputans. Locus is melior, quem & non coquit ſol: & tangit ros. nam de altero eorum apud Plautum etiam eſt. Quaſi cum caletur, cochleae in occulto latent.

Duo loci manci apud Donatum Terentianum, in integrum reſtituti.

CAP. XXIIII.

MALE factum eſt, quod in Donati Terentiani commentariis multis locis verba Graeca relicta olim fuere ab imperitis eius linguae librariis: quibus grammaticus ille diligens & magiſter dicendi non contemnendus, aliquod lumen aut in verbis aut in ſententia a comico poſitum ſignificarat: & aliquando etiam teſtimonium Graeci ſcriptoris citarat. cum autem alias etiam non nullos (vt opinor) locos in illis, coniectura ductus, reſtituerim, libet nunc duos locos indicare, quos eodem pacto, ſatis tuto tamen, arbitror poſſe emendari. Vbi igitur in Hecyra Parmeno, inquit. Atque eccum. video ipſum egredi. quam triſtis eſt. interpres ille, aperire artem poëtae volens, inquit. vt nunc legitur in pluribus, quos vidi libris, vel potius non legitur. locutus Pamphili. Si quis igitur reponat. προεκφώνησις, apposite (niſi fallor) lacunam expleuerit. non neceſſe autem eſſe puto, cum ſatis plana ſit, coniecturam hanc meam valde confirmare: quis enim neſcit, quae in epiſtola oratione ve aliqua, μεταφορικῶς vocata ſit ἐκφώνησις? vnde, addita huic nomini praepoſitione, hoc iunctum nomen conformatum eſt. Significat autem hic, cum valde triſtem eum dixerit, orationem Pamphili futuram querelarum plenam: hoc enim non ſcenici tantum poëtae, ſed Homerus etiam facere conſueuit, vt vno aliquo ſaepe verbo aut altero, antequam aliquis verbum faciat, indicet quid ille dicturus ſit. Non me fallit autem inuentos quoſdam, qui aliter locum hunc ſuppleuerint: ſcripſerintque χαρακτηρισμὸς: illos tamen ego deceptos puto: χαρακτηρισμὸς enim longe aliud oſtendit, vt magiſtri dicendi, qui de figuris ſcripſerunt, teſtantur: non deſcribit autem accurate hic poëta mores & vitam Pamphili, quod cum ſit, vocatur hoc lumen illo Graeco verbo. Eodem pacto in Phormione, vbi Nauſiſtrata ita cum Demiphone agit. Quid mihi nunc adfers, quamobrem expectem, aut ſperem porro fore? adnotarat, vt affirmare auſim, Donatus. Callidius vſa eſt ad vltimum ἀποστροφῇ. conuerſa ad ipſum defenſorem mariti. quis autem non fateatur hanc eſſe ἀποστροφήν? quae forma orationis, in ſententia poſita, multum valet ad animum commouendum, & loco eſt vſurpata ab ingenioſo poëta. verbum tamen id Graecum deſideratur in cunctis, quae vidi, exemplaribus. pro ipſo tamen in eodem illo, in quo docui, perperam correctum fuiſſe ſuperiorem locum: legitur πύσματι: quod ita huic loco non quadrat, vt pigeat ipſum confutare: vocari autem ἀποστροφὴν hanc formam loquendi, frequentem apud oratores & poëtas, non πύσμα, qui attendere voluerit, facile intelliget.

PETRI VICTORII
VARIARVM LECTIONVM
LIBER XXXIIII.

Exploſa ſententia Eratoſthenis, qui poëtas propoſitum tantum habere putauit, delectare auditores.

CAP. I.

INSIMVLATVS eſt olim Eratoſthenes, ille geographus, qui dixerit poëtas propoſitum habere oblectare eos, qui audiunt, & huic vni rei toto animo inſeruire, non meliores etiam facere ipſos ac lepida quadam ratione vitam eorum emendare. cum contra graues ac docti viri affirmarent, poëticam eſſe veterem philoſophiam, quae homines a teneris annis erudiat doceatque & mores & motus animorum & facta, atq; haec omnia iucunde permixtaque cum voluptate praeceptione vtili. ita etiam de ipſa ſenſiſſe Stoicos apparet, qui ſapientem, illum ſuum, ſolum poëtam eſſe exiſtimabant, nec non conſenſum omnium politarum ciuitatum, quae ſtatuerint, vt pueri in ſtudiis poëtarum exerceantur, quod noto etiam loco Cicero tetigit, & ſi illic ipſos etiam aliquando obeſſe, ſignificauit: haec autem ipſius verba ſunt. Accedunt etiam poëtae, qui cum magnam ſpeciem doctrinae ſapientiaeque prae ſe tulerint, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhaereſcunt penitus in mentibus. Sed redeamus ad eos, qui teſtimonio ſuo non minus prodeſſe poëtas cupere, quam oblectare confirmarunt, in quibus Horatium Flaccum fuiſſe, nemo eſt qui ignoret. Sed Ariſtophanes etiam in illa ipſa fabula, in qua, quantum ei libuit, irriſit tragicos poëtas: ad extremumq; concertantes etiam eos inter ſe induxit, ita fecit Aeſchylum cum Euripide agentem, cum ipſum contrarium feciſſe eius, quod poëtam facere oportebat, oſtenderet, ideſt vitae moribuſque hominum plurimum nocuiſſe.

Τίνος οὕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητήν;

Cui reſpondet alter, qui & ipſe erat eiuſdem opinionis. Δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν. Plura igitur dixit Euripides de vtilitate, quam de voluptate, quam poëtae ſtudioſis ipſorum afferre conantur. Sed Proclus etiam, cum defenderet iudicium Platonis de arte poëtica, non eſſe propoſitam poëtis voluptatem auditorum: nec oportere illam ſibi ipſos tamquam finem aliquem perſequi, firmo argumento conſtituit. Cum enim inquit imitetur poëta, ſi laudem adipiſci vult, ita imitari debet, vt rem ſimilitudine exprimat, ſiue illa voluptatem magnam, ſiue nullam gignat,

Quod proditum eſt a M. Varrone de facilitate partus mulierum Illyricarum, narratum fuiſſe a Strabone de Liguribus feminis.

CAP. II.

REM admirabilem prodidit memoriae M. Varro de inſtitutis & duritie corporis mulierum Illyricarum, vbi de paſtoribus & vxoribus ipſorum agit: quem enim acerrimum dolorem in pariundo ceterae mulieres vix ferunt, ipſas paene non ſentire ſignificat: verba Varronis haec ſunt. Nam in Illyrico hoc amplius, praegnantem ſaepe, cum venit pariendi tempus, non longe ab opere diſcedere: ibique enixam, puerum referre, quem non peperiſſe, ſed inueniſſe putes. cum autem idem paene, ſed non de iiſdem mulieribus apud Strabonem legerim, placuit mihi duos hos, diuerſorum ſcriptorum, locos inter ſe conferre: tradit autem ille, id, quod narrat, litteris mandatum fuiſſe a Poſidonio, qui Poſidonius in hiſtoria affirmarit ſe id a Maſſilienſi quodam Charmoleo accepiſſe, ipſum illum, cum vt agrum foderet, conduxiſſet operas, in quibus etiam mulieres quaedam erant, vnam illarum doloribus partus ſubito correptam, non longe ab eo loco diſceſſiſſe:

nec multo poſt, cum iam peperiſſet, reuerſam, ne mercedem amitteret, quam, cum ille, conſpexiſſet eam in opere grauius verſari, nec cauſam illius ſubitae defatigationis ſciret, audita illa poſt aliquod tempus, dediſſe ipſi ſuos nummulos ac protinus dimiſiſſe: ea vero cum ad fontem quendam infantem portaſſet, eo, loco ipſo, quibus poterat pannis inuoluto, eum ſaluum domum tuliſſe. Verba Ariſtotelis haec ſunt; de Liguribus autem ſupra locutus fuerat.
» Ἰδίαν δὲ
» καὶ τοῦτο παρ᾽ αὐτοῖς εἶναι. αἱ γυναῖκες, ἅμα ἐργαζόμεναι τίκτουσιν, καὶ τὸ παιδίον ὕδατι περικλύσασαι, παρα-
» χρῆμα σκάπτουσι, καὶ σκάλλουσι, καὶ τἆλλα οἰκονομοῦσι, ἃ καὶ μὴ τικτούσαις αὐταῖς ἦν πρακτέον. Manere autem adhuc morem illum, ſingularemque patientiam laborum in Illyricis mulieribus, illis inquam, quae in agro viuunt, narrauit mihi Franciſcus Serdonatius, noſter homo, qui plures annos Racuſae Latinas litteras docuit; valdeque carus ciuibus illis fuit, ob eruditionem non paruam, & diligentiam quam plurimam ſemper adhibuit in munere eo ſuo obeundo; quibus etiam de cauſis ego ipſum merito amo; praeterquam quod olim me diu audiuit. Expoſuit etiam mihi idem, quod memoriae mandauit Varro, viſam fuiſſe illic aliquando ruſticam mulierem, cum in ſyluam lignatum profecta eſſet, rediiſſe non multo poſt, falcem impoſitum capiti habentem, & infantem gremio portantem. Animaduertendum etiam priſcum illum morem, quem Virgilius fecit, Numanum, cum diſciplinam italorum in caelum ferret, quod ſtatim natos infantes ad flumen ferrent, cuſtodire ſolitos Latinos populos: & Poſidonium, & Ariſtotelem idem facere ſolitos commemorare Lygures, propriumque ipſorum fuiſſe, ſed non ſolum hos barbaros; verum etiam Laconas in litteris proditum eſt, in Eurota ſolitos lauare ſtatim natos filios ſuos: hoc etiam ſeruare, inſtitutumque eorum vetus eſſe fertur, dura, atque aſſueta malis natio, quae nullam certam ſedem habens, vagatur libere per omnes omnium tellures.

Monſtrati plures loci, quibus Cicero expreſſit, quae vocantur a Graecis ἐπαινούμενα.

CAP. III.

Vm M. Cicero inquit in ij. quaeſtione Tuſculana. Itaque ſemper Aphricanus
Socraticum Xenophontem in manibus habebat, cuius in primis laudabat illud,
» quod diceret. Eoſdem labores non eſſe aeque graues imperatori & militi, quod
» ipſe honos laborem leuiorem faceret imperatorium. Itemque in iij. Ex hoc & illa iure lau-
» dantur. Ego cum genui moriturum ſciui, & quae ſequuntur. Praeterea paulo poſt. Ita-
» que apud Euripidem a Theſeo dicta laudantur. Cum inquam Cicero omnibus iis in locis
» dixit illa laudari, exprimere manifeſto voluit ἐπαινούμενα: ita enim Graeci vocabant loca quaedam optimorum ſcriptorum, quae mirifice probabantur eruditis viris. & prudentiae plena conſiliique exiſtimabantur.

Quid valeat σχινίζεσθαι, quod verbum infrequens eſt.

CAP. IIII.

» ΣXINIZEΣΘAI apud Athenaeum (neque enim alibi memini me hoc verbum legiſſe) valet (vt opinor) delicate aliquid & molliter facere, quia qui teneri homines erant, ore ſemper σχῖνον ideſt lentiſcum tenebant, vt dentes candidiores redderent: vnde etiam iidem dicebantur σχῖνον τρώγειν eadem de cauſa: quamuis enim re polita ſuauique vterentur, non, vt Celtiberi olim, ſpurciſſima, nimium tamen ipſorum ſtudium in candore dentium comparando, grauibus hominibus non probabatur: inde autem (niſi fallor) hoc verbum ortum eſt. Inquit igitur ille in xiiij. libro de Hilarodo, qui cantus erat, poëmaque ſane tenerum: non ita tamen tenerum, vt quaedam alia eiuſdem generis, quod ipſe his verbis te-
» ſtatur. σεμνότερος δ᾽ ὁ τῶν τοιούτων ἐστὶ ποιητῶν ὁ ἱλαρῳδός: οὐδὲ γὰρ σχινίζεται, & paulo poſt de altero ge-
» nere poëmatis laſciuiore. ὁ δὲ μαγῳδὸς καλούμενος τύμπανα ἔχει καὶ κύμβαλα καὶ πάντα τὰ περὶ αὐτὸν
» ἐνδύματα γυναικεῖα: σχινίζεταί τε, καὶ πάντα ποιεῖ ἔξω κόσμου.

Defenſa communis lectio in II. libro Ariſtotelis de republica: eademq; declarata.

CAP. V.

Lapſus eſt, vir doctus & magno ingenio praeditus, Geneſius Sepulueda Ariſtotelis locum in ij. libro politicorum, corrigere volens, qui integer erat: nec opera vllius emendatoris egebat. viſum igitur mihi eſt hoc admonere, ne auctoritas ipſius optimo

ſcriptori hac parte noceat, quae ipſi aliis multis locis valde profuit. intelligo autem cum philoſophus exponit, quas putet fuiſſe veras cauſas, cur reſp. Athenienſium delapſa ſit ad popularem licentiam: e ſuiſque priſcis finibus migrauerit: inquit enim. τῆς ναυαρχίας γὰρ ἐν τοῖς Μηδικοῖς ὁ δῆμος αἴτιος γενόμενος, ἐφρονηματίσθη. ſignificant igitur haec verba, ex victoria nauali, quam reſp. Athenienſium adepta eſt, populi virtute ac robore, factum eſſe, vt illi haberent praefecturam nauium: nec ſuas tantum reliquo tempore triremes in bello ducerent, ſed etiam ſociorum: ſocij enim perſpecta & cognita tanta ipſorum virtute, libenter ſe ad ductum illorum applicauerunt. multo autem maius fuit, cauſam eſſe huius gradus honoris dignitatiſque, quam victoriae, quae tantum bonum non peperiſſet: quod contingit aliquando in bello. non opus igitur fuit, exploſa hac vera lectione, pro ναυαρχίας ſcribere perperam ναυμαχίας. Nam ipſe quoque aliquo modo vidit correctionem illam ſuam duram eſſe: vocare namq; ναυμαχίαν victoriam naualem: interitumque claſſis aduerſariorum, inſolens & inauditum eſt: & tamen, vt ſententiam ſuam tueretur, eo quoque confugit: quod ſi cogitaſſet dignitatem illam praeſtantem, natam ex ea victoria: populoque Athenienſi tribui debere eam quoque laudem, non veram certamque lectionem, ſua ſede eieciſſet.

Diſputatum diligenter de duobus locis in oratione pro M. Marcello.

CAP. VI.

ARBITROR maculam irrepſiſſe in hunc locum Ciceronis e pulcherrima oratione, quae macula prorſus delenda ſit, ne violet aliquam in partem ſpeciem ipſius: eum enim ita legatur in excuſis libris, vbi, celeritate, propria ipſius, viſum, oſtendit Caeſarem multas & longinquas terras, victorem ſemper, peragraſſe. Nec vero diiunctiſſimas terras citius, cuiuſquam paſſibus potuiſſe peragrari, quam tuis, non dicam curſibus, ſed victoriis illuſtratae ſint, exiſtimo, coniectura fretus, in extremo, vna minus priore ſyllaba, luſtratae ſint, legi debere: neque enim C. Caeſar terras illas, in quibus victoriam aliquam conſecutus eſt, illuſtrauit, aut aliquid ipſis dignitatis attulit, ſed contra potius obſcurauit, cum ipſas ſubegerit & afflixerit. Nec tamen facit aliquid (niſi fallor) contra iudicium meum, quod aliquis diceret certa quaedam loca, vbi pugnatum ſit, reddi ita clariora, cum contingat poſtea crebriorem ſermonem de illis haberi: neque enim intelligit orator haec loca, ſed valde remotas regiones. Quin autem ita crebro M. Cicero loquatur, dubitandum non eſt, ſed tamen hoc ipſius exemplum rei confirmandae non inutile erit. Cur ipſe Pythagoras & Aegyptum luſtrauit, & Perſarum magos adiit. In eadem oratione hic quoque locus (vt opinor) mendum continet, quod tamen mendum fallit multos: ſententia enim aliqua: & ea quidem minime falſa, inde elicitur. praeponenda tamen haec eſt illi, cum acutior ſit, & magis vera. nam ſecum habet antiqui libri, in quo eam offendi, auctoritatem. cum igitur excuſi ita habeant: Et in ipſo bello eadem etiam, cum capitis mei periculo, ſenſi. ſignificat autem Cicero ſe ſemper, in medio etiam ardore ciuilis belli, ſuaſorem pacis fuiſſe. In vetuſto exemplari legitur, cum partis meae periculo. Quid autem valeant haec verba perſpicitur: oſtendit enim Cicero, cum in caſtris Pompeianis eſſet, non paucos aliquando ipſi minatos fuiſſe, quod hortaretur Pompeium ad pacem, & periculum etiam interitus ipſi creaſſe. Valet autem hoc multum ad cauſam Caeſaris adiuuandam, aduerſarios ipſius, ita inimicos fuiſſe pacis, vt nomen etiam ipſius perpeti non potuerint.

Videri poſſe valde illuſtrem locum Homeri imitatum eſſe Ciceronem.

CAP. VII.

QVOD Homerus inquit de Agamemnone, qui ſpreuit preces Chryſae ſacerdotis, nec perſonam reſpexit, quam ille ſecum ferebat. Ἀλλὰ κακῶς ἀφίει, expreſſit aliquo modo Cicero in ij. de Oratore, cum loqueretur de Annibale, qui & ipſe liber valde fuerat, in iudicio de philoſopho faciendo (vt exiſtimabat ille Poenus, & non ſine cauſa quidem) arroganti ac ſtulto, cum o audiente ipſo, diſputaſſet copioſe de officio imperatoris. haec igitur Ciceronis verba ſunt. Dimitto autem eos, non tam contumelioſe, quam philoſophum illum Annibal, & quae ſequuntur. Sed etiam in iij. eorundem librorum, cum Epicureos intelligeret, ait. Quare iſtos ſine vlla contumelia dimittamus: ſunt enim & boni viri, & (quoniam ſibi ita videntur) beati. Animaduertendum autem cognoſci potuiſſe reiectum & expulſum fuiſſe ſacerdotem illum Apollinis ab Agamemnone, quamuis etiam nullum verbum addidiſſet, & tamen, quo magis aperiret iniuriam Agamemnonis,

mnonis,

mnouis, addidit poëta. κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε. quod valet, praeterquam quod ſine honore vllo dimiſerat: nec habita ratione vlla dignitatis ipſius, addidit etiam verba contumeliae ac minarum plena: & quae peſſimum animum in illum oſtenderent.

Declaratum, non diſcrepare, vt videtur, a iudicio Ariſtotelis, Ariſtophanem comicum, in ornando Themiſtocle.

CAP. VIII.

DOCVIT Ariſtoteles Periclem, ſummum oratorem, vocari debere φρόνιμον ideſt prudentem & omnes eos, qui cum laude bonoque publico in re communi verſarentur. quare & Themiſtoclem ea de cauſa dignum eſſe, qui eo nomine orparetur: ille enim quoque reip. profuit: vicitque Perſas, & ceteros tales: & tamen Ariſtophsnes περιάλλως ipſum σοφὸν appellat, ideſt ſapientem; Ariſtoteli vero ſapientes ſunt Thales, Democritus, Anaxagoras, & φυσικοὶ demum, non πολιτικοί. Videndum igitur quomodo hoc fiat, ipſe ſane puto vocatum fuiſſe a comico Themiſtoclem σοφώτατον, non quia multum verſatus in rep. ſit. verum quia fuit vir maximi ingenij, ſoluſque vidit, quod ceteros omnes fallebat, ideſt quomodo accipi deberet oraculum illud, de muro ligneo ciuitatis. Nec tamen non idem etiam alio nomine prudens merito vocandus eſt: dubium enim nemini poteſt eſſe, quin ille, non patriae tantum verum etiam vniuerſae Graeciae, vtilis conſilio ſuo & opera fuerit: ipſamque e maximo periculo eripuerit. Non me fugit etiam, auctores aliquando confundere ſolere haec nomina, & vocare σοφοὺς eos, qui verius, ſiquis praeſcriptum legemque Peripateticorum ſeruare vellet, φρόνιμοι appellandi forent: contraque. Thaletem vero conſenſu omnium vocatum fuiſſe ſapientem, idem comicus in eadem fabula aliquo modo ſignificauit, cum inquit. τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν. quem videtur ſecutus Latinus eiuſdem generis poëta: Plautus enim in Bacchidibus inquit. O Lyde es barbarus, Quem ego ſapere nimio cenſui plus quam Thalem.

Locum Ciceronis pro M. Marcello, emendatione non egere; & qui attigerunt, corrupiſſe.

CAP. IX.

VNVS aliquando litterae perturbatio parit non paruum incommodum in veteribus ſcriptoribus, quare opus eſt valde diligentes eſſe, qui in hoc munere verſantur delendi maculas ex antiquis auctoribus: & in quibus, plerumque rebus, labi ſoliti ſint imperiti librarij, cognitum habere. Cum igitur in praeclara Ciceronis oratione pro M. Marcello libri antiqui habeant effudit, pro effodit, vt ego plane puto, in hoc loco. Equidem, cum C. Marcelli, viri optimi & incredibili pietate praediti, lacrimas modo vobiſcum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit, extitit ingenioſus & eruditus vir, qui, non animaduertens, in quo peccatum foret a librarijs: illi enim pro o temere u ſcripſerant, magis adhuc, quam illic foret, locum contaminauit. nam antecedens nomen, coniectura fretus, mutauit, & ad accuſandi caſum redegit, tota ſententia variata. eam tamen, quae elicitur ex peruulgata lectione, exiſtimo veram eſſe; alteram vero illam importunam & ineptam: ſignificat enim Cicero, cum aſpexit lacrimas C. Mſrcelli, rediiſſe ſibi in animum dignitatem illius familiae, in qua tot clari viri & valde vtiles reip. ciues extiterant. effodit autem, ideſt aperuit μεταφορικῶς. memoria igitur & ſubita recordatio illorum patefecit ſibi viam in animum Ciceronis, non ipſe, quod ei tempori aptum non erat, effudit memoriam illorum. erratum igitur vnius litterae, ſi ita appellare volumus, ſatis frequens in antiqua ſcriptura, anſam ipſi dedit peccandi: vt autem u pro o hoc loco cepere, ita contra (niſi fallor) in illo Taciti, vbi nunc in iij. libro ſcriptum eſt. Eſſe apud ſe Cenchrium amnem. locum Ortygiam, o pro u: lucum enim arbitror legendum. nam infra etiam inquit. Deorumque monitu ſacratum nemus.

Quantum tribuerit Cn. Magnus Poſidonio.

CAP. X.

EXPOSVIT M. Cicero in ij. Tuſculana Cn. Mſgnum, cum Rhodum veniſſet, decedens ex Syria, Poſidonium audire diſputantem voluiſſe: & cum aliter non poſſet: nam pedum doloribus tunc ille vehementer premebatur, domum ad eum veniſſe, & de

qua

qua etiam te copioſe tunc princeps ille Stoicorum eius aetatis verba feciſſet, commemorauit. Idem quoque, ſed breuius, mandatum memoriae fuit a Strabone, non longe ab initio xi. libri, qui tamen adiungit, cum Pompeius ab eo diſcederet, ac rogaſſet ſiquid vellet, eum verſum hunc Homericum pronuntiaſſe, qui valde accommodatus eſt ad homines deſiderio laudis inflammandos: cohortandoſque, vt virtutem ſtudioſe colerent. Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Idem etiam: & loco ſane, poſitus fuit a M. Cicerone in epiſtola ad Caeſarem imp. qua illi commendauit Praecilium.

Fumare, quo verbo vſus eſt Virgilius de interitu Troiae, videri ſumptum ab Euripide.

CAP. XI.

QVOD Virgilius inquit.

Omnis humo fumat Neptunia Troia,

Videtur acceptum ab Euripide, quem poëtam, vt reliquos tragicos, noſter epicus accurate legebat: indeque multos floſculos vel potius magnos fructus decerpebat, quibus opus ſuum eximium ornaret: in prologo enim Τρῳάδων ita Neptunus loquitur, iniquo animo ferens interitum eius vrbis, quam ipſe cum Apolline ſuis manibus extruxerat.

Ἡ γὰρ καπνοῦται· καὶ πρὸς Ἀργείων δορὸς,
Ὄλωλε πορθηθεῖσα.

In fabula etiam Aeſchyli, quae inſcribitur Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, ita chorus canit, referens mala, in quae cadunt ciuitates captae ab hoſtibus.

Ἄλλος δ' ἄλλον ἄγει,
Φονεύει, τὰ δὲ καὶ πυρφορεῖ,
Καπνῷ δὲ χραίνεται πόλισμ' ἅπαν,

Sed tamen prior locus magis exprimitur verſu Latino. Accepi etiam regem Gallorum Franciſcum, cum de ſuis rebus geſtis contra Carolum Hiſpaniarum regem, magnifice, vt vere tunc facere poterat, loqueretur: initio enim illae valde ſecundae fuerunt: hoc verbo vti ſolitum: dicereque ſe feciſſe, vt multa oppida regni cuiuſdam illius ante oculos ipſius fumarent, iniecto in ipſa igne a ſuis.

Diſputatum de verbo occare, cuius duo maximi ſcriptores, rationem longe aliam attulerunt.

CAP. XII.

ANIMADVERTI duos magnos auctores, M. Tullium & M. Varronem, duo diuerſa ἔτυμα afferre huius verbi occare, cuius notio ſatis aperta eſt, ſed ipſum etiam nomen in vſu adhuc eſt, nulla mutatione facta, in aliquibus Italiae locis, vt in Vmbria. In libello igitur de ſenectute Cicero, cum de voluptatibus agricolarum loqueretur, inquit, terram intelligens. Quae cum gremio mollito ac ſubacto ſemen ſparſum excepit, primum id occaecatum cohibet, ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata eſt. Occare igitur ab occaecare factum eſſe per ſyncopen putauit Cicero. Varro autem in primo de re ruſtica. Vineas nouellas fodere, aut arare, & poſtea occare, ideſt comminuere, ne ſit glaeba, quod ita occidunt, occare dicunt. Hic igitur doctiſſimus vir, & qui plurimum ſemper ſtudij poſuit in his nominum rationibus indagandis, exiſtimat occare dictum eſſe quaſi occidere: nam aliquo modo occiduntur glaebae, cum minuuntur & franguntur. Putarem ſane ego opinionem Ciceronis anteponendam eſſe, & ſi meum non eſſe intelligo iudicium interponere inter tantos viros, niſi cum vineae quoque occari dicantur in illo opere ſemen oculi non contingat, ſed potuit id verbum ortum habere ab occatione ſegetum: cum enim id fit ſemen terra operitur, & ipſius ſane regendi ac defendendi cauſa videtur id opus fieri. In ij. tamen aratione antequam ſeratur, videtur Varro oſtendere id vſurpari ſolitum. Non me fallit autem Gabrielem Faërnum ſuperiorem locum Ciceronis aliter legere ſolitum, cuius iudicio, cum multum non ſine cauſa ſaepe tribuerim, in hoc tamen ipſi non aſſentior: ille enim, qui libellum eum de ſenectute curauit excudendum, meliorem profecto a ſe non paucis locis factum, pro occaecatum legit occatum. ipſe vero ſum huius opinionis, vt prorſus putem illic ἔτυμον eius vocis tangere voluiſſe Ciceronem: quid enim argutiarum haberet, dicere occationem dictam ab occare? quis namque hoc non videt? Illud vero Ex quo, demonſtrare videtur originem eius vocis & vnde primum profecta ſit.

Solitos quoque veteres illos ſcribere libros, in quibus, vt in his, varia materia explicata foret.

CAP. XIII.

GRAECI veteres grammatici huiuſcemodi & ipſi libros conficiebant, in quibus varias & multiplices res explicarent: illos autem, vt videtur, σύμμικτα plerumque vocabant. citatum igitur eſt teſtimonium Philemonis, grammatici, non comici, a Porphyrio Tyrio in quaeſtionibus Homericis ἐν τοῖς συμμίκτοις: nec non etiam Didymi ab Hammonio in libello, quem confecit de ſimilibus & diſcrepantibus vocabulis: ita enim inquit. Ἀλεξίων δηλοῖ ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Διδύμου συμμίκτων. arbitror igitur cum Angelus Politianus volumen ſuum, par (vt opinor) illis, inſcripſit Miſcellanea, reddere ipſum voluiſſe: interpretarique Graecum id nomen. qui ſane, vt vocem inuenit variae illi materiei ſignificandae idoneam, ita non ſatis fortaſſe puram & ſeculo illi incontaminato frequentatam: & ſi quoddam genus columbarum, ex duabus ſtirpibus concretum, miſcellum vocat M. Varro. ſed huiuſcemodi ille vocabulis aut aſperioribus adhuc, delectabatur: quae tamen vox aliis etiam, in eodem hoc genere ſcriptorum verſans, placuit. Quod commemorat A. Gellius in extremo ſui operis.

Captum aliquem eſſe oculis, non ſemper idem valere.

CAP. XIIII.

CAPTVS aliquis oculis, non ſemper eodem ſenſu dicitur. nam apud Ciceronem valet delinitus & inductus ea corporis parte, & quaſi captiuus factus: ita enim ille de C. Verre loquutus eſt. Tam & ſi ne oculis quidem captus, in hanc fraudem, tam ſceleratam ac tam nefariam, decidiſti: ſignificat enim, vt appareat ei, qui totum locum legerit, ipſum numquam aſpexiſſe, quod tam ardenter tunc cupiebat. Quin vero apud Virgilium valeat priuatus & orbatus luminibus illo in loco, dubium non eſt.

Aut oculis capti fodere cubilia talpae.

Proferre in medium, idem Latinis oſtendere, quod Graecis εἰς μέσον φέρειν.

CAP. XV.

EIΣ μέσον φέρειν a Xenophonte dictum fuit de rebus, quae corpore carent, nec manu capi poſſunt, ſed animo tantum aliquo modo & oratione in eum, quaſi locum portantur, in quo communia ſint, & a cunctis, qui illic adſunt, intelligantur: ita enim fecit ille in ſympoſio Calliam, qui conuiuio Socratem & familiares ipſius acceperat, reſpondentem. cum optimum illum & ſapientiſſimum virum in eum ſermonem induxiſſet, promiſſum Calliae referentem: pollicitus enim fuerat Callias, ſi ſecum illi honeſtiſſimi viri cenaſſent, ſe ſuam ipſis ſapientiam pateſacturum: nihil igitur ille veritus, inquit, καὶ ἐπιδείξω, ἐπεὶ καὶ ὑμεῖς ἅπαντες εἰς μέσον φέρετε, ὅ, τι ἕκαστος ἐπίστασθε ἀγαθόν. condicio vero haec, quam ille tulit, aequa eſt: nec recuſare poſſunt, qui quempiam cogunt promere, quae nouit, quin & ipſi aperiant, ſiquid in pectore habent, quod cognitu dignum ſit, & cum ipſis communicent. Eandem autem condicionem tulit Scrofa apud Varronem ſociis illius eruditae diſputationis de re pecuaria, & in ea re iis verbis vſus eſt, vt exiſtimari non inſulſe poſſit M. Varro ſuperiorem locum ſuauiſſimi ſcriptoris exprimere voluiſſe. ponam igitur verba Varronis, vt cum illis Graecis conferri poſſint, quae paria admodum inter ſe ſunt: in primis enim mihi adnotare placet, quae valde lepida & ingenioſa ſunt, & vſurpata fuere ab optimis vtriuſque linguae ſcriptoribus. Sed haec ita a nobis accipietis, inquit Scrofa, vt vos, qui eſtis Epirotici, pecuarij athletae, remuneremini nos, ac quae ſcitis, proferatis in medium: nemo enim omnia poteſt ſcire. Sed cum idem etiam non multo ſupra Coſſinium lepide ſibi minantem inducat, quem fecit dicentem. Nos te non dimittemus inquit, antequam tria illa explicaris, quae coeperas nuper dicere, cum ſumus interpellati, illud quoque videri poteſt prolatum ad imitationem Platonis, & ab illo politiſſimo ſcriptore ſumptum, quem doctiſſimus omnium Latinorum ſemper in manibus habebat: ita enim quoque apud eum, in ſermone de voluptate Protarchus cum Socrate agit, iubens illum ſtare promiſſis, ὑμᾶς σοι μετὰ παιδιᾶς ἠπειλήσαμεν. ὡς οὐκ ἀφήσομεν, πρὶν ἄν, τούτων τῶν λόγων πέρας ἱκανὸν γένηταί τι διορισθέντων.

Idem valere interuallum, & in ſua ſede poſitum, & alio translatum, quod διάστημα.

CAP. XVI.

NON ſolum idem valet apud Latinos, bonos auctores, interuallum in ſua propriaque ſede manens, quod apud Graecos διάστημα ſiue διάστασις verum etiam ambo haec nomina eodem pacto transferuntur a tempore & loco ad diſſimilitudinem aliarum rerum oſtendendam, vt cum Ariſtoteles in ix. libro de moribus ad Nicomachum, inquit, ἐν μεγάλῃ δὲ διαστάσει μάλιστα δῆλον γίνεται. Cicero quoque contra Rullum, ſuum Latinumque nomen, quod huic reſpondet, μεταφορικῶς cepit: inquit enim. Videte quantum interuallum ſit interiectum inter maiorum noſtrorum conſilia, & inter iſtorum hominum dementiam. Item pro C. Rabirio: Cum vero his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantum tandem interuallum inter te atque illum interiectum putas, ſignificat igitur ambobus his locis interuallum, διάστημα.

Simili, valde apto, declaraſſe Deianiram apud Sophoclem, quam raro potita ſit viro.

CAP. XVII.

ELEGANS admodum eſt ſimile, quo Deianira apud Sophoclem in prologo Trachiniarum obſcure ſignificauit, quam raro contigerit ipſi capere voluptatem ex viro. ſumpſit autem in ea re exponenda verba a re ruſtica, &, cum filios procreaſſet, dixit patrem eorum, inde ſubito abeuntem, imitatum fuiſſe genus quoddam agricolarum, qui cum fundum, valde remotum & longinquum arent, ſtatim illo ſato, domum reuertuntur, nec eo ante redeunt, quam tempus meſſis faciendae venerit. Verba poëtae, quibus facit hoc illam ediediſſe, ſunt haec.

Κἀφύσαμεν δὴ παῖδας, οὓς κεῖνός ποτε
Γήτης ὅπως, ἄρουραν ἔκτοπον λαβών,
Σπείρων μόνον προσεῖδε, κἀξαμῶν ἅπαξ.

Verum autem hoc eſſe: & neceſſario aliquo modo, inſtitutum id ſequi huiuſcemodi colonos, notum eſt. vnde etiam M. Varro in primo de re ruſtica, cum ſedulo de ſatione: vtilitateque, quae ex ea capitur, loqueretur, dixit agricolas eos, qui habent latas ſegetes, vt in Apulia, hac cultura ſuperſedere.

Declarare ingenium ſemper, & aliquando etiam fructum magnum ferre, tempore prolatam ſententiam nobilis poëtae.

CAP. XVIII.

QVAM lepidum, politique hominis proprium ſit, apte, temporeque vti ſententia alicuius nobilis poëtae, & quantas ſaepe vtilitates id adferat, a veteribus optimis auctoribus, declaratum eſt, in quibus etiam hoc, quod narrabo a Sexto memoriae proditum eſt. Soſtratum, doctum & acutum virum, cum miſſus foret a Ptolemaeo ad Antigonum, ſue rem, ſi poſſet, regi illi ſuo accommodatam, ab eo extorqueret, negante ipſo, obtinuiſſe quod volebat ſtatim cum his tantum Homericis verſibus pronunciatis.

Οὕτω δὴ κέλεαι γαιήοχε, κυανοχαῖτα
Τόνδε φέρω Διὶ μῦθον ἀπηνέα τε κρατερόν τε
Ἦ τι μεταστρέψεις, στρεπταὶ μέν τε φρένες ἐσθλῶν.

Auditis enim illis, conſilium mutaſſe Antigonum: editi autem hi ſunt apud diuiniſſimum poëtam ab Iri, quae miſſa fuerat ab Ioue ad Neptunum, vt illi imperaret, diſcederet ſubito e proelio: cum enim ille videretur nolle parere, & elato animo reſpondiſſet, ipſa quoque illis verbis ita verſauit animum ipſius, vt protinus dicto audiens maiori fratri fuerit. Audiui etiam centurionem quendam Germanum, cum vrbs Roma capta iam foret, non nulli tamen priuatam domum munirent: cunctaque ſedulo pararent, quae ad eam tuendam facere videbantur, ſpectato illorum inani ſtudio, exclamaſſe.

Non tali auxilio; nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.

Vixit apud nos, ſtudiorum cauſa, cum aliis quibuſdam honeſtis iuuenibus, natione itidem Germanis, Ioannes Caſelius, vir probus, & valde doctus, cum quo ego, cum deambularem

prope

prope ſacellum diuae Virginis extra vrbem, brumali die, magnoque frigore aprico tamen loco, muroque vrbis ab aquilone defenſo, atque expoſito ad meridiem, delectatus ille amoenitate loci, exclamauit apte, & ingenioſe. Hic ver perpetuum atque alienis menſibus aeſtas.

Sumpſiſſe a Graecis Latinos morem verſibus ludendi, in cuſtodem illum hortorum, quem non minus ridicule, quam ſtulte venerabantur.

CAP. XIX.

VT ingenioſi multi Latini viri: lepidique poëtae, animi cauſa verſus elegantes & acutos olim in cuſtodem illum hortorum ſcripſerunt, quem vt deum colebant: ridiculum tamen deum, & qui multis modis merito contemnendus eſſet, ita etiam Graeci, vt memoriae proditum eſt: inde enim manauit hoc inſtitutum, & nomen etiam ipſum, quo haec laſciua poëmata vocata ſunt, ab iiſdem profectum eſt: πριάπεια enim appellabantur: nonnulli tamen huius aetatis, docti homines & graues cum candore ac ſuauitate eorum carminum non ſine cauſa delectarentur, honeſtiore vocabulo libellum illum, in quo multa collecta ſunt huius argumenti carmina, vocauerunt: &, vt erant, luſus inſcripſerunt. Apud Graecos autem Euphronius, qui praecipue multa luſit in illum, aperte ſuum opus πριάπεια vocauit, cum autem ille, tenuis & ſalax deus, non Lampſaci ſolum, quae patria ipſius fuiſſe ferebatur, fanum haberet, ſed in aliis etiam oppidis Graeciae, vt in eo, quod Orneae dictum a propinquo fluuio fuit, non ignobili olim vrbe, ea de cauſa Euphronius hic, quem dixi, Orneatem deum ipſum in ſuo poëmate appellauit.

Diſputatum de variis generibus ſtercoris illius, quod laetas facit ſegetes.

CAP. XX.

QVod optimum ſtercus eſſet, ſaepe a ſtudioſis agri colendi quaerebatur. vnde qui de ratione hac ſcripſere, multa de hoc praeceperunt. M. Varro tradit etiam, quod primum & anteponendum ceteris Caſſius, diligens ſcriptor rerum ruſticarum, putarit, & quod ſecundum ac tertium. cuius iudicium magna ex parte mihi conuenire videtur ſententiae noſtrorum colonorum: niſi quod cum vno loco ponat & hoc ipſo ordine caprinum, ouillum, aſininum, exiſtimant apud nos, huius rei periti homines, diſcrimina etiam horum eſſe aliqua, ac praeſtare caprino ouillum, cuius etiam ratio aperta eſt, quia caprae frondes ac virgulis carpunt, quae ſunt aridiora: oues vero herbis pinguioribus paſcuntur. nam aſininum etiam laudatur: cauſam autem hanc afferunt bonitatis ipſius, quod aſellus mandit cibum ſubtiliter: egregieque conficit, quod ore ſumit. Theophraſtus, qui & ipſe in ij. libro de hiſtoria eorum, quae oriuntur e terra, de hac re ſedulo non nulla narrauit, caprinum ſine cauſa videtur anteponere ouillo, ſed magis tamen, vt videtur, peccat, quod ſecundum gradum bonitatis aſſignat ſuillo, quod tamen viliſſimum habetur, & maiorem vim nocendi, quam iuuandi poſſidere exiſtimatur: quare non poſſum hoc non magnopere mirari. de humano vero ſtercore ſentit Theophraſtus cum Caſſio, & putat omnium optimum eſſe. poſtremum autem & ipſe locum dat aſinino. nam, quod anteponit ipſi bouinum, quod & ipſum a noſtris non magni aeſtimatur, non videtur poſſe probari.

Rationem quandam inſerendi, tactam a Varrone, difficilem eſſe, & minime fructuoſam.

CAP. XXI.

VT non diſcedam ab eo ſtudio, quo ſemper plurimum delectatus ſum, loquitur M. Varro de quodam genere inſitionis, acuto ſane & artificij pleno, ſed (vt opinor) minime certo; nec vnde magni vnquam fructus, expectari vlli poſſint: id, quod extrema ſua aetate inuentum ſi iſſe tradit. eſt autem cum in propinquis arboribus ramulus ex vna in alteram arborem traducitur: nec tamen ſurculus ille, vt vulgo fit, abſcinditur: indeque demptus, in alteram inſeritur, ſed haerens adhuc ſuae ſtirpi & tamquam matri, ramulus, ea ratione, qua ipſe accurate praecipit, cum altero pari ramulo copulatur ac connectitur: deinde poſtero anno, cum iam comprehendit, vnde propagatur, praeciditur, atque omnino fit pars arboris eius, in quam traductus eſt, vitium autem huius inſitionis; & vnde naſcatur, vt fru-

ctuoſam ipſam non putem, eſt, quia ramulus ille, qui demitur a ſua ſtirpe, non vt in arbore ſtabat, in alteram defigitur, ſed inuerſus & cacumine terram, non caelum ſpectans. quare veriſimile eſt eum, & quidquid inde oritur, ſterile & infoecundum futurum: rami enim mali, & fici, & aliarum itidem arborum, qui ita ſeruntur, plerumq; intereunt: & ſi forte comprehendunt, non valde creſcunt, vnde nos patrio noſtro ſermone, vocabulo, quod fluxit e Graeca lingua, nanos ficos illas, aut malos vocamus: tranſlato ab animantibus nomine. non paucas enim huiuſcemodi in vaſis, deliciarum cauſa, habere in vrbibus virgines conſueuere. Habent tamen (vt hoc quoque addam) qui deliciis his capiuntur: & quaſi naturae aduerſantur, rationem aliam, qua idem fiat: ſolent enim in puſillis malis ramulos, quicunque nati fuerint, ſtudioſe falce praecidere: atque hoc ita crebro facere, vt tandem defeſſa arbos, frequentibus illis plagis, amittat vim ſuam: ſtudiumque creſcendi: contentaque ſit ſua exiguitate. Sed ad ſuperiorem rationem reuertar. Laborare illo nomine ſtirpes ita ſatas, indicauit etiam Columella, vbi de ſeminariis olearum faciendis accurate diſputauit. Qui igitur excogitauit hanc ſpeciem, induſtriam potius ſuam oſtentauit, quam aliquid, quo fructus agrorum, auxerit, animaduertit, vt faciunt etiam qui in vlmum platanumne multa & varia genera foecundarum ſtirpium inſerunt: vnde apud Plutarchum in ſympoſiacis quidam monſtra haec arborum, appellat: ac ſimile quiddam ipſos facere dicit, ac poëtae fecerunt, qui ſphingas & chimaeras finxerunt. Nec tamen non hoc quoque ſtudium, quod magis poteſt oculos oblectare, quam ὑπερῴον implere, in Germaniam tranſiit, vt mihi narrauit Ioachimus Baſſeuitius, adoleſcens nobilis atque elegantis ingenij, qui cum iuri ciuili cognoſcendo ſe nunc tradiderit: antea tamen plurimum ſtudij poſuit in omni ingenua arte perdiſcenda: multumque profecit, qua eſt natura praeditus, in his etiam humanioribus & omni polito iuuene dignis, ſtudiis.

Inuenta, quae fuerit apud veteres Graecos, forma poculi, quod vocabant ἀμφικύπελλον.

CAP. XXII.

NON male collocati operam puto in eruendis e tenebris quibuſdam rebus, quae in more fuerint veterum illorum Graecorum aut Romanorum hominum, ſaltem vt ſcriptores, qui de ipſis egerunt, melius intelligantur. quare nunc aperire ſtatui, inueſtigatam (niſi fallor) a me, quae fuerit forma poculi, quod Graeci antiquitus vocabant ἀμφικύπελλον, cuius poculi meminit pluribus in locis Homerus: praeſertim cum videam grammaticos pleroſque, qui eam tradere voluerunt, erraſſe: nec vllam in partem, quod conati ſunt, praeſtitiſſe: putarunt enim ita illi vocatum, quia περιφερὲς ac rotundum foret: ipſe vero arbitror appellatum, quia geminum ac duplex eſſet, eadem ratione, qua ἀμφιθέατρον dictum eſt, quia duo quaſi theatra e regione poſita ſunt, & alterum in alterum conuerſum, & ἀμφίστομον & alia multa huiuſcemodi: nam quin altera pars huius iuncti nominis poculum valeat, dubium non eſt. vnde hodie quoque Romae vaſa quaedam, vino ferendo facta, vulgo vocant cupelle, ſed vt ad integrum nomen redeam, ducor ad illo modo de amphicypello exiſtimandum, primum teſtimonio Ariſtotelis, deinde, ſi quid dubij reſtabat, re ipſa, quam totam diligenter ſpectaui. ille igitur in ix. libro de hiſtoria animantium, quo loco de apibus copioſe ſubtiliterque diſſerit: fauiſque ipſarum, oſtendens quomodo conſtruantur, de cellis fauorum ipſorum (ita enim M. Varro appellat, quas Ariſtoteles θυρίδας) loquens commemorat cellas, & eas in quibus mel apes condunt: & itidem eas, in quibus nouellas apes fingunt, habere duo quaſi contraria ora, & eſſe demum ἀμφίστομος, cuius fabricae ſtatim rationem reddens, inquit. Circa vnum enim ſolum & quaſi fundamentum (βάσιν ipſe vocat) ſunt duae cellae, quarum altera intra; altera vero extra vergit, qualis eſt forma ἀμφικυπέλλων, ideſt poculorum horum,
„ quae diximus, ſed rectum eſſe puto verba ipſius Graeca cuncta huc transferre. Αἱ δὲ θυρίδες καὶ
„ αἱ τοῦ μέλιτος, καὶ αἱ τῶν χαδόνων, ἀμφίστομοι· περὶ μίαν γὰρ βάσιν δύο θυρίδες εἰσίν, ὥσπερ ἡ τῶν ἀμφικυπέλ-
„ λων· ἁ μὲν, ἐντὸς· ἁ δὲ, ἐκτός. Vt igitur magis rem illuſtraret, imagine vſus fuit Ariſtoteles rei, quae ipſius aetate nota erat, & omnibus horis diei manibus tenebatur: & ſane tunc nullum ſimile excogitari potuit, quod magis rem ante oculos conſtitueret. ſed quia res ea, non natura, ſed arte conſtabat, & in moribus hominum: inſtitutiſque manebat, qui mores facile mutantur, amiſſa forma eorum poculorum, lucem nullam afferebat, ſed tota illa imago irrita reſtabat.
„ vnde etiam Euſtathius interpres Homeri, in illum locum eius poëtae, ἰδέξατο χειρὶ κύπελλον, qui ſane locum ſuperiorem Ariſtotelis viderat, ipſe etiam de hoc queritur: affirmatque, quia cum etiam ille vixit, ignorabatur forma ἀμφικυπέλλων, eam imaginem lucem nullam afferre: potiuſque contra fauis apum notatis: celliſque illis diligenter animaduerſis, quae variatae non ſunt, indagari poſſe (quod tamen ipſe non praeſtitit) quae fuerit olim ſpecies ἀμφικυπέλλων: ipſe autem cum rurieſſem, ac partem illam doctiſſimi Latini ſcriptoris diligenter legerem, prompto ex alueo fauo, totam rem perſpexi: atque egregie reſpondere ei, quod refert Ariſtoteles, cognoui, & ipſam etiam Ioanni Caſelio, & Ioachimo Baſſeuitio, Germanis, qui mecum accurate

legebant opus illud Varronis de re ruſtica, monſtraui. Non poteſt igitur fallere amplius quempiam forma ἑξαγώνου, & qui fauum aſpexerit, ſubito ipſam contemplabitur. Planum autem eſt, cellas eas conſtare ſex angulis, totidem quot habet apis pedes. Si quis igitur longum vas aliquod confecerit, quod ſex latera habeat, in eiuſque media ſui parte diuiſum ſit, atque ita habeat baſim illam ac fundum communem vtriq; poculo, is ἀμφικύπελλον confecerit. Poterat igitur vtraque parte huius duplicis poculi bibi, ſed non ſimul pocula illa vini plena eſſe, quod enim vacuum erat, ſi alicubi collocare aliquis voluiſſet, vſum fundi pediſque praeſtabat.

Φορὰν & αὐχμὸν, rei ruſticae propria nomina, tranſlata fuiſſe eleganter ad alias res oſtendendas.

CAP. XXIII.

VT Demoſthenes, transferens e ſua ſede verbum, vocauit φορὰν προδοτῶν, vbertatem & copiam nefariorum hominum, qui vtilitatem & dignitatem patriae proderent hoſtibus, empti pecunia, ita Plato, contrarium ſignificare volens, αὐχμὸν, egeſtatem & penuriam doctorum & ſapientium virorum inquit. haec enim apud eum in Menona, Socratis verba ſunt, qui tamen, ne durior foret translatio veritus, ex ipſa fecit imaginem. ἐνθάδε δὲ ὦ φίλε Μένων τὸ ἐναντίον περιέστηκεν ὥσπερ αὐχμός τις τῆς σοφίας γέγονεν. καὶ κινδυνεύει ἐκ τῶνδε τῶν τόπων παρ᾽ ὑμᾶς οἴχεσθαι ἡ σοφία. non eſt autem dubium quin αὐχμὸς verbum agricolarum ſit, atque illic ſignificet ſquallorem & ſterilitatem annonae, quae inde naſcitur. Eodem autem pacto idem politiſſimus ſcriptor, translato verbo vſus, dixit. συμπένομαι τοῖς πολίταις τούτου τοῦ πράγματος: neque enim proprie paupertas de ſapientia dicitur. Simile quoque huic eſt illud Euripidis, qui cum mendicitatem & ſordes ſignificare vellet: & animum denique tenuem & anguſtum, vocauit ipſum λιμὸν: eſt autem locus in Electra, vbi tradit nullam eſſe certam notam in hominibus, quae declaret magnitudinem animi, ſed ingenia mortalium continere in ſe magnos errores & plurimam harum rerum confuſionem, cum inueniantur quidam, generoſis parentibus orti, qui nihili ſunt: eodemque pacto diuites puſillum & humilem animum habentes: contraque tenues homines, amplo & proprio diuitum animo praediti: inquit igitur, partem exprimens huius ſententiae.

Λιμόν τ᾽ ἐν ἀνδρὸς πλουσίου φρονήματι

Intellexitque, λιμὸν dicens, μικροψυχίαν, id, quod oſtendi. Animaduertendum autem, imitatum Demoſthenem, M. Ciceronem, dixiſſe aliquando & ipſum vbertatem talium rerum, vt Plinius quoque in epiſtola quadam appellauit eodem animo, prouentum poëtarum. φέρειν autem, vnde nomen illud Graecum conformatum eſt, non ſignificat ſimpliciter gignere, ſed praeterea copiam eius rei & vbertatem oſtendit: vt perſpicitur etiam ex hac voce quae frequens in ore olim erat Graecorum agricolarum. ἥτε φέρει, οὐχὶ ἄρουρα.

Diſputatum diligenter de loco quodam Ciceronis, qui videtur errori alicui affinis.

CAP. XXIIII.

VERBA haec M. Tullij ſunt e ij. libro de diuinatione, Hoc ſentit Homerus, quum querentem Iouem inducit, quod Sarpedonem filium a morte, contra fatum, eripere non poſſet. Si quis tamen locum illum homericum diligenter attendet, facile videbit, minime facere poëtam id, quod narrat Latinus hic ſcriptor: neque enim inducit Homerus Iouem cum dolore dicentem, ſe non poſſe interitu liberare filium, cum cuperet, ſed dubitantem an hoc ipſum facere oporteat contra fatum, aeternamque illam ſeriem cauſarum, in ancipitique demum animum ipſius eſſe. Locus ſane eſt illuſtris. cum tamen omnis quaeſtio de ſententia ipſius ſit, non eſt alienum ipſum huc transferre. Haec igitur verba Iouis ſunt.

Ὤ μοι ἐγὼν, ὅτι μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν,
Μοῖρ᾽ ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.
Διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι
Ἤ μιν ζωὸν ἐόντα μάχης ἀπὸ δακρυοέσσης
Θείω ἀναρπάξας Λυκίης ἐνὶ πίονι δήμῳ.
Ἦ ἤδη ὑπὸ χερσὶ Μενοιτιάδαο δαμάσσω.

Quid dicemus igitur? memoriam Ciceronem decepiſſe? ſic certe neceſſe eſt: neque enim video quomodo aliter hoc contingere potuerit. Vt autem aliquid addamus, quod ad docendum valeat, Putarunt olim eruditi & acuti viri documentum hoc dare poëtam voluiſſe, aperireque quantus eſſet amor parentum erga liberos, & quam ſaepe homines impellat ad ea, quae recta honeſtaque non ſunt. cum Iuppiter ipſe omnia permiſcere vellet, vt a morte filium eriperet, ſed Iuno deterruit ipſum ab eo conſilio: nec paſſa eſt virum tantopere peccare propter motum animi.

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXXV.

Emendatus locus in i. de oratore: explicataque locutio, propria iuriſconſultorum.

CAP. I.

LOCVM in primo libro de Oratore, ſine vlla dubitatione deprauatum, ope ſcriptorum librorum, videor mihi correxiſſe. an verum hoc ſit, docti viri iudicabunt: cum enim in omnibus excuſis legatur. Icciteo qui, quibus verbis herciſceri oporteat, neſciat, idem herciſcundae familiae cauſam agere non poſſit. mendum igitur manet in verbo herciſceri. quod indefinitum tempus, ſi locum illic haberet: notioque eius ſententiae Ciceronis quadraret, herciſci eſſe debuit, hoc autem planum eſt. ſed totum id verbum inde remouendum eſt, pro eoque erctum cieri illic poni debet, vt fere legitur in libris, quos ſignificaui; vna enim tantum littera leuiter immutata, in ipſis, eretum cieri ſcriptum eſt. quod ſi ex e facias c, totus locus reſtitutus eſt. Quid autem ſit erctum cieri. quae verba & quod factum, erant propria veterum illorum iuriſconſultorum, docet Sex. Pompeius aliquo modo hoc pacto. Erctum citumque fit inter conſortes, vt in libris legum R. legitur. Erctum ab ercendo dictum, vt & ercifcundae & erciſci. Citum autem eſt vocatum a ciendo. Sed & apud Ciceronem in aliis locis & in digeſtorum libro x. mentio eſt familiae erciſcundae. nam ſine aſpiratione habet hoc verbum optimum quoque noſtrum Pandectarum exemplar, vt ſcriptum ipſum eſt apud Feſtum. Cum haec multo antea aduotaſſem, vidi, appropinquante iam editione horum librorum, in volumine Ciceronis, quod excuſum eſt Lutetiae ſtudio Dionyſij Lambini, legi erciſci cieri: quod ſane minus corruptum eſt, quam ſuperior lectio: & ſi nullo modo integrum. Sed ille etiam, vir doctus, odoratus eſt veram lectionem: nec tamen potuit ad cubile ipſius peruenire, qui in ſcholio inquit, cum valde contaminatam lectionem certi libri repudiaret, ſe plane neſcire quid ſibi illa velit, niſi dicat illud eſſe arctum citumque, quod eſt apud Feſtum.

Virgilianum locum, expreſſum e Theocrito, videri habere altiorem originem.

CAP. II.

NON eſt dubinm, quin Virgilius in paſtorali carmine, cum cecinit. Vt vidi, vt perij, exprimere locum Thuctiti voluerit, qui & ipſe, in eodem argumento tractando, prius dixerat, ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην. viſum tamen mihi eſt admonere, hanc elegantem concinnamq; ſententiam fluxiſſe e fonte omnis ſuauitatis & eruditionis, Homero, qui pluribus locis luſit in iiſdem paene nominibus: & eadem prorſus venuſtate, formaque dicendi: eleganter autem in primis & valde huic loco appoſite, cum finxit Iouem aſpexiſſe in Ida monte Iunonem, comptam & omnibus lenociniis exornatam, quo loco inquit.

Ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν.

Item, vbi facit Thetin ante pedes filij poſuiſſe arma: quae, rogatus ab ea, ipſi fabricatus fuerat Vulcanus: inqnit enim, cum prius narraſſet aſpectu eorum armorum cohorruiſſe Myrmidonas. αὐτὰρ ἀχιλλεύς. Ὡς εἶδ', ὥς μιν μᾶλλον ἔδυ χόλος. deinde multo poſt, vbi commemorat Hectorem, caede Polydori irritatum, ſteiiſſe contra Achillem, interfectorem eius vt fratrem vlciſceretur: inqnit enim, αὐτὰρ ἀχιλλεὺς. Ὡς ἴδ', ὡς ἀνέπαλτο. multis igitur & illuſtribus exemplis declaratum eſt ſummum poetam auctorem fuiſſe huius quoque feſtiuitatis.

Locus M. Varronis, coniectura emendatus, quam adiuuat, idem tradens, Theophraſtus.

CAP. III.

FVGIT me olim haec macula in M. Varrone emendando, quare nunc oportere duxi eam delere, ne amplius pulcherrimum eius corpus inquinet. Vbi igitur in primo libro de re ruſtica in excuſis legitur. Neque radices longius procedunt, niſi quo tempore venit ſol, legi debet, ratione hoc docente, tepore, dempta e ſuperiore deprauato nomine, tertia litera. Locus Theophraſti, vnde omnis haec ſententia ſumpta eſt, hoc verum eſſe oſtendit: negat enim radices arborum altius penetrare quam quo ſolis impetus, radiique perueniant. haec vero illa ſunt. In primo libro φυτικῶν αἰτιῶν, [illegible] Sed etiam Plinius, qui in xvi. libro, inquit. Quidam non altius deſcendere radices, quam ſolis calor tepefaciat.

Explicatum quid valeat in epiſtola ad Q. Ciceronem, [illegible].

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP. IIII.

ERVDITE M. Cicero vſus eſt verbo Graeco [illegible], in epiſtola quadam ad Quinctum fratrem. nam eundem etiam, quod diſſimile non eſt, [illegible] a rei familiaris cura, ad epiſtolae ordinem, alio loco tranſtuliſſe, planum & apertum eſt. haec igitur ipſius verba ſunt. Hic [illegible] quiddam [illegible], de iis, quae in Seſtium apparabantur crimina. ſignificat autem ſe, nactum occaſionem quandam, in defenſione Beſtiae de ambitu, non nulla ediſſe, quae valde pertinebant ad Seſtij cauſam adiuuandam & quaſi viam muniebant futurae illi defenſioni. eodem verbo vſus eſt Proclus Lycius in commentariis in Euclidem, in conſilio geometrarum aperiendo: nec geometrarum ſolum, ſed etiam reliquorum doctorum hominum, qui tradunt artem aliquam: quod igitur facere ipſos oportere Proclus docet, ſe feciſſe ſedulo teſtatur M. Cicero. Verba Procli ſunt. [illegible] τέχνην, [illegible] τὰς λύσεις. ideſt expectatur merito ab eo, qui ſcientiam aliquam artemque tradit: propriumque hoc ipſius eſt, vt mature, antequam eo peruentum ſit, aperiat, quomodo nodi quaeſtionesque, quae oriri poſtea illic poſſint, diſſoluantur.

Qui ſit apud hiſtoricos Graecos ἀγὼν ὑπὲρ τῶν ὅλων.

CAP. V.

AΓΩΝ, ſiue κίνδυνος, ὑπὲρ τῶν ὅλων a Graecis hiſtoriae ſcriptoribus appellabatur, cum omnes copiae cum hoſtibus depugnabant: & non tantum exercitus aliqua pars in aciem deſcendebat. vt ſi forte ipſa male pugnaſſet, reliquae copiae ſaluae incolumeſque forent. Polybius certe ita locutus eſt pluribus locis. vt in v. libro, cum inquit. [illegible] ὑπὲρ τῶν ὅλων [illegible]. & in eodem libro multo poſt. [illegible] κίνδυνον. Quare puto locum hunc apud eum auctorem mendoſum eſſe. & vt legitur in his exemplis, quae poſui, ita etiam illic legi debere. ideſt pro ὑπὲρ τῶν νομάδων, quod plane corruptum, alienumque inde eſt, ὑπὲρ τῶν ὅλων. [illegible] eſt autem in iij. libro: loquiturque illic auctor de Fabio Maximo: qui, ſummo conſilio vſus, decreuerat non depugnare cum Annibale: intelligebat enim ſi id feciſſet, inferiorem ſe valde in eo certamine futurum ac prorſus incommodum aliquod magnum accepturum.

Monſtratus Homeri locus, ſimilis Virgiliano: item alius C. Caeſaris.

CAP. VI.

MIRATVR molem Aeneas, magalia quondam:
Miratur portas, ſtrepitumque & ſtrata viarum. Et quae ſequuntur.
Hunc Virgilij locum, cum Aeneas, tempeſtate iactatus, Carthaginem venit, auſim

affirmare expreſſum eſſe ex Homero: ille enim quoque naufragum Vlyſſem, cum, amiſſis ſociis, a Nauſicaa, regis Alcinoi filia, in vrbem Phaeacum ductus eſt, fecit mirari & portus Phaeacum & naues & moenia vrbis & fora. quibus omnibus rebus intelligitur amplitudo & dignitas alicuius ciuitatis, & publicorum in ea locorum. ambo autem principium ducunt a motu, qui ſubito inuaſit animos duorum illorum ſapientium virorum. verſus Homeri ſunt hi.

» Θαύμαζεν δ' Ὀδυσεὺς λιμένας, καὶ νῆας ἐΐσας:
» Αὐτῶν δ' ἡρώων ἀγορὰς, καὶ τείχεα μακρὰ,
» Ὑψηλὰ, σκολόπεσσιν ἀρηρότα, θαῦμα ἰδέσθαι,

Sed alium etiam, aſſimilem his, locum oſtendere libet, magni & ipſius auctoris, ſed non poëtae. qui & ipſe eximie declarauit eundem affectum, excitatum repente in ſuo pectore, quum ſpectauit rem nouam & ſupra omnem ipſius expectationem: Caeſar enim in v. libro de bello » Gallico, ita loquitur. Inſtitutas turres, teſtudines, munitioneſque hoſtium admiratur. Valet vero hoc multum ad ſignificandam ipſius virtutem: fortiſſimique exercitus conſtantiam ac robur, qui ſuperare potuerit tot tantaſque difficultates. Non eſt autem haec, ſi diligenter attendimus, admiratio illa, quam vehementer accuſabat Democritus: ac vitam beatam impedire aut partam iam labefactare opinabatur, cum in primis laudaret ἀθαυμαστίαν: animumque vacuum ab ipſa & qui deſpiceret cuncta, quae ceteri ſine cauſa ſuſpiciunt: non putabat enim ille oportere, qui ſecuro animo eſſe vellet, admirari aurum, gemmas, veſtes pretioſas, picturas, ac ſtatuas, magno artificio confectas, populares honores & cetera huiuſcemodi, quorum deſiderio magno, qui tenentur, numquam ſitum illam ſuam explere poſſunt. quare in omni vita ſolliciti ſunt. contra autem quae praeter opinionem noſtram ſunt ac videntur ſuperare vires ac fortunas eorum, qui fecerunt, poſſumus ſine culpa admirari. Intellexiſſe vero Democritum ea, quae oſtendimus, docuit Horatius, qui initio epiſtolae ad Numicium ſententiam illam ſibi propoſuit: accurateque explicauit, quamuis nomen ſummi phyſici reticuerit. Nec tamen (vt opinor) illas tantum res non debere nos admirari, Democritus putauit, verum etiam multas, quae natura fiunt, quarum cauſas qui ignoraret, neceſſario perturbaretur: metuque ſaepe magno ac ſuperſtitione vexaretur. Vſum vero fuiſſe Democritum Graeco illo nomine, quod ſupra poſui, docuit Strabo, qui in i. libro, cum de admirandis quibuſdam rebus, quae terraemotibus tempeſtatibuſque aliis ſaeuiſſimis factae forent: ſiue etiam voluntate hominum incredibili ac paene abſurda, loqueretur, vt de gentibus non nullis, quae ſedes mutaſſent, ac » relictis ſuis veteribus domiciliis, in longinqua loca ſe contuliſſent, inquit. περιθέντας δὲ καὶ » ἐκ τῆς μνημονευομένης μεταβολῆς, ὧν πλείω τὴν ἀθαυμαστίαν ἡμῖν κατασκευάζειν ἐθέλοντες. ἣν ὑμνεῖ Δημόκριτος, » καὶ οἱ ἄλλοι φιλόσοφοι πάντες: παράκειται γὰρ τῷ ἀθαμβεῖ, καὶ ἀταράχῳ, καὶ ἀνεκπλήκτῳ. Plutarchus vero in libello περὶ τοῦ ἀκούειν, tradit hoc Pythagoram edidiſſe, qui cum ex eo quaeſitum fuiſſet, quid ei ſupereſſet ex diuturno illo ſtudio ſapientiae, reſpondarit, nihil admirari: Neque tamen exiſtimandum eſt alterutrum horum erraſſe: Strabo enim quoque affirmat non Democritum ſolum, ſed etiam ceteros philoſophos, idem probaſſe, qui cuncti e pectoribus ſuis ſumma cura eiecerint admirationem nimiam quarundam rerum. hos autem ipſos: phyſicos inquam & toto animo occupatos in cauſis rerum inueſtigandis putare debemus intellexiſſe Horatium in epiſtola illa, cum ſcripſit φυσικῶς.

» Hunc ſolem & ſtellas & decedentia certis
» Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla
» Imbuti ſpectent. quid cenſes munera terrae?
» Quid maris, extremos Arabas ditantis & Indos?

Quid ſit apud Euripidem σῶμα ἄφυλλον, declaratum: comprobatumque id auctoritate noſtri grandioris poëtae.

CAP. VII.

APPELLAVIT Euripides Oreſtem in fabula, cui ille nomen dedit, cum huius ipſius miſeri iuuenis faciem intelligeret, σῶμα ἄφυλλον: ipſe enim Oreſtes illic de ſe ipſo ita cum patruo loquitur, cuius opem eo tempore implorabat.

» ἱκέτης ἀφύλλου στόματος ἐξάπτων λιτάς.

Declaratio Graeca ita locum accipit, putatque Oreſtem hoc dicere, quia non manu geſtet ramos ſupplicum, quibus monſtratis mos erat miſericordiam excitare. eodem pacto etiam Heſychius ſuo in lexico id interpretatur, his verbis vtens. ἀντὶ ἱκετηρίας. quid tamen ego ſentiam de hoc loco libet aperire: exiſtimo enim ἄφυλλον verbum eſſe hic tranſlatum: valereque macrum ac ſine carne: caro enim in animantibus reſpondet foliis arborum, vt contra oſſa, ramis ac truncis. quin autem huiuſcemodi foret tunc Oreſtes dubium non eſt: confectus enim curis

& cruciatu

& cruciatu maximorum dolorum, amiſerat non modo colorem ac ſpeciem, ſed ſucum etiam ac ſanguinem corporis: confirmauit autem me in hac mente, quia video Dantem noſtrum, ſummi ingenij poëtam, eadem metaphora vſum, cum & ipſe tenuem hominem, macieque conſumptum ſignificare vellet. & vt tragicus vocauit ἄφυλλον σῶμα. ideſt ſine folijs & omni illo honore carens, ita ipſum diſiſſe sfogliare. totus locus noſtri poëtae hic eſt.

La faccia tua, ch'io lagrimai gia morta,
Mi da di pianger mo non minor voglia
Riſpuoſi lui, mirandola ſi torta.
Però mi di per Dio, che ſi vi sfoglia.

Indicatus Thucydidis locus, quem cum exprimeret Lucretius, non videtur verum ſenſum eius percepiſſe.

CAP. VIII.

NISI forte ipſe fallor, non vidit verum ſenſum Thucydidis Lucretius, in certo quodam loco exprimendo illius peſtilentiae, quam deſcripſit diligenter ille hiſtoricus. indicabo igitur ipſum & quid vitij illic putem manere, aperiam, vt accurate res examinetur ab eruditis viris. Cum igitur Latinus ita reddiderit omnem eam partem,

Profluuium vero, cui tetri ſanguinis acre
Exierat, tamen in neruos hic morbus & artus
Ibat, & in partes genitalis corporis ipſas:
Et grauiter partim metuentes limina leti,
Viuebant ferro priuati parte virili.
Et manibus ſine non nulli, pedibuſque manebant
In vita tamen & perdebant lumina partim.
Vſque adeo mortis metus hic inceſſerat acer.

Videtur ita ipſam accepiſſe: vt non defuerint etiam qui, mortem valde metuentes, poſtquam omnis vis morbi ingruiſſet in extremas illas partes corporis, quas appellat, aequo animo paſſi ſint a chirurgo membra illa praecidi: vt fieri ſolet in cancro curando, ſi forte illas partes occupauit, aut ipſimet ſibi ipſis ea membra amputauerint: quod enim inquit ferro, videtur hoc plane oſtendere: & praeterea quod addit de tanto illo metu. quarum rerum mentio eſt nulla apud Graecum ſcriptorem. exiſtimo igitur ipſe, impetu morbi membra ea extincta fuiſſe, non manu medici, aut extrinſeca vlla vi adhibita. ſed de hoc vt dixi, cogitabunt docti & prudentes viri. locum vero in ij. libro illius hiſtoriae hic ponam, vt melius inter ſe ambo conferri poſſint. καὶ εἴ τις ἐκ τῶν μεγίστων περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε· κατέσκηπτε γὰρ ἐς αἰδοῖα καὶ ἐς ἄκρας χεῖρας καὶ πόδας, καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων, διέφευγον· εἰσὶ δ' οἳ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν.

Quod feciſſe narrant Tarquinium in filio ad ſcelus imbuendo, idem antea feciſſe Periandrum.

CAP. IX.

TECTA illa & callida ratio, qua vſum fuiſſe Tarquinium patrem in filio erudiendo, & ad ſcelus perficiendum exacuendo, narrat T. Liuius, videtur ſumpta ex Graeca hiſtoria. Periander namque prius idem fecerat & aſtute admodum, quid fieri oporteret ab eo, qui in libera ciuitate dominari vellet, ſignificarat. tetigit quoq; hanc rem Ariſtoteles & in iij. & in v. libro de republica, breuius tamen poſteriore loco. cum autem in re illa exponenda Liuius dicat. Huic nuntio, quia (credo) dubiae fidei videbatur, nihil voce reſponſum eſt, non videtur ſatis acute factum illud interpretatus eſſe: nec rationem earum rerum tractandarum tenuiſſe: neque enim obſcure ſignificauit Tarquinius illi nuntio, quid facto opus eſſet, quia ſuſpectam fidem eius haberet: veriſimile namque erat a Sexto e multis delectum eſſe fidelem in primis hominem, ſed quia huiuſcemodi conſilia, cum fieri poteſt, non ſunt vlli committenda, varijs multiſq; de rebus. Nam contingere etiam potuiſſet, vt ab eo, ſi forte captus fuiſſet, veritas eius facti, quaeſtionibus extorqueretur: atque ita conſilium totum diſturbatum fuiſſet: exitiumq; filio creatum. quare Ariſtoteles prudenter id non attigit. In eodem autem conſilio commemorando diſſentiunt etiam, quod Liuius ſumma papauerum capita decuſſiſſe Tarquinium tradit. Ariſtoteles vero ſummas &

eminentiores ſpicas: inquit enim, ἀφαιρέοντα δὲ αἰεὶ ὑπερέχοντας τῶν σταχύων. Sed Herodotus etiam in Terpſichore, vnde philoſophus hiſtoriam hanc accepit & iiſdem paene verbis expoſuit, eaſdem appellauit: nam inquit. καὶ ἐκέλευε αἰεὶ ὅκως τινὰ ἴδοι, τὸν ἀσταχύων ὑπερέχοντα τὸν ἀμᾶν. Sed etiam Euripides in fabula, cuius index eſt ἱκέτιδες, cum induceret Theſeum accuſantem tyrannidem & hoc etiam in aliis multis ſceleribus, eos iniuſtos principes moliri doceret, eadem materia ſtirpeque vſus eſt: nam inquit.

Ὅταν τις, ὡς λειμῶνος ἠρινοῦ στάχυν,
Τόλμας ἀφαιρῇ κἀποθερίζῃ νέους.

Cum inſimulet Cicero Homerum, qui humana facta diis tribueret, demonſtratum feciſſe idem, liberius adhuc Graecos quoſdam auctores.

CAP. X.

Quod Cicero inquit, loco ſatis illuſtri. Fingebat haec Homerus & humana ad deos transferebat, dictum antea fuerat a Graecia, doctiſſimis hominibus: qui, pietati dediti, parum aequo animo ferebant, naturam deorum immortalium violatam eſſe commenticiis huiuſcemodi fabulis: & rebus, quas non ſolum in ipſis, verum etiam hominibus, ſi ab ipſis gerantur, inurunt turpes admodum notas. Xenophanes, qui de pietate & natura deorum apud Graecos verſibus ſcripſit, queſtus & ipſe eſt de hoc conſilio poëtarum & principes eorum nominatim accuſauit: hi enim verſus ipſius leguntur apud Sextum.

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε,
Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶν
Κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Eſſe vero ipſos Xenophanis ille antea ſignificarat. Sed etiam apud Euripidem in Iphigenia in Tauris vt ſacerdos, ſed tamen deae illius miniſtratrix, quae putaretur gaudere caede hominum, Idem facit: affirmatque illos mortales: neque enim vniuerſe de omnibus loquitur, verum de illis tantum, apud quos vitam degeret, & barbaros & immanes, cum ipſi caedibus cotidianis inquinentur, improbe affingere eandem culpam illi deae. ante vero eadem quaſi inſimulans poëtas & qui haec comminiſcebantur, oſtendit ſe nullo modo credere deos aliquando humanam carnem voraſſe. id eſt in conuiuio humerum Pelopis abſumpſiſſe. cum igitur ita loquatur.

ἐγὼ μὲν οὖν.
Τὰ Ταντάλου θεοῖσιν ἑστιάματα
Ἄπιστα κρίνω, παιδὸς ἡσθῆναι βορᾷ,

Idem de eadem re dixit, quod Pindarus, vt notum eſt. Sed ad Ciceronem redeamus: qui ſuperioribus verbis addidit. mallem diuina ad nos. Vellem autem me Cicero docuiſſet, quomodo id efficere Homerus potuiſſet. nam, cùm humana facta diis tribueret, minuebat ſane multum de maieſtate & pietate eorum, ſed tamen ab artificio ſuo non diſcedebat: quomodo vero ipſe diuina ad homines comportare poſſet, niſi verbis tantum, non video. Vt autem Xenophanes accuſauit Homerum atque Heſiodum, qui facta improba ac propria hominum impurorum, tribuerent diis, ita Empedocles reprehendit eoſdem: ac ceteros omnes poëtas, qui ſpeciem hominis ipſis affingerent, quae nullo modo, vt ipſe docet, diis congruebat. Hi autem verſus ipſius leguntur apud Hammonium in commentario in ſegmentum iiij. Ariſtotelis περὶ ἑρμηνείας: quibus Agrigentinus ille ſapiens queritur in hanc culpam incidiſſe mortales. tunc autem de Apolline loquebatur: nec tamen non ceteros etiam deos intelligebat, qui omnes forma illa praediti fingebantur.

Οὔτε γὰρ ἀνδρομέῃ κεφαλῇ κατὰ γυῖα κέκασται,
Οὐ μὲν ἀπαὶ νώτοιο γε δύο κλάδοι ἀΐσσονται,
Οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦνα, οὐ μήδεα λαχνήεντα,
Ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ, καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον,
Φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσι.

Sententiam grauem Ciceronis editam fuiſſe prius a Graeco ſcriptore, ſed incerto.

CAP. XI.

Quod Cicero pro Q. Ligario protulit. Homines ad deos nulla re propius accedere, quam ſalutem hominibus dando, expreſſum ab ipſo fuit e Graeco ſermone: dixerat enim id antea eius gentis homo, ſapiens (vt apparet) & acutus, Strabo in x. libro eius

bro eius

bro eius vocis meminit: quam etiam laudat, quamuis auctorem eius non nominet: & infra etiam conetur eam meliorem reddere. verba eius ſunt. εὖ μὲν γὰρ ἐκεῖνο καὶ τοῦτο, τὸν ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεούς, ὅταν εὐεργετῶσιν. Sed etiam Longinus περὶ ὕψους, magnus magiſter dicendi: nec minor exiſtimator ſcriptorum alienorum, qui tamen alteram virtutem addidit: ideſt veritatem: nec tantum beneficentiam nominauit: inquit enim, εὖ γὰρ δὴ ὁ ἀποφηνάμενος τί θεοῖς ὅμοιον ἔχομεν, εὐεργεσίαν ἔφη καὶ ἀλήθειαν. Animaduertendum autem apud Ciceronem, Prope accedere ad deos, idem eſſe, quod μιμεῖσθαι illos. &, quantum a mortali homine fieri poteſt, eorum naturae appropiuquari. quemadmodum etiam idem locutus eſt, cum in P. Clodium dixit. Proxime ad deos acceſſit Clodius, propius quam tum, cum ad ipſos penetrarat, & quae ſequuntur. Luſit quidem ille in hac voce, ſed tamen dum luſit, grauiter vulnerauit inimicum, exprobrans ipſi nefarium ſcelus, cum in opertum bonae deae penetrauit: duplex enim notio eſt huius orationis.

Mendum ſublatum e Lucullo Ciceronis coniectura.

CAP. XII.

HVNC Ciceronis locum e Lucullo mendoſum eſſe arbitror. Quid apud Euripidem Hercules, cum vt Euryſthei filios, ita ſuos configebat ſagittis, cum vxorem interimebat, cum conabatur etiam patrem, & quae ſequuntur: neque enim Hercules vnquam in ea fabula Euryſthei filios necauit, ſed ſuos: quos, inſania correptus, putabat eſſe Euryſthei filios. deleri igitur videtur debere particula ita, quae corrumpit omnem ſententiam: & totus locus ita interpungi. Cum vt Euryſthei, filios ſuos configebat ſagittis. correctio haec deprauati loci ſatis certa videtur. ſed tamen, ſi quis adhuc ſcrupulus in animo alicuius reſtaret, verba tragici ipſius, quae ſignificat M. Tullius, eum prorſus euellent; ſunt autem haec, e tragoedia, quae inſcribitur ἡρακλῆς μαινόμενος, ab eo habitu animi, quo vir fortiſſimus oppreſſus eſt.

Καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας, τοὺς Εὐρυσθέως
Δοκῶν φονεύειν: εἰ δὲ πρεσβύτης φίλος.

Quod narrant M. Brutum feciſſe, ſtatim C. Caeſare interfecto, alios itidem ſimili tempore feciſſe.

CAP. XIII.

NATVRA ipſa fert & cupiditas gloriae, vt qui iniuſtum aliquem hominem & ſceleratum interfeciſſe ſibi videntur, aut ſuas ipſorum atroces iniurias vlti, aut publicas, ſtatim cruentum gladium oſtendant. obiectum hoc fuit M. Bruto a M. Antonio, vt memoriae prodidit Cicero, qui haec ipſius verba in ij. Philippica ponit. M. Brutus, quem ego honoris cauſa nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamauit. ſignificat igitur, id, quod dixi, ſtatim Brutum feciſſe. ſed etiam Cicero pro Milone, huius quaſi moris mentionem fecit, vbi inquit. Quam ob rem, ſi, cruentum gladium tenens, clamaret T. Annius. & quae ſequuntur. Idem etiam Euripides indicat, apud quem in Oreſta chorus, de facto illo eius adoleſcentis loquens, quod pium & nefarium eodem tempore, ſed diuerſa mente, vocari poterat, inquit.

Μελάνδετον δὲ φόνῳ
Ξίφος ἐς αὐγὰς ἀελίου δεῖξαι.

Monſtratus locus Ciceronis, qui videtur expreſſus ex Euripide.

CAP. XIIII.

NON ſine cauſa putaret aliquis elegantem hanc vocem accepiſſe M. Ciceronem ab Euripide. nam praeter quam quod multis modis intelligi poteſt, quam magnus fuerit eius tragici amator, ipſe met id teſtatur ac plurimum ſe ingenio & ſapientiae ipſius ſemper tribuiſſe ſignificat. intelligo autem cum initio libelli de ſenectute, ita de Ennio poëta locutus eſt. Vir, haud magna cum re, ſed fide plenus: Euripides enim prius in Oreſte, induxerat nuntium Electrae narrantem res aduerſas Oreſtis, ita de ſe loquentem.

Σῷ γὰρ εὔνους πατρὶ
Αἰεί τ' ἔχων, καὶ μ' ἔθρεψε σὸς δόμος,
Πένης μὲν, χρῆσθαι δ' εὐγενὴς φίλοις.

Vterque

Vterque igitur primum libere confeſſus eſt, quid incommodi in perſona foret, de qua ſermo erat, ſed compenſauit id malum maiore bono. vnde a Graecis hoc σχῆμα vocatur, ἀντεισαγωγή, quo lumine orationis, in ſententia poſito, ſaepe vtuntur & oratores & poëtae. vt ſane idem tragicus non multo poſt in eadem fabula vſus eſt, cum laudaret ruſticum hominem, quem fuiſſe dicit, non ſane formoſum, ſed fortem & valde liberum: haec enim quoque ἀντεισαγωγή eſt. omnis locus hic eſt: nam iuuat me ipſum ponere, quia ornat ſtudium agricolarum: vitamque hanc vacuam a multis flagitiis.

» Αλλος δ', ἀνέστη, [illegible],
» Μορφῇ μὲν οὐκ εὐωπὸς, ἀνδρεῖος δ' ἀνήρ.
» Ολιγάκις ἄστυ, κἀγορᾶς χραίνων κύκλον.
» Αὐτουργὸς, οἵπερ καὶ μόνοι σῴζουσι γῆν.
» Ξυνετὸς δὲ, χωρεῖν ὁμόσε τοῖς λόγοις θέλων,
» Ακέραιος, ἀνεπίληπτον ἠσκηκὼς βίον.

Quin etiam ſimilitudinem magnam habeat cum hoc loco M. Varronis, dubium non eſt: in» quit enim de illa, quam tunc tradebat arte, doctiſſimus vir. Et qui eam colerent, piam & » vtilem agere vitam credebant: atque eos ſolos reliquos eſſe ex ſtirpe Saturni regis. Cum autem ambo ferant in caelum agricolarum vitam: & iiſdem fere argumentis vtantur in ea celebranda; non minus intelligitur amaſſe ipſam Graecum, quam Latinus ſcriptor fecerit: cogebatur enim laudare illam, quam tradebat diligenter, M. Varro: Euripides autem nulla eius rei faciendae neceſſitate premebatur: nactus tamen leuem occaſionem ipſam commendandi, noluit eam dimittere: & animo ſuo veritatique ſatisfecit.

Graecum prouerbium, quod diu feſellit, erutum ex obſcuro loco.

CAP. XV.

CONTRA haec Terentij verba in heauton timorumeno. Ah vehemens in vtram» que partem Menedeme es nimis, Aut largitate nimia, aut parſimonia. in libro, valde celebri, qui fuit Petri Bembi, adnotata ſunt haec verba. Graece ἀεὶ πατὴρ μωρός: nec tamen ipſa puto Menandri fuiſſe: vnde hanc fabulam vertit Latinus comicus, ſed potius alicuius eruditi viri, qui peruulgata hac voce, & quae prouerbium olim fuerit, ſenſum eius loci aperire voluerit: & oſtendere, vnde factum ſit vt Menedemus tantopere peccauerit: neque enim ille proprius ipſius error erat, ſed communis ipſi cum omnibus aliis patribus: qui ſaepe in iudicio faciendo de liberis, ita labuntur, vt merito poſſint ſtulti haberi. impulit etiam me, vt hoc adnotarem, quia qui plurimum ſtudij poſuit in his vndique colligendis, huius, niſi fallor, prouerbij mentionem non fecit: neque praeterea in ipſum incidi apud alium vllum veterem ſcriptorem: ne, quantum in me fuerit, periret.

Indicatus A. Gellij locus mendoſus: vetuſque ipſius lectio propoſita omnibus.

CAP. XVI.

CVM valde cupidus ſim illuſtrandorum veterum ſcriptorum, quacumque ratione poſſum, non veritus ſum etiam locos quoſdam ipſorum deprauatos aliquando indicare: quamuis omnino inde tollere menda non poſſim, vt ita patefaciam aditum aliis ad laudem ſibi pariendam, quidquid poſſum opis ipſis praebendi; quod nunc quoque efficiam. nam apud A. Gellium hic locus ſine vlla dubitatione corruptus eſt, qui eſt in cap. vi. libri xiij. Et cuiuſmodi Homerus dicat in Vlyſſis domo, ὀρσοθύρη: quis enim non intelligit id verbum Graecum locum illic non habere, [illegible] nihil commune fuiſſe cum ea domo. in libro vero calamo exarato & ſatis fideli, pro illo legitur ΑΔΥΡΗΝΕΣ. quod verbum tamen nuſquam in Odyſſea legitur: nec praeterea, qui lexicon confecere, ipſius mentionem vllam fecerunt. Ego igitur, quod potui praeſtiti: reliqui nunc, qui ingenio valent, aut notionem vimque huius vocis aperient: aut, ſiquid eſt in ipſa vitij, emendabunt.

Iuuentus apud Polybium locus Virgiliano ſimilis.

CAP. XVII.

EPPIMENOI ἐπιμεθυσμένοι a Polybio in vi. libro hiſtoriae vocati ſunt milites, qui ſecuro animo & ſine vllo metu hoſtium dormientes, oppreſſi ſunt ab aduerſariis & occaſionem illis dederunt rei bene gerendae, quales etiam inueniſſe Latinos, caſtra Troianorum obſidentes, Niſum & Euryalum commemorat Virgilius, cum cecinit.

Paſſim vino ſomnoque per herbam
Corpora fuſa vident.

Sed ſupra etiam Niſus ipſe ad Euryalum:

Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum
Lumina rara micant, ſomno vinoque ſepulti
Procubuere.

Quod vero in priore exemplo poëta vocauit corpora fuſa, cum ſtrata illa fuiſſe, ſignificare vellet: & vt hiſtoricus ſua lingua dixit, milites ἐπιμεθυσμένοι, quod Latinum verbum proprie de aqua & omni humore, cum contigit id, vſurpari ſolet, imitatus eſt in hoc Homerum: ipſe enim quoque, cum Caerano, Merionis auriga, interfecto ab Hectore, commemorat habenas, quas ille antea tenebat, humi ſparſas fuiſſe, inquit. κὰδ' ἡνία χεῦεν ἔραζε.

Explanatus locus M. Varronis: monſtratumque idem illic valere corium, quod apud Demoſthenem δέρμα.

CAP. XVIII.

VERBA haec M. Varronis e libro ij. de re ruſtica, quem ſenſum habeant, non eſt difficile intelligere. Videbo iam vos inquit balathrones, & huc adferam meum corium & flagra: oſtendere enim voluit, qui ea protulit, ſe aequum hominem eſſe, ac paratum omnem poenam perpeti, ſi peccaſſet. verumtamen illa, de qua iocans locutus eſt, aliena erat ab ingenuo homine ac libero, corium igitur vocat, quod Demoſthenes, cum de ſupplicio ſerui loqueretur ad Timotheum, appellauit δέρμα: haec enim ipſius verba ſunt. καὶ ἀξιῶν αὐτὸν ὅ τι ἂν αὐτοῦ δέρμα τι τῷ ἐπαγγέλῳ διδόναι. & Terentius tergum: ita enim & ipſe induxit ſeruum loquentem. Numquam dices tam commode, vt tergum meum tuam in fidem committam. Quomodo etiam Virgilius, cum de Carthaginis ortu, conſilioque illo aſtuto loqueretur.

Taurino quantum poſſent circundare tergo.

Plautus vero in ea re ſignificanda, eodem, quo Varro, vocabulo vſus eſt. Phaenicium phaeniceo corio inuiſes pergulam.

Cohortatio Cyri apud Xenophontem in ipſo ardore pugnae.

CAP. XIX.

QVANTVM valeant, in media etiam pugna, ad milites incitandos, acrioreſque reddendos, ducum imperatorumque hortationes, facile omnes intelligunt. vnde qui res geſtas litteris diligenter mandant, hoc quoque exprimere conſueuerunt. grauis autem in primis vehemenſque eſt illa, quam Cyro, illi maiori, affingit Xenophon in iij. libro Paediae: narrat enim eum, cum ante alios ſtaret, vicinis iam hoſtibus, commotum animo, oblitumque firmae progreſſionis, currere coepiſſe: ſimulque inclamaſſe (haec enim, quibus vſum eum facit, verba ſunt) τίς ἕψεται; τίς ἀγαθός; τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ; quas voces, ab ipſo acceptas, adiungit, qui propinqui erant, & ipſos, ad commotiores cohortandos, clare repetiſſe. Virgilius etiam fecit Androgeum, Troia iam capta, eodem pacto corripientem, quos putabat ſuos: inertiaeq; inſimulantem, his verbis ipſos cohortari.

Feſtinate viri: nam quae tam ſera moratur
Segnities? alij rapiunt incenſa, feruntque
Pergama: vos celſis nunc primum a nauibus itis.

Similis autem eſt his hortatio illa, quam in fabula, vocata Heraclidis, expreſſit Euripides: in medio enim ardore pugnae inter Athenienſes & Argiuos, narrat has voces audiri potuiſſe.

Ὦ τὰς Ἀθήνας, ὦ τὴν ἀργεῖον γύαν
Σχήσετε, οὐκ ἀρκέσετ' αἰσχύνην πόλει;

Inuentus locus apud Ariſtophanem, ſimilis valde loco Catulliano.

CAP. XX.

CATVLLVS, non minus eruditus poëta quam lepidus ac iocoſus, cum probare vellet in hendecaſyllabo Flauium, ad quem ſcribebat, habere amicam & cum ea ſe noctu oblectare, argumentatus eſt a ſigno: dixitque crebrum motum lecti id declarare, & ipſum etiam lectulum ornatum floribus, & omnibus ſuauitatibus reſperſum, qui mos erat tenerorum hominum, & huic molli & delicatae vitae deditorum: loquit igitur.

» Nam te non viduas iacere noctes
» Nequicquam tacitum cubile clamat,
» Sertis ac Syrio flagrans oliuo.

Eodem autem pacto apud Ariſtophanem ἐκκλησιαζούσαις, argumentatur mulier, cum purgaret ſe viro, cui ſuſpecta erat, ne ad amatorem noctu acceſſiſſet: ſignum enim illa eſſe dicit, quod nihil tale feciſſet, quod caput vnguentis illitum non haberet. hoc tamen argumentum vir ſtatim contempſit: nullamque vim habere ad eam eo crimine liberandam ſignificauit. quid autem dixerit, apud poëtam ipſum, qui volet inueniet: nolo enim penitus fines verecundiae migrare. ambo igitur hi poëtae a nota (vt docui) argumentum duxerunt, & eadem re, ad quod volebant conſtituendum, vſi ſunt. Sed Catullus, qui videbat haec ſigna plerumque infirma eſſe, non vno hoc contentus fuit: ſed addidit alia eiuſdem generis, vt id, quod volebat veriſimilius faceret. Verba facetiſſimi comici, ſed inuerecundi ſaepe ac valde obſceni, ſunt haec. Praxagora: hoc enim nomen apud eum eſt mulieris, quae adulterij nomine inſimulabatur a viro. καὶ μὴν βινητιᾷς τουτὶ γνῶσις ἐστί, Ar. πῶς. Πρ. εἰ τῆς κεφαλῆς ὄζω μύρου, Ar. τί δ'; οὐχὶ βινεῖται γυνὴ κἄνευ μύρου.

Quid ſit Demoſtheni, λαβεῖν ἐκ τοῦ ὑπερῴου: aliterque Xenophontem ea verba cepiſſe.

CAP. XXI.

ΛΑΒΕΙΝ ἐκ τοῦ ὑπερῴου dixit Demoſthenes de rebus, quae fieri non poſſent: & de inanibus aliquorum cogitationibus, qui cum ſperent ſibi praeſidio futura, quae, niſi ſtulti forent, non poſſent ſperare ad ſe vnquam peruentura, merito videri poſſunt ſimiles illis, qui ea inde ſe capturos putant idest e ſuperis ſedibus. verba ipſius ſunt. πόθεν γὰρ οὐδὲ ἄλλοθεν, τὸν μὲν λαβόντα παρ' ὑμῶν οἶδε; μὴ αὐτὸν ἔχοντα ὁπόθεν μισθοδοτήσει, στρατιώτας τε τρέφοι· ἐκ τοῦ ὑπερῴου; οὐκ ἔστι ταῦτα. Xenophon vero inquit. λαμβάνειν ἐκ τῆς γῆς οὐδέν, cum ſignificare vellet, nullum capere fructum e praediis, quia ipſi erant in poteſtate hoſtium, obſeſſa vrbe: haec enim verba ipſius ſunt e ij. libro ἀπομνημονευμάτων: refert enim ſermonem Ariſtarchi, qui querebatur de ſuis incommodis & anguſtiis rei familiaris: quare ille non ſine cauſa triſtis eſſet. λαμβάνομεν δὲ οὔτε ἐκ τῆς γῆς οὐδέν: οἱ γὰρ πολέμιοι κρατοῦσιν αὐτῆς: οὔτε ἀπὸ τῶν οἰκιῶν: ὀλιγανθρωπία γὰρ ἐν τῷ ἄστει γέγονεν. infra etiam multo, in fabella ouium exponenda, quae accuſabant paſtorem, & errorem animi illius ſedulo refellebant. quod cum ipſae illi praeberent maximas vtilitates. ideſt lanam, agnos, caſeum: canis autem nullas, nihil tamen contra ab eo caperent, niſi quod ipſae morſu ſumpſiſſent e terra: canis vero coпioſe aleretur, iners & qui nullum ipſi fructum ferret. verba dulciſſimi ſcriptoris haec ſunt. Θαυμαστὸν ποιεῖς, ὃς ἡμῖν, ταῖς καὶ ἔρια σοι καὶ ἄρνας καὶ τυρὸν παρεχούσαις, οὐδὲν δίδως, ὅτι ἂν μὴ ἐκ τῆς γῆς λάβωμεν. & quae ſequuntur. nos patrio ſermone diceremus. ſe non quel che noi ſpicchiamo di terra col dente.

Ver ſacrum, quod foret, L. Siſennae verbis declaratum.

CAP. XXII.

VER ſacrum cuiuſmodi vocare veteres illi ſoliti eſſent, & quae potiſſimum res eos impellerent, vt id agerent, intelligitur teſtimoniis non nullis eorum, qui hiſtoriam ſcripſerunt. in quibus in primis hoc declarat locus hic L. Siſennae, quem ego coniunxi, vt apud auctorem ipſum eum olim fuiſſe contineптem: puto cum apud Nonium, a quo citatur, diſceptus ſit, & duobus remotis locis poſitus. Quondam Sabini feruntur vouiſſe, ſi res communis melioribus locis conſtitiſſet, ſe ver ſacrum facturos. quo voto damnati, foetum omnem dicuntur eius anni ſtatim conſecraſſe. Sed etiam T. Liuius ipſius meminit, qui inquit. Pro his tantis, totque victoriis, ver ſacrum

» diis immortalibus agi, haberique: & in alio etiam hoc e libro xxxiiij. Ver ſacrum videri pecus,
» quod natum eſſet inter Kal. Martias: & prid. Kal. Maias, P. Cornelio Scipione & Ti. Sem-
» pronio Longo conſulibus.

Cur in Velienſium, & Maſſilienſium nummis, idem ſignum exiſtat.

CAP. XXIII.

IN argenteo nummo Velienſium imago leonis impreſſa eſt: infraque hae litterae. ΥΕΛΗΤΩΝ. in auerſa itidem parte nummorum, quos cudebant Maſſilienſes, leonem ſculptum vidi. vnde autem factum ſit, vt his remotis longinquiſque populis in hoc conueniret, arbitror me inueſtigaſſe. id autem eſt, quia & Velienſes & Maſſilienſes e Phocide oriundi erant: cuius, nobilis quondam vrbis, exiſtimare poſſumus inſigne leonem fuiſſe. tuebantur igitur illi patrium inſtitutum, vt
» mos erat omnium coloniarum, quae miſſae in alias terras forent. nam Phocenſes fuiſſe, qui
» condiderunt Veliam, memoriae quoque prodidit Strabo, qui in vi. libro inquit. ἐν ᾧ πό-
» λις, ἣν οἱ μὲν κτίσαντες Φωκαιεῖς Ὑέλην· οἱ δὲ Ἔλην ἀπὸ κρήνης τινός· οἱ δὲ νῦν Ἐλέαν ὀνομάζουσιν: nam de Maſſilienſibus, quin originem illinc duxerint, dubitari non poteſt: idem enim hoc quoque, vt
» alios taceam, teſtatus eſt, qui in iiij. libro inquit. κτίσμα δ' ἐστὶ Φωκαιέων ἡ Μασσαλία. Sed poſtquam huiuſcemodi inſignium mentionem facere coepi, cum Strabo tradat Locrorum eorum, qui Heſperij vocabantur: iidemque ozolae, ſignum publicum fuiſſe, σφραγῖδιque, qua litteras nomine reip. miſſas ſignarent, Veſperum ſtellam: in ipſorum quoque nummis eadem publica nota viſitur, quod animaduerterunt etiam, qui de veteribus nummis hac noſtra aetate ſcripſerunt: &, ne penitus haec hiſtoria extingueretur, memoriae prodiderunt.

Demonſtratum, Graecam ſententiam: & illam quidem valde celebrem, expreſſiſſe Terentium Phormione.

CAP. XXIIII.

EXPRESSIT ſententiam Terentius in Phormione: Latiniſque verbis edidit, quam Graecis: & quibus primum expoſita eſt, M. Cicero commemorauit. vel potius ſignificauit, vt plerumque facere conſueuit in huiuſcemodi peruulgatis vocibus & quae prouerbij vim obtinerent: intelligo autem, cum admirationis laetitiaeque plenus apud comicum Chremes, inquit.

» Di voſtram fidem, quam ſaepe forte temere
» Eueniunt, quae non audeas optare? offendi adueniens
» Quo cum volebam, atque vt volebam, collocatam filiam,
» Quod nos ambo opere maximo dabamus operam, vt fieret,
» Sine noſtra cura maxima, ſua cura haec ſola effecit.

Quis igitur non videt idem dicere voluiſſe in epiſtola ad Atticum Ciceronem, qui etiam verum
» hoc eſſe re ipſa, vt narrat, cognouit: intelligo autem cum inquit. Tiro mandaui σκάλας at-
» que ἀσκωλίας. ſed neſcio an ταὐτόματον ἡμῶν: nam mihi Pompeiani prodromi nunciant, a-
» perte Pompeium acturum, Antonio ſuccedi oportere. Integer vero verſus, quem tetigit: &
quo continebatur ſententia haec, eſt
» Ταὐτόματον ἡμῶν κάλλιον βουλεύεται.

Qui legitur in ſententiis illis ſelectis variorum, comicorum & tragicorum poëtarum, vbi quae de fortuna caſuque, in illis fabulis, dictae ſunt, ſententiae fuerunt collocatae. Cum autem litteris proditum ſit Latinam fabulam, verſam fuiſſe ex Apollodoro, non ſine cauſa fortaſſe exiſtimaret aliquis, verſum hunc Graecum, inde acceptum fuiſſe; neque enim mihi dubium eſt, quin ſententiam hanc illic inuenerit Terentius.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXXVI.

Explanatum teſtimonium Heracliti, quod citat Ariſtoteles in ij. ἠθικῶν ad Nicomachum.

CAP. I.

VNVM eorum argumentorum, quibus, in ij. libro de moribus ad Nichomachum, Ariſtoteles docet, ſtratum ac materiem virtutum, in moribus poſitarum, eſſe voluptatem & dolorem: & ipſum quidem extremum, eſt hoc, quod arduum in primis ac difficile eſt pugnare contra voluptatem: nec pati ſe ab ipſa in eo certamine vinci ac ſuperari. victorem autem eo praecipue tempore locoq; requiri, cum ſcilicet res nobis eſt cum acerrimo aduerſario, planum eſt. Probare vero volens doctiſſimus & politiſſimus auctor, dorum admodum eſſe victoriam reportare e voluptate, vtitur voce, valde illuſtri, Heracliti Epheſij, qui dixerat, arduum eſſe pugnare cum ira & excandeſcentia, ideſt (vt ego arbitror) cum homine irato ac valde animo commoto: nec ſane vllam in partem dictum illud reprahendit. ſed, vt qui illud probarit, adiungit, magis adhuc arduum ac difficile eſſe pugnare aduerſus voluptatem. Non potuit igitur melius peruenire, quo volebat Ariſtoteles, quám ſi docuiſſet pugnam hanc magis dubiam eſſe ac pertimeſcendam pugna illa, quam ſapientiſſimus vir affirmauit eſſe valde periculoſam. non igitur, vt interpres noſter accepit, qui tractus eſt in errorem a Graeca declaratione, dixit vmquam Heraclitus, difficilius eſſe pugnare cum voluptate, quam cum ira: nec vſus eſt in illa ſua ſententia collatione vlla, ſed ſimpliciter inquit, contentionem eam & praelium, quod ſuſcipitur cum voluptate, eſſe difficile. cuius ſui iudicij ſtatim rationem reddidit: addidit enim: ψυχῆς γὰρ ὠνεῖται. quod confirmat opinionem meam: valet enim hoc, non poteſt aliquis hoc certamen inire ſine periculo capitis, ac multi, qui in ipſum deſcenderunt, animam illic vitamque amiſerunt, quia autem neſcit quam ſit difficile cum irato & furore percito homine confligere: hi enim vt animo ſatisfaciant: vlciſcanturque dolorem ſuum, nullam curam habent propriae ſalutis. Ita autem accipi debere vocem Heracliti cognoui, quia pluribus in locis ipſam celebratam inueni: & in illis quidem aliquanto pleniorem, vt apud hunc ipſum in v. libro πολιτικῶν: quem locum qui accurate legerit, nullo negotio intelliget hoc dicere voluiſſe Heraclitum: eſt autem hic: φειστέον γὰρ ἑαυτῶν ἥκιστα οἱ διὰ θυμὸν ἐπιχειροῦντες, καθάπερ καὶ Ἡράκλειτος εἶπε. χαλεπὸν φάσκων εἶναι θυμῷ μάχεσθαι: ψυχῆς γὰρ ὠνεῖσθαι. Sed etiam Plutarchus in vita C. Marij, & ſi nomen illic Heracliti ſiletur, vnde etiam perſpicitur, eam, quam dixi, vim eſſe huius vocis. tranſferam autem & ipſum huc, quia plenior eſt & integrior, vt puto. ſermo vero illic eſt de Coriolano, qui merito iratos ſuis ciuibus, omnia expertus eſt, vt iniuriam ſibi inlatam vlciſceretur. [illegible] μαρτυρῶν τῷ εἰπόντι, θυμῷ μάχεσθαι χαλεπόν: ὃ γὰρ ἂν θέλῃ, ψυχῆς ὠνεῖται. Sed idem etiam auctor in libello περὶ ἀοργησίας ipſius meminit, quo ſane in loco, vt in ſuperiore hoc ipſo, legitur quod reliquit Ariſtoteles: nec non in ſermone etiam, cuius index eſt ἐρωτικός. quo ſane in loco, qui teſtimonio hoc vſus eſt, vſurpauit ipſum, vt hic facit Ariſtoteles: valde enim ſimiles inter ſe ſunt hi duo loci: inquit igitur amori difficile eſſe repugnare, non excandeſcentiae, vt putauit Heraclitus: quod enim vult, animo ac vita emit, vt damno etiam aliarum rerum, quas appellat.

Fuiſſe in vſu Graecorum, verbum, quod reſpondet huic M. Varronis, contenebrare.

CAP. II.

VTra non putaret M. Varronem in ij. libro de re ruſtica, quo loco de ouibus facit T. Pomponium diſputantem: in aliiſque multis hoc etiam dicentem. Ab occaſu, paruo interuallo interpoſito, ad bibendum appellunt; & ruſus paſcunt, quoad contenebrauit, quis inquam non putaret verbum hoc Graecum συνεσκνέφασε extremo illo ſuo exprimere

mere voluiſſe: vt enim Graeci ſuo vtuntur, ita ipſe Latino vſus eſt. nuſquam autem offendi Latinum illud apud vllum alium auctorem. Graeci autem, hoc pacto vſurpari, citabo duos optimos teſtes: Demoſthenes enim contra Cononem inquit. τοσούτῳ ἰλάσκετο πειράσθαι ὁ κύριος ᾠκοδόμει, ὥστ' ἐκεῖνοι θᾶττον συνεσκότιζον, οὐδεὶς ὡς ἡμᾶς εἰσῆλθεν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ. Item Xenophon in iiij. libro paediae. ὁ μὲν δὴ Κῦρος, δειπνήσας σὺν Πέρσαις, ἐκεῖ δὲ συνεσκότισε, κατὰ πόδας καὶ κατὰ δυνάμεις πολλοὺς αὐτῶν διέφθειρεν.

Vt Virgilius inquit ferre pedes Moerin, ita Homerum dixiſſe φέρειν πόδας multos.

CAP. III.

VIRGILIVS pedes eum, cuius ſunt membra, ferre, proficiſcentem aliquo, dixit in paſtorali carmine: notum eſt enim illud Lycidae.

Quo te Moeri pedes, an quo via ducit, in vrbem?

Nec tamen exiſtimandus eſt hic ſermo agreſtis: propriuſque ruſticorum hominum, vt interpretes non nulli falſo putarunt: nam Homerus quoque eodem pacto locutus eſt, ἐν τῇ παλιώξει, cum exponeret Patroclum, viſis rebus Graecorum in maximo periculo, diſceſſiſſe e tabernaculo Eurypyli, vt videret, ſi poſſet ſodalem ſuum Achillem impellere ad remedium illi graui malo ferendum. ita igitur poëta inquit. τὸν μὲν ἄρ' ὡς εἰπόντα πόδες φέρον. declarator etiam quaedam illic vetus adnotauit hunc modum loquendi, cuius haec verba ſunt. ὅτι οἱ πόδες αὐτὸν ἔφερον, οὐκ αὐτὸς τοὺς πόδας. προσζευκτέον, ὅτι ἀσυνήθως, ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει. Videndum potius an ita ſignificetur feſtinatio: ſtudiumque.

Parum verecundam Catulli ſententiam videri ex Euripide expreſſam.

CAP. IIII.

CATVLLVS in extremo illo hendecaſyllabo, quo rogauit amicam vt ad ſe ipſum accerſiret, eo diei tempore, quod propter aeſtum atque otium, impertiri ſolet ab intemperantibus hominibus talibus voluptatibus, inquit, vrgens eam vt properaret, cauſa allata tantae feſtinationis: & ea quidem turpi & inuerecunda.

Verum, ſi quid ages, ſtatim iubeto:
Nam pranſus iaceo: & ſatur, ſupinus,
Pertundo tunicamque palliumque.

Videri igitur non ſine cauſa poteſt hoc expreſſum ex Euripidis fabula, quae vocatur κύκλωψ. tragoedia vero haec ſatyrica & laſciuiuſcula eſt quibuſdam ſui partibus: in ipſa enim poëta inducit Polyphemum de ſe idem praedicantem: ſaepe enim & ipſe, large antea epulatus, eodem etiam habitu corporis ſe ſomno ſub tecto dare ſolitum tunc oſtendit. verba poëtae haec ſunt.

Ἢ μόσχον ὀπτὸν, ἤ τι θήρειον δάκος,
Δαισάμενος εὖ τέγγων τε γαστέρ' ὑπτίαν,
Ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα, πέπλον
Κρούω.

Aut igitur inde accepta eſt haec parum honeſta ſententia, aut idem in mentem venit Latino poëtae, quod multo antea Graeco venerat: qui tamen id edi fecit a perſona immani, & cui quadrabat omnia non ſolum turpitudo verborum, verum etiam factorum. nam, quod ſe ſaturum eo tempore cubare ſolitum narrat, & contra Romanorum hominum conſuetudinem, erat: & id ipſum eſt, quod reprehenditur vehementer a Platone, inſimulante vitam Siculorum: dixit enim, bis die ſaturum fieri: illi vero, qui ſatur meridie eo pacto iaceat, id vſu venire mirandum non eſt. Huiuſcemodi autem quiddam de Nitiobrigum rege narrat C. Caeſar in vij. libro de bello Gallico, cuius ingentem negligentiam irridet, qui vicinis hoſtibus, & hoſtibus ſane acerrimis, tam ſecuro animo interdiu dormiret: inquit enim. Ac tanta fuit in capiendis caſtris celeritas, vt Theutomatus, rex Nitiobrigum, ſubito in tabernaculo oppreſſus, vt meridie conquieuerat, ſuperiore corporis parte nudata, vulnerato equo, vix ſe e manibus praedantium militum eriperet: Nec tamen omnino idem id, quod de ſe narrat Catullus: contrario enim corporis habitu rex ille cubabat ac pronus denique: partem tamen illam nudatam habere: conſpicique ab aliquo natibus apertis, indecorum eſt.

Indicatum, Virgilium ſumpſiſſe a Theophraſto locum eum omnem, quo docet quomodo ſint ſerendae arbores.

CAP. V.

DILIGENTER legerat Vitgilius libros Theophraſti de ſtirpibus: & eos, quibus ille commemorat, quae acceperit ab aliis de natura ipſarum aut ipſe viderit: & eos itidem, quibus cauſas affert omnium illarum rerum: ex poſterioribus autem his, iiſdemque eruditioribus libris plura fortaſſe ſumi poſſunt, quae faciant ad ſtudium illud ornandum, quod babebat in manibus ac ſedulo tractabat poëta, cum georgica ſcripſit: quin autem omnis hic locus, refertus multis & vtilibus praeceptis, qui ab ipſo in ij. eorum librorum includitur, inde expreſſus ſit, dubitari non poteſt.

Quod ſupereſt, quaecumque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui & multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum, aut ſquallentes infode conchas:
Inter enim labentur aquae, tenuiſque ſubibit
Halitus, atque animos tollent ſata: iamque reperti,
Qui ſaxo ſuper atque ingentia pondere teſtae
Vrgerent. Et quae ſequuntur.

In iij. enim libro φυτικῶν αἰτιῶν accurate copioſeque de his omnibus diſſeruit: & de lapidibus certis quibuſdam, quos in ſcrobibus infodere prope radices ſtirpium valde vtile putat: inquit enim, ὅπως δὲ καὶ τὴν ὑγρότητα τοῦ χειμῶνος ἀπολαύωσι καὶ τοῦ θέρους καταψύχωνται, διὰ τοῦθ' ὑποβάλλουσι κάτω λίθους, ὅπως συρροὴ γίγνηται τοῦ ὕδατος, καὶ τοῦ θέρους οὕτως καταψύχωσι τὰς ῥίζας. οἱ δὲ, κλήματα τιθέασιν ὑποτιθέασιν: οἱ δὲ, κέραμον περὶ τὰ καταρρέοντος ὕδατος. Sed infra etiam eodem libro. συμφέρει δὲ καὶ ἄμμον πότιμον παραβάλλειν. καὶ ψάφους ἐκ ποταμοῦ ἢ χαράδρας: ἀποσίγει γὰρ ταῦτα καὶ ἅμα δι' αὑτῶν παρέχεται τινα δύναμιν. Sed non tantum Theophraſtus, qui banc curam ſuſceperat ac de natura omnium, quae oriuntur e terra accurate diſſerebat, huius praecepti (vt debebat) meminit, verum etiam Ariſtoteles non minus diligenter, cum aliud doceret, ſe de vita & morte omnium, quae viuere dicuntur, diſputaret: ipſe enim quoque tradidit eo pacto non nullis ſtirpium morbis remedium adhiberi: nam σφακελίζειν aliquando illae dicuntur, vt quandoque etiam, cum ſubito intereunt, ſidere quaſi ici & ἀστρόβλητα eſſe. addidit autem, iiſdem paene verbis vtens. διὸ καὶ νῦν τινες λίθους ταῖς ῥίζαις ὑποβάλλουσι καὶ ὕδωρ ἐν ἀγγείοις, ὅπως αἱ ῥίζαι ψύχωσι τὸ φυτόν. Non nulli itidem noſtri homines, periti rerum ruſticarum, hoc malum reformidantes, eodem pacto ipſi occurrunt. ſed pro lapidibus bibulis aut vaſculis, aquae plenis, infodiunt in ſcrobibus cornua arietum: in quibus etiam ſeruatur diu aqua, non minus atque in vaſis.

Emendatus (vt arbitror) locus Ciceronis e II. libro de legibus.

CAP. VI.

LOCVS hic eſt Ciceronis deprauatus in ij. libro de legibus. videor autem mihi ipſum partim coniectura: partim ope antiqui libri reſtituiſſe. nam quae antecedunt haec; prorſus corrupta & deſperata ſunt. Feriarum feſtorumque dierum ratio in liberis, requietem habet litium & iurgiorum: in ſeruis, operum & laborum. quas compoſitio anni conferre debet & perfectionem operum ruſticorum. Primum igitur arbitror coniunctionem & e poſtremo loco tollendam: quae temere ſit repetita ex antecedente ſyllaba: locoque illius ponendam praepoſitionem in. cum autem vetus liber habeat ſupra compoſitor pro compoſitio, ſequor libenter auctoritatem ipſius; exiſtimoque id verius eſſe, vt intelligat qui componit annum & ſtatuit, qui dies ſacri & profani ſint: vult enim Cicero ipſum eodem tempore ſeruire pietati & non impedire cultum agrorum. quod ſi contulerit ferias dierum in anni tempora, quibus maiora opera abſoluta ſunt, id obtinebit. Quod autem hic praecipit Cicero, ſupra etiam hoc ipſo in libro, ſed obſcurius, tetigerat, cum quaſi leges ferret: inquit enim illic. Feriis iurgia amouento, eaſque in famulis (operibus patratis) habento. itaque vt ita cadat in annuis anfractibus deſcriptum eſto.

Declaratum conſilium C. Caeſaris in Rheno tranſeundo, ſimile fuiſſe conſilio Ageſilai, cum exercitum in Aſiam tranſportauit.

CAP. VII.

CVM C. Caeſar exponeret cauſas, quae ipſum mouerunt, vt Rhenum cum exercitu tranſiret, primam earum attulit, quam etiam iuſtiſſimam ſibi fuiſſe dixit (vtar autem verbis ipſius: quo modo enim melius rem, ab eo expoſitam, commemorare poſſem:)

quod

» quod cum videret Germanos tam facile impelli, vt in Galliam venirent, ſuis quoque rebus eos timere voluit, cum intelligerent & poſſe & audere populi R. exercitum Rhenum tranſire. Vere igitur affirmauit ille hanc cauſam ſibi optimam huius rei fuiſſe: quid enim magis ipſum honeſtiusq; ad rem magnam & periculi plenam impellere potuit, quam dignitas populi R. ſtudiumq; frangendi animos bellicoſiſſimae nationis? voluit igitur ipſis par pro pari reddere, oſtendereque quod periculum aliis crearent, ſibi etiam ipſis impendere. atque ita retundere, ſi poſſet, ferociam illorum. Ageſilaus quoque Spartiates, non multo poſt quam regnum adeptus eſt, cum Perſarum rex diceretur claſſem ornare & exercitum cogere contra Graeciam, cupidus eius belli depellendi a finibus patriae, pollicitus eſt, ſi ſibi modicas copias dediſſent ſui ciues, ſe liberaturum ipſos omni hoc timore ac malo: in Aſiam enim tranſiturum: bellumque illic ipſi facturum, quam ipſius vocem libenter Spartiatae audiuerunt, vt narrat in ipſius laudatione Xenophon: mirificeque laetati ſunt veniſſe in mentem regi ſuo. quemadmodum Perſes olim in Graeciam tranſiſſet, ita etiam ipſum in Aſiam exercitum comportare: multum enim valebat hoc ad Spartae gloriam augendam magnitudinemque animi illius reip. ſignifi-
» candam. Verba Xenophontis haec ſunt. Εὐθὺς μὲν οὖν πολλοὶ πάνυ ἠγάσθησαν αὐτὸν τοῦτο ἐπιθυ-
» μῆσαι. ἐπειδὴ ὁ πέρσης πρόσθεν ἐπὶ τὴν ἑλλάδα διέβη, ἀντιδιαβῆναι ἐπ' αὐτόν. Cum igitur hi loci valde ſimiles ſint: conſiliaque haec duorum magnorum virorum paria fuerint, id eſt praeclara ambo & honeſta, eundemque prorſus finem habentia, placuit mihi hoc adnotare, & locos ipſos inter ſe conferre. Sed etiam haec animaduerſio valet aliquid ad ſermonis vtriuſque proprietatem elegantiamq; declarandam: quomodo enim Latini dicant id, quod Graecis eſt διαβῆναι, inde perſpicitur. Nam illud ἠγάσθησαν, de Spartiatibus prolatum, ſignificat, eundem animi habitum, quem celebrauit Virgilius in pectore Alethis Troiani, cum audiuit quod non expectabat: neque ab illis poſtulare auſus eſſet, forte illud conſilium Niſi & Euryali: ipſe enim quoque mirifice laetatus eſt, nec ſe maius aliquod bonum a quopiam eo tempore accipere poſſe exiſtimauit. Idem etiam dulciſſimus ſcriptor infra in eodem libello iterum ac tertium idem
» verbum eodem pacto cepit: inquit enim. Ἄξιον γε μὴν καὶ τόδε ὑπερβαλόντος ἀγασθῆναι αὐτοῦ.
» & poſt. ἀλλὰ μᾶλλον τόδε αὐτοῦ ἄγαμαι.

Runcare ſegetes quid valeat: deque omni ratione ſemen iam ſatum natumue, colendi.

CAP. VIII.

RVNCARE ſegetes quid ſit, docuit (vt opinor) M. Varro. verum quia verbum hoc obſoletum eſt, non alienum puto me de ipſo aliquantulum: totaque ratione ea colendi ſegetes diſputare. ſi forte id facere eſt, quod ego puto, adhucque in vſu eſt noſtrorum agricolarum, quamuis nomen apud nos immutatum ſit. ex Plinio praeterea id elicitur, qui tria haec opera diligentium agricolarum appellat. occare, ſarire, runcare. & quo tempore, quibuſque in frugibus ſingula recte fiant, declarat. primum, de quo etiam antea diſſerui, nomen vetus retinuit in pluribus terris. ſecundum, quod & ipſum non poteſt ſine magno damno relinqui, parum immutato nomine apud nos vocatur: quod tamen videtur potius a ſarculo conformatum, quam a ſuperiore illo verbo profectum. tertium hoc itidem vocabulum antiquum penitus amiſit. & ſi ipſum quoq; in aliis terris id cuſtodiuit, quemadmodum ego accepi, vt in Flaminia & Etruriae parte illa, quae ad occidentem ſolem expoſita eſt. vt igitur primum munus omittamus, quod potius ad ſemen ſparſum in terram tegendum pertinet, quam ad ſegetem iam natam adiuuandam, quid ſit ſarire, quod nos quaſi ſarculare dicimus, neminem fallit: cum enim, adpetente vere, humiles adhuc ſegetes purgantur, id eſt auena ſterilis, ceteraeque inutiles herbae inde ſarculo eliduntur, tunc seges ſaritur. cum vero grandiores iam ſegetes eſſe coeperint, articulumque, quem nos nodum vocamus, habuerint, nec poſſunt ea de cauſa amplius ſariri, tunc runcantur. id eſt manibus agricolarum inde inutiles herbae euelluntur. & ſane ita rem hanc ipſi vocant: dicunt enim ſe manibus ſegetes purgare. In faſtis antiquis, qui e lapide vetuſto deſcripti ſunt, legitur menſe Maio.
» Segetes runcantur. Varronis autem a primo libro de re ruſtica verba ſunt. ſegetes runcari, her-
» bam ex ſegetibus expurgari. Plinij locus, in quo plenius de hoc diſſerit, quia longior eſt: inuentuq; facilis, a me huc non transferetur. Quod vero Latinis eſt runcare, Graeci videntur ἐκτίλλειν dixiſſe. ita certe Theodorus vertit locum e ij. libro Theophraſti, de iis quae oriuntur e terra, in quo auctor vſus fuerat hoc ſuo verbo: diſſerit autem illic de cultu vitium, quas, cum incipiunt nigreſcere botryones, tradit quoſdam affirmare non eſſe tangendas. quod operam nullam agricolae requirunt, niſi tum, cum totae nigrae redditae fuerint: & ſi non deſunt, qui ne tum quidem velint eas vllo pacto colendas: tantumq; poſſe eo tempore euelli herbam. verba haec vlti
» ma ſunt Graeci ſcriptoris. πλὴν ἐὰν ἐκτίζῃ τὴν βοτάνην. Theodorus inquit, cum hoc exprimeret,

Niſi quod runcandum ſit. Quod autem hic Theophraſtus inquit, ὑποτίλαι τὴν βοτάνην, indicat Plinius ſolitos etiam Graecos vocare βοτανίζειν: eius enim haec verba ſunt. Poſtea pauci runcant, quod βοτανισμὸν vocant.

Cum & Ariſtoteli & M. Varroni conueniat in accuſando phyſico, qui falſum litteris mandarat, diſſentire eos in nomine ipſius.

CAP. IX.

M. VARRO in ij. libro de re ruſtica videtur diſſentire ab eo, quod traditum eſt ab Ariſtotele de natura caprarum memoriae proditum fuiſſe a vetere phyſico: non enim eundem ambo auctorem eius incredibilis rei nominant, ſed diuerſos. Latini ſcriptoris haec verba ſunt. De quibus admirandum illud, quod etiam Archelaus ſcribit. non, vt reliqua animalia naribus, ſed auribus ſpiritum ducere ſolere, paſtores curioſiores aliquot dicunt. Graeci vero, qui hoc tribuit Alcmaeoni, ipſumque valde errare affirmat, haec. Ἀλκμαίων δ' οὐκ ἀληθῆ λέγει, φάμενος ἀναπνεῖν τὰς αἶγας κατὰ τὰ ὦτα. Plinius, qui idem commemorat, teſte citato huius nouae rei, ſequitur M. Varronem: ita enim loquitur. Auribus eas ſpirare, non naribus: nec vmquam febri carere, Archelaus auctor eſt.

Defenſa vetus lectio loci, cum ſtomacho magno prolati, in epiſtola ad Atticum.

CAP. X.

NON puto ſpernendam eſſe vllo pacto libri mei nobilis lectionem in hoc loco epiſtolarum ad Atticum. Tacita eſſe poterit indignitas noſtra: pati potuerunt oculi me cum Gabinio ſententiam dicere. quam lectionem ego quondam probaui, & peruulgatae antepoſui: illa enim pro indignitas habet in id dignitas, vt vocauerit hic Cicero indignitatem, quam Graeci appellant ἀγανάκτησιν. Ariſtoteles autem νέμεσιν dixit. & non id, quod plerumque apud ipſum valet hoc nomen: ſententia enim mihi mirifice conuenire videtur: ſine dubio enim Cicero hunc ipſum motum animi intelligit, qui aegre fert: nec tolerare vllo pacto poteſt indignorum honores. praeterea compoſitio verborum illa durior mihi videtur, & fortaſſe ſermo non ſatis purus ac Latinus. Vſus autem eſt verbo hinc conformato Virgilius, cum inquit, animum tribuens, ſenſumque rei ſenſu carenti.

Pontem indignatus Araxes. Quod fecit etiam magnus ſcriptor Plutarchus: ipſe enim quoque ſuo verbo, quod Latino huic reſpondet vſus eſt de nouo vino, oleoque loquens: dixit enim ipſa indignari: cum feruet ſcilicet vinum & quaſi pati non poteſt, ſe claudi & vaſe aliquo contineri: eodemque pacto recens oleum non ita quietum ſedatumque eſt, ardens in lucernis, vt poſtea, cum iamquam maturitatem ſenſit: quo tempore non ſcintillat, vt Virgiliano verbo vtar, & quo grauis ille poëta vſus eſt hoc ipſum ſignificare volens. Verba Plutarchi ſunt in ſympoſiacis ſuis quaeſtionibus. οὐ γὰρ τὸν οἶνον εἴασεν ἐν μόνον ζεῖν καὶ ἀγανακτεῖν: οὐδὲ τὸ ἔλαιον, οὐ τοῖς λύχνοις.

Deleta tandem macula, quae locum in epiſtola ad Atticum foedebat, multis prius id facere fruſtra conatis.

CAP. XI.

EXPLORATVM eſt, quod ego primus admonui, libros calamo exaratos, in loco illo epiſtolarum ad Atticum, qui ita vulgo legitur. Ita belle nobis flauit ab Epiro leniſſimus auſter mitis. pro auſter habere anches: peruulgatae vero illius lectionis vitium multis modis intelligitur. cum igitur tunc ego tenebras inde penitus pellere non poſſem, ſatis habui veterem lectionem indicaſſe. ſed nulli praeterea alij licuit eorum, qui vigiliis ſuis expolite epiſtolas illas aggreſſi ſunt, locum eum perpurgare, & reliquum diligentiae meae implere: ſolus autem hoc nuper praeſtitit Latinus Latinius, magni ingenij vir & Graecarum Latinarumq; litterarum bene peritus: ipſe namq; arbitratur peccatum illic eſſe in prima littera eius nominis: legiq; debere, coniuncta illa voce cum ſequente, atq; ita e duobus nominibus vno facto, ὀγχησμίτης: cum certum ſit ὀγχησμὸν portum eſſe Epiri, vnde ventus, qui illinc flaret, ita appellari potuit: non enim eſt dubium, quin multi venti a locis, vnde ſpirant, vocati ſint. portus huius, qui vocabatur ὀγχησμὸς, meminit Ptolemaeus & Strabo, apud quem tamen in excuſis perperam ὄγχιμος ſcriptum eſt, ventus igitur, qui inde flaret,

erat

erat Ciceroni, Brundiſium nauiganti, ſecundus. Quod vero excogitauit Adrianus Turnebus, Anchiſites, magis remotum perſpicitur a veſtigiis veteris lectionis, & vt arbitror, falſum & explodendum eſt. Vtinam autem hic vir, ſane doctus ac multae lectionis, non tam cupidus vndique fuiſſet omnia emendandi: melius nobis: melius exiſtimationi ſuae conſuluiſſet. Superiorem autem animaduerſionem docti & acuti viri, cum mihi ſignificaſſet voluntate illius Hieronymus Macus, homo mecum multis officiis coniunctus, non alienum duxi, me hic eam adponere: neque enim hoc ipſi moleſtum futurum puto: & non dubito quin gratum futurum ſit ſtudioſis harum grauiſſimarum epiſtolarum.

Declaratum quid valeat, ἐν χειρὸς νόμῳ in III. libro πολιτικῶν: pluraque exempla ipſius poſita.

CAP. XII.

Χειρὸς, vel χειρῶν, νόμῳ (qui modus loquendi creber eſt apud hiſtoricos) perſpicitur vocaſſe veteres illos, cum pugnabatur cum hoſtibus, & manibus res gerebatur: totum enim eo tempore poſitum eſt in ferro ac viribus: & illud potiſſimum, quaſi ius quoddam, attenditur quod concedit tempus illud. Ita autem locutus eſt Herodotus in viij. libro, vbi narrat paucos Graecos in pugna nauali, qua pugnatum eſt cum Xerxe, mortuos, quia nare ſciebant, & Salamis propinqua erat: ſoloſque illos deſideratos, quos vis Martis, ferrumque abſumpſiſſet. Verba eius ſunt. ἅτε γὰρ νέειν ἐπιστάμενοι, τοῖσι αἱ νέες διεφθείροντο, ἐς τὴν Σαλαμῖνα διένεον. Praeterea Polybius in primo libro hiſtoriarum, vbi exponit cladem acceptam in Aphrica a Poenis, duce ipſorum Xanthippo: narrat enim cornu illius, quod aduerſus elephantos poſitum fuerat, primos, qui in beſtias inciderunt, impetu & robore ipſarum loco pulſos & oppreſſos, illic mortuos aceruatim videri potuiſſe, & addidit ἐν χειρὸς νόμῳ. quod valet illic, in medio ardore pugnae, manibus hoſtium eos caeſos fuiſſe. Sed etiam multo infra in eodem libro, cum loqueretur de bello, quod geſtum eſt in Sicilia inter eoſdem potentiſſimos populos: cum enim vicini forent exercitus, contingebat crebra inter ipſos proelia committi, quae tamen leuiora forent: inquit igitur. τούτοις γὰρ αὐτοῖς ἀεὶ συνέβαινε διαφέρεσθαι κατὰ τὰς συμπλοκάς, οὐκ ἐν χειρῶν νόμῳ ποιοῦντας. in excerpto quoque quodam xi. libri, commemorans atrocem pugnam, quae commiſſa erat inter Machanidam tyrannum Lacedaemoniorum & Philopaemenen ducem Achaeorum, qua in pugna interfectus fuit a Philopaemene tyrannus ille, vſus eſt his verbis. καὶ τὸ μὲν πρῶτον τῷ δόρατι καιρίως καὶ προσενεγκὼν τῷ σαυρωτῆρι πληγὴν ἄλλην ἐκ διαλείψεως, ἐν χειρῶν νόμῳ διέφθειρε τὸν τύραννον. reſpexit igitur ad hunc modum loquendi: aptcque ac loco ipſum vſurpauit, Ariſtoteles in iij. libro πολιτικῶν, quo loco ſubtiliter de variis generibus regni diſputauit: cum enim primum ipſius genus explicaret: erant autem illi reges quaſi quidam perpetui duces militarium copiarum, narrat huiuſcemodi reges non poſſe ſemper indemnatos ciues necare, vt fiebat etiam priſcis temporibus, ſed tantum cum ex vrbe, caſtris ve, copiae eductae forent: tunc enim in poteſtate ipſorum ſitum erat, ſi res poſceret, hoc libere facere, hac ipſa ratione, qua diximus. Verba philoſophi ſunt. καθάπερ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων ἐν ταῖς πολεμικαῖς ἐξόδοις ἐν χειρὸς νόμῳ: hoc enim tantum diſcrimen eſt inter ipſum & Polybium, quod Ariſtoteles, vt Herodotus, vnius numero inquit χειρὸς: ille vero plurium, χειρῶν. Planum autem eſt locum hunc Ariſtoteleum vitio vacare: nec maculae vlli affinem eſſe. quare immerito ſuſpectus fuit Sepuluedae: dumque ipſum corrigere ille voluit, deprauauit, qui putarit ſcribendum eſſe ἐγχειρὸς νόμῳ. Sed etiam Dionyſius Halicarnaſſeus ſingulari numero in hiſtoria.

Εἰ δ' ἔπαυτο μόνον, ἐν χειρὸς νόμῳ διαπεπραχθησομένου.

Collationem Homericam, valde laudatam, propter eximiam ſuam virtutem peperiſſe non paruum incommodum.

CAP. XIII.

Vm in rebus, ſimili aliquo illuſtrandis, admirabilis ſemper fuerit Homerus, illa in primis ipſius collatio celebratur, & a magnis auctoribus in aſtra tollitur, cum, interfecto ab Hectore Patroclo, principes Graecarum copiarum ſe eo repente contulerunt, ne corpus ipſius ad ſe traherent hoſtes: ludibrioque ipſum afficerent: contraque Troiani, & ipſi conferti, duce Hectore, plenam integramque victoriam illam adipiſci conati ſunt, ac globo facto fortiter reſtiterunt Graecis: concurſum enim eum, clamoremque editum ab vtraque parte, illuſtrare volens poëta, fecit cum ſimi-

lem magno fluctui, qui incurrit in fluuium auctum imbribus, & ipſum magnam vim aquarum effundentem in mare: vnde vicina littora, percuſſa fluctibus, clamant ſonoremque ingentem edunt: omnis igitur haec collatio multis magniſque virtutibus referta eſt. in primis autem tertius ipſius verſus, quo ſingulari quodam artificio: ſermoniſque eius facilitate, mirifice exprimit, ſono litterarum, ſonorem eum, quem dixit eo excitari. eſt autem hic, valde notus.

Ἠιόνες βοόωσιν ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω.

Vt autem magis adhuc hanc collationem celebrem, libet hic adponere, quod in antiquo libro, declarationis loco adnotatum inueni: legitur enim illic imaginem hanc cauſam fuiſſe, vt Plato combuſſerit ſua poëmata: factum namque in ea eſſe, quod videtur naturae repugnare, vt quod auditur planius euidentiuſque ſit, quam quod aſpicitur. in alio tamen ſcholio in eundem locum, traditur hoc contigiſſe Soloni, quod mihi ſane minus veriſimile eſt: neque enim ita grandis ille poëta fuit, vt contendere de ſummo loco potuerit cum Homero: & praeterea poëmata ipſius leuia plerumque: & aliquando etiam mollia laſciuaque erant.

Magis credendum Plutarcho, quam Ciceroni, in hiſtoria de Sophocle narranda.

CAP. XIIII.

NON omnino verum eſt: neque etiam veriſimile, quod memoriae prodidit M. Cicero in libello de ſenectute, cum vocatus eſſet in iudicium Sophocles a filiis: vt ipſum quaſi deſipientem, remouerent a re familiari, recitaſſe illum eam fabulam, quam in manibus habebat & proxime ſcripſerat, Oedipum Coloneum: quaeſiſſeque, num illud carmen deſipientis videretur: neque enim ille totam fabulam recitauit, neque tempus illud ac locus hoc patiebatur, ſed tantum πάροδον ipſius: ac primum chori cantum, quo mirifice commendatur ciuitas illa, & omnis ager Atticus fertur in caelum ſummis laudibus: nactus enim poëta occaſionem aliquam illius rei, eam non dimiſit e manibus, ſed plurimum ſtudij poſuit, vt patriam, claram multis rebus, magis adhuc illuſtraret: egregieque, quod conatus eſt, effecit. id autem valuiſſe etiam aliquid arbitrari debemus, ad eum abſoluendum: voluntas enim tam praeclara & facultas magna, quod volebat, praeſtandi, compenſari aliquo praemio debuit. ego tamen, vt verum fatear, ſi vnus ex illis iudicibus fuiſſem, ipſum condemnaſſem: neque enim tam lepidum ſuaueque carmen effici poſſet ab eo, qui patrimonium non negligeret: contraque ſuas omnes cogitationes in eo tuendo augendoque conſumeret, ſed hoc iocandi cauſa dictum ſit. Plutarchus autem commemorat partem tantum eam, quam dixi illius fabulae Sophoclem iudicibus legiſſe, & ſi fortaſſe totam illam, vt fidem faceret, in manibus tunc habebat. qui praeterea addidit, cum cantilena illa omnis mirifice placuiſſet, poëtam e foro tunc, tamquam e theatro, victorem, magno cum plauſu & clamore omnium, qui praeſentes aderant, domum perductum fuiſſe.

Deleta (vt opinor) macula coniectura e III. libro πολιτικῶν.

CAP. XV.

MENDVM ſcripturae videtur manere in eo loco Ariſtotelis iij. libri πολιτικῶν, quo incipit quaerere, quid interſit inter probum virum & bonum ciuem: cum enim ante quam ad hunc nodum diſſoluendum aggrediatur, exiſtimet oportere tenere, quae ſit virtus ciuis, orditur eam a ſimili: quodque illi rei ſimili vſu venire demonſtrat, idem ſtatim contingere declarat in ciue. ſimilem autem eſſe oſtendit ciuem nautae, quorum omnium hominum, diuerſa munera obeuntium (quae tamen cuncta saluti nauis: rectoque ipſius curſui ſeruiunt) cum propria quaedam ſit ratio, ſiquis ſubtiliter exquiſiteque definire velit, eſt tamen alia quaedam communis eorundem. idem autem ſtatim docet fieri in ciue. In ſuperiore igitur ſententia, cum in excuſis omnibus & calamo exaratis, quos vidi, libris, legatur. ὁμοίως δὲ καὶ κοινός τις ἐφαρμόσει πᾶσιν, puto legi debere pro prima earum voce, ὅμως, paene vna, media ſyllaba, minus. facit autem vt ita exiſtimem, ſenſus ipſe, ſupra a me explicatus. ſed etiam locus alter, valde huic ſimilis, integer ac ſine macula, in vij. libro de moribus ad Nichomachum: illic enim quoque id, quod habebat in manibus explicare volens: erat autem illud, incontinentem non ſemper eodem modo accipi, cum alter eorum ſimpliciter dicatur incontinens: alter vero incontinens irae, honoris, pecuniae, ſimili vſus eſt: inquitque. ὥσπερ ἄνθρωπος, ὁ τὰ ὀλύμπια νενικηκώς· ἐκείνῳ γὰρ ὁ κοινὸς λόγος τοῦ ἰδίου μικρῷ διέφερεν, ἀλλ' ὅμως ἕτερος ἦν. Arbitror igitur planum eſſe illo modo, quem ſupra indicaui, legi debere. facit vero aliquid ad propria officia oſtendenda eorum, qui verſantur in naui,

hoc a

hoc a Cicerone expoſitum in libello de ſenectute. Vt ſiquis gubernatorem in nauigando agere nihil dicat, cum alij malos ſcandant, alij per foros curſent, alij ſentinam exhauriant; ille autem, clauum tenens, ſedeat in puppi.

Hiſtoria de Iano, quae magis adhuc ipſum ornat, eruta ex abdito loco.

CAP. XVI.

IANVS, qui deus eſt habitus & pater etiam vocatus, fertur inueniſſe coronam & alia non nulla, vnde non parua vtilitas capi poſſet: primuſque hoc capitis ornamento vſus fuiſſe: magni enim ingenij vir fuit, vel diuini potius, quod teſtantur honores, quos olim in Latio, peregrinus licet homo, adeptus eſt: & fluuius namque & mons, in quo ille habitauit, ab ipſo appellatus fuit. non pauca ſane de Iano hoc a Latinis auctoribus memoriae prodita ſunt. quid tamen praeterea inuenerim de ipſo apud Graecum ſcriptorem, Athenaeum in xv. libro, commemorare volo; ac totum denique eum locum hic adponere, quia pars illa eius libri, quae ſane magna eſt, & valde vtilis, in excuſis adhuc deſideratur. gratum autem in primis me facturum arbitror illis, qui nomiſmata antiqua diligenter tractant, ac quid in illis inciſum ſit, ſubtiliter inueſtigant. adnotatum autem illic eſt in aliis, ipſum nummum aeneum primum incidiſſe. nec non quemadmodum huius inſtituti & ſuperioris, ipſum inuentorem fuiſſe, ita ratum ſe nauigiorum. vnde morem ſecutum illic exponitur, vt in altera parte nomiſmatum ipſius incideretur corona, ſiue ratis, ſiue nauis. Sed haec omnia & plura etiam ex verbis ipſius intelligi poterunt. quae ſunt haec.
Ἐπεὶ δ᾽ ἐνταῦθα τοῦ λόγου ἐσμὲν, συμβαλοῦμαι τι μέλος ὑμῖν εἰς ἔρωτας κατὰ τὸν αὐθέκαστον ποιητὴν, ὅτι ἔοικεν ὁ παρ᾽ ἡμῖν θεὸς, ὃν καὶ πατέρα προσαγορεύομεν, πρῶτος εὑρεῖν στέφανον; ἱστορεῖ δὲ τοῦτο Δράκων ὁ Κερκυραῖος ἐν τῷ περὶ λίθων. Ἰανὸν δὲ λόγος ἔχει διπρόσωπον γεγονέναι, τὸ μὲν ὄπισθεν· τὸ δ᾽ ἔμπροσθεν ἔχοντα πρόσωπον· ἀπὸ τούτου καὶ τὸν Ἰανὸν ποταμὸν, καὶ τὸ ὄρος Ἰανὸν ὀνομάζεσθαι, κατοικήσαντος αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ ὄρους. πρῶτον δὲ καὶ στέφανον εὑρεῖν καὶ σχεδίας καὶ πλοῖα καὶ νόμισμα χαλκοῦν πρῶτον χαράξαι. διὸ καὶ τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα πολλὰς πόλεις καὶ τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον διπρόσωπον, καὶ ἐκ θατέρου μέρους ἢ σχεδίαν ἢ στέφανον ἢ πλοῖον. τοῦτον δὲ τὴν ἀδελφὴν Καμήσην γήμαντα υἱὸν μὲν Αἴθηκα, θυγατέρα δὲ Ὀλιστήνην γεννῆσαι, καὶ αὐτὸν ὡς μειζόνων ὀρεγόμενον πραγμάτων εἰς τὴν Ἰταλίαν διαπλεῦσαι καὶ οἰκῆσαι τὸ πλησίον Ῥώμης ὄρος κείμενον, τὸ ἀπ᾽ αὐτοῦ Ἰανίκουλον ὀνομαζόμενον.

Trudere aliquando, vt ὠθεῖν apud Graecos, ſtudium ac beneuolentiam ſignificare.

CAP. XVII.

VT M. Cicero in epiſtola quadam ad Atticum, vſurpauit trudit: neque enim ſignificare illic voluit eum, qui hoc fecit, impedimenti aliquid aut iniuriae, afferre voluiſſe illi, in quem id factum eſt, ſed beneficium & honorem dare, ita quoque Homerus, quod huic reſpondet, ὦσε. ambos igitur locos in medium adferam. primum autem Ciceronis, cuius haec verba ſunt. In qua, omnibus inuitis, trudit noſter Magnus A. F. notum enim eſt valde ſtudioſum eo tempore fuiſſe Cn. Pompeium honoris L. Afranij: nec vlli rei peperciſſe, vt ille obtineret conſulatum. Homerus vero cecinit. τὸν δὲ Ζεὺς ὦσεν ὄπισθεν. fauebat autem ipſi Iuppiter, praeclarumq; aliquod facinus ab eo effici cupiebat. non igitur reiecit eum, quod ſaepe valet hoc verbum, ſed a tergo ſtans, impulit illum: Alterum vero illud: & contrarium denique, oſtendit idem hoc verbum apud Plutarchum in Agide. narrat autem factum id, cum miſer ille rex in carcerem ab inimicis coniectus fuit. ἄλλων δὲ ἐπελθόντων ὄπισθεν ἐκ περιστάσεως· οὐδενὸς δὲ βοηθοῦντος, ἀλλ᾽ ἐρημίας οὔσης, ἐμβάλλουσιν αὐτὸν εἰς δεσμωτήριον. Eadem autem eſt ratio huius verbi διώκειν: cum enim ſaepe valeat, ſequi aliquam rem aliquem, deſiderio illius incenſum, ſignificat tamen apud Xenophontem in Ageſilao, depellere a ſe longe & fugare. haec vero ipſius verba ſunt, ferentis in caelum eum regem. καὶ πάντων τῶν καλῶν ἐρᾷ· καὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἐδίωκε. poteram ſane ſuperſedere exemplis in contraria notione comprobanda, quia ſatis ea plana apertaque eſt, ſed tamen hoc Ariſtotelis e iij. libro de rep. ponere non erit inutile: loquitur autem de ciuitatibus, quae reguntur a multitudine: αὗται γὰρ διώκουσι μάλιστα τὴν ἰσότητα. quis autem neſcit ipſas expetere praeter ceteras, aequalitatem. Vnde vere dictum fuit illud, eruditeque a Terentio de rep. Athenienſium. Hicine libertatem aiunt eſſe aequam omnibus.

Diſputatum

Diſputatum accurate de loco Terentij ex Adelphis: vetuſque lectio ipſius indicata.

CAP. XVIII.

Miror Gabrielem Faërnum, eruditum atque accuratum virum: & qui plurimum ſtudij poſuit in eo poëta reſtituendo, non animaduertiſſe locum hunc Terentianum ex Adelphis, aliter legi in Bembino illo exemplari, quod merito ipſe celebrat. Eſt alius quidam paraſitaſter paruolus: in eo enim pro paruolus, ſcriptum eſt paululus. quam lectionem nullo modo repudiandam arbitror: exiſtimo enim Latinum comicum, in eo Graecum, vnde fabulam expreſſit, ſecutum fuiſſe. apud quem fuerit ὀλίγον. Praeter quam quod alij etiam Latini ſcriptores ita locuti ſunt, vt T. Liuius, qui in xxxv. libro inquit. Equi hominesque paululi & graciles. Docet autem Ariſtoteles, in libro quem habemus, de arte poëtarum Homerum etiam hoc aliquando feciſſe, ad alias res transferentem hoc nomen ab illis, quibus oſtendendis primum ipſum inuentum fuerat. vt cum fecit Polyphemum prae ſe contemnentem Vlyſſem: corporisque ipſius breuitatem irridentem, vocare ipſum ὀλίγον: nec non cum appellauit ὀλίγην menſam, cum tamen μικρὰν paruamque intelligeret. Quod vero magis reſpondet huic loco Terentij, Theocritus etiam ὀλίγον κοῦρον inquit, cum puſillum puerum intelligeret: alius quoque Graecus poëta ὀλίγον λίθον vocauit, vt Heſiodus ὀλίγην νῆα eodem conſilio & ornatu. Nos etiam ſaepe eodem pacto in patrio noſtro ſermone verbum transferimus, vt cum ſignificare volumus virginem aliquam gracilem ac minutam: dicimus enim ipſam pocolina. cuius verbi ſedes eſt in alio genere quanti. Sed etiam Caeſar eum inquit in commentario ij. de bello Gallico. Nam Gallis plerumque, prae magnitudine corporum ſuorum breuitas noſtra contemptui eſt, dedit corpori, quod proprium erat temporis. quod tamen arbitror ipſum duxiſſe ex conſuetudine: tempus enim proprie breue & longum vocatur: vt Dantes quoque noſter, qui puſillam admodum in taetro carcere feneſtram, breuem μικροφεγγικῶς, & ipſe quoq; atque eleganter appellauit. Sed, vt ad Terentium redeamus, cum infra in eadem fabula inquit. Hic ſuos fecit paulo ſumptu, non auſim affirmare ipſum eodem pacto cepiſſe idem nomen: videtur enim paulum de ſumptu pecuniaque prolatum (quae ſunt in quanti genere ſecreto) potius proprie, quam μικροφεγγικῶς dici.

Apte ſignificaſſe Ciceronem aegritudinem ingentem boneſti viri, qua ille ob publica mala opprimebatur.

CAP. XIX.

Cvm dolorem ingentem Ser. Sulpicij oſtendere vellet M. Cicero, quem ille e publicis maximis malis capiebat: quibus malis ſapiens ille vir remedium nullum adhiberi poſſe arbitrabatur, ac de ipſis accurate flebiliterque in longo ſermone, cum Cicerone queſtus fuerat, inquit in epiſtola ad Atticum. Atque haec ita multis cum lacrimis loquebatur, vt ego mirarer eas, tam diuturna miſeria, non exaruiſſe. Non potuit igitur Cicero magis aperire moerorem illius, ac vim ingentem lacrimarum, quas effundebat, quam fecit his verbis vel potius hac ipſa φαντασίᾳ: quae ſi diligenter attendatur, valde ſubtilis eſt, ſed tamen fortaſſe magis conuenire videatur poëtae & illius ſtudij homini, quam alicui, qui rem ſimpliciter & πολιτικῶς narret: nec ſtudeat aliquo huiuſcemodi artificio ipſam augere. Euripides in fabula, qua induxit ſeptem illas Argiuas feminas, matres ſeptem clariſſimorum ducum, qui in Thebano bello interfecti ſunt, Theſeo ſupplicare, cum illum ipſum gregem calamitoſarum mulierum fecit lamentari ſuam deterrimam fortunam: conditionemque vitae afflictam, tantum (quae ſententia communis & vſitata eſt) induxit illas dicentes: ſe lacrimis opplere pectus ac veſtem madefacere. Verba eius tragici ſunt haec.

Γόοισι δ' ἐξαθυμέναι,
Δάκρυσι τέγγειν ἀεὶ πέπλων
Πρὸς στέρνον πτύχα τέγξω.

Perſpicitur igitur acumen Ciceronis in eo loco: & quantum ingenio valuerit in ſingulis rebus exprimendis. nam locus etiam ille in alia epiſtola eiuſdem libri ſimilitudinem aliquam cum hoc habet, cum inquit de Dionyſio illo, Graeco homine, cui valde ſuccenſuit, quia putabat fortunam ſuam, in quam tamen nulla propria culpa inciderat, ab eo deſpectam eſſe. Velim vt tibi amicus ſit, hoc cum tibi opto, opto vt beatus ſis: erit enim tandiu.

Valde dura Ciceronis compoſitio verborum, monſtrata.

CAP. XX.

INCIDIT in idem vitium M. Cicero, in quod aliquando, in fabula quadam ſua, Euripides, qui vno eodemque verſu multis vſus ſit vocibus, in quibus frequentaretur littera σ. quare irriſum eſt id carmen a multis, qui compoſitionem eam verborum, valde negligentem, moleſtamque auribus, improbarunt. quomodo autem culpa illa, admiſſa ab aliquo, vocetur a grammaticis notum eſt. Verſus Euripidis e Medea, valde celebris ob inſigne hoc vitium, eſt hic.

Ἔσωσά σ᾽ ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι. Et quae ſequuntur.

Verba autem ſunt Medeae, exprobrantis ingrato ſuo amatori maxima ſua in illum & nota cunctis ſociis ipſius, beneficia: Ciceronis verba ſunt in libello de ſenectute, quae videntur eidem culpae affinia, haec ipſa. Senſim ſine ſenſu aetas ſeneſcit. nec tamen non ſciebat Cicero hoc reprehendi ſolere & offendere aures, ſed tamen in ſcribendo vix poſſunt ſemper huiuſcemodi lapſiones vitari, & grauea ſcriptores diſertique per imprudentiam aliquando in huiuſcemodi aliquam negligentiam incidiſſe notati ſunt: neq; enim omnes tanto otio abundant & tam minuti ſunt in ſcribendo, quam Iſocrates fertur fuiſſe: de quo Plutarchus ſcripſit magis eum reformidaturum fuiſſe, ne oratio aliqua ſui parte hiaret, quam feciſſet Epaminondas, ille Thebanus, magnus imperator, ne phalanx, dum pugnaret cum hoſtibus, aperiretur. vnde tantum incommodum, perniteſque totius exercitus proficiſci poſſet.

Declaratus locus Euripidis: parque eſſe ac ſimilis Horatij ſententiae demonſtratus.

CAP. XXI.

HECVBA in fabula Euripidis, quae vocatur τρῳάδες, oppreſſa grauibus malis: & quibus maiora nulla addi poſſunt, cum humi iacens, ſubleuaretur ab ancillis, admonitis vt hoc facerent a choro, caſtigans illas: piumque id ipſarum officium repudians, inquit,

Ἐᾶτέ μ᾽· οὔτοι φίλα τὰ μὴ φίλ᾽ ὦ κόραι,
Κεῖσθαι πεσοῦσαν.

Quibus in verbis obſcuritas aliqua ſubeſſe videtur: quis enim dubitat, quin grata acceptaque non ſint, quae talia non ſunt: illud tamen eius generis erat, quod gratum eſſe ſolet: qui vero, quae infra adiungit, accurate legerit, non magno negotio intelliget, quae vis ſit illorum verborum: oſtendit enim Hecuba conuenire fortunae ſuae ſtatum illum corporis t ſordeſque. quare quod aliis temporibus acceptum ei fuiſſet, tunc ipſi moleſtum & odioſum erat, cum & pateretur acerba mala: & antea quoq; perpeſſa eſſet: ac videret ſe reliquo tempore neceſſario perpeſſuram: nec enim ſpes vlla ipſam tenebat meliorum rerum. Eſt igitur ſimilis locus hic ſententiae illi Horatianae, cum poëta inquit.

Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti

Valet enim illa quoque, opem ferre alicui, liberareque ipſum periculo mortis, qui extingui velit, idem prorſus eſt atque eripere vitam alicui, qui viuere cupiat: animus enim ſemper voluntaſque eius, qui accipit bonum, vel malum, ſpectanda eſt.

Reſtitutus locus Euripidis, miſere laceratus.

CAP. XXII.

LOCVS quidam eiuſdem fabulae mancus ita mutilatuſque eſt in excuſis libris, vt intelligi nullo pacto poſſit: eſt autem, vbi Caſſandra, furore percita, multa ariolatur, quae portenderent grauia mala Graecis: quorum tamen tunc venti erant valde ſecundi: cum enim ipſa infra incommoda illa magna exponat, incipit a ſententia admirabili: ſe namq; demonſtraturam pollicetur, gentem Troianam, quae tunc afflicta & calamitoſa vulgo exiſtimabatur, beatiorem eſſe, quam Graeci ſint: inquit autem, vt in illis legitur,

Πόλιν τε δείξω τήνδε μακαριωτέραν
Ἢ τοὺς Ἀχαιούς, στήσομαι βακχευμάτων.

Deſideratur enim in medio poſterioris huius verſus reliquum ipſius: & principium conſequentis, qui terminatur vocibus, quae huic perperam haeſerunt, vt ita integer legatur.

Ἢ τοὺς Ἀχαιοὺς ἔνθεος μὲν, ἀλλ᾽ ὅμως
Τοσόνδε γ᾽ ἔξω στήσομαι βακχευμάτων.

Notio verborum, quae reſtituta ſunt, aperta eſt: fatetur enim Caſſandra ſe ſane tunc plenam dei eſſe ac commoto animo: ſed tamen, quae de Graecis loquetur ſe extra furorem & minime

lymphatam

lymphatam dicturam: quare ipſi credi debere. Auxilio autem mihi fuit ad hunc locum reſtituendum magni ingenij, raraeque eruditionis vir, Fuluius Vrſinus, qui cum hanc fabulam contuliſſet cum antiquo & eodem fideli libro, quaecumque illic repperit a peruulgata lectione variata, ad me amanter miſit, vt eſt humaniſſimus & optimorum auctorum omni ratione expoliendorum ſtudioſiſſimus: quam etiam ipſius laudem naturaeque bonitatem celebrauit vir doctiſſimus & de omni vetere memoria egregie meritus, Carolus Signuius, cum & ipſe in re, quae faceret ad inſtitutum quoddam veterum Romanorum cognoſcendum, liberaliter ab eo adiutus fuiſſet.

Terentianam ſententiam & prius & integrius pronuntiaſſe Euripidem.

CAP. XXIII.

VERAM Terentij ſententiam, apud eum a Chatino prolatam, videtur multo prius Euripides, opifex multarum ſententiarum, in Alceſtide edidiſſe: cum enim Latinus comicus dixerit. Facile omnes, cum valemus, recta conſilia aegrotis damus. Tu, ſi hic ſis, aliter ſentias. Tragicus poëta induxerat Admetum Herculi, conſolanti ipſum ob triſtem interitum vxoris, ita reſpondentem. ῥᾷον παραινεῖν, ἢ παθόντα καρτερεῖν, mira igitur breuitate, & non parua elegantia, vſus Euripides, hoc, quod tempus illud poſcebat, atque vtile vitae eſſe intelligebat, pronuntiauit. Terentius alteram tantum ipſius partem γνωμικῶς edidit: quod poſterius autem Euripides fecerat, immutauit, & diſcedens a communi: quodq; in vniuerſum ita ſe habet, ad certam perſonam conuertit, vt apparet. quare ſimplex eſt apud eum γνώμη, non geminata, ſed Aeſchylus etiam eandem ſententiam (quod ante me quidam animaduerterunt) edidit: nec mirum ſane hoc debet videri: cui enim in mentem non veniret, quod & certum eſt: & cotidie contingere perſpicitur? Nos quoq; patrio ſermone, idem ſaepe ſignificare volentes, dicimus, Nemini vmquam, alterum hortanti, vt fortiter dolorem ferat, caput doluiſſe.

An recte accuſarit Quintilianus Euripidem, cum Phoeniſſis Eteocles fratrem inſimulans argumentatur a nomine.

CAP. XXIIII.

NON eſt fortaſſe tam frigidum & inſulſum quam putat Quintilianus, quod Eteocles apud Euripidem Polynici obiicit, conuenire nomen illud ingenio & moribus ipſius, ac diuino conſilio ipſi a patre impoſitum fuiſſe, quod oſtendit iurgia ac ſimultates. nam argumentum ab etymo non eſt leue aut contemnendum. praeterquam quod ab ipſo in altercatione omitti non debuit: cuncta enim qui contendunt cum aliquo eo pacto, arripere debent, quae valeant aliquid ad cauſam ſuam adiuuandam, & aduerſarium infamandum. Latini rhetoris verba haec ſunt. Nam & illud eſt apud Euripidem frigidum ſane, quod nomen Polynicis vt argumentum frater morum inceſſit. Eſt autem locus, quem intelligit hic in Phoeniſſis.

» Ἐξῆλθ' ἐκ χώρας. ἀληθῶς δ' ὄνομα πολυνείκη πατὴρ
» Ἔθετό σοι, θείᾳ προνοίᾳ, νεικέων ἐπώνυμον.

Sed etiam Aeſchylus, non poëta ſolum, ſed doctiſſimus vir ac merito philoſophus exiſtimatus, vtitur eodem argumento in eadem perſona notanda: vitioque, cui affinis erat, demonſtrando, in fabula cui nomen eſt ἑπτὰ ἐπὶ θήβας. atq; id non ſemel. vnde etiam perſpicitur, ipſum id non leue, nec nugatorium exiſtimaſſe: neque enim tam crebro eodem ſe contuliſſet. primum igitur.

» Ἐξυπτιάζων ὄνομα Πολυνείκους βίαν,
» Δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος. deinde
» Ἐπωνύμῳ δὲ κάρτα πολυνείκη λέγω,
» Τάχ' εἰσόμεσθα τοὐπίσημ' ὅποι τελεῖ. poſtremum
» Οἱ δῆτ' ὀρθῶς κατ' ἐπωνυμίαν
» Καὶ πολυνεικεῖς
» Ὤλοντ' ἀσεβεῖ διανοίᾳ.

Non ſolum autem, vt ad Euripidem redeam, argumentatur ille a ratione nominis, ſuperiore in loco, ſed etiam in aliis non nullis, vt in Troadibus Hecuba, Helenae argumentum refellens: dignitatemque omnem Veneri eripere volens, quae ἀφροδίτη ſermone Graeco vocatur, dixit deae nomen initium ducere ab ἀφροσύνης, ideſt ſtultitia & errore magno animi. Nec non cum in Bacchis, ſiue Pentheo (in calamo enim exarato libro hic eſt index fabulae) inquit Penthei nomen videri factum ad res aduerſas, miſeraſq; oſtendendas, cum a luctu, quod Graecis eſt πένθος, conformatum ſit. Eodem etiam pacto apud Sophoclem Aiax in fabula, cui ipſe nomen dedit, nomen ſuum mirifice conuenire dicit ſuis grauibus malis; quod & ipſum deductum ſit a voce αἰαῖ, quae gemitum aegritudinemque oſtendit.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXXVII.

Sublatum coniecturis mendum e lege Alfeni, quod optimum etiam noſtrum exemplar foedauit.

CAP. I.

VERBVM eſt in Digeſtis, de verborum ſignificatione tit. vi. l. Alfeni. in lege cenſoria, in extremo, quod putatur deprauatum atque id non ſine cauſa. eum autem magni iuriſconſulti corrigere ipſum conati ſint, quo ego coniectura ferar, in ea macula delenda, exponere volo. Quaeritur illic, qui ſint ſerui, quos erus vſus ſui cauſa pararit. totus vero locus hic eſt. Et ſibi videri eos demum vſus ſui cauſa patrem familias habere, qui ad eius corpus tuendum, atque ipſius cultum praepoſiti, deſtinatiq; eſſent. quo in genere iunctores, cubicularij, coci, miniſtratores, atque alij, qui ad eiuſmodi vſum parati eſſent, numerarentur. Andreas Alciatus peruulgatam prius lectionem ſequitur, in qua eſt vectores, atque ita interpretatur. Solebant veteres vel lecticis deuehi, vnde ſerui vectores dicti, quo genere lecticarij, agaſones, mulioneſque ſunt, quos tamen vſu ſuo habeant. Arbitror ego pro, iunctores, legi debere, ſine prima littera, vnctores. vocabantur autem vnctores ſerui, qui in balneis dominum vngebant atq; illi muneri deſtinati erant. conſuetudo veterum ſingulis diebus antequam cibum caperent in balneo ſe lauandi, & poſtea vngendi, nota eſſe debet. expoſuit totius huius rei ordinem M. Cicero in epiſtola illa ad Atticum, quae poſtrema eſt libri xiij, cum Caeſarem accepiſſet in fundo quodam ſuo. ſunt autem illic verba haec. Poſt H. viij, in balneum, tum audiuit. De Mamurra non mutauit, vnctus eſt, accubuit, ἐμετικὴν agebat, itaque & edit, & bibit ἀδεῶς & iucunde. Idem etiam ſignificat hoc Terentij e Phormione, quod poëta fecit illum impurum hominem, vnde fabula vocata eſt, loqui.

Ten aſymbolum venire; vnctum atque lautum e balneis,
Otioſum ab animo; cum ille & cura, & ſumptu abſumitur.

Sed nihil tam accommodatum eſt ad hanc rem confirmandam, quam hoc Ciceronis ex epiſtola ad Fabium Gallum. Ille autem qui ſciret ſe neporem bellum tibicinem habere: & ſat bonum vnctorem, diſceſſit a me, vt mihi videbatur, iratior, cuius (Ciceroniani loci) cum certa ſit ratio, cumque notio huius nominis mirifice quadret ſententiae ipſius: ſignificare enim voluit artem humilem & abiectam, miror extitiſſe qui ipſam immutare conati ſint, & pro vnctorem, quod inuenitur in omnibus libris & ſcriptis & excuſis, legendum putarint, opinionem ſuam ſecuti, & illam quidem inanem, cantorem, ſed magis miror valde ingenioſum & eruditum virum illi aſſenſum eſſe, atque id ſcriptis ſuis prodidiſſe. Sed, vt reuertar ad ſuperiorem locum, appellauit quoque vnctorem Plautus: nec non Martialis. rem ipſam plurimis locis tetigit Celſus. Praeterea Romae in antiquo lapide ſpectatur vnctor, dextra manu guttum tenens: ita enim vocabant puſillum vas, olei plenum, quod guttatim fundebat ſeruus hic in dorſum domini. & non longe etiam ab eo forma ſtrigilis inciſa eſt. monimentum autem hoc ego vidi: nec defuerunt etiam qui imprimerent in libello, in quo Roma quadrata, vt primum illa condita fuit, expreſſa eſt. Sed gutti etiam & moris huius mentionem fecit Horatius in ſatyra vi. primi libri, ita loquens.

Vilis cum patera guttus, Campana ſupellex.

Quod vero facit ad ſententiam Alciati temptandam, docendumque non quadrare huic loco, quod ipſe probauit, vectores a Cicerone vocantur, qui vehuntur in naui, nec tamen aut nautae ſunt, aut mercatores, ſed ex vno in alium locum naui vehi & tranſire volunt, & hoc ſane conſilio in nauem aſcenderunt. & vt hi, ita etiam qui vehunt. Serui qui lecticam geſtabant lecticarij nominabantur. cum autem plura genera vehiculorum eſſent: in quibus rheda, ciſium,

ſium, eſſedum etant. quae mulis aut equis traherentur, qui ipſi moderarentur eodem pacto ab illis rhedarij, ciſiarij, eſſedarij vocabantur: nec tamen fortaſſe iam commode vereque hi parati eſſe vſui domini dici poſſunt, quam vectores, qui illi tantum ipſi ſeruiebant. Poſtquam autem opinionem hanc meam argumentis, vt arbitror, non leuibus comprobaui, viſum etiam mihi eſt auctoritatibus doctiſſimorum hominum ipſam corroborare: & in re, quae propria eſt iuris peritorum, illos imitari: teſtimoniiſque ipſorum vti. Cum igitur ſuſpicionem hanc meam aperuiſſem magni iudicij viro & exquiſitae doctrinae, Guidoni Ferrerio cardinali, quem vidi initio huius autumni, redeuntem a Balneis Lucenſibus, non ſolum tunc verbis: verum poſtea quoque litteris mihi illam vehementer laudauit. Idem etiam fecerunt plurimum in eodem ſtudio laudati & valde celebres iuris interpretes, Laelius Taurellius, optimus & ſapientiſſimus ſenex: & Dominicus Bonſius, gener meus, qui & ipſe non paruam laudem & gloriam in eadem ſcientia conſecutus eſt.

Diſputatum diligenter de loco Plinij, quem videtur ex Ariſtotele parum fideliter expreſſiſſe.

CAP. II.

QVAESIVIT ex me quondam per litteras amicus ſummus meus, Chriſtophorus Rufus, vir vtriuſque linguae peritus: & in Peripateticorum diſciplina diligenter verſatus, incidiſſem ne vmquam in hiſtoriam eam, quam tangit Ariſtoteles in ix. libro de hiſtoria animalium, vbi coruorum naturam tradit: appellatque Mediae ξένους. quem locum exprimere volens (vt perſpicitur) Plinius in x. libro loquit. Corui in auſpiciis ſoli videntur intellectum habere ſignificationum ſuarum: nam cum Mediae hoſpites occiſi ſunt, omnes e Peloponneſo, Atticaque regione euolarunt. ſe namque vereri ne Plinius in ſententia eorum verborum reddenda deceptus ſit. Praeterea non ſatis compertum habere, quae ſit certa integraque Graeca lectio. cum pro ἐπιδηλώσεως, legatur etiam διαδηλώσεως. Totus autem philoſophi locus hic eſt. περὶ δὲ τὸν χρόνον, ἐν ᾧ ἀπώλοντο οἱ Μηδίου ξένοι ἐν Φαρσάλῳ, ἐρημία ἐν τοῖς περὶ Ἀθήνας καὶ Πελοπόννησον ἐγένετο κοράκων. ὡς ἐχόντων αἴσθησίν τινα τῆς παρ' ἀλλήλων ἐπιδηλώσεως. Reſpondi tunc ego ipſi, me arbitrari ξένους apud Ariſtotelem valere milites mercede conductos: & non hoſpites, vt interpretatus eſt Plinius, nam quin ita illi vocari ea aetate ſoliti eſſent, dubium non eſt. ſi namq; interfecti tantum fuiſſent aliqui, quos domi Medias accepiſſet: & qui hoſpitij iure coniuncti cum eo eſſent, non potuiſſet tantus odor ex ipſorum corpore manare, vt corui, remoti etiam non magno ſpatio terrarum, eo ſe conferrent: praeter quam quod ſepulti fuiſſent: quis enim pateretur hoſpitum ſuorum corpora abiecta manere? Veriorem itidem dixi me lectionem pluribus de cauſis putare, quae haberet διαδηλώσεως. quam vocem videtur Plinius ſatis commode interpretatus eſſe, vocabulo illo, ſignificatione: nam exiſtimo prorſus hoc oſtendere voluiſſe & Graecum & Latinum ſcriptorem, auem illam ſignificare ſui generis auibus quid ipſis accommodatum aut inimicum ſit: illaſque intelligere ſenſum monitaque ipſarum. quare tunc coruos, qui in Theſſalia erant, nuntiaſſe coruis longinquis, in ea terra eſſe facultatem magnam ſe paſcendi, vnde factum ſit, vt e Peloponneſo & agro Attico omnes eo conuolarint. Eſt autem valde ſimile hoc illi, quod commemorat Porphyrius in iij. libro περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων ſua aetate de Appollonio Tyaneo dici ſolitum. illum, cum audiſſet hirundinem vnam cum multis vociferantem, ſodalibus ſuis, quorum non paucos ſecum habebat, expoſuiſſe indicare eam ceteris aſellum, onuſtum frumento, ante vrbem cecidiſſe: frumentumque humi fuſum eſſe: videri enim ille volebat linguam auium intelligere, vt veteres augures Melampus & Tireſias, memoriae proditi ſunt. Eſt autem hoc admirabile, vt alia nunc taceam: quia hirundines non veſcuntur frumento. Porphyrius ſane ipſe, de quo accurate differit, erat huius ſententiae, vt aues ſcientiam haberent vocis cantuſque ſui generis auium ac, quod ipſis accommodatum foret, poſſent aliis demonſtrare. Hiſtoriam vero ſuperiorem & quis fuerit Medias hic, cuius mercennariae copiae occiſae ſint in proelio, me nuſquam inueniſſe confeſſus ſum, quod in primis ille, vt eſt in omni ſuo ſtudio accuratus, audire cupiebat.

Vetus lectio in epiſtola ad Atticum defenſa: Graecumque verbum, quod inde exturbatum erat, eo reuocatum.

CAP. III.

QVi primi putarunt Graecum verbum in epiſtola Ciceronis ad Atticum immutandum eſſe: ac pro ἰσαλπίζον ſcribendum ἐσάλπιζον, ductum ab illis conformatumque ex inferiore Graeco nomine, magnopere peccarunt; vtraque enim Graeca vox egregium

giam ſenſum habet, atque illi loco, quem in mea editione tenet, mirifice congruit. Primum igitur totum locum, vt in illa ſcriptus eſt, hic adnotabo: deinde paucis de ſententia ipſius diſſeram loquitur autem Cicero de Caeſare. Nam ego hunc ita paratum video peditatu, equitatu, claſſibus, auxiliis Gallorum, quos Matius σαλπίζει, vt puto, ſed certe dicebat, peditum, equitum, ſe polliceri ſumptu ſuo annos decem, ſed ſit hoc λάπισμα. magnas habet certe copias & habebit. cur igitur σαλπίζει e ſua ſede, quam iuſte poſſidet, eiciendum eſt? ſiue ἐσάλπιζε legendum ſit: in meo certe libro σαλπίζειν legitur, non omnino integre. quis autem non intelligit hoc verbum huc translatum eſſe? a tubaque ſumptum? qua etiam metaphora Homerus vſus eſt in noto, non tamen omnibus eodem pacto probato, verſu. nam legitur hic σαλπίζει: magis enim mihi conuenire videtur hoc verbi tempus: tunc ipſum enim Matius copias & apparatum Caeſaris efferebat. valet inquam celebrat & peruulgat, atque hoc magnifice & clare facit, qualis eſt ſonus tubae. non potuit igitur melius exprimere Cicero ſtudium Matij, amplificantis opes Caeſaris, quam fecit, dicens, eum in hoc imitari ſonum tubae, quo clarior nullus, ampliorque eſt, inferiute autem Graeco vocabulo oſtenditur poſſe, quod dicebat Matius, vanum eſſe & multo plus quam veritas eius rei ferret, auctum: λάπισμα enim eſt hoc ipſum, id eſt oratio alicuius glorioſa, qui res ſuas iactet. Initio igitur narrat Cicero ſe putare ornare Matium ſtudioſe apparatum ac vires Caeſaris, atque id ita agere, vt ab omnibus facile firmitas copiarum ipſius intelligatur. poſtea concedit aliquo modo orationem illius mendacio alicui affinem eſſe poſſe: apertius enim poſteriore Graeco verbo exponitur vitium illius orationis. vtrumque igitur loco manere debet. in Latinis verbis diſcrimen nullum eſt. niſi quod exemplar illud nobile pro ſe habet ſi. nec tamen non opinor hic mendi aliquid manere: videtur enim deſiderari numerus illorum auxiliorum. nec tamen ita cupidus vnquam fui omnem plagam huius nitidiſſimi corporis curandi, vt remedia importuna adhiberem: & quae quidquid eſt adhuc veri ſincerique ſuei in eo corrumpant. quare miror iuuentos, doctos ſane & ingenioſos viros, qui incertas & ab audacia ingenti profectas Maleſpinae coniecturas probarint & ſine vlla dubitatione receperint.

Imagine ab eadem re ducta, quae diſſimilis aliquantum inter ſe eſt, diſſimitudinem aliarum rerum lepide oſtendiſſe acutos viros.

CAP. IIII.

SAPOR longe alius carnis eiuſdem animantis, quae tamen animans diſtinguitur manſuetudine ac feritate: diſſimilitudoque illa valde accommodata eſt rebus aliis diſtinguendis. quae cum ſint eiuſdem generis, ſuperat tamen vna ipſarum reliquas bonitate. intelligo autem diſcrimen non paruum ſuci, quod interiectum eſt inter carnem apri & carnem manſueti ſuis. Apud Athenaeum in iij. libro, Magnus, qui pollicitus eſt ſe de hoc pomo diſputaturum, quia ſuauitate ipſius valde caperetur, oſtendere volens nobilitatem ficorum illorum, qui in inſula Paro naſcebantur: & a colore rubro αἱμάντια σῦκα vocarentur, quia cruorem referrent, & quantopere ſapor ipſorum vinceret ſaporem ceterorum omnium, dixit tanto meliores eſſe hos reliquis, quanto melior eſt apri caro carne omni manſuetorum ſuum. Cum autem praeſtare ceteris bonitate tradiderit hos ficos, coloremque rubrum habere ac ſanguini ſimilem, fortaſſe erant illi, quos nos ab ambroſia deorum cibo, vt opinor, ambroſiottos appellamus: concurrunt enim ambo illa in noſtris. quos magno conſenſu indicamus ſuauitate reliquis omnibus antiſtare. Sed tamen in eodem loco illo mirifice commendatur genus quoddam ficorum, quae appellabantur Romae, vt narrat idem calliſtrutiae: illos enim quoque praeſtare dicit cunctis, qui omnibus in terris naſcuntur. illorum autem meminit quoque Plinius cum de ficubus loqueretur, quae in Italiam ex aliis transierant gentibus, cuius verba ſunt haec. Et calliſtrutiae partim ſapore praeſtantiores, ficorum omnium frigidiſſimae. neuter tamen horum notam vllam affert, auxilio cuius intelligi poſſint: tantum ornant ipſas teſtimonio ſuo. Sed redeamus ad ſuperiorem varietatem ſaporis eiuſdem paene beluae. vnde etiam lepide argumentum duxit Romanus Imp. T. Quinctius, cum inanem ſonitum orationis legati Antiochi refellere & copias eius regis extenuare vellet: docereque illas conſtare cunctas e gentibus abiectis & minime bellicoſis: vſus enim eſt imagine, vt rem totam conſtitueret ante oculos eorum, qui audirent, atque inquit. Eſt autem res ſimillima caenae Calcidenſis hoſpitis mei, hominis & boni & ſciti conuiuatoris, apud quem ſolſtitiali tempore comiter accepti, cum miraremur, vnde illi eo tempore anni tam varia & tam multa venatio: homo, non quam iſti ſunt, glorioſus, renidens, condimentis ait varietatem illam & ſpeciem ferinae carnis ex manſueto ſue factam. Hoc dici apte in copias regis, quae paulo ante iactatae ſunt, poſſe, & in varia genera armorum, & multa nomina gentium inaudita-

» rum, Dacas, & Medos, & Caduſios, & Elimaeos, Syros omnes eſſe, haud paulo mancipiorum
» melius, propter ſeruilia ingenia, quam militum genus.

Diſputatum de vetere prouerbio, quod apud Graecos erat: & quaſi affirmabat ſpeciem nullam rerum tam ſimilem inter ſe eſſe, quam eſt ficus fico.

CAP. V.

VETVS prouerbium erat de ficorum inter ſe ſimilitudine: quod etiam videtur oſtendiſſe teſtimonium antiqui (vt opinor) comici, ſed tamen mihi ignoti. quod citatum eſt a Cicerone in epiſtola quadam ad Atticum. hoc igitur totum, quod facit ad tradendam ſimilitudinem huius pomi, ſaepe me dubium habuit: cum enim mecum diligenter cogitarim, non potui vnquam videre, quae res impulerit eos, qui primi dixere ipſos ſimiles, vt hoc affirmare auderent. praeſertim cum vnus aut alter non fuerit huius opinionis, ſed ſenſenſus totius alicuius gentis; huiuſcemodi enim ſunt prouerbia: intelligebam enim & formam ficorum eſſe diuerſam, & colorem & ſaporem, vt ſuperiore quoque diſputatione declaratum eſt, & magnitudinem etiam. non ceſſaui praeterea de hoc loqui cum ingenioſis hominibus, & peritis rerum ruſticarum. nec tamen inuenire potui qui mihi hunc ſcrupulum euelleret ex animo: placuit igitur mihi inſcitiam huius rei meam hic quoque teſtari, & in hoc exercere ingenia eruditorum: neque enim puto huiuſcemodi quaeſtiones indignas eſſe polito homine, & ſtudioſo antiquitatis. prouerbium autem, quod ſignificaui, legitur in libello, quo deſcribuntur mores diuerſorum ingeniorum, qui inſcribitur ea de cauſa, χαρακτῆρες, & Theophraſto vulgo attribuitur; vbi enim exprimit mores aſſentatoris: narratque ipſum ingreſſum ſtatim domum fortunati alicuius viri: laudare filium ipſius, in aliis nota-
» tum eſt ipſum dicere. σύκου ὁμοιότερος. ſententia vero Graeci poëtae, quae idem oſtendit, &
» qua vſus quoque eſt M. Cicero in epiſtola quadam ad Atticum, eſt. Σύκῳ μὰ τὴν δήμητρα
» σῦκον οὐδὲ ἓν οὕτως ὅμοιον γέγονεν. Nam alterum prouerbium huic par ac paene idem, niſi quod materia diuerſa eſt, de ouorum inter ſe ſimilitudine, dubitationem nullam habet. meminit illius Cicero in Lucullo; Sed etiam Alexander in commentariis in primum librum Topicorum tetigit hanc ſimilitudinem, cum doceret oportere, ſiquid ſimile inter ſe habeant res valde diſſimiles, perſcrutari: quia nemo quaerit, ſi ouum ouo ſimile eſt: ſiue mulus aſino: aut Caſtor Polluci: planum enim eſt ſimilia illa inter ſe eſſe: neque tamen diſertus ille interpres mentionem vllam fecit ſimilitudinis ficorum.

Laudatas quoque eſſe a Graecis ſcriptoribus caricas Cauneas, quarum meminit Cicero.

CAP. VI.

VT autem tertiam hanc animaduerſionem ſuperioribus duabus addam, in quibus tangitur aliquid de eodem ſuauiſſimo pomo, intelligitur indicio M. Ciceronis ficos Cauneos nobiles antiquitus fuiſſe: in ij. enim libro de diuinatione, quo loco de o-
» minibus diſſerit, haec verba leguntur. Quum M. Craſſus exercitum Brundiſij imponeret,
» quidam in portu caricas, Cauno aduectas, vendens, cauneas clamitabat & quae ſequuntur. conſueuerunt autem venditores tales a loco etiam, vbi nata ſunt, quae vendunt, laudare, atque ita pretium ipſorum augere. Sed teſtimoniis etiam Graecorum ipſorum illae commendantur. perſpicitur vero Ciceronem intellexiſſe caricas Cauno, vrbe Cariae, aduectas. nam cum Cauni ſint ciuitas Aeoliae: in illa quoque terra nati fici honorem habebant, & praeſtantis ſaporis eſſe exiſtimabantur. mandauit autem hoc litteris Athenaeus in iij. libro non longe ab initio facto illius libri, qua in parte copioſe diligenterque diſputatur de variis generibus ficorum, qui tunc celebrarentur, & magnos amatores nacti eſſent: in quibus etiam ſunt, qui idem nomen, a remotis tamen valde locis adepti forent. nec tamen meminit Athenaeus illorum, quos Zacynthos gigneret. ipſos vero videtur Plautus laudaſſe, cum in Mercatore induxit Cha-
» rinum ita loquentem. Hoſpes reſpondit Zacyntho ficos fieri non malas.

Declaratum

Declaratum iiſdem paene translatis verbis vocaſſe Latinos auctores ſubitam incurſionem hoſtium, quibus Theopompus, ille Chius, eandem rem appellarit.

CAP. VII.

PRODITVM eſt memoriae a Plutarcho in Ageſilao, Theopompum μεταφορικῶς in hiſtoria, cum bellum, quod magno impetu incurriſſet in vnam gentem & ita graue foret, vt facile illam oppreſſurum videretur, appellaſſe ipſum ῥεῦμα καὶ κλύδωνα πολέμου: quale fuit tempus illud, cum Thebani ſociique irruperunt in fines Lacedaemoniorum, & prope vrbem caſtra poſuerunt: quare Ageſilaus, res prudens, non ſiuit fortem ſuum populum decertare cum hoſtibus. Lucretius autem, quod admonendum ſtatui, eadem translatione vſus eſt: inquit enim.

Aereque, belli
Miſcebant fluctus: & vulnera vaſta ferebant.

Et Sophocles quoque in Antigona, qui inquit.

Δυσέντοισι χειμῶσι περισταμμένον,
Μίσει δίναισι κύμασι παρασχεῖν.

Sed haec apud poëtas crebriora ſunt: conceditur enim illis, vt liberius huiuſcemodi translationibus vtantur. Cicero vero pro Milone, vt Theopompus, audacius: apte tamen & eleganter. Et quidem ceteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat concionum fluctibus ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas. Nam eum oſtenderim Lucretij ſuperiorem translationem ſimilitudinis aliquid habere cum Theopompina illa, quod idem μεταφορικῶς itidem vocauit cupiditates & ſollicitudines vulnera vitae, Aeſchylus quoque prius eadem mala & res aduerſas appellauit πλαγκτὰς βίου in Eumenidibus ex perſona Mineruae.

Exemplis multis comprobatus modus loquendi, inuentus in vetere lapide, quo celebratur ſummum artificium pueri.

CAP. VIII.

AMICVS quidam meus, politi ingenij vir, dedit mihi quondam inſcriptionem hanc, quam ſe in antiquo lapide Antipoli, coloniae Maſſilienſium prius: deinde Romanorum, legiſſe affirmauit. viſum autem mihi eſt ipſam hic adponere, quia rem in illa etiam aetate infrequentiorem narrat: & valde vſitatum modum loquendi, e vetereque conſuetudine ſumptum, retinet. eſt autem haec.

D. M.
PVERI SEPTENTRIONIS,
QVI ANNORVM XII.
ANTIPOLI IN THEATRO
BIDVO SALTAVIT
ET PLACVIT.

Solitos autem eſſe veteres illos, cum aliquam rem ſpectaſſent, quae ipſos valde oblectaſſet: laudareque ipſam vellent, ſibi placuiſſe illam dicere ex prologis Hecyrae intelligitur: nec non ex his verbis prologi primae fabulae eiuſdem comici. Populo vt placerent, quas feciſſet fabulas. Et ex his quoque Ciceronis e libello de ſenectute: Neque enim hiſtrioni vt placeat, peragenda eſt fabula. Sed idem etiam declarat altera haec antiqua inſcriptio, quam accepi a viro maxime illuſtri: multiſque ac magnis animi dotibus ornato, Mario Columna.

DIS. MAN.
C. IOCVNDO C. F. EXQ QVI XII. AN. VIX.
ET SEPTIES SPECTANTIB. PVB. IMPP.
SER. GAL. OTH. SIL. A. VIT. ET P. R.
SALTAVIT CANTAVIT ET PLACVIT
PRO IOCIS. QVIB. CVNTOS OBLECTABAT
SIQVID OBLECTAMENTI APVD VOS EST
MANES INSONTEM REFICITE ANIMVLAM
FAVSTVS NVNC INFAVSTVS
PATER ET SIBI FEC.

Sed etiam in monimentis noſtrae pietatis: ſanctiſſimoque ſcripto illo, quo commemoratur exitus vitae triſtis Diui Ioannis Baptiſtae (ſi decet vti tam graui teſtimonio in re leui confirmanda, conſuetudineque ſermonis) legitur. Die autem natalis Herodis, ſaltauit filia Herodiadis in medio: & placuit Herodi. Ne mireris, qui legis.

Quas Cicero ſpes inanes & fallaces vocat, Aeſchylus, ſua lingua, fractas diſſipataſq; dixit.

CAP. IX.

CVM id boni, quod aliqui ſibi promiſerunt, repente euanuit: elapſumque ipſis eſt e manibus, M. Cicero ſpes illas fallaces vocare ſolet atque inanes, vt in peroratione fecit pro Milone: inquit enim: O ſpes fallaces, o cogitationes inanes noſtras. Aeſchylus vero in Agamemnone, vbi inducit praeconem, qui miſſus erat, vt Clytemneſtrae nunciaret captum eſſe Ilium: aduentareque Agamemnonem, ſalutare Argos, ſedeſque eas omnes, facit illum dicere, ſe tandem, cum multae prius ſpes ipſius fractae forent, vnam nactum. loquitur igitur de ſpe, quae ſine corpore eſt, tanquam de re ſolida: hae namque proprie franguntur & diſſipantur. propter ſimilitudinem tamen res, quoque, vacuae a corpore, rumpi dicuntur. vt Cicero in prooemio ij. libri de oratore locutus eſt, qui inquit. O inanes noſtras contentiones, quae in medio curſu ſaepe franguntur: Verba tragici illius ſunt.

πολλῶν ῥαγεισῶν ἐλπίδων, μιᾶς τυχών.

Videndum autem an, quod illic, declaratio vetus tradit, verum ſit. tranſlationem eam ſumptam eſſe ab anchoris, quarum cum multae in aqua fractae ſint, vna aliqua nauim conſeruare. mihi enim hoc non valde probatur: veriuſque arbitror, quod ſupra a me tactum eſt: & a Cicerone vſurpatum.

Eadem forma vſos Demoſthenem ac Ciceronem, cum pleni laetitiae, res ſuas efferre vellent.

CAP. X.

ILLVSTRES viri ac valde cupidi laudis, cum factum aliquod ſuum ornare volunt, conferunt ipſum cum aliquo facto honeſto magnopere laudati viri: docentq; ſuperare ſuum dignitate illud, quod vehementer omnibus probatur. hoc ſedulo fecerunt duo magni oratores, & qui ambo principem locum inter ſuos tenuerunt, Demoſthenes & Cicero. nec mirum ſane hoc videri debet: in ſtudio enim illo nutriti fuerant, quod artem tliam habet: ac ſaepe vtitur, cum rem aliquam aut augere aut conterere vult, συγκρίνειν. Cicero igitur in epiſtola quadam ad Atticum, inquit. Quae mihi res multo honorificentior viſa eſt, quam aut illa, cum iurare tibi ciues Xenocratem, teſtimonium dicentem, prohibuerunt, aut cum tabulas Metelli Numidici, cum hae (vt mos eſt) circunferrentur, noſtri iudices aſpicere noluerunt. Proditum itidem memoriae eſt Demoſthenem ſtatim poſt reditum ſuum, cum intendiſſet manus ad caelum, ſe beatum propter laetitiam eius diei vocaſſe, quia melius, quam Alcibiades fecerat, in patriam rediiſſet: perſuaſos enim, non coactos, vique ipſis adhibita, ciues ſuos ſe in vrbem recepiſſe.

Pluribus teſtimoniis & lapidum et librorum antiquorum, probatum commutaſſe ſaepe inter ſe librarios in ſcribendo literas I & L.

CAP. XI.

APERVI ego non nulla antea, monſtrauique, quae non parum valent ad maculas delendas ex antiquis auctoribus, quia in ipſis ſaepe labi imperiti librarij ſoliti eſſent: addam vero nunc illis, cum in vetere ratione ſcribendi, vt in noſtra quoque, ſimiles magnopere ſint hae duae litterae, quae longe alium ſonum habent, I, & l: aliquando ipſos incuria & inſcitia commutaſſe ipſas, & alteram pro altera cepiſſe. nam in Bruto etiam, qui putantur fideliores excuſi libri Staienos habent pro Stalenos. eodemque pacto nobile meum exemplar epiſtolarum ad Atticum, quod animaduertit olim Politianus, pro cerula habet ceruia in illo loco. Quae quidem vereor, ne cerula tua pluribus locis notandae ſint. Sed etiam in epitaphio, quod ego, in antiquo lapide inciſum, inueni in aedicula quadam iuxta Diui Caſſiani, colonus, illo modo exaratum eſt: eſt autem hoc.

C. VMBRICIVS.	VOLTVRNIAE
C. F. SCA. CANSO.	C. FILIAE.
COION. ADLECT.	TERTVLLAE
D. D. FLORENT.	VXORI.
SIBI. ET.	

Exiſtimo igitur conſuetudinem illam veterum, parum inter ſe diuerſas fingendi has litteras, corrupiſſe hunc quoque locum in epiſtola quadam ad Atticum e libro xi. Vel omnium maiorum: arbitror enim malorum legi debere: quod enim ſupra dixit. Omnia timnimus. & non nulla infra expoſuit eorum periculorum, quae impendebant, videtur cum ſtomacho dixiſſe. Vel omnium malorum. quaſi illo tempore cuncta, quae obeſſe poſſent, imminerent. Eſt ſane locus ille aliis etiam ſui partibus deprauatus: cuncta vero ipſius vulnera cum nequaquam nunc poſſim curare, hanc partem correxiſſe non ingratum eſſe debebit. Vt opinor autem in hoc quoque loco Plauti peccatum eſt. ſed contraria ratione, pro malorum enim, maiorum legitur. ita autem loquitur Pſeudolus in fabula, cui ipſe nomen dedit.

Explicatum genus proſopopaeiae, diuerſum aliquantum ab eo, quod plerumque hoc nomine appellatur.

CAP. XII.

POETAE ſolent aliquando ſenſum atq; animum dare rebus non nullis, corpore ac ſenſu carentibus: & de ipſis tamquam de hominibus loqui, quod fecit manifeſto Plautus in prologo trinummi, in quo, tamquam perſonas aliquas, induxit luxuriam & inopiam inter ſe loquentes. Luxuria igitur, quam fingit eſſe matrem inopiae, quia, qui luxui dediti ſunt ad inopiam rediguntur, ita cum filia illic loquitur.

Primum mi Plautus nomen luxuriae indidit;
Tum mihi gnatam hanc is eſſe voluit, Inopiam.

P. Rutilius, in libello de figuris illis, quas Graeci vocant σχήματα, putat hanc eſſe προσωποποιΐαν. & ſi comici alicuius exemplum non ponit; ſed oratoris, vt videtur. Nam, cum crudelitatis mater eſt auaritia, tum pater furor: ea huic facinori coniuncta, parit odium, inde item naſcitur exitium. inquit igitur rhetor ille, ipſam explicare incipiens. Hoc fit cum perſonas iis rebus conſtituimus, quae ſine perſonis ſunt. ſtatimq; addit. Hoc genere vſi ſunt poëtae, qui fabulas ſcripſerunt, in prologis. nam humana figura produxerunt perſonas, quae in veritate artis & voluntatis ſunt, non perſonae. Simile autem huic eſt illud Euripidis e Troadibus, cum fecit Andromacham, accuſantem Tyndaridas, quia Aſtyanactem filium crudeliter interficare ſtatuerant, ita in ipſos inuehi: dixit enim familiam illam natam eſſe e vitiis, quae erant propria illius ſtirpis, tamquam e maioribus ſuis. haec autem verba calamitoſae mulieris ſunt.

Ὦ τυνδάρειον ἔρνος, οὔποτ' εἶ Διός.
Πολλῶν δὲ πατέρων φημί σ' ἐκπεφυκέναι,
Ἀλάστορος μὲν πρῶτον, εἶτα δὲ, φθόνου,
Φόνου, θανάτου θ', ὅσα τε γῆ τρέφει κακά:
Οὐ γάρ ποτ' αὐχῶ Ζῆνά γ' ἐκφῦσαί σ' ἐγώ,
Πολλοῖσι κῆρα βαρβάροις, Ἕλλησί τε.

Idem etiam aliquo modo fecit Homerus, cum commentus eſt pauorem, fugamque formidinis ſociam eſſe. inquit igitur, de perterritis: in fugamque verſis Achiuis.

Θεσπεσίη ἔχε φύζα, φόβου κρυόεντος ἑταίρη.

Non tamen hanc προσωποποιΐαν eſſe diceret fortaſſe aliquis: & ſi cum fugam affirmet eſſe timoris ſociam, videtur ex eo nomine ἑταίρη, de ambabus, vt de perſonis locutus fuiſſe: de hominibus enim id nomen proprie dicitur. Animaduertendum etiam non omnino eandem eſſe προσωποποιΐαν hanc atque illa eſt, qua vtuntur oratores & poëtae multis locis: vocatur enim ita in eorum ſcriptis, cum inducitur aliquis loqui aut iam mortuus: aut abſens. quales ſunt illae pulcherrimae & cauſae magnopere accommodatae, in oratione pro M. Celio.

Rapax, non vbique idem valere: & de pomis Hippomanis, quibus durum animum amicae molliuit.

CAP. XIII.

NOMEN hoc rapax vſurpatum eſt a Cicerone in Laelio, aliter atque ipſe & alij vulgo ceperint; neque enim valet illic iniuſtus & πλεονέκτης, quique animo habendi, ad ſe trahat rem alienam, ſed quod ſtudio & arte, ſiue vi quadam ſua & natura, alliciat ad ſe

quippiam, cuius deſiderio teneatur. Verba Ciceronis ſunt haec; Nihil eſt enim appetentius ſimilium ſui: nihil rapacius quam natura. oſtendere igitur voluit naturam aliquo modo vim adhibere & cogere. Eodem pacto videtur cepiſſe rapere auctor carminis, commendantis eximia quaedam poma, quod carmen legitur inter luſus in cuſtodem illum hortorum: eſt enim in eo. Qualibus Hippomanes rapuit Schoeneida pomis: valet enim illic rapuit, conciliauit ipſam ſibi ac beneuolam reddidit, vel potius inuitam ipſam ac recuſantem ad ſe vocauit. Non eſt autem admirandum, flectere potuiſſe animum illius virginis Hippomanem praeſidio illorum pomorum, quae, vt fabulae poëtarum ferunt, dederat ipſi Venus, amori illius inſeruiens: & vt, quod ardenter cupiebat, Hippomanes aliquando obtineret: acceperat autem ipſa dea illa a Libero patre: ſignificare hoc voluit Theocritus cum cecinit.

Μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι Διωνύσοιο φυλάσσων,

Cuius verſus declaratio quaedam citat teſtem Philetam Coum, qui in elegia quadam ſua, idem his verbis prodiderat.

Τά οἱ ποτὲ Κύπρις ἑλοῦσα
Μῆλα Διωνύσοιο δῶκεν ἀπὸ κροτάφων.

Iuuentum qui aliter ſentiret de natura & moribus M. Antonij ac Cicero fecit.

CAP. XIIII.

VITVPERATIONE profecto illi digni ſunt, qui cum culpae alicui magnae affines ſint, quae, valde impediat vſum rerum, non poſſunt ſibi ab ea, ne in rebus quidem aduerſis, temperare, & tunc cum maxime cura & vigilantia opus eſſet. Docet hoc verum eſſe ac ſeruari ſedulo debere Terentius, in perſona humili & ſeruo denique, cum facit Demeam, ſeuerum ſenem, his verbis corripere temulentum Syrum, cum tamen ille ſibi nihil feciſſe videretur, quod tanta poena dignum foret.

In ipſa turba, atque in peccato maximo,
Quod vix ſedatum eſt, potaſti ſcelus,
Quaſi re bene geſta.

Exprobrauit idem hoc M. Cicero M. Antonio, qui vnus ſupra ceteros mortales deditus erat libidinibus, & in voluptatibus toto corpore volutabatur. An vere autem hoc fecerit, ſiue potius inimico animo, & tota mente conuerſus in hominis infamiam & dedecus, diligenter videndum eſt: non enim deſunt qui longe aliter de illo homine loquantur. in iij. igitur Philippica his verbis eum notauit Cicero. Numquam, ne in metu quidem, ſobrio: Plutarchus enim, grauis in primis auctor, in vita ipſius, commemorat Antonium, cum e Mutinenſi proelio, accepto illic magno incommodo, fugeret, incidiſſe, vt victi in acie ſolent, in magnas omnium rerum difficultates, e quibus fames ſuperabat reliqua mala, quae tamen mala ipſum fortiter conſtanterque tuliſſe narrat: affirmat enim Antonium in rebus aduerſis ſuperare ſemetipſum & vincere ſolitum in virtute colenda, & cum graui fortuna premeretur, ſimillimum omni tempore viro bono extitiſſe. graue igitur hoc tanti viri teſtimonium eſt contra M. Tullium. ipſe autem ſemper exiſtimaui in natura M. Antonij & moribus iudicandis deceptum fuiſſe Ciceronem, qui putarit ipſum nullo pacto auelli poſſe a voluptatibus illis ſuis. nec aliud quicquam mente verſare, quam ipſas vndiq; explere, vt his verbis declarauit, quae ſunt in epiſtola quadam ad Atticum. Tu tamen odorare Antonij διάθεσιν, quem ego puto magis epularum rationem habere, quam quicquam mali cogitare: perſpicitur enim ipſum, cum neceſſe erat, potuiſſe ipſis carere, & multum mali non ſolum cogitaſſe, verum etiam effeciſſe.

Explicatus locus Polybij, quo ſignificatur obſcure ſtudium Romanorum in vijs, quas muniebant, ornandis.

CAP. XV.

QVID valeat apud Polybium in iij. libro hiſtoriarum, vbi iter Annibalis, tranſitumque ipſius in Italiam cum exercitu exponit, βεβημάτισται & σεσημείωται, diligenter videndum eſt. loquitur autem illic potiſſimum de via quadam, quae ſtudio atque opera Romanorum munita erat: ipſe autem arbitror primum eorum verborum pertinere ad oſtendendum morem eius aetatis: rationemque aſcendendi in equos, quae ratio cum facilis non eſſet: nam carebant his, quas vocamus ſtaphias, non ſine labore ac moleſtia, qui viribus non valebant: nec habebant qui in equos ipſos tollerent eam expedire poterant. illum igitur laborem vt minuerent, qui vias militares ſternebant,

in lateribus

in lateribus viarum collocabant altiores quoſdam lapides & tamquam quaedam puſilla ſuggeſta excitabant, ex quibus paruo negotio quilibet, tenui etiam corporis firmitate, poterat ſe coniicere in dorſum equi. ἅμα autem hoc, quod dixi, valere apertum eſt: Cicero etiam in ea voce exprimenda hoc ipſo Latino verbo non vno loco vſus eſt. Idem etiam, quod Polybius, in vita C. Gracchi narrat Plutarchus, qui Caius cum omni ratione conſuleret commodis multitudinis: ſtuderetq; cunctorum Italiae populorum animum ſibi conciliare, in aliis etiam plures vias ſtrauit, & cum ipſas commodas valde feciſſet atque ornaſſet, curauit etiam vt lapidibus certa menſura poſitis & columellis quibuſdam notarentur milia paſſuum, & aliis itidem propinquioribus lapidibus effecit, vt qui equo veherentur poſſent in eum facile aſcendere, ſine inſtrumento illo, quo huic rei facto, vtebantur, cum imponi in equum vellent, & ἀναβολέα ipſum vocabant. Sed cum locus hic Plutarchi ſit quaſi declaratio quaedam illius, quod breuiter obſcureque ſignificauit Polybius, praeſertim prioris ipſius partis: exponitur enim diligenter eo, ratio rei, nobis obſcurioris, quia ipſam iam pridem dimiſimus, nec valde noua hac ratione inuenta, ea egemus, totum ipſum hic adponam. Inquit igitur Plutarchus, cum accurate antea locutus eſſet de vtilitate & ornatu illarum viarum. πρὸς δὲ τούτοις, διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν. τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ, κίονας λιθίνους, σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. ἄλλους δὲ λίθους ἔλαττον ἀπέχοντας ἀλλήλων ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ, διέθηκεν, ὡς εἴη ῥᾳδίως τοῖς ἵππους ἔχουσιν ἐπιβαίνειν ἀπ' αὐτῶν, ἀναβολέως μὴ δεομένοις. Sed etiam plenius illum ipſum Polybij, atq; id maxime, quia qui vertit in Latinum ſermonem ſcriptorem eum, Nicolaus Perottus, valde negligenter locum eum expreſſit, & ita demum vt a nemine ex verbis ipſius res haec percipi & cognoſci poſſint: Polybij, igitur verba ſunt. καὶ μὴν ἐντεῦθεν εἰς τὴν τοῦ ῥοδανοῦ διάβασιν περὶ χιλίους ἑξακοσίους ταῦτα γὰρ νῦν βεβημάτισται καὶ σεσημείωται κατὰ σταδίους ὀκτὼ διὰ ῥωμαίων ἐπιμελῶς. Interpretis vero: ita enim ſumma cum diligentia dimenſa ea loca per Romanos fuere. nihil igitur tetigit quod valeret ad vim eorum verborum aperiendam.

Tempus in omni re gerenda diligenter ſeruandum, teſtimoniis optimorum vtriuſque linguae poëtarum declaratum: diſputatumque de nominibus etiam, quibus opportunum tempus oſtenditur.

CAP. XVI.

QVANTA vis in omni re ſit temporis, docuit praeclare Virgilius: quae namque vix aut, ne vix quidem, a fortunatis hominibus alieno tempore obtinentur, ea ſuo accommodatoque non magno negotio ab iiſdem impetrantur: hoc vero in primis diligenter cuſtodiri debet ab iis, qui volunt aliquid ſibi concedi, quod ſit illis, vnde extorquendum eſt, odioſum ac moleſtum. Cum igitur ille fecit Aeneam ita loqui cum principibus ſuarum copiarum: aperireque quid ſui conſilij eſſet, in diſceſſu illo ex Africa: vel potius ſubita fuga, quam tegere occultamque eſſe Didoni, quantum res pateretur; ſtudebat, his verbis vſus eſt.

Se ſe interea, quando optima Dido
Neſciat & tantos rumpi non ſperet amores.
Temptaturum aditus & quae molliſſima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus.

Sed etiam infra ex perſona Didonis, quae, dolis cognitis, videbat ſi poſſet mutare animum ſui amatoris: atque ita cum ſorore egit, qua via ſemper fuit, tamquam interprete ſuarum curarum,

Sola viri molles aditus & tempora noras.

Exemplum autem huius documenti, reperitur etiam apud Euripidem, qui in fabula Ione ita induxit Xuthum cum Ione ipſo, quem ex ſe natum putabat, loquentem: pollicebatur enim ſe illi regnum Athenarum daturum, quod tamen inuita vxore non facile praeſtare poterat: ab illa enim ipſum acceperat: & tamen ſperabat id quandoque adhibita diligentia, vt id efficere poſſet: contentaque ea re ipſa foret, impetraturum. Ita igitur locutus eſt.

Χρόνῳ δὲ, καιρὸν λαμβάνων, προσθήσομαι
Δάμαρτ' ἐᾶν σε σκῆπτρα τἄμ' ἔχειν χθονός.

Λαμβάνειν igitur καιρὸν idem ſignificat, quod apud Latinum poëtam temptare aditus & tempora fandi molliſſima. hoc vero cum effici ſubito nullo modo poſſit, ambo ſignificarunt ſe loco temporeque id conaturos. Graeci, vt apparet etiam ex hoc loco, verba diſtincta habebant, quibus oſtenderent duo haec diuerſi generis tempora. Latini tempus ſaepe appellant, vt Virgilius hic facit, etiam καιρὸν. Terentius quoque eodem pacto accepit hoc verbum, cum induxit Syrum cum Clitiphone ita loquentem: erit autem idem locus exemplum & notionis, quam dico eſſe huius nominis, & rei etiam ipſius, quam hic adnotaui.

In tempore ad eam veni, quod rerum omnium ſt
Primum.

Conſilium expoſitum ducum belli ad inſultandum lepide in hoſtes.

CAP. XVII.

LEGERAM olim multis locis apud hiſtoricos inferioris aetatis in libris, quos vocabant χρονικὰ, morem fuiſſe ducum eorum exercitus, cum frangere volebant animos hoſtium; oſtendereq; ſe penitus eos deſpicere in vrbe, quam obſiderent, aut prope ipſorum caſtra ludos quoſdam facere, &, vt eſt conſuetudo huius temporis, curſum equorum inſtituere, propoſito praemio illi, qui viciſſet; quaeſineramque mecum, an exemplum aliquod apud veteres illos Graecos, aut Romanos ſcriptores huius rationis extaret: inueni tandem Plutarchum ſimile admodum; parque conſilium, ac factum commemorare Cleomenis, regis Spartiatarum, fortiſſimi viri, & ſummi ducis belli: cum enim ille patefacere vellet, errare Achaeos; ducemque eorum Aratum Sicyonium, qui putabat eo tempore non auſuros eſſe Lacedaemonios ob inteſtina mala vrbe exire, hoſtiliter acceſſit in fines Megalopolitanorum, agroſque ipſorum depopulatus eſt; cumque illic adhuc maneret; ſignificareque vellet, ſe illos nullo negotio vincere poſſe, tranſeunte forte illac grege hiſtrionum, qui Meſſene veniebant, ductiſque illis ad ſe, venit ipſi in mentem fabricare ſubito eo loco theatrum, & fabulam recitare, propoſita quoque mercede iis, qui melius munere ſuo functi eſſent: in eaque ſpectanda totum diem conſumpſit, quod praeſtitit, vt teſtatur grauis auctor, non animi cauſa; neq; enim deditus erat ſpectaculis, verum ea de cauſa, quae ſupra ſignificata eſt. Huiuſcemodi quiddam geſſit noſtra aetate ciuis optimus, reiq; ue publicae amantiſſimus, Antonius Iacominius Tebalduccius, cum imperium haberet in copias illas, quae Piſas obſidione premebant, quo longo in bello ſemper egregiam operam patriae nauauit: ipſe enim quoque, relictis caſtris bene munitis, praeſidiiſque firmatis, in ſiluam ingentem ad vada Volaterrana profectus eſt, non admodum propinquam, cum omni ornatu venatorum; conſumptaque illic tota die, cum magna praeda ceruorum, aprorumque; maximaque omnium laetitia in caſtra reuerſus eſt.

Indicatus Salluſtij locus Terentiano loco ſimilis, qui ambo loci teſtificantur peſſimum quorundam ingenium.

CAP. XVIII.

SIMO Terentianus, peſſimum ingenium Daui, cuius dolos metuebat, oſtendere volens: ſeque non ſine cauſa timere, ne ille impediret ſua conſilia inquit de ipſo.
» Quem ego credo manibus pedibuſque obnixe omnia
» Facturum, magis id adeo mihi vt incommodet,
» Quam vt obſequatur gnato.

Videtur igitur Salluſtius, qui idem de animo plebis R. erga nobiles protulit, ſententiam hanc a comico accepiſſe: ipſe enim quoque inquit de bello Iugurthino. Sed plebs, incredibile eſt me-
» moratu, quam intenta fuerit, quantaque vi rogationem iuſſerit, decreuerit, voluerit, magis
» odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicae, tanta libido in partibus erat.
Cum autem docuerim Ciceronem: aliquando quod a veteribus quoque non nullis animaduerſum eſt & litteris proditum, expreſſiſſe locos non paucos huius grauis acutique poëtae, mihi ſane veriſimile eſt hoc ſcriptorem illum hiſtoriae ab eodem accepiſſe: quem exploratum eſt antiquos Graecos & Latinos auctores accurate legere ſolitum: atque inde multas elegantes & vtiles vitae ſententias in ſcripta ſua transferre. quin certe valde ſimiles ſint hi duo loci dubitari non poteſt. Huiuſcemodi autem plures locos adnotauit, vt mihi ipſe litteris ſuis ſignificauit vir bene doctus & omni ratione veterum ſcriptorum adiuuandorum ſtudioſus, Ioannes Sambucus: cum enim praecepto Flacci obtemperans, diligenter manu verſet Graeca exemplaria: memoriaque valeat, nihil praeterit ipſum, quod a Latino vllo auctore inde acceptum videri poſſit. In aliis igitur vidit hoc Horatij ex epiſtola de arte poëtica.
» Multa tulit fecitque puer. ſudauit & alſit. Et quae ſequuntur, poëtam ſum-
» pſiſſe e ſympoſio Xenophontis, qui inquit. πολλὰ μὲν πόνει: πολλὰ δ' ἀλγεῖ ἀνέχεται. quemadmodum autem quod Virgilius de apibus eleganter cecinit.
» Ignauum fucos pecus a praeſepibus arcent.
Dictum prius fuiſſe ab eodem politiſſimo ſcriptore, in libro de tuenda & augenda honeſtis artibus re familiari: vocauit enim ille quoque κηφῆνας ἀργοὺς, & paulo poſt addidit, ἐκ τῶν σμηνῶν ἀφαιρεῖ.

Exemplis poſitis declaratum duos Graecos poëtas duabus in rebus vidiſſe idem ac celebraſſe ſuis verſibus, quod princeps medicorum Hippocrates.

CAP. XIX.

VIDIT idem, accuratus homo in legendo, & reconditae doctrinae, Sambucus inquam, omni laude dignus vir ob eximias ſuas animi dotes, & non minus quia aliorum laudis valde liberalis eſt, Pindarum, acerrimi ingenij poëtam, ſubtiliter explicauiſſe caput illud optimi libri Hippocratis in oda quadam ſua, quae vna eſt voluminis Pythiorum, cum cecinit. ὁ γὰρ καιρὸς πρὸς ἀνθρώπων βραχὺ μέτρον ἔχει: quis enim neſcit hoc quoque a principe illo medicorum dictum fuiſſe. Poëtae igitur antiqui, aut libros ſummorum doctorum diligenter legebant: aut ipſis, diuino ingenio praeditis; eaedem ſententiae in mentem veniebant. A me quoque olim animaduerſum fuit, non minus atque Hippocrates fecerit, ſuſpectum habuiſſe Aeſchylum praeſtantiſſimum corporis noſtri bonum. ideſt vt Graeci ipſum vocant, ὑγιείαν: bonam inquam vel eximiam potius, corporis habitudinem: intellexiſſeque illud lubricum ac valde periculoſum eſſe: ita enim inducit chorum in Agamemnone canentem, qui augurabatur graue malum inſtare Agamemnoni, cuius venti antea fuerant valde ſecundi: quare verebatur, ne propinquus eſſet terminus proſperarum ipſius rerum.

Μάλα γάρ τοι τᾶς πολλᾶς
Υγιείας ἀκόρεστον
Τέρμα· νόσος γὰρ
Γείτων ὁμότοιχος ἐρείδει.

Emendatus coniectura locus grauis, in libris, qui vocantur ἠθικὰ Εὐδήμια.

CAP. XX.

DOLENDVM eſt libros de moribus, quos Ariſtoteles miſit ad Eudemum Cyprium, ita mancos corruptoſque ad nos perueniſſe: praeter enim quam quod valde vtiles nobis per ſe forent, multum adiuuarent intelligentiam horum, quos plenos integroſque in manibus habemus, ab eodem miſſos ad Nicomachum filium. Studui ego quondam, ope antiquorum librorum, delere maculas quae haeſerunt reliquiis ipſorum; nonprofui autem (vt verum fatear) illis quantum ſperabam, non cupiebam modo: nec tamen me operae illius paenitet: praeclare enim poſita fuit, & partem etiam aliquam non magnam tam pulchri operis purgare non leue beneficium eſt. Sed his relictis, ita hic locus legitur in vltimo, qui nunc eſt, ipſorum libro, non longe ab extremo, mendoſe plane & miſere. καὶ ὀρθῶς τὸ σῶμα κρατητικόν, ὅτι οὐδὲν ἰσχυρότερον φρονήσεως, ἀλλ' ὅτι ἐπιστήμην φησὶν, οὐκ ὀρθῶς· ἀρετὴ γάρ ἐστι καὶ οὐκ ἐπιστήμη, ἀλλὰ γένος ἄλλο γνώσεως. Arbitror igitur coniectura ductus (in hoc enim nihil varietatis inueni in calamo exaratis libris: a meque ipſo auxilium petere opus fuit) legi debere: καὶ ὀρθῶς τὸ σωκρατικόν, ὅτι οὐδέν, & quae ſequuntur: vocat enim σωκρατικὸν vocem & ſententiam Socratis: praeciſeq; locutus eſt: intelligit enim ἀπόφθεγμα. Fuiſſe autem Socratem huius opinionis: plurimumq; ſemper tribuiſſe φρονήσει notum & exploratum eſt. Valet etiam ad opinionem meam confirmandam, quod ſtatim adiungitur: peccaſſe eundem, quemadmodum ſuperius illud recte dixerat, qui putaunt illam eſſe ſcientiam, cum genus ipſius virtus ſit, non ſcientia: nemo autem eſt, mediocriter eruditus, qui non ſciat exiſtimaſſe Socratem, de quo ipſi cum Ariſtotele magna controuerſia fuit, virtutes cunctas eſſe ſcientias, & tradi a doctore, non vſu parari. Extremum eius ſententiae ita opinor, emendabitur. ἀλλὰ γένος ἄλλο γνώσεως. Praeterea multo antea, vbi quaeritur de amicitia: oſtenditurque magis proprium ipſius eſſe diligere, quam diligi: & hic quoque locus deprauatus eſt, qui & ipſe poteſt ſatis tuto (niſi fallor) eodem pacto corrigi: argumentatur autem a ſigno & eo, quod vulgo fieri perſpicitur: additque poſtea, vt rem magis aperiat. ὥσπερ αἱ ταῖς ἐπιβολαῖς αἱ γυναῖκες χαίρουσιν: Legi igitur debet αἱ ταῖς ὑποβολαῖς: ſignificat enim hoc quoque facere mulieres, quae mali alicuius vitandi cauſa, filios ſupponunt: ſatis enim eſt ipſis cognoſcere illos: laetanturq; rebus eorum ſecundis: nec ſtudent cognoſci ab ipſis. ὑποβάλλειν vero valere ſupponere natos, notum & exploratum eſt. vnde ὑποβολιμαῖοι a Graecis vocati ſunt, qui a Latinis, ſuppoſiti, de quibus comici vtriuſque gentis nominibus his fabulas confecerunt.

Explicata

Explicata ratio, qua vtuntur qui poſtulant ſibi ignoſci: nec poſſunt aliter crimen defendere.

CAP. XXI.

EXPRESSERVNT duo maximi oratores rationem, quam tenent, qui cauſae
ſuae diffidentes, ad miſericordiam iudicum confugiunt: petuntque cum multis
precibus ſibi, erratoque ſuo ignoſci: quae cauſae (ſi ita illae vocandae ſunt) raro,
aut numquam in forum veniunt. Demoſthenes igitur, cum argueret Aeſchinem
prauae legationis, oſtendere volens crimen id ipſius certum eſſe, dixit, debuiſſe
eum, ſi vacuus ab eo crimine foret, relicta illa ſua inani defenſione, confiteri peccatum & id
mali quod acceptum eſſet, dicere profectum a Philippo, qui fidem violaſſet, ipſumque aſtute
decepiſſet. quod cum non faceret, exiſtimationique ipſius parceret, ſignificabat ſe in culpa eſ-
ſe, ac publicam dignitatem ſalutemque patriae pecunia ipſi vendidiſſe. inquit igitur ſummus
» ille orator. ἐγὼ δ', ἐκεῖνος τὸν λόγον εἴχετο περὶ τούτου, εἴπερ μὴ πεπρακὼς ἑαυτὸν ἦν. ἄνδρες Ἀθηναῖοι,
» ἐμοὶ μὲν χρῆσθαι ὅ, τι βούλεσθε. ἐπίστευσα. ἐξηπατήθην. ἥμαρτον. ὁμολογῶ. τὸν δ' ἄνθρωπον ὦ ἄνδρες Ἀ-
» θηναῖοι φυλάξασθε. ἄπιστος, γόης, πονηρός. οὐχ ὁρᾶτε διὰ πεποίηκα ἐμέ; διὰ ἐξηπάτηκε; Cicero autem
pro Q. Ligario inquit. Cauſas Caeſar egi multas & quidem tecum, dum te in foro tenuit ra-
» tio honorum tuorum: certe numquam hoc modo. ignoſcite iudices, errauit, lapſus eſt, non
» putauit, ſi vmquam poſthac, ad parentem ſic agi ſolet. ad iudices. Non fecit, non cogitauit, falſi
» teſtes, fictum crimen. Dic te, Caeſar, de facto Ligarij iudicem eſſe: quibus in praeſidiis fue-
» rit, quaere. taceo: ne haec quidem colligo, quae fortaſſe valerent etiam apud iudicem: lega-
» tus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppreſſus in eo non acerbus. tum etiam fuit
» totus animo & ſtudio tuus: ad iudicem ſic agi ſolet. ſed ego ad parentem loquor. Erraui, te-
» mere feci, paenitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoſcas oro, ſi nemo
» impetrauit, arroganter: ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpem dediſti. Totam igitur rem di-
ligenter pleneque Cicero exponit, & quae ratio ſit depellendi a ſe crimen, & quae via poenam
declinandi, cum id aliquis efficere non valet, ſed ad clementiam ſe confert eius, in cuius poteſta-
te eſt. Videndum tamen an id, quod putat Demoſthenes debuiſſe aduerſarium facere, ſit o-
mnino deprecatio, ſiue potius deriuatio criminis in alium: nec tamen non multum retinet illius
rationis, quia oportet legatum prudentem eſſe, & non temere credere: nec purgat eum oratio
ea, qua docet, ſe deceptum eſſe, & id, quod factum eſt, factum iri numquam putaſſe.

Omni tempore ornaſſe orationem, quae vocantur πάρισα & ὁμοιόπτωτα: nec Iſocratem aut Gorgiam illa inueniſſe.

CAP. XXII.

GORGIAS Leontinus, non fuit primus, qui captauerit feſtiuitates orationis,
ſtuderitque vt ſimiles voces, ſimilibus reſponderent. quae nomina Graeci πά-
ρισα vocant. nam Aeſopus etiam ille λογογράφος, & qui lepidas, vtileſque admo-
dum vitae fabellas conſcripſit, fertur, cum rem grauem graui viro exponeret: i-
pſiuſque erratum corrigeret, in hoc quaſi luſiſſe: Solon enim in peregrinatio-
ne illa ſua Sardes venerat, & cum Craeſo rege Lydorum, accerſitus ab eo, accuratum, ſa-
pientiaeque plenum ac magnitudinis animi ſermonem habuerat: nimis tamen liberum, &
qui offendere aures opulentiſſimi illius regis, veritus igitur Aeſopus, ne Solon ſibi magnum
aliquod malum conciliaret libertate illa loquendi, vt prudens vir, & qui diu domi Craeſi
vixiſſet: cognituſque haberet mores fortunatorum hominum, veritatis inſolentium, dixit
» oportere cum regibus agere ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα, idest, vt relicta concinnitate verborum, ſen-
tentiam exprimam aut non frequentare congreſſus ipſorum aut dare operam vt illis placeas ad
voluptatemque loquare. fuit igitur aperte illud πάρισον: ſimilitudoque in ea voce eſt mirifica
duorum illorum aduerbiorum. Recitauit autem hanc vocem Plutarchus in vita Solonis. Sed
etiam Laërtius narrat Socratem cum de ſua temperantia, tenuitateque victus loqueretur, dicere
» ſolitum ἥδιστα ἐσθίοντα, ἥκιστα ὄψου προσδεῖσθαι. & ἥδιστα πίνοντα ἥκιστα τὸ μὴ παρὸν ποτὸν ἀναμένειν. idest
libenter comedere, bibereque poſſe, ſine exquiſitis epulis ac vino: Luſit igitur Socrates quoq;
in iiſdem aduerbiis. Sed Plato etiam in illis ſuis diuiniſſimis ſermonibus facit eum huiuſco-
modi feſtiuitates aucupari, quas Socrates inquit ſe didiciſſe a magiſtris dicendi illius aetatis,
quos irridendi animo appellat ſapientes. erant autem illi ſophiſtae noti eius temporis, quos
ſemper exagitauit. Sed vt ad Aeſopum redeam, idque quod primum oſtendere volui, fabula-
tor quoque ille ſimilitudinem verborum vidit ornare orationem, niſi, ſi putamus Plutarchum

ipſum

ipſum, dum colloquium illud commemoraret, ornatum de ſuo addidiſſe: nam Solonem etiam fecit, refellentem ſententiam illam Aeſopi, ſimilitudinem eandem, immutato tamen vno verbo, ſequi: inquit enim minime id verum eſſe, ſed oportere cum illis verſari ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἄριστα. ideſt aut ſe remouere a congreſſu illorum, aut quae optima eſſent, loqui & edere.

Defenſa vetus lectio in epiſtola quadam ad Atticum, contra nouam & opinione nixam, quorundam emendationem.

CAP. XXIII.

VERBA ſunt haec Ciceronis, ex epiſtola quadam ad Atticum, quam ille ſcripſit poſt pugnam Pharſalicam & relictas a ſe partes illas, cum valde commotus foret, & Brundiſij iaceret triſtis, quod nullum exitum, ſuae, quemadmodum ipſe vocat eam, temeritatis videret. Et me, quod adhuc, ſaepe rogatus, non feciſti, conſilio iuua. ſcio rem difficilem eſſe; ſed, vt malis. fuerunt autem qui locum deprauatum putantes, corrigere aggreſſi ſunt: emendaruntque, quemadmodum ſibi viſi ſunt, Vt in malis: de qua ſua opinione ſedulo copioſeque diſputarunt; ipſe arbitror nulli maculae affinem locum eſſe, & vt paucis, quid de eo ſentiam, aperiam. puto malis verbum hic eſſe, non nomen. quaſi dicat, ſi incumbere in hanc rem volueris & neruos ingenij tui in ipſa contendere, efficies profecto quod vehementer cupio. vt malis igitur ideſt dummodo hoc potius quam aliud facere volueris. In primis autem me mouet, vt correctionem illam veram non putem, ſententia ipſa: non enim neceſſe fuit id addere, quia nemo fere requirit conſilium alicuius, niſi in ſuis malis rebus: aut ſaltem difficilibus & obſcuris. Exiſtimo demum hunc locum ſimilem eſſe Terentiano illi ex Eunucho, cum Gnatho militi reſpondit. Difficile eſt, miles autem addidit. Siquid conlibuit. noui te.

Indicatum Sophocleam ſententiam, valde vtilem vitae, a Terentio quoque celebratam fuiſſe.

CAP. XXIIII.

SENTENTIA eſt grauis, quae hortatur homines, ad ſtudium curamque in rebus obſcuris adhibendam: polliceturque, vel potius recipit, ſi hoc efficere voluerint, eos indagaturos, quae videbantur antea deprehendi nullo pacto poſſe. edita autem eſt illa apud Sophoclem a Creonte, loquente cum Oedipo: qui Oedipus non ſperabat inueniri poſſe interfectores Laij, cuius acerba mora impunita, premebat ciuitatem grauibus malis: dixit igitur ille diffidere non oportere, quia nihil tam occultum foret, quod inueſtigari non poſſet, quemadmodum contra, quod negligitur: ſine curaque vlla adminiſtratur, facile fallit cunctos. verba poëtae ſunt.

Τὸ δὲ ζητούμενον.

Ἁλωτὸν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον.

Non eſt autem dubium, quin poëta Latinus, in altera ſcena verſatus, eandem poſuerit in ore Syri, quem fecit dicentem.

Nihil tam difficile, quin quaerendo inueſtigari poſſiet.

Placuit igitur mihi hoc admonere propter grauitatem ipſius ſententiae, merito celebratae, & elegantiam verborum, quibus illa a Terentio expreſſa eſt.

PETRI

PETRI VICTORII VARIARVM LECTIONVM LIBER XXXVIII.

Monſtrati duo Virgilij loci, rem narrantes, quae videtur ratione carere: diſputatumq; de via illarum culparum (ſi ita ipſae vocandae ſunt) defendendarum.

CAP. I.

VIRGILIVS narrat Troianos, induciis factis cum Latino rege, libere lignatum profectos: in materie vero, quam exponit eos tunc caecidiſſe, numerat cedros, quae tamen arbos in hac noſtra terra non naſcitur. Verſus poëtae ſunt.

Robora nec cuneis, & olentem ſcindere cedrum.
Nec pleuſtris ceſſent vectare gementibus ornos.

Quaerendum igitur quomodo hoc probari poſſit: vitio enim datur poëtis fingere aliquid, quod alienum a vero ſit: nec reſpondeat naturae illarum rerum, quas tangunt: decet enim poëma integrum eſſe & ab omni macula vacuum. quis autem neſcit inſimulatum eundem eſſe, quod fecit ceruos ab Aenea in Africa ſagittis fixos, cum tamen in ea parte, in quam venerat, belua illa non reperiatur? Exiſtimo igitur ego ſimile hoc ſuperioris huius, quod nunc oſtendi, eſſe. & ſane non nulla huiuſcemodi peccare inueniuntur apud laudatos etiam poëtas: ita namque cupidi illi ſunt ornamentorum, vt non caueant, neque magnopere reformident huiuſcemodi culpas. Aut igitur huc confugiendum eſt, & exemplo reliquorum, haec culpa ipſi condonanda erit, aut, cum cedrum appellauit, intellexiſſe iupium propter ſimilitudinem iuniperum putandum. quod verius puto. Plinius certe iuniperum aſſimilem cedro eſſe inquit. nam, quod addidit poëta, ornare hanc ſtirpem volens & naturam ipſius aperire, olentem; congruit etiam hoc mirifice huic, frequenti in hac tellure, ſtirpi: ſuauitate enim odoris, foliis, baccis, et aliis rebus, valde ſimilis ipſa cedro eſt. & ſi vincitur ab ipſa bonitate huius naturalis doris. Huic ſimile eſt illud eiuſdem e Georgicis, neſcio quomodo appellem, quod cum de paſtoriciis canibus praeciperet venatuque, inquit.

Saepe etiam curſu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem: canibus venabere damas.

Neque enim onagri vlli in Italia: quibus populis videtur ille artem colendi agros & paſcendi tradere voluiſſe, neque in vicinis etiam regionibus: teſtatur hoc M. Varro in libro de re pecuaria, de aſinis loquens. cuius haec verba ſunt. Horum genera duo. vnum ferum, quos vocant onagros, in Phrygia & Lycaonia ſunt greges multi. Praeterea ita celeres illi ſunt vt in curſu ſuperari non poſſint, ne a velociſſimis quidem equis: narrat hoc accurate Xenophon in i. libro ἀναβάσεως: cum enim Graeci, qui ſecuti fuerant Cyrum minorem, cum reliquis ipſius copiis veniſſent in ea loca, in quibus magna vis foret horum ferorum aſinorum: erat autem illa Arabia: conatique eſſent, impoſiti equis ipſos captare; facile cognouere ſe fruſtra illo modo laborare. quia celeriores illi in curſu forent, quare artem adhibuerunt, & plures, diſtantibus locis, poſiti, ita ipſos iam defatigatos excipiebant. carnem vero eorum ſimilem eſſe commemoret carni ceruinum.

Defenſus Ariſtoteles a turpi crimine, quod ipſi obiecit iniuſte, qui hiſtoriam eius rei ignorauit.

CAP. II.

FVNGAR ego officio fortaſſe non valde neceſſario, ſed certe debito & pietatis pleno: cum enim extiterit qui Ariſtotelem accuſarit: atque improbe feciſſe dixerit, quod in ii. libro πολιτικῶν, in refellendo ſtatu illo ciuitatis, qui ab Hippodamo Mileſio informatus eſt, nulla fide vſus fuerit, ſed longe aliter atque ille feceret remp. eam expoſuerit: mul-

taque

taque ei affinxerit, quae numquam ab homine prolata fuerunt. docebo hoc verum nullo modo eſſe: fideliterque, vt decebat, ſe ſummum philoſophum in toto *illo* negotio praeſtitiſſe: cum enim libros eos Ariſtotelis non ſolum accurate legerim, ſed etiam ſtudio meo a multis mendis purgarim: idemque in animo habeam magis adhuc lectionem eorum vigiliis meis adiuuare, pati non poſſum auctorem ipſorum falſo tanti criminis inſimulari; defenſio autem illius loci facilis eſt: & argumentum, quo aduerſarius vtitur in ipſo arguendo, inane: neque enim Hippodamus ille, cuius ſententias multas e Stobaeo collegit, idem Hippodamus eſt atque ille, cuius temp. non ſatis bene conſtitutam eſſe probat Ariſtoteles: Hippodamus enim Ariſtotelis Mileſius fuit, Stobaei vero (vt exiſtimare licet) Italicus, quod diſciplina illius & ſermo etiam Doricus, quo vtitur, declarat. alter Hippodamus Ionico vſus fuiſſet: Miletus enim Ioniae ciuitas fuit. Hoc ſaltem admonere debuit ipſum, valde peritum Graecae linguae, vt Hippodamos eos diuerſos eſſe cognoſceret. Quanto autem plura ſunt, quae Indicio Stobaei, in ſcriptis ipſius Hippodami diſcrepant a ſententiis Ariſtotelei, tanto facilius intelligere poterat ipſos longe alios eſſe: neque enim exiſtimandum eſt philoſophum ita perfricuiſſe frontem, vt tam aperte mentiretur, praeſertim eo tempore, cum omnes nullo negotio hoc redarguere potuiſſent. Quod autem Ariſtoteles ſignificauit, eum, quem improbat, Mileſium fuiſſe, putari debet id feciſſe, vt diſtingueret ab altero hoc, eodem nomine vocato, Pythagoreo.

Sciſſe Drancem Virgilianum, quae potiſſimum regiae virtutes ſunt: aſſentirique ipſi Graecos maximos poëtas.

CAP. III.

DISERTVS fuit orator (vt a poëta quoque ille dictus eſt) Drances Virgilianus: cognoſcitur id multis modis: in quibus, etiam hoc, quod cum laudare vellet Aeneam, cuius rebus, contra ſtudium Turni, vehementer fauebat, miſſus ad eum legatus a rege Latino, commendauit ipſum praeſentem a duabus, quae requiruntur in vero rege, maximis virtutibus, ideſt iuſtitia & fortitudine, ſine ſcientia rei militaris. haec autem verba ipſius ſunt.

O fama ingens, ingentior armis
Vir Troiane: quibus caelo te laudibus aequem?
Iuſtitiae ne prius mirer, belli ne laborum?

Homerus quoque, quo loco ornauit Sarpedonem mortuum, laudi ipſi dedit, quod iuſtitia & viribus liberaret omni malo Lyciam, quam terram ille regebat: ita enim de homine locutus eſt: veteribuſque ipſius honeſtis factis.

Ος λυκίην εἴρυτο δίκῃσίτε, καὶ σθένεϊ ᾧ.

Vetus autem ſcholion in eo loco citat duos ſenarios Aeſchyli, qui, grauis & eruditus tragicus, fuerat eiuſdem ſententiae: dixeratque copulam duarum harum rerum eſſe praeter ceteras omnes, ſolidam ac firmam; inquit igitur.

Οτου γὰρ ἰσχὺς συζυγῶσι καὶ δίκη,
Ποία ξυνωρὶς τῆσδ᾽ ἂν καρτερωτέρα;

Non ſunt autem hi in his fabulis ipſius, quae reſtant. Recte igitur fecit Drances, qui haec potiſſimum celebrauit, in eo, quem ferre in caelum volebat.

Oui vitellum a Graecis, vt a nobis, duobus nominibus vocari.

CAP. IIII.

VOCABANT in ouis Graeci χρυσᾶ, ob ſimilitudinem huius materiae, non ὠχρὰ ſolum: quod & ipſum nomen a colore ipſis inditum eſt, quos Latini vitellos appellare conſuerunt. nos quoque patrio noſtro ſermone eandem rem duobus nominibus oſtendimus. quorum alterum reſpondet huic Graeco verbo: nam a colore ductum eſt, & ſi non omnino eodem, ſed aliquantum variato, ideſt voce, quae rufum, non fuluum valet. Quod igitur coniector reſpondit (ita enim interpretatus eſt Cicero, quem Graeci ὀνειροκρίτην dicunt) cum ad eum quidam detuliſſet, ſomniaſſe ſe ouum pendere e faſcia lecti ſui cubicularis, theſaurum defoſſum eſſe ſub lecto, facilius admonere ipſum potuit theſaurum illic latere, ob communionem illius vocis, quae vna geminas res ſignificat, ideſt aurum & vitellum. quare acute ille poſtea reſpondit, cum viſus ipſi foret nimia parce ſe compenſaſſe, qui admonitus fuerat: miſerat enim ei tantum quantulum viſum fuerat de argento; Nihil enim ne inquit de vitello. totam rem accurate exponit Cicero in ij. libro de diuinatione.

Graeco hoc ipſo nomine vſus eſt Athenaeus, cum loqueretur de olla, quam, refertam optimis odoribus & ſuauiſſimis eſcis, vocabant λοπάδα ἐσθαναί, vel potius coqui nobilis verba poneret: in illis enim rebus exponendis, quae valde praedicabat, haec nominauit: inquit igitur in ix. libro. καὶ τὴν εἰς τὰ χρυσᾶ, μεθ᾽ ἃ ἴλαον. χάρος. πέπερι. ὄξος, & quae ſequuntur.

De fructu, qui capitur ex hiſtoria, idem exiſtimaſſe Plutarchum, quod ſenſit M. Cicero.

CAP. V.

NARRAT Plutarchus in vita ipſius, de diligentia loquens, quam adhibuit Paulus Aemilius, qui deuicit Perſem, regem Macedonum, in ornanda vita ſua & omni virtute expolienda, ſolitum eum tamquam in ſpeculum, inſpicere in hiſtoriam atq; ita ſtudioſe ſemper conatum eſſe imitari virtutes & praeclara facta eorum, qui illic laudati forent. haec autem profecto non parua vtilitas eſt, quae capitur ex hiſtoria: ipſiuſque omnes qui volunt & animum eo intendunt, participes eſſe poſſunt: expoſita enim hiſtoria eſt cunctis hominibus: nec vllos mortales a ſe reiicit. ſed tamen aliquanto maiores & vberiores inde fructus videntur capere poſſe, qui ipſam ſcribunt: ſubtilius enim ipſi ponderant quae laude digna ſunt, & quae contra. omneque ſtudium ſuum ponere debent in hominibus, qui recte aliquid fecerint, & vtiles valde ceteris fuerint, celebrandis. turpe autem ipſis foret, ea, quae illic commendarint, vita & factis non exprimere. Quare Cicero in epiſtola illa longa ad Q. fratrem, plenaque optimorum praeceptorum, cum idem de hac re ſentiret, ita locutus eſt. oſtendebat autem tunc Quinctum multos ſecum habere, ſocios illius muneris, qui toto animo ſeruirent laudi & honori ipſius. Tuberonem, quem ego arbitror, praeſertim cum ſcribat hiſtoriam, multos ex ſuis annalibus poſſe deligere, quos velit & poſſit imitari. ſunt igitur duo hi loci valde ſimiles & oſtendunt nobis, quo animo & conſilio hiſtoriam in manus capere debeamus. Inſimulatum autem fuiſſe Salluſtium a Graeco homine, qui & ipſe in eodem ſtudio verſatus eſt, notum puto. quod nullam in partem imitatus fuiſſet eos, quos in hiſtoria ſua in caelum tulerat: nec virtutes eas vita reddidiſſet, quas in aliis commendarat. vt tamen aliquid adferam, quod valeat non nihil ad eum purgandum, arbitror ipſum poſtquam ex Africa rediit, quam expilauit, tedio illarum rerum confectum, ſe hiſtoriae ſcribendae dediſſe. nam ipſe quoque fatetur ſe in via vitae antea erraſſe, & in vitiis communibus illius aetatis primo volutatum eſſe.

Inſpirare aliquid aliquibus, quod inquit pluribus locis Virgilius, videri ſumptum ex Homero.

CAP. VI.

APTE profecto atque eleganter Virgilius, imitatus Homerum, dixit inſpirare venenum, inſpirare ignem, quod ille, nomine mutato, inquit, ἐμπνεῖν μένος: vſus autem eſt pluribus locis hoc ſuo verbo Latinus poëta: in primis autem eximie cum fecit Venerem erudire filium: inſtruereque ipſum, vt melius efficeret, quod volebat: ac tempus illud requirere, ſuſpicabatur, ideſt vt in animo Didonis πόθος excitaret: inflammaretque ipſam amore Aeneae. inquit igitur illa.

Occultum inſpires ignem: fallaſque veneno.

Vbi autem Vlyſſes apud alterum poëtam admonet Achillem, vt antequam educat copias in aciem, iubeat milites curare corpora: quia proelium longo temporis ſpatio perduraturum erat: acriter pugnaturis Graecis ac Troianis, cum deus ambabus partibus robur dederit, ita locutus eſt. ἐν δὲ θεοὶ πνεῦσαν μένος ἀμφοτέροισι. quemadmodum etiam in xv. quo loco haec ipſius verba ſunt.

Ὣς εἰπὼν, ἔμπνευσε μένος μέγα ποιμένι λαῶν.

In alio autem loco ſuperioris libri, qui ante illum eſt, cum idem ſignificare vellet, verbum mutauit ac pro ἐνέπνευσε vſurpauit ἐνῆκε. intelligo cum poëta fecit Thetidem in pectus Achillis, prodituri in aciem; poſtquam diu ceſſauerat ab armis, inſerere robur ac vires: erat enim tunc ille confectus maerore ac vigiliis propter amiſſum ſodalem. verba poëtae ſunt.

Μένος πολυθαρσὲς ἐνῆκε. Praeterea eodem pacto in xv. vnde exemplum ſupra duximus, de Apolline, qui in fugam vertit Graecos.

Ἐν δ᾽ [illegible]

Ἧκε φόβον.

Initio tamen v. libri eiuſdem operis, idem prorſus oſtendere volens, neutro eorum vſus eſt, ſed pro illis cepit, quod ſimpliciter vales, dedit: inquit enim.

Ἐν δ᾽ ἀρ

Ἔνθ' αὖ Τυδεΐδῃ Διομήδεϊ Παλλὰς Ἀθήνη
Δῶκε μένος καὶ θάρσος.

Sumpſit igitur Virgilius ab Homeri certo loco, non ſolum rem ipſam, verum etiam aliquo modo verbum, quo illa geſta fuiſſe narratur: eodemque ſaepe poſtea recurrit, cum Homerus ipſum variauerit: perſpicitur enim Maro ipſo delectatus fuiſſe, vt cum de Alecto inquit. Vipeream inſpirans animam: & de apibus; Laeſaeque venenum Morſibus inſpirant: nec non de Aenea; Magnam cui mentem animumque Delius inſpirat vates. Et tamen aliquando & ipſe illud variauit, ac pro ipſo Immiſit inquit, niſi fallor, vt in hoc verſu.

Immiſitque fugam Teucris, atrumque timorem.

Quo tempore videtur voluiſſe exprimere locum poëtae, quem ſupra teſtimonij loco citaui.

Declaratum, vocem acutam & grauem T. Attici, expreſſam ab eo fuiſſe e Platone.

CAP. VII.

EGERAT accurate T. Pomponius Platonem: ac ſine teſtimonio Iudicioque vllo, verum hoc eſſe facile quilibet crederet: cui enim magis politiſſimus, idemque grauiſſimus ſcriptor familiaris eſſe debuit, quam ornatiſſimo & doctiſſimo Romano homini? vel potius paene Graeco. quin certe, quod ille ſcripſerat in epiſtola quadam ad M. Ciceronem ſapienter & acute e Platone acceptum ſit, dubitari non poteſt. verba Ciceronis ponam, cum eo de ſententia illa, quam vt ingenioſam ac vere ditam probarat atque animo receperat, agentis. Sermo autem eſt de Cn. Magno; qui reliquerat Italiam. Sol (vt eſt in tua quadam epiſtula) excidiſſe mihi e mundo videtur. Platonis autem locus eſt in oratione, qua laudantur publice Athenienſes, qui interfecti fuerant in bello pro patria. ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐκ τοῦ κεκοσμηκότος κόσμου τὸ φῶς ἐξέλοι, δυσχερὴς καὶ χαλεπὸς ἅπας ὁ λειπόμενος βίος γένοιτ' ἄν, οὕτω τῆς τῶν ἀνδρῶν ἀναιρεθέντων ἐν σκότει καὶ πολλῇ δυσκλείᾳ πᾶς ὁ πρὸ τοῦ ζῆλος τῆς ἰσχύος γένοιτ'. Plenius autem, copioſiuſque totum ſimile perſequitur Plato, quod fortaſſe fecerat etiam in illis ſuis litteris Pomponius, ſed Cicero rem ipſam tangere: iudiciumque Attici laudare ſatis habuit. Non eſt autem dubium, quin Plato, φῶς dicens, ſolem lucemque illius intellexerit: neque enim aliunde lumen habemus. Animaduertendum etiam Ciceronem quoque ipſum ſtatim, imitatione Attici, aliud ſimile attuliſſe, quod & ipſum oſtenderet quantum damni factum putaret conſilio illo, quod ipſe numquam probauit, Pompeij, relinquendi Italiam.

Demonſtratum, vti aliquando Ciceronem ſententiis quibuſdam Homeri: atque id ita obſcure, vt vix cognoſcatur.

CAP. VIII.

NON eſt dubium, quin Cicero, cum in libello de ſenectute inquit. Optimis auſpiciis ea geri, quae pro reip. ſalute gererentur: quae contra remp. fierent, contra auſpicia fieri, de quo aliquando a me per litteras quaeſiuit, probus & eruditus adoleſcens, Auguſtinus Paganellius, qui cum prius humanioribus litteris, vt decet nobilem hominem, diligenter incubuerit, nunc ad ius ciuile perdiſcendum ſe totum contulit: non eſt inquam dubium, quin reſpexerit ad ſententiam illam Homericam.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Qua vſus eſt etiam M. Cicero verbis iiſdem Graecis: ſuoque illi tempori accommodauit, in epiſtola quadam ad Atticum. Vtilis autem illa eſt conſilio eius, qui gerit aliquid contra auſpiciis: & tamen publicum bonum ſedulo procurat, quod certis quibuſdam temporibus fecerunt non nulli optimi & clariſſimi viri. Sed etiam ſimilitudinem aliquam illius retinet alter hic locus ex xi. Philippica Ciceronis, cum ille in ſenatu laudaret, non defenderet ſolum, M. Brutum & C. Caſſium, quos, non expectata auctoritate publica, putabat Dolabellam perſecuturos, cum ille ſe magno ſcelere contaminaſſet. Nec enim nunc primum aut Brutus aut Caſſius ſalutem libertatemque patriae legem ſanctiſſimam & morem optimum iudicauit. Facturi ſane id illi erant contra leges ſcriptas & inſtituta: neque enim licet priuatos publicas iniurias perſequi, ſed ipſi propoſitum habebant (vt inquit) ſalutem ciuium ac patriae libertatem: conuerterantque mentem ad naturae legem, quae non ſolum concedit, ſed etiam iubet hoc fieri ac ſine vllo metu adminiſtrari.

Indicati duo loci Latinorum auctorum, aliorum induſtria ſubtiliter emendati.

CAP. IX.

MAGNVM damnum Latinus ſermo fecit, quod libri Sex. Pompeij de ſignificatione verborum, vetuſtate paene conſumpti ſunt: diligens enim hic & eruditus grammaticus multa notarat, quae valde pertinerent ad rationem ipſius aperiendam ac veterum conſuetudinem tradendam, cunctaque illa ſummo ſtudio teſtimoniis optimorum auctorum confirmarat. declarant quanta vtilitas inde capi potuerit reliquiae paucae ipſius, quae extant, licet mancae atque interruptae. Huic graui malo remedium, quod potuit adhibuit doctiſſimus & optimus vir Antonius Auguſtinus: vt enim veſtigia ipſius, quae reſtant, curauit excudenda, cuicuimodi illa erant, ita locos complures eiuſdem ſuppleuit atque interpretatus eſt. Cum autem in illis ſuo loco legatur,

Neutiquam . . . .
. . . cum air ſec . . . .
. . . lorum aſpect . . . .
. . . neutiquam . . . .

venit in mentem Riccardo Riccardio, probo & erudito adoleſcenti, & quem ego propter ſuauiſſimos ipſius mores valde diligo, legi debere, quod ad exemplum facit. Sed mihi neutiquam cor conſentit cum oculorum aſpectu. qui verſus antiqui tragici, apud eum ab Alcmaeone pronuntiatus, legitur nunc in libro de academicis quaeſtionibus. qui vocatur Lucullus duobus locis, priore integer: poſteriore dimidiatus, cum autem id verum omnino putem, volui ipſum in his meis libris memoriae prodere: faueo enim bonis ingeniis: ipſiſque quacumque ratione poſſum, orno. Sed redibo ad Auguſtinum: eſt ille quidem multo grauioribus litteris inſtructus: & iis demum omnibus, quae conueniunt perſonae epiſcopi, quam ſuſtinet, ſed tamen has quoque humaniores litteras enixe adiuuit, vt notum omnibus ſtudioſis ipſarum eſt. Notabo hic ego nunc, quod ille in epiſtola ad Laelium Taurellium voluit mihi per eum ſignificari. ſe arbitrari locum hunc Ciceronis e iij. libro de natura deorum. Itaq; & fontis delubrum Marſo ex Corſica dedicauit, mendoſum eſſe: legique debere pro Marſo, Maſo vt C. Papirius Maſo ſignificetur, qui de Corſis triumphauit: id quod praeter faſtos capitolinos, Plinius & Plutarchus memoriae prodiderunt. Sed hoc etiam cognomen, vnum e multis, fuiſſe Papiriorum intelligitur indicio Ciceronis, apud quem recte nunc ſtudio meo illud ſcriptum eſt, quod ego inueni in optimo illo exemplari, quod ſecutus ſum: prius enim perperam legebatur in excuſis, Maſſo & Maſſones, cuius tamen lectionis integritatem quidam non videntes, ad vitioſam, quod eos facere non oportebat, redierunt. haec igitur verba ipſius ſunt ex epiſtola ad Paetum: Deinde L. Maſo aedilicius. inde multi Maſones: quae cuncta ſedulo Antonius Auguſtinus argumenta collegit, vt coniecturam ſuam confirmaret: & tamen in ſatis antiquo libro, qui cuſtoditur in diui Marci bibliotheca Marſo ſcriptum eſt; quod ego teſtari volui, non, vt fidem illius emendationis minuerem, ſed, vt acumen induſtriamque correctoris augerem. Sed etiam in nominibus illis fluuiorum, qui infra nominantur, apud eum diſcrimen nullum eſt: quae tamen nomina ſuſpecta ſunt aliquibus: putantur que mendi aliquid continere.

Diſputatum de dubia & incerta ſcriptura Ciceroniani loci, in quo agitur de Dionyſij Siculi rogo.

CAP. X.

CVM hic locus e iij. de natura deorum de Dionyſio tyranno; Atque in ſuo lectulo mortuus, in tyrannidis rogum illatus eſt. non eodem modo in omnibus libris legatur, & non ſolum excuſis, verum etiam calamo exaratis: ſunt enim in quibus tympanidis pro tyrannidis ſcriptum ſit, ipſe ſane olim malui tyrannidis in meis excudi, quia in fideliore exemplari, ita ſcriptum offendi: idem tamen fateor vidiſſe me librum litteris Longobardis exaratum, in quo erat tympanidis. Cum igitur de hoc dubij animi forem, & quidquid legerem, quod huc faceret, attente legerem, numquam potui penitus ſcrupulum hunc ex animo meo euellere. loci etiam, quos ſperaui hoc declaraturos, me feſellerunt. ipſos tamen nunc notabo. Athenaeus igitur in v. libro, vbi diſſerit de admirabilibus quibuſdam fabricis, citat Moſchionem quendam, qui collegerat multos maxime laudatos ob conſtructionem ipſarum aut accuratam deſcriptionem, in quibus mentionem facit Timaei hiſtorici, qui de funere Dionyſij, & rogo magnificentiſſimo, in hiſtoria ſua locutus fuerat, Verba haec ipſius ſunt, Τίμαιος δὲ ἐν τῇ πυρᾷ, τῇ κατασκευασθείσῃ Διονυσίῳ,

Διονυσίῳ, τῷ Σικελίας τυράννῳ. Sed Theon quoque ſophiſtes in progymnaſmaſin ſuis, quo loco esponit multa exempla accuratarum ἐκφράσεων apud veteres: in aliis enim commemorat Philiſtum in xi. libro hiſtoriae deſcripſiſſe eximie funus Dionyſij & pulchritudinem, ornatúmque ipſius rogi. Verba haec ipſius ſunt. ὡς δὲ τῇ ἐκ τοῦ περὶ τὴν ἐκφορὰν αὐτοῦ καὶ τῆς πυρᾶς τὴν ποικιλίαν. Quod ſi ſcripta alterinſutrius duorum horum ſcriptorum ad nos perueniſſent, omnis illa pompa funeris nobis nota fuiſſet: nec quicquam, quod in ea factum eſſet, nos feſelliſſet: nunc autem nihil inde certi elicere poſſumus in tanta breuitate illius narrationis.

Vetitum fuiſſe priſcorum diis, vt fabulae poëtarum & Graecorum & Latinorum ferunt, quod factum ab vno eorum foret, ab altero temptari.

CAP. XI.

OPCNCONAM, quam habebant veteres illi Graeci de inſtituto quodam deorum & more, ſignificatam ab Ouidio in xiiij. libro μεταμορφώσεως, eum ipſam inuenerim apud Euripidem quoque, libet mihi adnotare. Eſt autem mos ille & lex haec. Non licere alicui deo, quamuis factum non probaret, quod antea ab alio deo geſtum eſſet, diſturbare. nam quin, antequam res exitum habuiſſet, ſolerent aduerſari voluntati ac ſtudio aliorum, non eſt dubitandum: crebra enim huius diſſenſionis animorum exempla ſunt apud Homerum. & tamen ſemper, ſi diligenter attenditur, illa adminiſtrabantur contra conſilium Iouis. Ouidij igitur verba ſunt.

Et clauſura fuit, niſi quod reſcindere numquam
Dis licet acta Deum.

Euripidis vero ex Hippolyto coronato haec.

Θεοῖσι δ' ὧδ' ἔχει νόμος
Οὐδεὶς ἀπαντᾶν βούλεται προθυμίᾳ
Τῇ τοῦ θέλοντος, ἀλλ' ἀφιστάμεσθ' ἀεί.

Eſt autem locus in extrema fabula, cum Diana conſolatur Theſeum, quod innocentiſſimum filium, errore ductus, necauerit: ſeque eodem tempore purgat, quod ipſi, qui toto pectore eam colebat, auxilium non tulerit: exponitque verbis, quae poſui, hanc legem. nam ſe non paſſuram fuiſſe, vt ille Veneris odio interiret, niſi Iouem timeret, teſtatur. ac depulſuram prorſus a ſe fuiſſe hanc turpitudinem: ignominiam enim ſuam ducebat, quod caſtiſſimus adoleſcens ac ſtudiorum ſuorum aemulus, fraude illius interemptus eſſet.

Multis verbis oſtendiſſe Terentium, quod vno ſignificant Graeci: vitium ſcilicet, cui plurimi affines ſunt.

CAP. XII.

ACCVSAVIT Charinus in Andria Pamphilum: grauiterq; in eum inuectus eſt, quod promiſſa non ſeruaſſet: in illo autem inſimulando, cum putaret eum primum pudore deterritum, ne ſibi, quod petebat, denegaret, ceteros etiam, qui eidem culpae affines ſunt, parque ingenium habent, reprehendit: conſuetudinemque illorum maxime improbauit. his autem verbis in ea re vſus eſt.

Immo id genus hominum eſt peſſimum
In denegando modo quis pudor paululum adeſt:
Poſt, vbi tempus promiſſa iam perfici
Tum coacti, neceſſario ſe aperiunt:
Et timent: & tamen res premit denegare.

Significauit igitur poëta multis illis verbis vitium, quod vno exponunt Graeci auctores: δυσωπίας enim ipſi appellant hunc pudorem, malum ſcilicet ac non parua reprehenſione dignum: praeſtaret enim denegare aperte, quod aliquis facere non vult: ſiue quod ab ipſo parum honeſte poſtulatur. De hac, ſane non parua culpa, libellum confecit Plutarchus, in quo conatus eſt ſummo ſtudio purgare animos noſtros hac labe: multaque excogitauit, quae plurimum valent ad hanc maculam delendam. Cicero in epiſtola quadam ad Atticum Graeco nomine in ea ſignificanda, vſus eſt: inquit enim. De ſumma autem agi prorſus vehementer & ſeuere volo: & ſi ſponſores appellare videtur habere quandam δυσωπίαν. intellexit autem (vt opinor) rem eam eſſe, quam non poſſimus ſatis verecunde temptare: pudoremque ſuadere nobis, vt id timide agamus. quia cum aliter fieri poteſt, non valde decet, non omnino aſperum creditorem, moleſtum eſſe ſponſoribus.

Indicatus locus Homeri, qui, tenuem rem tangens, valde ſimilis eſt Terentiano.

CAP. XIII.

VIDIT quoque Homerus, qui cum oculis orbatus eſſet, mentis tamen luminibus cuncta, minuta etiam cernebat, multum valere ad amorem erga aliquem gignendum: ipſumq; diligenter in animo poſtea conſeruandum, infantem eum, tenerumq; adhuc: & eum primum ille natus eſt, manibus cepiſſe; & in ſinu etiam geſtaſſe: cum enim comicus in Adelphis induxerit callidum ſeruum, ita loquentem, qui cum ſimularet, hoc tamen ad iniuriam illam augendam accommodatum eſſe intelligebat.

» Non puduiſſe, verberare hominem ſenem:
» Quem ego modo, puerum tantillum in manibus geſtaui meis.

Epicus ille antea Penelopem de Euryclia, nutrice ipſius, fecit hoc Vlyſſi dicentem, quem adhuc virum ſuum eſſe neſciebat.

» Ἣ κεῖνον δύστηνον ἐὺ τρέφεν, ἠδ' ἀτίταλλε,
» Δεξαμένη χείρεσσιν, ὅτε μιν πρῶτον τέκε μήτηρ.

Docet autem ſe potiſſimum ipſam eligere illi muneri obeundo: pedibuſque Vlyſſis lauandis: quia exiſtimabat eam id libenter facturam, cum ipſe valde ſimilis foret alumno ſuo, non corpore tantum, verum etiam oratione & conſilio. Inde autem nata eſt ἀναγνώρισις: cognouitque nutrix nota illius vulneris, quod olim acceperat in crure, eſſe illum Vlyſſem. Huiuſcemodi etiam eſt illud in eadem Terentij fabula ab eodem ſeruo prolatum.

» Et quidem tuo nepoti, huius filio,
» Hodie primam mammam dedit haec,

Subtilis & plena artificij ratio, qua vſi fuere duo magni auctores, in eo, quod voluerunt, in caelum ferendo.

CAP. XIIII.

PROBATVS merito eſt locus Homeri: artificiumque ipſius valde celebratum, qui cum induceret Achillem laudantem arma, quae ſtudio gratiaque matris fabricauerat ipſi Vulcanus, fecit illum dicere, arma ea talia eſſe, qualia decet eſſe deorum opera. cum igitur miniſterium Vulcani tenue foret: nec ſatis dignum opus perſona alicuius dei, non potuit magis ipſum extollere, quam fecit ingenio ſuo poëta: & ſine dubio haec ſola laus ſuperat ceteras omnes, quibus aliquis bonitatem & pulchritudinem eorum armorum commendare potuiſſet. Achillis verba ſunt haec.

» Μῆτερ ἐμὴ, τὰ μὲν ὅπλα θεὸς πόρεν, οἷ' ἐπιεικὲς
» Ἔργ' ἔμεν ἀθανάτων, μὴ δὲ βροτὸν ἄνδρα τελέσσαι.

Vidit autem antiquus quoque grammaticus acumen huius ſententiae, cuius haec declaratio extat, vna illarum declarationum, quas ego ſaepe non ſine cauſa laudo: ille etiam ſimile quiddam monſtrauit apud alium & ipſum valde celebrem poëtam: ſcholion ipſum, vt inueni in vetere exemplari, hic ponam, quia elegans & eruditum eſt. οὐ ἑαυτῷ τὸ πρᾶγμα τὴν ὑπερβολὴν ἔχειν, ὑπερέχειν οὐκ ἐνδέχεται μείζονα. τὸ ἀτεχνῶς. κωμάζει δὲ ὡς οἱ ὁ Διόνυσος, αὐτὸν αὐτῷ συγκρίνει. quod igitur Anacreon dixit liberum patrem feciſſe, vt decet, par profecto huic eſt. Niſi fallor autem ſimile huic etiam illud Ciceronis in epiſtola quadam ad Atticum, quo laudauit litteras certas quaſdam ipſius, ad filium ſuum ſcriptas, quem voluerat ab eo per litteras caſtigari, quia Athe-
» nis non nullis in rebus flagitioſe ſe geſſerat: inquit igitur. Ad Ciceronem ita ſcripſiſti, vt ne-
» que ſeuerius: neque temperatius ſcribi potuerit: neque magis quemadmodum ego maxime vellem. Extremum igitur hoc plus in hac re valet, quam ea, quae ſupra poſuerat M. Cicero: & ſi diligenter attendimus, totum eſt. Nec tamen ſubito eo ſe contulit, vt fecit Homericus Achilles, ſed prius adhibuit non nulla, quae oſtenderent prudentiam earum litterarum, hoc tamen vt firmius, maioriſque ponderis in extremo poſuit. Nec exiſtimari debet hoc Ciceronis non ſimile eſſe illi Homerico, quia perſonae aliae ſunt & quaſi contrariae: Achilles enim apud eum dixit, opus illud reſpondere virtuti deorum: nec aliud ſane a Vulcano expectari potuiſſe. Cicero autem ad ſe iudiciumque ſuum rem refert: nec Atticum attendit, qui litteras ſcripſerat, quia huius rei norma eſſe debebat voluntas Ciceronis. praeterea non erat Pomponius is, vnde quidquid exierat, ſubito poſſet abſolutum & perfectum putari.

Varietas

Varietas opinionis de veritate lectionis Ariſtotelei loci, inter auctorem & Dionyſium Lambinum.

CAP. XV.

NOLLEM Dionyſium Lambinum, magni ingenij virum, magnaeque doctrinae, corrigere aggreſſum eſſe locum hunc e vi. libro de moribus ad Nicomachum, qui a mendo vacuus eſt: nec vlla correctoris opera eget. nam praeterquam quod in omnibus calamo exaratis exemplaribus, hoc modo legitur, ſententia ipſa praeclara & ſubtilis eſt. quare non video cur, cum ita res eſt, oporteat veterem ſcripturam immutare. Eſt autem, vbi de ſapientia diſſerit: & ex quibus rebus ipſa conflata ſit, declarat. ὥστ' ἂν εἴη ἡ σοφία νοῦς καὶ ἐπιστήμη, καὶ ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα, ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων: cum enim iam oſtendiſſet ſapientiam eſſe mentem ac ſcientiam copulatas: & quaſi quoddam concretum ex ambabus illis, magis adhuc aperire ſtudens vim & naturam ipſius, vſus eſt aliquo modo imagine: & ante oculos rem conſtituit, addens ipſam ſcientiam eſſe rerum maximarum: & omni honore digniſſimarum (nam ſtratum & materiam etiam monſtrare voluit) quae ſcientia, tamquam caput haberet: caput autem vocat mentem, cuius vi & auxilio percipiuntur definitiones: initiaque ſcientiarum. quae definitiones a ſcientiis ipſis non explicantur: vnde e primo quoque libro poſteriorum analyticorum haec ipſius verba ſunt. λέγω δὲ νοῦν ἀρχὴν ἐπιστήμης. cognitio igitur, exquiſita etiam illarum rerum, quae proficiſcuntur a principiis ſine mente, aliquo modo capite careret: quia initia ſcientiarum, vnde illa, quae demonſtrantur apta ſunt, non perciperet: mente namque ſolum principia ſcientiarum intelliguntur: ſecum autem illa mentem habens, & quaſi capite ipſi addito, abſolutiſſima perfectiſſimaque eſt: videt enim quoque, vnde illa naſcantur. Nam, quod addidit ὥσπερ, perſpicitur facile cur id fecerit: ſi namque ſimpliciter vocaſſet mentem caput, timuit, ne translatio inuerecundior videretur. quare immutauit eam & ex ipſa imaginem fecit; atque ita retinuit perſpicuitatem & reprehenſionem vitauit. hoc autem accuratiſſimum hunc ſcriptorem ſemper facere, cum periculum hoc reformidat, apertum eſt: crebraq; ſunt apud eum huius locutionis exempla. Quod vero Lambinus, dempta e dictione κεφαλὴν extrema littera: variatoque ita caſu, putat legendum ὥσπερ κεφαλὴ ἔχουσα, praeterquam quod fortaſſe durior hic ſermo illic eſſet, non congruit ſententiae: non eſt enim ſapientia ſcientia, quae rationem capitis habeat ad res illas praeſtantes, quas perſcrutatur, ſed ſociam dicta ipſa eſt habere illius muneris: & tamquam ducem, mentem, quae ipſi eſt inſtar capitis. Cum autem auctoritate quoq; opinionem ſuam Lambinus confirmarit: dixeritque idem de hac re, quod ſibi, videri M. Antonio Mureto, docto ſane viro, opponam illi auctoritatem non minorem Antonij Angelij, de quo cum quaeſiſſem, quid ſui iudicij eſſet de quaeſtione hac, vt de aliis etiam aliquando non ſine cauſa facio, totus in meam ſententiam venit. Eſt vero hic ingenio tali & eruditione, vt praeclare de his rebus exiſtimare poſſit: nam & Ariſtotelis rationem omnem cognouit, & litteras Graecas a pueritia ita percepit, vt ipſas, veteribus illis Athenis, non in Italia didiciſſe videatur: & ne diutius de doctrina ipſius loquar, is ipſe eſt, vt nullam in partem fratri ſuo Petro Angelio cedat, cuius nomen valde notum & celebre eſt, propter multa ingenij ipſius monimenta, praeterquam quod ille Piſis, in qua vrbe humaniores litteras, diſciplinamque vitae ac morum docet, voce, quae quantaque ſit ipſius, ſcientia optimarum artium, cotidie declarat.

Victoriam illam in primis amandam eſſe, quae nos ac res noſtras a poſteri etiam temporis periculis, tutas reddit.

CAP. XVI.

VICTORIA profecto illa vera integraque eſt: & vt eam obtineamus, eniti ſemper magnopere debemus, quae non tantum nos noſtroſque praeſenti periculo ac ſeruitute liberat, verum etiam futuro: ſecuroſque penitus nos reddit, ne amplius huiuſcemodi malum timeamus. Hoc vero exiſtimatur oſtendere voluiſſe Homerus, cum fecit Hectorem hortantem ſuos, vt fortiter pugnarent: commemorantemque bona, quae inde naſcentur, dixiſſe.

Ἀλλ' ἄλοχός τε σόη καὶ παῖδες ὀπίσσω
Καὶ οἶκος καὶ κλῆρος ἀκήρατος: Extrema enim illa vox antecedentis verſus, ac quod addidit, ὀπίσσω, hoc ſine dubio valet: perpetuamque illam ſalutem futuram pollicetur: coniecturoſque eos eſſe finem talem, vt numquam interrumpi labefactarique poſſit. Hoc olim animaduertit eruditus vir, cuius hoc ſcholion extat in eum locum: laudat enim

poëtam,

poëtam, qui addiderit, ἐπιόντα. docetque puſillum illud additamentum magnam vim habere ad eos alacres reddendos: eſt autem hoc. καλὰ δὲ καὶ ὁ προθύμως τοῦ ἐπιόντα, αὐτοῖς διαδέχειν τοῦ πάλιν παρέσχε. Simile igitur eſt huic illud T. Liuij, cum expoluit qua hortatione vſi fuere duo maximi duces P. Scipio & Annibal ad animos ſuorum militum ad graue illud proelium, quod in Africa commiſſum eſt, exacuendos: eodem enim ſe ambo contulere & quem viderunt maximum ſtimulum futurum, illis admouerunt. Pronuntiant ambo vt arma expedirent milites: animoſque ad ſupremum certamen, non in vnum diem, ſed in perpetuum, ſi felicitas adeſſet, victores.

Elegantem modum loquendi, quem vſurpauit Maro, videri acceptum ab Homero.

CAP. XVII.

QVOD Virgilius duobus locis, quos nunc ego recordor, inquit. Donat habere, primum de lorica Demolei: deinde de Palmi Thyrreni armis, qui a Mezentio in pugna obtruncatus fuit, videtur accepiſſe ab Homero: ad exemplarque ipſius protuliſſe. Prioris loci verba ſunt haec, inde accepta, vbi Aeneas donis muneribuſque decorat, qui viciſſent in curſu nauium.

Loricam, quam Demoleo detraxerat ipſe
Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto:
Donat habere viro, decus & tutamen in armis.

Poſterioris vero Latini loci haec.

Armaque Lauſo
Donat habere humeris & vertice figere criſtas.

Homerus autem de armis, quae Patroclo mortuo Hector eripuerat: ſociiſque ad vrbem geſtanda dederat, videns eam rem ſibi gloriae futuram, inquit.

Δῶκε δ' ὅγε τεύχεα καλὰ
Τρωσὶ φέρειν προτὶ ἄστυ, μέγα κλέος ἔμμεναι αὐτῷ.

Monſtratus locus Ciceronis, valde ſimilis loco Homeri, quippe cum ambo augeant, quod exponunt: nec augeant tantum, verum etiam illuſtrent.

CAP. XVIII.

INDICABO locum Ciceronis, valde ſimilem loco Homeri: ambo enim eodem pacto rem auxerunt: ac quod oſtendere ſtuduere, paene ante oculos eorum, qui audiunt, poſuerunt: Poëtae igitur, cum Achilles ad contionem vocaſſet principes exercitus, vt illis ſpectantibus, reconciliaret ſe Agamemnoni: atque omnes, debiles etiam ac vulneribus tardati, eo ſe conferrent, poëtae inquam verba haec ſunt.

Τὼ δὲ δύω σκάζοντε βάτην, Ἄρεος θεράποντε,
Τυδεΐδης τε μενεπτόλεμος καὶ δῖος Ὀδυσσεύς,
Ἔγχει ἐρειδομένω. ἔτι γὰρ ἔχον ἕλκεα λυγρά.

Ciceronis vero haec pro C. Rabirio perduellionis reo, cum & ipſe narraret, quod Romae factum eſſet in ſeditione Saturnina ac periculo magno reipublicae: doceretque, cognito illo S. C. quo ad arma conſules vocabant, cunctos fortes ac bonos ciues ad conſules accurriſſe: M. autem Aemilium antea nominarat. Cum denique Q. Scaeuola confectus ſenectute, praepeditus morbo, mancus & membris omnibus captus ac debilis, haſtili nixus & animi vim & infirmitatem corporis oſtenderet. Vt autem alia relinquam, quae paria ſunt, quod ambo dixere de haſta, qua ſui nixi forent, vt imbecillitatem corporis ſuſtinerent, idem prorſus eſt; quamuis Diomedem & Vlyſſem vulnera tardarent, Scaeuolam autem ſenectus ac morbus: & certe non poteſt quicquam magis ſimile commemorari, quam illud ἔγχει ἐρειδομένω & haſtili nixus. nam cogitare etiam & animo cernere ſpeciem hanc mirifice commouet: & habet incredibilem vim amplificandi. Virgilius quoque huius ſtatus grauium perſonarum in duro tempore Troianorum, mentionem fecit: cum enim Aeneas abeſſet, caſtraque a Turno obſiderentur, narrat, vt conſulerent communibus rebus, proceres Troianos eodem pacto manſiſſe: non tamen illi aut morbo aut vulnere grauati erant, ſed corpus firmabant rebus illis, quas tempus illud ac periculum magnum in manu ipſos tenere hortabatur. poëtae verba ſunt haec.

Stant longis adnixi haſtis ac ſcuta tenentes.

Indicatus

Indicatus locus Ciceronis, quem non ſine cauſa putaret aliquis e Platone expreſſum.

CAP. XIX.

VIDERI poteſt M. Cicero imitatus fuiſſe Platonem: quem amabat, cuiuſque elegantiam orationis admirabatur: modumque ipſius dicendi expreſſiſſe, cum in epiſtola quadam ad Atticum inquit. Longumque illud tempus, cum non ero, magis me mouet, quam hoc exiguum: intellexit autem aperte omne tempus, quod poſt ipſius mortem ſequi debebat: nec tamen mortem nominauit, quod odioſum fuiſſet. Politiſſimus igitur ille quoque ſcriptor in ſermone, quem Menonem vocauit, ita fecit Socratem cum Menone ipſo de puſione illo, quem ſubtiliter interrogarat, loqui: docere enim voluit, oportere illum ante quam veniret in vitam, ea quae tunc recte reſponderat, tenuiſſe. cum aſſenſus eſſet Menon, qui ipſum domi ſuae aluerat, eum numquam ab vllo didiciſſe, inquit Socrates. οὐκοῦν οὕτως ἐστὶ ὁ χρόνος, ὅτ' οὐκ ἦν ἄνθρωπος. Hoc igitur tantum diſcriminis eſt inter Latinum & Graecum auctorem, quod Latinus tempus, quod ſequitur illo modo ſignificauit: alter vero, quod praecedit.

Diſputatum de condimentis antiquorum, quibus aetatis noſtrae condimenta videntur anteponenda.

CAP. XX.

ERANT ignobiliora, quibus epulas redderent ſuauiores, veterum condimenta, quam ſint ea, quibus nos vulgo nunc vtimur: neque enim adhuc via patefacta erat iis, ex India vſque, petendis: & tanto cum labore periculoque vitae, irritamentis gutturis ac ventris comparandis. Nec tamen non illis etiam, a menſis diuitum hodie reiectis, locus aliquis eſt apud tenuiores homines: & non nulla ipſorum modice aliquando irrepunt in patinas etiam locupletium, vt feniculum & allium. Quae fuerint autem antiquorum condimenta, ἡδύσματα & ἀρτύματα vocata a Graecis, comici nobis vtriuſque gentis oſtendunt: inducunt enim ſaepe in fabulas ſuas, vt ratio illius poëmatis poſcit, coquos illa exponentes, vt fecit Plautus in Pſeudolo, apud quem glorioſus coquus, ceteros prae ſe contemnens: totamque conſuetudinem illorum irridens, ita loquitur.

Non ego item cenam condio, vt alij coqui:
Qui mihi condita prata in patinis proferunt.
Boues qui conuiuas faciunt, herbaſque aggerunt:
Eas herbas herbis aliis porro condiunt.
Indunt coriandrum, feniculum, allium, atrum olus
Apponunt rumicem, braſſicam, betam, blitum
Eo laſerpicij libram pondo diluunt
Teritur ſinapis ſcelerata, cum illis, qui terunt,
Prius quam triuerunt, oculi vt extillent facit.

Et eodem pacto Alexis, quem tradit Athenaeus in iij. libro, ſuis in comoediis catalogum condimentorum feciſſe, primum autem locum hunc ipſius adducit e fabula, cuius index erat Lebes, in qua quidam rogat coquum, vt exponat tunc quibus eget: ne poſtea, ſi cenam coxerit iniucundam, penuria condimentorum, alienaque culpa id factum dicat. verſus Alexidis ſunt hi

Καὶ μὴ προφάσεις αὐταῦθά μοι, μὴ δ' οὐκ ἔχω:
Ἀλλ' ἄγε, λέγ', οὐ δεῖ: λήψομαι γὰρ πάντ' ἐγώ.
Ὀρθῶς, τὸ πρῶτον μὲν λαβὲ ἐλθὼν σήσαμα.
Ἀλλ' ἔνδον αὐτόν. ἀσταφίδα κεκομμένην.
Μάραθον, ἄνηθον, νάπυ, καυλὸν, σίλφιον.
Κορίαννον αὖον, ῥοῦν, κύμινον, σέσαμον.
Σίνηπι, πήγανον, πράσον.

Sed plenius id ille fecerat in altera fabula, quam vocauerat παννυχίδα vel ἐρίθους: illic enim induxerat coquum ipſa nominantem, qui itidem queritur cum eo, a quo conductus fuerat: docetq; ſe omnibus carere, quae arti illi ſuae, cum laude exercendae, neceſſaria forent: inquit igitur,

Κύκλῳ δ' ἅλας περιτρέχειν με, καὶ βοᾶν,
Αἴτων δέομαι, δεῖπνον αἰτήσεις με σὺ
Ἤδη παρελθών: οὐκ ἔχων δὲ τυγχάνω,
Οὐκ ὄξος, οὐκ ἄνηθον, οὐκ ὀρίγανον.
Οὐ θρῖον, οὐκ ἔλαιον, οὐκ ἀμυγδαλάς,
Οὐ σκόροδον, οὐ σήσαμον, οὐχὶ γήτειον,
Οὐ βολβὸν, οὐ πῦρ, οὐ κύμινον, οὐχ ἅλας

Ουκ ῷὸν

» Οὐκ ὄξος, οὐ ξύλον, οὐ σεύτλον, οὐ τάριχος
» Οὐχ ἱμονιά: οὐ λάκκον ἄλων: οὐ θρίον.
» Οἱ σύμμος ἐστί. διακονῶ δ' ἐγὼ ἐγώ
» Ἔχει μάχαιραν, περιττὶ περιζωσμένος.

Sed etiam idem accuratus ſcriptor eodem loco tertium quendam locum citat, in quo itidem illa narrantur, ſed breuius. Praeterea in ix. libro, vbi exponit praecepta arti coquorum apta, citat teſtimonium Archippi comici, apud quem coquus itidem contemnit condimenta peruulgata & quae in vſu erant ignobilium coquorum, celebrans nouam rationem, inuentam a duobus quorum ſtudium admirabatur: illa vero condimenta ſunt ea, quae ſupra appellata fuere, partem eius quoque carminis ponam, quia eſt elegans ac lepidum.

» Οὗτοι τὰ μὲν παλαιὰ καὶ θρυλούμενα
» Ἀρτύματ' ἐξήλειψαν ἐκ τῶν βιβλίων:
» Καὶ τὴν θυίαν ἠφάνισαν ἐκ τοῦ μέσου:
» Οἷον λέγω κύμινον, ὄξος, σίλφιον
» Τυρόν, κορίανον, οἷς ὁ Κρόνος ἀρτύμασιν
» Ἐχρῆτο.

Animaduertendum autem poſteriorem hunc coquum, vt ſe omnino male inſtructum declaret, addere etiam condimentis illis vasa coquinaria: quibus etiam ſe deſtitutum eſſe affirmat: & Plautinus ille in condimentis enumerandis appellauit etiam herbas quaſdam, quae ipſis condirentur: ſunt autem illae, rumex, braſſica, beta, blitum. Nam de illis vt eſcis, non condimentis locutum poëtam, perſpicitur etiam ex verbo illo Apponunt: quod enim Graeci παρατιθέναι dicunt, id Latini apponere, vt Cicero cum inquit. Quid te in vaſis fictilibus appoſiturum putem: ſuo vero verbo in illis verſibus tertium vſus fuit Archippus, quem ſupra dixi. Quod vero in primo, qui hic appoſitus eſt, appellatur thus, intellexit ſemen ſtirpis, quae vocatur nunc ſommachus: ipſo enim vtebantur, qui vim ſalis non habebant. nec tamen ipſum Plautus nominauit, quia fortaſſe in vſu non erat Romanorum: & tamen alia quoque non nulla ab eo ſilentur, quae commemorauit Alexis. Quae vero Plautinus coquus infra appellat, maioris pretij condimenta erant: & ſimilitudinis aliquid habebant cum his, quae in conſuetudine noſtra ſunt.

Quae veteres Graeci vocarint verba ἀναμίλλητα, declaratum.

CAP. XXI.

VT Graeci illi veteres loca quaedam optimorum ſcriptorum praeclara ac ſummo artificio confecta vocabant, quod ego ſupra admonui, ἐπαινούμενα, cuius verbi vis aperta eſt, ita eodem animo verba non nulla Homeri loco poſita, & mirifice exprimentia, quod illic narratur: & quaſi ante oculos ipſum conſtituentia appellabant ἀναμίλλητα, quia virtus eorum verborum, omni etiam contentione adhibita, vinci non poſſet. Apud Lucretium quoque & Catullum, addo etiam Virgilium, exempla horum verborum, quibus melius nihil aptiuſque excogitari poſſet facile, inuenirentur. ſed ego nunc vno Homeri contentus ero; cuius euidentiam antiquus interpres eius poëtae cum commendaret, hoc, quod dixi, adnotauit: vbi enim Vlyſſes admonet Achillem, ne e caſtris educat copias ieiunas: exponitque accurate quid incommodi afferat inedia illis, qui magnum laborem ſuſcepturi ſunt, in aliis inquit, occurrens ei, quod aliquis dicere potuiſſet, non impedire alacritatem animi penuriam cibi.

» Εἴπερ γὰρ θυμῷ γε μενοινάᾳ πολεμίζειν
» Ἀλλά τι λάθρῃ γυῖα βαρύνεται.

Hoc igitur, quod inquit βαρύνεται, huius generis eſt. Declaratio priſca eius loci his verbis
» id tradit. Ἔνια τῶν ὀνομάτων ἀναμίλλητά ἐστι τῷ ποιητῇ καὶ τὴν ἔμφασιν ἀνυπέρβλητον ἔχοντα. ὡς καὶ τὸ
» βαρύνεσθαι φησὶ τὰ γυῖα.

Quae vocatae ſint ab antiquis tibiae dextrae & quae ſiniſtrae, demonſtratum: rationemq; horum nominum fluxiſſe e Graeco ſermone: atque eius gentis ſtudio muſicorum.

CAP. XXII.

OMNES nouerunt vocatas fuiſſe tibias quaſdam dextras: alias vero ſiniſtras, quarum ambarum diuerſis temporibus vſus eſſet in theatro: cum fabulae agerentur. & aliquando etiam iiſdem, perſpicitur hoc ex iis, quae, memoriae mandata, ante comoedias Terentij leguntur, ſacientia ad tempus modumq;, quo illae fabulae actae ſunt: non nullae namq; ipſarum & dextris & ſiniſtris ſimul vſae ſunt:

aliae vero dextris tantum. vocabantur autem tibiae dextrae, quae dextra parte oris, manuque itidem dextra tenebantur: eodemque pacto ſiniſtrae, quae contraria parte oris & manus. dextris vero ſiniſtriique dicebatur is vti tibicen, qui ſimul ambas inflaret: nam hoc etiam fieri ſolitum aliquando, intelligitur ex antiquis monimentis, vt veterum Romanorum nummis & lapidibus, in quibus inſtitutum hoc inciſum foret, vt fabula etiam, niſi fallor, acta dextris & ſiniſtris, in qua partim tibiarum dextris, partim autem ſiniſtris vſi forent, quarum contrariarum tibiarum ſonus ſibi in cantu reſponderet. certi autem quidam calami tibiis dextris fabricandis & certo anni tempore caeſi, idonei erant: contra vero alij ſiniſtris; ſi quis rem ſubtiliter exquiſireque tractare vellet, quod diſcrimen ipſorum, diligenter ſeruatum a Graecis: & ex eorundem moribus diſciplinaque profectum, mihi videor reperiſſe: illi enim quoque eodem pacto diſtinguebant tibias: iiſdemque vocabulis diuerſa ipſorum genera vocabant, quae reſpondent his Latinis: Theophraſtus namque in iiij. libro eorum, quae oriuntur e terra, vbi diſſerit accurate de anni tempore, quo caeduntur calami, vnde fiunt tibiae, inquit, συμφωνεῖν δὲ τὰς γλώττας, τὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ μεσογονατίου: τὰς δ' ἄλλας οὐ συμφωνεῖν, καὶ τὴν μὲν πρὸς τῇ ῥίζῃ ἀριστερὰν εἶναι: τὴν δὲ πρὸς τὴν βλαστὸν, δεξιάν. Quae igitur linguae ex eodem internodio ſumptae forent (expreſſi ego Graecum verbum, quo muſici ipſas appellant) ſibi ipſis in ſono concordabant, vt ait: minime autem, quae e diuerſo: addit autem linguam, quae ex vna parte, radiceque ſumpta foret, eſſe ſiniſtram: quae autem e ſuperiore: & vnde creſcit pullulatque, dextram, ideſt, ſi volumus hoc conuenire Latinae horum nominum rationi, accommodata eſſe his aut illis fabricandis, quae ſam diligens harum omnium rerum obſeruatio, cum minuta foret & taedij plena, impulit multos, vt alia materia in illis conficiendis vterentur, quod ſignificare voluit Plinius, cum xvi. libro obſcure inquit. Hinc erant armamenta ad inclulos cantus, non ſilendos ex reliquo curae miraculo, vt venia ſit argento iam potius cani.

Herodotum μεταφορικῶς dixiſſe tyrannidem egiſſe radices, cum firma foret: Ciceronem itidem ἀλληγορικῶς de ipſa, vt de arbore locutum.

CAP. XXIII.

M. Cicero, in epiſtola quadam ad Atticum, cum de Caeſare interfecto loqueretur, accuſans auctores eius conſilij, qui non vna cum ipſo, ſocios illius iniuſti regni ſuſtuliſſent, ἀλληγορικῶς inquit. Arbor exciſa eſt, non euulſa: itaque quam fruticetur vides: arborem enim dicens, intellexit tyrannidem, quam cum illi excidiſſent, non euelliſſent, reliquerant ipſius radices. qui autem arborem extirpare vult, radices quoque euellat oportet: aliter enim illa renaſcitur, & pro vna, quod contingit in multis, plures e radicibus ipſius exoriuntur. Vt autem Cicero, quamuis ipſas non appellarit, radices aliquo modo dixit tyrannidem habere, ita μεταφορικῶς Herodotus, cum Piſiſtrati tyrannidem, eo tempore, quo Athenis exactus eſt, firmam ſolidamq; minime fuiſſe oſtendere vellet, dixit illam non dum egiſſe. verba ipſius ſunt. καὶ τὴν τυραννίδα, οὔκω κάρτα ἐρριζωμένην ἔχων, ἀπέβαλε, & infra mutatis rebus, eadem translatione vtens, inquit. οὕτω δὴ Πεισίστρατος, τὸ τρίτον σχὼν Ἀθήνας, ἐρρίζωσε τὴν τυραννίδα. Sed in topicis quoque Cicero ἀλληγορίᾳ vſus eſt, quo loco de praeceptis illis, auditoreſque ipſorum tamquam de dapibus conuiuaq; locutus eſt: & in ea oratione, vſurpatis pluribus translationibus, diutius manſit. inquit igitur. Sed quoniam auidum hominem ad has diſcendi epulas recepi, ſic accipiam, vt reliquiarum ſit potius aliquid, quam te hinc patiar non ſatiatum diſcedere. Plato ſane ab eodem ſimili verbum duxit: dixitque ἑστιᾶν, quod Cicero inquit accipere, vt in Phaedro & in ix. libro πολιτείας, non longe a principiis amborum eorum librorum. Sed etiam in Lyſide, eodem pacto locutus eſt, cum induceret Cteſippum accuſantem Lyſiam & Socratem, qui ſoli loquerentur: nec ipſum participem facerent eius diſputationis: inquit igitur Socrates. ταῦτ' οὖν ὑμῶν λεγόντων πρὸς ἡμᾶς αὐτούς; τί ὑμεῖς ἔφη ὁ Κτήσιππος αὐτὼ μόνω ἑστιᾶσθον: ἡμῖν δὲ οὐ μεταδίδοτε τῶν λόγων? vt apparet autem cito diſceſſit a ſimili eo Plato, quod ſeruauit etiam in reliquis illis locis, veritus, vt opinor, ne obſcuriorem redderet orationem. Quare non video, cur Cicero tunc in vnum locum congeſſerit tot translationes: dum enim voluit ſuauitatis plurimum orationi comparare, tenebras obduxit ei ſententiae: & tamen praeclare ſciebat hanc naturam eſſe frequentatarum translationum: ita enim de ipſis praecipit in iij. libro de oratore. Sumpta re ſimili, verba eius rei propria deinceps in rem aliam (vt dixi) transferuntur. Eſt hoc magnum ornamentum orationis, in quo obſcuritas fugienda eſt: etenim ex hoc genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata.

Quid in fabula quadam ſua de Achille, admirabile prorſus memoriae prodiderit Aeſchylus.

CAP. XXIIII.

HOMERI ſunt verba, vbi commemorat virtute Patrocli factum eſſe, vt Troiani, qui cum equis irruperant in caſtra Graecorum, impellente ipſos Hectore contra conſilium Polydamantis, inde ſubito eiicerentur: adiungitque illum fortiſſimum iuuenem potiſſimum tunc vim illam ſuam in ducem hoſtium effundere voluiſſe: atque in eum tela conicere: quem tamen equi iam ex eo periculo aſportarant, verba inquam poëtae ſunt.

Τὸν δ' ἐκφέρον ὠκέες ἵπποι

Declaratio autem vetus eius loci narrat Aeſchylum in fabula quadam ſua, quae vna cum multis aliis vetuſtate amiſſa eſt, feciſſe Achillem ſimili tempore, cum inquam ipſum quoque oportuiſſet cedere, retro ſe cum armis, quibus corpus texerat, conieciſſe: atque ita ſaltu foſſam pertranſiſſe, ne tergum hoſtibus oſtenderet, quod factum ipſius, multis modis incredibile: atque ideo animaduerſum, par eſt illis, quae noſtri temporis poëtae magis adhuc admirabilia ac prorſus prodigioſa fingunt. Similitudinem autem aliquam ipſius habere videtur, quod fecit Virgilius Turnum diſcedentem e caſtris Troianorum, in quae ſolus inuaſerat: & vbi non paruam ſtragem, hoſtium ediderat, ſe armatum conieciſſe in fluuium: atque ita e manibus ipſorum, qui conferti vndique in eum impetum fecerant, elapſum. poëtae locus hic eſt.

Tum demum praeceps ſaltu ſeſe omnibus armis.
In fluuium dedit.

Quod enim inquit, omnibus armis, expreſſit Graecum verbum *πανοπλίαν*, quo etiam vſa fuit, in ea re exponenda, vetus illa, quam dixi, declaratio.

INDEX

INDEX.

LOCI INSIGNIORES TAM GRAECORVM, QVAM LATINORVM SCRIPTORVM

Emendati, collati, & explicati.

AELIANI. 11. 103. 132. 142. 322.
Aeſchinis. 17. 49. 56. 85. 101. 158. 164. 168. 202. 211. 254. 309.
Aeſchyli. 8. 75. 127. 144. 154. 230. 245. 267. 275. 305. 310. 317. 322. 327. 331. 338. ibidem. 347. 369. 383. 430. 435. 436. 440. 445. 456.
Alcinoi. 315
Alexandri Aphrod. 63. 131. 214. 302. 308
Anacharſidis. 176
Anaximenis Lampſaceni. 160
Andreae Patricij. 372
Appiani. 252. 311
Apollonij Rhodij. 299. 223. 227. 228. 300. 335.
Apuleij. 219
Arati. 354. 372. 387. 395. 396. 398
Ariſtarchi. 365
Ariſtidis. 98
Ariſtophanis. 16. 17. 21. 89. 141. 158. 165. 264. 301. 321. 324. 329. 337. 372. 382. 392. 400. 403. 418.
Ariſtotelis. Admirabil. 28. 388. 389. 401. Ethic. ad Nicomach. 25. 210. 240. 247. 258. 406. 420. 426. Ethic. magn. 74. 87. 145. 241. ad Eudem. 241. 314. Hiſt. animal. 72. & 73. 95. 135. 408. 424. 432. Meteor. 215. 309. Natur. auſcul. 250. 369. De ortu, & interitu. 105. 422. Poetica. 14. 80. 90. 99. 369. 373. 428. Progreſſu animal. 258. Problem. 10. 21. 79. 320. 379. 390. 391. Repub. 36. 38. 59. 81. 167. 188. 269. 340. 401. 403. 413. 420. 425. 426. 427. 444. & 445. Reth. 25. 101. 121. 316. 345. 375. 390. Somn. 365. Topic. 214.
Arnobij. 94.
Aſconij. 34. 257.
Athenaei. 1. 7. 30. 32. 37. 47. 53. 68. 69. 71. 76. 78. 81. 110. 127. 144. 148. 157. 169. 178. 201. 206. 221. 257. 258. 281. 290. 298. 311. 347. 352. 380. 381. 388. 391. 399. 401. 427. 434. 446. 448. 453.
Auieni. 372.
C. Caeſaris. 2. 3. 11. 24. 33. 39. 88. 101. 118. 143. 214. 219. 294. 337. 366. 367. 387. 411. 422.
Callimachi. 398.
Catulli. 32. 33. 46. 51. 63. 64. 79. 83. 87. 93. 94. 98. 133. 137. 144. 147. 189. 201. 213. 229. 232. 234. & 235. 242. 248. 263. 264. 266. 280. 356. 358. 361. ibid. 364. 390. 391. 392. 393. ibid. 418. 421.
Ciceronis varijs locis. 303. 328. 334. 347. 409. 410. Epiſt. ad Attic. 2. 18. 87. 96. 116. 147. 149. 153. 161. 164. 170. 177. 182. 185. 194. 208. 209. 231. 251. 255. 256. 262. 270. 275. 316. 322. 324. 331. 391. 419. 424. 427. 428. 431. 432. 434. 436. 437. 438. 449. 450. 453. ad Brutum. 26. 275. Famil. 10. 20. 66. 85. 93. 122. 156. 183. 184. 204. 217. 236. 161. 287. 317. 324. 340. 362 365. ibid. 382. 386. 393. 404. 431. ad Q. fratrem. 4. 22. 42. 60. 61. 84. 88. 145. 148. 169. 201. 233. 319 358. 387. 391. 411. 446. Academ. quaeſt. 114. 146. 151. 167. 319. Amic. 88. 295. 437. & 438. Diuinat. lib. I. 19. 58. 61. 93. 111. 132. 149. 182. 223. 228. 235. 321. 349. 383. II. 25. 58. 383. 409 434. 445. De fato. 9. 115. De finib. lib. I. 129. 225. 332. 334. II. 6. 65. 355. ibid. III. 12. 128. V. 14. 73. 79. 171. 307. 308. De natura Deor. lib. I. 123. 226. 294. 295. II. 146. 186. 292. 355. 359. 380. III. 1. 10. 21. 26. 74. 138. 248. 249. 278. 380. 448. De legib. I. 18. 106. II. 10. 268. 269. 276. III. 118. 146. 271. Lucul. 131. 258. 293. 385. 415. 434. 448. Offic. lib. I. 59. 76. II. 49. III. 79. Parad. 51. De ſeneċt. 23. 46. 87. 110. 140. 261. 332. 337. 404. 415. 426. 427. 429. 435. 447. Tuſcul. lib. I. 51. 63. 110. 148. & 149. 329. 414. II. 19. 331. 345. 400. 401. 403. III. 37. 45. 85. 211. 401. IIII. 37. 130. 141. 144. 171. V. 9. 10. 27. 28. 32. 40. 114. 124. 125. 134. 136. 170. 175. 205. 228. 306. 340. 373. Vniuer. 226. De Oratore lib. I. 50. 188. 195. 255. 328. 410. II. 35. 115. 130. 206. 402. 436. III. 29. 46. 47. 67. 214. 139. 345. 373. 402. 455. Bruto. 88. 146. 160. 161. 175. 252. 254. 315. 363. 436. Oratore. 20. 37. 126. 138. 145. 157. 183. 209. 218 229. 366. 389. Topic. 19. 289. 455. Ex orationib. pro Arch. poët. 3. 17. 74. 95. 115. 139. 224. 320. 329. 349. 375. Aruſp. reſponſ. 208. 375. in Catil. 72. 76. 158. 350. A. Cęcina. 68. 372. A. Gluentio. 80.

124 130. 176. 225. 251. 285. 326. 392. Caelio. 87. 251. 437. Cornel. 260. Deiot. 5. 170. 341. pro domo ſua. 198. L. Flac. 16. 30. 49. 71. 153. 157. 220. 323. 341. M. Fonr. 243. Leg. Manil. 74. 112. 225. 232. 238. Ligar. 34. 53. 59. 226. 244. 253. 288. 414. 442. M. Marcel. 189. 207. 247. 344. 402. 403. Milone. 154. 159. 213. 214. 228. 239 250. 251. 253. 270. 297. 322. 328. 330. 415. ibid. 435. 436. L. Mur. 30. 169. 351. Philip. 2. 4. 11. 13. 33. 37. 111. 142. 150. 156. 172. 173. 180. 197. 199. 200. 251. 261. 280. 307. 321. 323. 325. 333. 335. 343. 351. 352. 353. 363. 370. 379. 384. 393. 397. ibidem. 415. 438. 447. in Piſ. 13. 48. 55. 85. 189. 202. 265. 287. 296. pro Planc. 154. 247. 255. P. Quint. 154. 250. C. Rabir. 182. 221. 406. 406. 452. Rabir. Poſth. 62. contra Rul. 406. Sex. Roſc. 124. 164. 170. 202. 207. 329. In Salluſt. 168. Seſtio. 128. 267. P. Sylla. 54. In Ver. 7. 8. 11. 25. 48. 160. 162. 257. 322. 334. 345. 363. ibid. 369. 405.
Ciceronis loci apud Nonium. 112. 134. 177. 226. 241. 246. 259. 273.
Clementis Alexand. 40. 63. 89. 121. 127. 144. 146. 149. 164. 163. 178. 248.
Cornelij Celſi. 345. 348.
Columellae. 130. 408.
Cornificij Rhetor. ad Herenn. 160. 250. 271.
Dantis. 373. 376. 413.
Demetrij Phaler. 291. 344.
Democriti apud Stobaeum. 124.
Demoſthenis contra Aphob. 4. Ariſtocr. 5. 170. 328. Ariſtogit. 11 289. Dionyſiod. 124. pro Cteſiph. 16. 29. 42. 71. 126. 142 168. 217. 230. 245. 261. 327. 363. 377. De falſ. leg. 29. 105. 124. 162. 198. 281. 442. πρὸς τὴν ἐπιτρ. παραγρ. 64. contra Mid. 3. 295. 299. Olynth. 37. 65. 330. De pace. 251. Philip. 53. 72. ibid. 103. 111. 189. 386. ibid. τῶ συμμοριῶν. 20. contra Timocr. 79. Theocrin 7. Xenoth. 84. Varijs locis. 355. 364. 379. 387. 409. 417. 418. 421. 439.
Digeſtorum. 327. 410.
Diodori Siculi. 58. 236. 258. 254.
Diogenis Laertij. 18. 91. 124. 164. 172. 175. 218. 274. 442.
Dionis hiſtorici. 143. 272. 296.
Dionis Pruſienſis. 90
Dionysij. Halicar. 34. 38. 127. 145. 252. 262. 387. 425.
Dionysij Longini. 15. 331. 354. 395. 415.
Dioſcoridis. 219.
Donati. 172. 338. 369. 399.
Ennij. 108. 154. 162.
Epigrammatum in Priapū. 127. 132. 303. 304.
Eratoſthenis. 400.
Euangeliſtae. 436.
Euphorionis. 327. 395. 396.
Euripidis. 14. 18. 25. 28. 37. 40. 82. 100. 101. 108. 109. 116. 119. 121. 135. 137. 144. 150. 151. ibid. 158. 171. 180. 181. 203. 204. 227. 234. 240. 257. 218. ibid 319. 320. ibid. 325. 326. 327. 328. 335. 336. ibid. 339. 344. 345. 346. ibid. 348 ibid. 354. 360. 361. 362. ibid. 366. 371. ibid. 372. 375. 376. 381. 382. 391. 398 404. 309. 412. 414. ibid. 415. 417. 421. 428. 429. ibid. 430. ibid. 437. 439. 449.
Euſtathij. 85. 86. 408.
Franciſci Petrarcae. 373. 388.
A. Gellij. 27. 136. 194. 384. 416.
Hammonij. 405. 414.
Harpocrationis. 327. 386.
Hecataei. 331.
Hermogenis. 126.
Herodoti. 15. 97. 150. 329. 333. 360. ibid. 378. 390. 414. 425.
Heſiodi. 25. 331. 396. 398. 428.
Heſychij. 412.
Homeri. 2. 26. 27. 76. 82. 172. & 173. 181. 210. 221. 255. 256. ibid. 313. 319. 320. 321. 323. 324. 325. 328. 330. 332. ibid. 334. 335. 337. ibid. 338. 339. ibid. 340 341. 342. 343. 344. 346. 347. 349. 351. 352. ibid. 354. ibid. 356. 357. 362. ibid. 364. 365. 368. 371. 380. 381. 382. 394. 395. ibid. 396. 402. 404. 406. 409. 410. 412. 421. 425. 427. 433. 437. 445. 446. 447. ibid. 450. 452. ibid. 454. 456.
Horatij. 28. 29. 36. 66. 67. 91. ibid. 103. 104. 111. 117. 121. 144. 148. 156. 164. 172. 173. 174. 211. 234. 237. 262. 272. 273. 347. 362. 378. 383. 391. 394. 400. 412. 429. 431. 440.
Hygini. 102. 372.
Iſocratis. 20. 35. 72. 75. 126. 145. 174. 201. 219. 220. 232. 247. 252. 254. 297. 320.
Iulij Pollucis. 174.
Iuſtini. 344.
T. Liuij. 59. 80. 84. 92. 96. 108. 109. 164. 174. 181. 201. 230. 244. 248. 290. 299. ibid 327. 334. 338. 344. 350. ibidem. 357. 359. 360. 368. 391. 413. 418. 428. 452.
Lucani. 143.
Lucretij. 63 77. 98. 117. 159. 199. 216. 340. 342. 343 347. 354. 375. 396. 413. 435.
Lyſiae. 29 87. 161. 172. 213. 238. 274. 288. 315. 326. 379. 385.
Macrobij. 190. 381.
M. Catonis. 326. 388.
Martialis. 431.
Maximi Tyrij. 350.
Menandri. 53. 229. 331.
Nonij. 6. 27. ibid. 34. 35. 43. 50. 57. 81. 112. 113. 114. 133. 199. 200. 218. 233. 242. 248. 274. 349. 418.
Olympiodori. 359. 362.
Ouidij. 134. 195. 395. 449.
Pacuuij apud Nonium. 176.
Pauſaniae. 127. 149. 150. 216.
Pindari. 80. 150. 202. 275. 279. 414. 441.
Platonis. Apolog. 32. Axioc. 46. Criton. 61. 281.

281. epiſt. 9. 27. 93. 97. 522. Euthyd. 46. 75. & 76. 245. Gorg. 89. Hippar. 358. Ion. 374. 392. Lyſid. 19. Leg. 9. 10. 67. 105. & 106. 115. 209. 283. 295. 296. 359. 374. Men. 409. 453. Phaed. 47. 62. Phaedro. 19. 75. 139. 455. Phileb. 144. 405. Protag. 9. 222. De rep. 8. 10. 11. 19. 26. 28. 39. 114. 125. 127. 129. 134. 167. 221. 255 455. Symp. 142. Timaeo. 226. 258.
Varijs locis. 442
Plauti. 12. 15. 33. 37. 46. 55. 71. 92. ibid. 114 122. 123. 147. 154. 177. 187. 189. 226. 258 296. 301. 306. ibid. 353. 380. 383. 403. 431. 434. 437. ibid. 453. 454.
Plinij. 51. 95. 159. 219. 227. 286. ibid. 299. 318. 341. 358. 374. 376. 383. 409. 411. 423 424. 432. 433. 455.
Plutarchi. 8. 10. 15. 22. ibid. 25. 26. 41. 48. 51. 53. 71. 75. 90. 91. ibid. 92. 102. 109. 111. 120. 127. 137. 141. 146. 151. 160. 163, 167. 169. 182. 186. 194. 206. 208. 212, 224. 226. 237. 249. 257. 259 260. 264. 271. 272 279. 282. 292. 293. 305. 307. 322. 328. 329. 330. 334. 341. 345. ibid. 348. 350. 365. 370. ibid. 373. 374. 381. 382. 385. 392. 394. 408. 412. 420. 424. 427. 429. 435. 438. 439. 440. 442. 446, 448.
Pollucis. 69. 324
Polybij. 16. 45. 49. 52. 59. 61. 84. 92. 109, 110. 120. 140. 142. 185. 186. 232. 244. 291. 367. 370. ibid. 411. 417. 425. 438.
Pomponij Melae. 219.
Porphyrij Tyrij. 136. 152. 347. 405. 432.
Priſciani. 165
Procli. 400. 411
Propertij. 102. 112
Ptolemaei. 223. 424
Quintiliani. 71. 150. 157. 165. 168. 188. 202. 259. 260. 297.
Q. Curtij. 345
Rutilij. 195. 437
Salluſtij. 65. 76. 93. 117. 119. 121. 122. 123 137. 172. 233. 277. 291. 315. 330. 333. 342. 399. 446.
Schol. Aeſchy. 8. 272. 322. 338 370. Arati. 388. Ariſtoph. 329. 365. 372. 382. Eurip. 327. Hom. 26. 221. 325. 330. 335. 337. 341. 342. 347. 352. ibid. 354. 357. 394. 396. 421. 445. 450. 451. Thucyd 350.
Sententiarum var. poët. 359. ibid. 368. 391. 419
Seruij. 35. 130. 135. 137. 196. 221
Sexti Emp. 370. 385. 389. 406. 414
Sexti Pompei. 6. 13. 27. 54. 194. 208. 269. 302. 410. 448.
Simplicij. 251. 385
Sophoclis. 17. 45. 50. 55. 59. 64. 81. 176. ibid. 189. 319. 335. 340. 361. 364. 381. ibid. 393. ibid. 406. 435. 445.
Statij. 322
Stobaei. 124. 163. 323. 396
Strabonis. 27. 33. 58. 85. 99. 144. 188. 195. 215. 222. 228. 231. 269. 301. & 302. 345. 358. 375. 376. 389. 400. 404. 412. 414. 419. 424.
Sudae. 224. 268. 306
Suetonij. 215. 292
Taciti. 201. 212. 214. 286. 403
Terentiani grammatici. 133
Terentij. Andr. 16. 29. 39. 47. 102. 158. 161. 264. 189. 359. 380. 394. 399. 430. 435. 440 449. Eun. 15. 54. 76. 103. 105. 162. 170. 172. 245. 248. 323. 351. 357. 363. 391. 392. 443. Heaut. 14. 98. 103. 216. 240. 324. 331. 338. 416. Adel. 4. 84. 170. 217, 235. 245. 352. 362. 369. 386. 438. 450. & ibid. Phorm. 15. 369. 399. 417. 419. 431, 443. Hecy. 105. 399. 428. 431. 435.
Themiſtij. 73. 224. & 225. 262
Theocriti. 410. 438,
Theodori. 321. 379. 390
Theognidis. 38
Theonis ſophiſtae. 327. 331. 372. 395. 396. 398. 449.
Theophraſti. 31. 81. 159. 166. 318. 328. 356, 380. 383. 398. 407. 411. 422. 423. 434. 455.
Thucydidis. 342. 343. 344. 351. 373. 413
Tibulli. 137
Trogi. 344
Tryphonij. 327
Varronis. 42. 54. 61. 64. 70. 81. 94. 98. 100, 154. & 155. 187. 190. 191. 192. 199. 205. 208. 226. 246. 264. 267. 274. 285. 287. 289. 324. 349. 367. 371. 377. 382. 387. ibid. 388. 393. 397. 399. 400. 404. 405. 407. 408, 411. 416. 417. 420. 423. 424. 444.
Virgilij. 5. 21. 22. 26. 35. 40. 44. 50. 69. 72. & 73. 77. 82. 89. 130. 135. 137. 142. 163. 165. 182. 196. ibid. 199. 215. 216. 220. 225. 313. 316. 318. 319. ibid. 320. ibid. 330. 332. 336. 359. 340. 342. 343. 345. 348. 349. 350. 353 354. 360. 361. 373. 377. 380. 382. 383. 384. 394. 395. ibid. 397. 398. ibid. 404. 405. 406. 410. 411. 417. ibid. 421. 422. 424. 440. 440. 445. 446. 447. 452. ibid. 456.
Vitruuij. 233
Vlpianus. 250
Xenophanis. 414
Xenophontis. 12. 17. 31. 43. 49. 85. 93. 97. 100. 106. 114. 120. 122. 148. 158. 178. 182. 209. 218. 241. 273. 287. 293. 315. 330. ibid. 353. 365. 366. 393. 397. 405. 417. 418 421. 423. 440. 444.

INDEX EORVM, QVAE IN HIS TRACTANTVR.

ACCIVS Medeam ſcripſit. 278
Accumbere in robore. 30
Accurate. 379
Accuſator vtilis. 323. 333
Achaiae praetor, vel proconſul cur dictus. 184
in Achaia vinum naſcitur abortum gignens. 81
Achilles Vlyſſi, vni legatorum Agamemnonis, quid reſpondeat. 62
Achilles, dictum captionis genus. 250
Achilles multis decoratus nominibus apud Homer. 324
Achilles Statius, eruditus interpres Catulli. 393
Aciem oſtendere. 44
Acroceraunia. 143
Acrocorinthus. 231
Adhortationis ad pugnam exemplum. 181
Aditus. 279
Admirari. 412
Admiratio damnata a Democrito. 412
Adoleſcentis ſimplex natura. 363
Adonis a quo interfectus. 40
Adoptare filium. 340
Adrianus Turnebus vir doctiſſimus nimis tamen cupidus omnia emendandi. 425
Ad ſolarium, locus Romae quis. 250
Adulteri quomodo punirentur Athenis. 385
Aegritudo ingens, aptiſſima metaphora ſignificata. 428
Aegyptiorum regis nomen mutauit Ariſtoteles. 25
L. Aemilius de Illyrijs triumphauit. 231
Aeneidos ſecundus liber, quo argumento. 336
Aequo loco. 366
Aequalitas in ciuitatibus liberis. 427
Aeſchylus poëta, & philoſophus. 75
Aeſchylus Pythagoreus fuit. 298
Aeſchylus diſertus, ac copioſus fuit. 347
Aeſculapio barbam auream demi iuſſit Dionyſius tyrannus. 249
Aeſopi fabella de duabus manticis. 262
Aeſopus λογογράφος. 442
Aether, & dies vnde procreati. 26
L. Afranij ignauia. 185
Agamemnoni tribuit Cicero, quod Vlyſſis erat. 25
Agamemnon qua ratione vſus hortatur milites ad pugnam. 181
Agamemnonis deliberatio. 360
Agathocles hiſtoricus. 235
Agere ideſt inſtituere. 321
Ageſias Syracuſius. 150
Ageſilai vox aſſimilis illi M' Curij. 110
Ageſilaus ampla dona Tithraſtis repudiauit. 110
Ageſilaus magnum laudatorem nactus eſt. 365
Ageſilaus altero pede claudus. 316
Ageſilaus victor Arg. & Theb. 330
Ageſilai conſilium. 423
Agis, & Cleomenes reges Spartiatae. 370
Agis rex. 427
Agri colendi ſtudium, & ſollicitudines. 45
Agricolarum veſtitus. 324
Agricolarum vita laudatur. 416
Agriculturae commoda. 57
Agrigentini vnde oriundi. 45
Agrum qui ſalutarint. 53
Aiaci quid tribuerit Cicero, quod erat ab Vlyſſe pronuntiatum. 25
Aiacis nomen. 430
Aiax. 350
Aiunt. 393
Alae celeritatem ſignificant. 320
Alcathous Heſtiae immolauit. 38
Alciatus. 431
Alcon. 196
Aldus. 2
Alere. 321
Alexander Epiri rex, & oraculum eidem editū. 174
Alexander Farneſius Cardin. 50. 92. 291
Alexander Macedo contemptor voluptatum. 74
Alexander Macedo amator Homeri. 375
Alexander Magnus quando naſcitur. 186
Alexander Sophiſta de figuris erudite ſcripſit. 129
Alexandri dictum de captiuis mulieribus Perſis. 15
Alexandri ſomnium. 58
Alexandrum vim herbae ab aliquo perito accepiſſe, non in ſomno vidiſſe. 58
Alexis, comicos poëtas, paraſitos atro colore tinctos inducere, oſtendit. 68
Alexis fabula. 453
Alfonſus Cambius Importunus. 376
Alloqui, & allocutio. 94
Alumnus quid Varroni. 275
Amantium oculi cur dicantur dolere. 135
Amantium phantaſiae, vigilantium ſomnia. 279
Amicitiae nouae quomodo inſtituendae. 295
Amicitiae proprium. 441
Amicitiam non puram quomodo vocarint Graeci μισοφρονῶς. 8
Amicitiam vtilitatis cauſa expetendam dicebat Epicurus. 65
Amor in remp. 368
Amor in alumnum. 450

Amor

.I N D E X.

Amor parentum erga liberos. 409
Amor proprius vnicuique innatus. 158
Amori repugnare difficile. 420
Amoris vis ingens. 241
Amoris vis a quo praedicata. 144
Amphicypellum. 408
Ampulla. 12
Ampullam geſtabant Cynici, mendicique. ibidem.
Anabaſin cur Cyri iunioris expeditionem vocau[illegible]t Xenophon. 138
Anacharſidis epiſtolae verba a Cicerone expreſſa. 176
Anacreontis carmen. 238. & 239
Anaxagorae dictum ad Periclem. 140
Anaxagoras, audita morte filij, quid dixit. 53
Anaxarchus. 375
Anaximenes Lampſacenus ſcripſit de arte dicendi. ad Alexandrum regem. 160
Andreas Patricius vir magni ingenij. 372
Androgeus e ducibus Graecis vnus. 417
Angeli Politiani iudicium. 336. 405
Anhelans. 353
Anhelitus. 353
Anima ieiuna quae Caecilio. 34
Anima putei, aqua eſt. 35
Animaduerſio Cenſoria, notatio. 177
Animaduerſio, διάγνωσις, ϰρίσις. 349
Animal. 276
Animantibus quando veſci coeperint homines. 137
Animi motus deſcribitur. 230
Animum quid vocauit Terentius. 240
Annibalis crudelitas varie narrata. 152
Annibal reuocatus in patriam. 350
Annibal callidus, & verſutus. 368
Annibalis vox. 359
Antiates piratae. 377
Antigonus natura dicacior. 120
Antigonus quid reſponderit amico. 209
Antileon Metapontinus. 241
Antimachi filij. 339
Antiochus Aſcalonita librum ſcripſit de Dijs immortalibus. 307
Antiochus rex, virginis Chalcidenſis amore captus. 290
Antipater medicus. 347
Antiphera Orites. 309
Antiphus filius Priami. 347
Antipolis vrbs. 435
Antoniaſter Erutius. 165
M. Antonius veſtem Caeſaris pugionibus perforatam plebi oſtendit. 159
M. Antonius iniuſte a Cicerone reprehenſus. 261
M. Antonij ebrietas deſcribitur. 260
M. Antonij Flaminij laus. 100
Antonij Angelij laus. 100. 129. 435
Antonij Auguſtini laus. 94. 448
Antonius Iacominius Tebalduccius quid geſſerit. 440
Apellicon Theius primus Ariſtotelis, & Theophraſti bibliothecam e tenebris eruit. 301. 311
Apertus. 363
Apicius accuſator P. Rutilij. 195
Apollodori Athenienſis ſententia de Hercule leonem ſtrangulante. 41
Apollodorus eximius pictor. 343
Apollonius Tyaneus. 432
Appiae viae oppida a quibus deſcripta. 144
Apponere. 454
Aprorum pugna deſcripta a Virgilio. 135
Aptū, et accōmodatū naturae quid vocet Cicero. 308
Aquae medicatae quae. 35
Aquam e puteo vicini non licere ex lege Platonis haurire. 374
M. Aquilius vinctus a Mithridate perducitur. 310
Arae Deorum myrto coronabantur a Graecis. 180
Arati φαινόμενα vertit Cicero. 138
Aratum qua in parte Georgicorum ſecutus eſt Virgilius. 165
Aratus imitator Heſiodi, & Homeri. 396
Aratus Sycionius Achaeorum dux. 440
Arbitrari. 177
Arbor pro tyrannide. 455
Arborum ordines, agrorum fines. 371
Arcaea. 208
Arceſilas. 293
Archimedis ſepulcrum diligenter a Cicerone indagatum. 117. 384
Architectus ſceleris. 124
Archytae Tarentini vox, clementiaque. 141
Arcucius Neapolitanus. 322
Argei. 208
Argoum. 222
Argumentum a ſigno. 418
Argumentum ab etymo. 430
Argyropylus fallitur. 258
Aries primum ſignum ordine. 387
Arietibus imponebātur pueri, vt equitare diſcerēt. 86
Arioviſti crudelitatem quomodo poſuit ante oculos Caeſar. 3
Ariſteus. 228
vinculis cepit Proteum. 116
Ariſtio Athenarum tyrannus qui, & Athenio vocatus. 311
Ariſtogiton Athenienſis. 241
Ariſtolochiae etymon. 58
Ariſtophaneo modo, quid. 170
Ariſtophanes collatus cum Menandro. 392
Ariſtoteles nullam mentionem facit vini, abortum gignentis. 82
Ariſtoteles breuitati ſtuduit. 214
Ariſtoteli attributus liber de mundo. videtur eſſe Nicolai Damaſceni. 305
Ariſtoteli diſplicuit inſcriptio ſepulchri Sardanapali. 306
Ariſtotelis erratum. 25
Ariſtoteles amator Homeri. 375
Ariſtoteles, fons omnis ſapientiae. 320
Ariſtotelis libri III. de artificio dicendi emendati a Victorio. 375
Aruiſium vinum. 178
Arma Achillis. 450
Arni fluminis origo. 215

INDEX.

Arnoldus Arlenius. 305
Ars nulla colebatur Lacedaemone. 374
Aſclepiadis Cyprij commentarius. 137
Aſcendendi in equos ratio antiqua. 438
Aſiatica creta. 158
Aſiniorum familia nobilis. 391
Aſius Homericus. 342
Aſpectare. 350
Aſſentatores multos habuit Alexander. 58
Aſteris pueri amore captus Plato. 238
Aſtyanax deiectus e muris. 346
Aſtyllus athleta. 07
Atabyrij Iouis templum. 45
A teneris vnguiculis. 347
Ater. 320
Athenaei erratum. 110
Athenae cur dicta ſumptuoſa ciuitas. 113
Athenienſes vitam lenem amabant. 352
Athenienſium crudele factum. 241
Athenienſium mos in funeribus. 29
Athenienſium inſtitutum in conſtupratores alienae uxoris. 385
Athenio plebem Athenis in contione concitauit. 310
Athenio quidam alius fugitiuorum dux. 311
Athletae coronae deſiderio flagrantes qui. 67
Athletae qui vocati Graece. 289
Atta poëta. 268
Attalus Daphitam e rupe deijciendum iuſſit. 268
Atticarum matronarum ſtudium, vt filias reddant graciles. 15
Attidis fabulam eleganter ſcripſit Catullus. 124
Attingere, & guſtare. 105
Attingere digito quid. 136
Auaritiae refellendae ratio. 91
Auarorum hominum ſententiae. 277
Auctores varij res eaſdẽ longe aliter ſcripſerunt. 328
Auctoritatem defugere. 54
Auctorum loci dirempti quomodo aliquando componantur. 112
Audiſſe per nebulam. 149
Aues, binos, digitos in anteriore & binos in poſteriore parte habentes quae. 286
Auguſti familiaritate vſus Nicolaus Damaſcenus Peripateticus. 305
Auguſtinus Paganellius. 447
Auito, pro Habito. 327
Aurea mala inueniendi rationem a quibus didicit Hercules. 116. & 117
Aurigatur quid Varroni. 113. & 114
Auſer fluuius. 195

B

B. Littera in locum aliarum ſaepe ab antiquis vſurpata. 157
Bacidas tres fuiſſe. 321
Bacidae magnum nomen conſecuti ſunt ob praeſenſionem rerum futurarum. 321
Baccarum futurarum ſignum. 385
Baccharum furor. 321
Balda ius centurio. 346
Balnearij fures. 79
Bambalio. 199
Baris. 112
Bartholomaeus Barbadorus. 240
Baſtarnes quidam ingenti proceritate. 310
Battuere, & battuatores. 122
Bellicae laudes. 344
Bellij. 157
Beluae ſine cuſtode libere vagantes. 345
Belus Pygmalionis, ac Didonis pater. 137
Bembus fallitur. 300
Bene eueniat. 96
Beneficia publice data. 361
Beneficiorum commemoratio, exprobatio eſt. 16
Berenice Catulli. 392
Bernardinus Maphaeus card. 239
Bernardus Segnius. 302
Bibendi mos Graecorum. 257
Bibliothecam Ariſtotelis, & Theophraſti primus e tenebris eruit Apellicon Teius. 301
Bona comedere. 36
Boni daemonis poculum. 1
Bonorum Deorum inſcriptio. 1
Boreae filij alati. 280
Bouem, qui prius a ſacerdotibus ſignatus non eſſet, imolari capitale Aegyptijs. 158
Brontolare quid Italis, & vnde ſumpta vox. 211
Bruges loco Phryges. 157
M. Brutus epitomem fecit librorum Polybij. 244
Budaei laus. 104. 275. error. ibid.
Budaeus fallitur. 115. 305
Libellum de mundo conuertit in Latinum. ibid.
Bulga. 288
Burrhus, pro Pyrrhus. 157
Buſta ſibi conficiebãt veteres in agris. 164. & 165
Byrrhiae. 157

C

C. Aci timiditas expreſſa a Virgilio. 26
Cacus. 377
Caeco etiam apparet. 120
Caecum videre in litteris quid Ciceroni. 32
M. Caelius quo fuerit ingenio. 179
M. Caelius in Antonium ſcripſit. 260
Caelius an Catulli riualis, atque hunc quibus argumentis defendit Cicero. 179
Caelius Rhodiginus fallitur. 148
Caelum manere, terram moueri, quinam opinati. 258. 259
Caelo, atque terrae mala ſua narrant perperam nonnulli. 36. 37
C. Caeſaris aequitas laudata a Cicerone. 288
C. Caeſaris conſilium in tranſeundo Rheno. 422. 423
C. Caeſaris lex ſumptaria. 78
C. Papirius Maſo. 448
Caicus amnis. 49
Calamiſtrum, & calamiſtris inurere. 98
Calathus. 104
Calciuro equus. 43
Calidum factum. 392

Calidus

INDEX.

Calidus. vehement. 392
Caligula cur interfectus. 215
Callimachi elegiam vertit Catullus. 213
Callimachus aetate Arati floruit. 398
Calliſthenes. 375
Calliſtratus orator maxime clarus. 366
Calliſtruthiae ficus. 433
Calypſonis nomen pro Circes poſitum ab Ariſtotele. 25
Camicus. 188
Campaldino in agro pugna atrox. 373
Cancer primum ſignum apud antiquos. 387
Canis, Catulus. 166. 167
Capras auribus dictas ſpiritum ducere. 424
Capeus oculis. 405
Caput apud rhet. 451
Cardianorum crudelitas in Myltoclytem. 5
Cardiani. 355
Caricae Cauneae. 434
Carneadem neglexiſſe cultum corporis. 374
Carolus rex Hiſpaniae. 404
Carolus Sigonius. 430
Caryniae in Achaia vinum quale. 81
Caſſandra fatidica. 348
Caſſia via. 384
Caſſius ſcriptor diligens rerum ruſticarum. 407
Caſtor, & Pollux conſeruatores nautarum. 377
Caſtor Polluci ſimilis. 434
In caſtris quis locus habitus caſtior. 26. 27
Caſtellani Coſtae opinio laudata. 239
Q. Catuli vox. 208
Catulli laus. 266
Catullo aſſertum elegans carmen. 132
Catullus de priapo ſcripſit. 133. quid conqueratur in amoribus ſuis. 263. valde mendoſus circumfertur. 242. 266
Catullus poëta clarus. 361. ibid. 364
Catullus puro ſermone vtitur. 393
Catullus poëta humilis. 394
Catullus non minus eruditus, quam lepidus. 418
Cauſam viuentem quam vocet Cicero. 128
Cedrus: 444
Cei inſulae inſtitutum. 228
Celeres res quomodo ſignificentur. 310
Celeritas itineris quomodo metaphorice exprimitur. 280
Cella. 408
Cena ſine ſanguine. 78
Cena terreſtris quae Plauto. 78
Cenſeri. 177
Cenſores vnde dicti. 177
Cenſoris iudicium, cenſoria notatio. 177
Centaurus ſignum. 380
Centurio quidam Germanus. 406
Cera pro melle quando vſi Lacones ſunt. 111
Ceraunij montes. 143
Ceyx rex. 331
Chaerephili filijs cur ciuitatē dederint Athenienſes. 95. eoſdem vocauit Scombros Timocles. ibid.
Chaeremon. 388
Chamaepytis. 300
Chaones. 269
Charmidas. 389
Charon appellatus orcus. 187
Charondas legum lator. 323
Cheſippus. 295
Chlamys, quale genus veſtimenti. 22
Chones. 269
Chriſtophorus Rufus. 432
Chryſantas quid ſuaſerit Cyro. 122
Chryſem ſcripſit Pacuuius. 219
Chryſippi curioſitas in hiſtoria. 148
Chryſippi ſtatua Athenis vbi. 295
Chryſippus Stoicus. 385
Cibarius panis. & vinum cibarium, & homo cibarius. 11
Cibum e flamma petere. 248
Cicero in vertendo verſu Hom. inſulae epitheton non expreſſit. 62
Cicero amator Euripidis. 415
Cicero defenditur a Plutarcho. 341
Cicero an ignorauerit poëtae officium. 79. 80
Cicero delectatus locutionibus Terentianis. 64. 170. amator ipſius. 369. einſdem locos multos expreſſit. 449
Cicero conuertit ex Platone Protagoram. 212
Cicero memoria lapſus in vetere hiſtoria. 19. 429
Cicero multas ſententias a Platone ſūpſit. 125. 126
Cicero plures libros, quam qui nunc extant, ſcripſit de legibus. 268
Cicero quando breuior, & obſcurior videri poſſit. 176. quo loco de fabrica noſtri corporis agit, a Xenophonte accepit. 192. 193. vertit Timaeum Platonis. 226. Xenophontis Oeconomica. 273
Ciceronis iudicium de Iſocrate de numeroſa oratione non videtur probandum. 20. lapſus per imprudentiam. 25. ſententia de Epicuro. 35
Ciceroni in hiſtoria de Sophocle vocato in iudicium, non credendum. 416
Ciceronis locus notatus vitio in collocatione vocum. 429
Cicero quomodo res ſuas ornet. 436
Cicero deceptus in iudicandis moribus M. Antonij. 438
Cicero admirabatur Platonem. 453
Ciliſſa mulier quattuor cubitorum. 311
Cineas orator Romam miſſus a Pyrrho. 264
Cinerarius quis dictus. 98
Cinnae poëtae Smyrna. 264. 265
Circulari. 88
Circumuallare. 326
Ciſtarij. 432
Citata conciſe habent vim prouerbij. 316
Citrium. 381
Ciuis ſimilis nautae. 426
Ciuitatis ius quibus donabatur in Graecia. 95
Ciuitatum diuerſi mores. 374
Claudum, ſpurium interpretatus eſt Lyſander. 316
Claues adimendi mos vxori in diuortio. 13
Cleanthis Samij opinio. 259

Clemens Alexandrinus a Victorio multis in locis purgatus. 163
Cleomenes Spartiata. 280. *in ſpectanda fabula diem conſumpſit, vbi.* 440
Cleoni tribuit Plutarchus quod Agoracriti eſt apud Ariſtophanem. 25
Cleopatra quomodo ſibi mortem attulit. 42
Clepſydra. 379
Clitus moriens. 345
Clodia mulier impudica. 179. *huius familiaritas infamiam attulit Caelio.* ibid.
Clodij corpus cruentum a Sex. Clodio domo eiectum, quo conſilio. 159
Clodium in ſenatu acutis vocibus fregit Cicero. 231
Clytemneſtra. 385
Cnemus dux Peloponneſiorum. 344
Cochleae. 399
Cognomen. 384
Colis. 367
Collatio ad impetum oſtendendum. 332
Collatio Homerica illuſtris. 425
Collationes Homeri, & Catulli aliquae tenues. 394
Collationum exempla. 202
Collocatio verborum. 188
Coloniae ſeruabant inſigne patrium. 419
Columbae cur fingantur miſſae a Venere. 30. *eidem Deae ſacrae.* ibid.
Columbas venerabantur Syri. 137
Comam alendi mos alicui Deo. 68
Comedere. 172
Comedere bona. 36
Comedones. 183
Comici ſtulti ſenes, qui. 87. 88
Commentarij linguae Graecae Budaei. 115
Commode dicta proſunt, & ornant. 406
Compedes Graeciae quaſnam vrbes vocabat Philippus. 139
Competitores vrbani. 161
Conceptum in vtero quaeſitum eſt, an ſit homo. 326
Concubium. 83
Condimenta aliquorum. 453
Condimentis variae apparent, quae ſunt eadem. 453
Coniectura in corrigendo periculoſa. 314. 349
Coniectura emendatus locus. 397. 399. 411
Conigera pinus. 157
Conon Virgilianus. 196
Conſilium Laconum, comitum Ageſilai. 111
Conſilia magna committenda nemini quantumlibet certae fidei. 413
Conſilium Sex. Clodij in oſtendendo corpore cruento Clodij plebi. 159
Conſilij ſapientis vnlus vis. 370
Conſtantia. 190
Conſuetudo in partitione praedae. 313
Contaminare non oportet ſcripturas. 349
Contemplationis deſiderio non nulli ſe oculis priuarunt. 171
Contenebrare. 420
Contrahere rugas. 397
Contundere oleas. 388
Conuiuij proprijs verbis diſputationes vocatae. 19
C. Coponius. 132
Coqui quo ingenio praediti inducuntur a comicis. 242. 453
Coriolanus ſe vlciſcitur. 420
Corium. 417
Cornelius Gallus vertit ſcripta Euphorionis. 395
Cornicula, fabula Plauti. 187
Cornificius putatur auctor rhetorices ad Herennium. 271
Corona imponebatur mortuis apud Graecos. 16
Coronae languidulae. 259. 260
Coronae inuentor. 427
Coronas e myrto ſibi conficere Graeci ſoliti in laetitia. 180
Corpora mortuorum ſeruandi mos. 218
Corpora fuſa. 417
Corpus munitionum. 294
Corpus ſolidum Terentio quid. 160
Corrigere, & emendare audacter, culpatur. 365
Corruptus pecunia. 319
Corui aues. 432
Corynephori Sicyoniorum. 6
Coryphaſia. 127
Coſa oppidum, & Coſanus ager. 2
Cotis vice fungi ſe dicebat Iſocrates. 174
M. Craſſi locus aliter a Quintiliano, quam a Cicerone, legitur. 14
Craterus medicus. 101. *huius ſeruus admirabili morbo vexatus, curatuſque.* ibid.
Crathis amnis. 318
Creon Sophocleus quonam argumento diluere videtur crimen affectati regni. 59
Crepido. 209
Creſphontes in fortibus mittendis quomodo impoſuerit Ariſtodemi fratris filijs. 306
Creta. 157. 158. 374
Creta figularis. 374
Cretes in epulis non accubabant. 30
Criminis deriuatio. 442
Criſſo athleta. 67
Croci cultus, & natura. 159
Crocodilorum duo genera. 121
Croeſus. 442
Crudelitas filia auaritiae, & furoris. 437
Cteſiphon legati munere functus. 174
Cubiti menſura. 310
Cuculus. 186
Cultus agri maximum bonum. 53
Cum ira pugnare arduum. 420
Cuniculus. 376
Cupiditates natura nobis inſitae quae praecipuae. 210
Cupido Theſpienſis. 215
Q. Curius, homo turpis. 171
Cuſtodes ſaepe egent alijs cuſtodibus. 11
Cuſtos hortorum deus ridiculus. 407
Cybeles deae variam appellationem rationemque ſacrorum, quinam ſcripſerint. 125

Cynicus

Cynicus conſularis Ciceroni, quis. 270. 271
Cyrenas nauigauit Plato. 253
Cyrus maior. 417

D

DAmoclis aſſentatoris facinus. 69
Dantis poetae laus. 376
Daphitas quis fuerit. 268
Dare, & datum quid proprie. 50
Dare mentem, & inÿcere mentem. 72
Darius. 373
De praep. argumentis librorum accommodata. 387
Defendere pro arcere. 362
Deflorere. 383
Defungere auctoritatem. 54. 55
Delapſum de caelo. 225. 226
Deianirae exitus calamitoſus. 50
Deiotaro obiectus Graecus verſus, inuentus. 5. 6
Demetrius Pharius quid ſuaſerit Philippo Macedoni. 231. 232
Democritus quod ſepulturae genus, laudarit. 218
Democriti ἀθαμβασίη. 412
Demoſthenes auditor Platonis. 315
Demoſthenes cur aliquando vocalium concurſum ſectatus eſt. 210
Demoſthenes incenſus amore laudis eloquentiae, audito Calliſtrato. 366
Demoſthenes quomodo res ſuas ornet. 436
Deorum inſtitutum. 449
Deorum lis. 449
Deorum ſimulacra manum ſupinam porrigentia quid denotent. 21. 22
Deponere ſcuta. 353
Deprecatio. 442
Depreſſae naues, quae. 302
Deruatio. 442
Diadumenus Polycleti. 225
Dialogorum mos. 152
Diana quemnam Veneri acceptum interfecerit. 40
Dianae ſimulacrum Segeſtanae mulieres vnxerunt vnguentis. 39
Dianae Epheſinae templum quando conflagrauerit. 186
Diaria cur praebebantur militibus. 11
Dibalare. 99
Dicere, vel ſcribere quod in buccam venit. 127
Dicis cauſa. 94
Dicunt, vel dicitur. 393. 394
Dido metuebat Pygmalionem fratrem. 136. quomodo caſum ſuum defleuerit. 50. 51
Didymus grammaticus. 405
Dieneces Spartiates. 329
Dies, & aether vnde procreati. 26
Dÿ apud veteres nominibus appellabantur. 143
Dÿ non omnia omnibus conceſſere. 109
Dÿs impurorum hominum tributa eſſe ſcelera reprehenduntur ab optimis ſcriptoribus. 414
Dimittere. 402
Diogenis cynici vox. 359
Diomedes contra orationem Agamemnonis. 26
Dion quid reprehenderit in Salluſtio. 117
Dionyſÿ Halicarnaſſei ſententia de Platonis diligentia. 97
Dionyſius Lambinus. 410. 451
Dionyſius Longinus magnus dicendi magiſter. 354. idem maximus exiſtimator veterum ſcriptorum. 395
Dionyſius Phocenſis. 333
Dionyſius tyrannus. 322. 448. & eius ſtirps qualis. 125. 126
Dionyſÿ Syracuſarum tyranni cauillum. 1 iocus in re neſaria. 21. ius atrum apud Lacedaemonios guſtauit. 40. 41
Dionyſÿ Siculi ſacrilegium. 248. 249
Dionyſio, quo oſtento, regnum ſignificatum. 132
Diopithes augur. 316
Diopompus athleta. 67
Diphili ſententia in homine triſti maerorisque pleno notando. 83
Diphilus docuit ἔμπορον fabulam. 184
Διζηρις vocatus Ephorus. 41
Diphridas Laconum dux, cur ſtrenuus. 74
Diritas quae proprie dicatur. 23. 24
Dirus vocatur Annibal. 24
Diſcedere alicunde ſuperiorẽ, aut inferiorẽ. 48. 49
Diſcerpi a ventis. 361
Diſciplinis quaenam contraria. 167
Diſcobolus. 346
Diſcrepantiae generum in oratione quomodo a Plutarcho defendantur. 365
Diſcus. 346
Diſſeminare, & ſpargere ſermonem. 115
Diuites ſecundum Stoicos qui. 260
Diuitum domus quot ianuas habent. 239
Dmoitae apud Cretenſes. 6
Dominicus Bonſius. 432
L. Domitÿ poſſeſſiones in Coſano erant. 2
Domitius Scaurum accuſauit. 109
Donat habere. 452
Donati laus. 399
Donum, & munus differunt. 130
Dorcas. 229
Drances. 445
Ducere anhelitum. 351
Ducere pocula, & ſucos Nectaris. 171
Duces exercituum, cum animos hoſtium frangere vellent, quid facerent. 440
Duliae, quae vocarentur. 6
Durei equi fabricator quis. 226
Durus homo quis. 24

E

EI. pro, i, vetus conſuetudo. 159
Edim ſubiunctiuus ab edo, es, eſt. 66
Editio Homeri ἐκ τοῦ νάρθηκος. 375
Edolare. 52
Edones. 183
Educatio puerorum antiqua, dura, ac ſeuera fuit. 303

Effodere. 403
Egnatius cur a Catullo deriſus: 63. 64
Eleatici qui. 115
Elegans, & elegantius, quomodo interdum vſurpatum. 261
Emendandi officium diligentia eget. 403
Emendatio periculoſa. 349
Emolumentum. 263
Empedocles reprehendit poëtas, quod de Diis turpia locuti ſunt. 414
Ἔμπορον fabulam docuerunt, & Philemon, & Diphilus. 184
Enatare. 28
Ennius uertit Medeam Euripidis. 262
Ennius Euripidis aliquot fabulas in latinum conuertit. 108
Enthymematis, & periodi diſcrimen. 130
Epeus quis. 226. 227
Epei Panopei mentionem fecit Plato, vt ſummi opificis. 227
Ephorus cur in hiſtoria contemptus. 206
Ephorus cur vocatus δίφορος. 41
Epicharmus Siculus. 145. huius de amicitia ſententia. ibid.
Epicharmi ſententia vſurpata a Cicerone. 123
Epicuri de animo ſententia. 347
Epicuri liber περὶ κριτηρίου, ἢ κανών. 226
Epicuri opinio in appellationibus rerum. 355
Epicurus. 332. 334. ibid.
Epidaurus Alexidis comaedia. 95
Epidicazomenon fabulam etiam ſcripſit Diphilus. 105
Epimenidis ſomnus. 285
Epiſtola M. Ciceronis I. ad Q. fratrem plena praeceptorum. 391. 446
Epponinae vxoris Iulij Sabini conſtantia, inſigneque exemplum. 212. 213
Equarum furor a quibus deſcriptus. 72. 73
Equitare diſcebant nobiles pueri antiquitus arietibus impoſiti. 86
Equos aſcendere difficile erat imbecillibus apud antiquos. 438
Eraſiſtratus. 345
Erctum cieri. 410
Erebus noctisne pater, an frater. 25. 26
Eretriaci a quo appellati. 115
Eritius. 285
Erratum Athenaei. 110
Error Plinij, & aliorum, vide in Plinio, & aliorum auctorum proprijs nominibus.
Erytius Antoniaſter. 165
Eſſedarij. 432
Et quiſquam dubitabit? 225
Etruriae maritima regio copioſe ſuber producit. 31
Etruſca multa vernacula e Graeco ſermone fluxerunt. 165. 187
Euaeon cur damnatus. 195
Euclidem audiuit Plato. 253
Euellendi pilos e corpore mos. 89
Eunuchi miniſterium proprium. 366
Euphorionis ſcripta obſcura. 395
Euphronij luſus. 407
Euripides a quo adiutus inſcribendis fabulis. 105
Euripides cur ſcenicus philoſophus dictus. 296
Euripidis ſententiae celebratae. 370
Euripidis verſus notatus qua de cauſa. 429
Eurotas. 45
Eurytum Pythagoreum in Italia audiuit Plato. 253
Ex aqua, ex melle, ex vino. 380
Ex eleganter cum caſu ſept. 380
Ex quo. 404
Examen apum faſtigio Capitolij inſedit. 201
Exareſcere fletu. 428
Exaudiſſe in ſtrepitu. 149
Excidere, & excidiſſe verbum aliquod. 177
Execrandi ratio. 22
Exemplar nullum omnino fidele. 383
Exhaurire, verbum. 18
Explicationes ſcripturus. 445
Externus. 316

F

Fabius Maximus ſtudioſus communis ſalutis. 368
Fabricator equi Durei coquus fuit. 226
Fabula. 369
Fabulae poëtarum obſunt teneris mentibus. 8
Facere aliquando videtur abundare in ſermone. 104
Facere quam dicere, vt tempore poſterius, ita vi, & poteſtate prius. 65
Facinoris facti mos humanus. 114
Facinus. 326
Factum. 353
Faelis agreſtis. 376
Falterona ſilua. 215
Familiae erciſcundae, iuriſconſ. vox. 410
Familiares Solonis bonum egregium putabant tyrannidem. 136
Faſtigio Capitolij examen apum inſedit. 201
Faſtigium. 200. 201
Fax plena cruoris. 348
Femina, ingens malum. 101
Ferire medium, quid. 9
Ferociae exemplum. 334
Feſtinatio apte expreſſa. 189
Feſtus dies. 338
Fici Zacynthij. 434
Ficorum quorundam nomina. 433
Ficus fico ſimilis vetus prouerbium. 434
Figura, qua vtuntur auctores in leuiter aliquo emendando. 37
Filius, μεταφορικῶς Varroni quid. 274. 275
Fines agrorum antiquitus. 371. 372
Fingere vultum. 87
Firmus progreſſus. 39
Flabelli forma. 366
Flagitium. 123
Florentiae nominis monimentum antiquum. 384
Florere. 383
Flores varij in Italiam comportati. 356
Flores filij veris, aut pratorum, aut Zephiri. 388

Fluere

INDEX.

Pluere quid Ciceroni. 345
Fluminum initia quo loco putauerunt nonnulli phyſici. 211
Foecundum. 205
Foras promittere, & ſimiles locutiones. 169
Fortuna bona, ac bona mens raro ſimul in hominibus. 299
Fortunae volubilitas. 322
Fortunati. 249
Fortunatorum mores. 442
Franciſci Medicis laus. 77
Franciſcus Victorius Petri Victorij nepos. 239
Franciſcus Gallus opifex egregius. 346
Franciſcus rex Gallorum. 404
Franciſcus Serdonatius. 401
Fricare caput. 85
Fricare frontem. 85
Fuci genus quoddam ſordidum. 121
Q. Fufius Calenus Clodium adiuuit. 231
Fuluius Vrſinus. 263. rarae eruditionis. 430
Fumare. 404
Fumus ſectatur formoſiorem. 32
Fundere ſe. 342
Fundus unde dictus. 100
Funeris curandi vetus mos. 116
Funeris efferendi mos apud Graecos. 16
Fungus lucernae. 398
Fures è publicis locis aliquid ſurripientes ſeuerius puniebantur. 79
Furiae vere exagitantes homines, quae. 202
Furta ſeruorum. 382
Furtum improbiſſimum quomodo texerit Dionyſius Siracuſanus. 2

G

Gabrielis Faerni laus. 108. 190
Grabriel Faernus. 263. 333. 351. 385. 392. 428
Galeotae qui. 132
Galeſus flumen. 45
Gellius improbiſſimus homo a Cicerone dinexatur. 267
Gelo tyrannus Carthaginienſis. 248
Genera ſibi non reſpondentia, poſita in oratione. 365
Generum variandorum ratio in verbis non nullis. 24. 25
Geneſius Sepulueda. 401. 425
Gerundia. 399
Gibellinorum caedes. 373
Gladius plumbeus quid Ciceroni. 164
Gladius cruentus. 415
Glaſtum. 219
Gloria ab alijs parta excitat animos. 366
Gloriae cupiditas in eodem negotio, ſed diuerſis conſilijs. 344
Gorgiae ſcomma retortum in Platonem. 47. 48. 152
Gorgiae ſtatua, qualis, & a quo poſita. 47. 48
Gorgias Leontinus. 442
Graeciam è manu Macedonum liberauit T. Quinctius. 197
Graeciae compedes quas vrbes appellauit Philippus. 139. 140
Graeciae diligentia in inſtituendis liberis. 328
Graeciam vniuerſam qui regeret cur Achaiae proconſul dicebatur. 184
Graeciſmus cur apud Horatium frequens. 317
Graecorum bibendi mos. 257
Graecorum ſtudijs & artibus deditus valde Cicero. 132
Graecos ſibi coronam è myrto conficere ſolitos in laetitia. 180
Gramen. 65
Grammaticorum quaeſtiones inutiles. 342
Grauidinoſi, & grauido. 37
Gregem quid vocarit Terentius. 64
Guelforum victoria. 373
Guido Ferrerius Cardinalis. 432
Guido Lolius. 338
Gulielmus Budaeus. 176. Vide, Budaeus.
Gulielmus Sirletus. 263
Guſtare, & attingere. 105
Guſtum. 431
Gymnaſij apud Arginos, qui. 6
Gypſo cur illinebantur arma. 236

H

Hamilcaris ſomnium. 232
Harpalus latro. 359
Haſtatorum locus in acie quis. 109
Haurire. 374
Hector ſimilis procellae. 212
Hecuba accuſat Helenam. 398
Hecuba cauſa quomodo dicta Troiani exitij. 348
Hegeſias Magnes hiſtoricus. 186
Helenus Troianus oppidum in Sicilia condidit. 44. 45
Helpis Samius. 345
Heluo. 334
Henricus Stephanus Roberti f. 238
Heracleodorus Platonis auditor, eiuſdemque contemptor. 315
Heraclidae. 338
Heraclides Pōticus. 218. cúr vocatus πομπικός. ibid.
Heracliti Epheſij vox illuſtris. 420
Herbae vim Alexandro indicatam, non in ſomno vidiſſe illam. 58
Herciſci. 410
Hercules capiti coronam è myrto impoſitam habuit. 180
Hercules Nereum vincinit. 116. 117
Herculis figura leonem interficientis quae. 41
Herculis μουσῶν fanum. 41
Herculi tribuit haſtam Sophocles. 86
Hermippus. 316
Herodotus imitator magnus Homeri. 344
Herophilus 345
Heſiodi, & Varronis diuerſa ſententia de Noctis parente. 25. 26

Hidricus

Hidrieus. 252
Hieronymus Ferrarius fallitur. 15.180.181.197.200
Hieronymus Macus. 299.425
Hieronymus Surita. 271
Hieronymus Ferrarius. 352.353
Q. Hippius proconſul vinctus ducitur. 310
Hippodamus. 444. & 445
Hippolytus quomodo appellet nuptas ingreſſas domos virorum. 204
Hippomanes. 73
Hirundinis mirum augurium. 432
Hirtius Aſinius. 391
Hirus. 256
Hiſtoriae fructus, & vſus. 446
Hiſtriones. 373
Homeri ſententiae contra eos, qui ciuili bello delectantur. 2
Homeri laus. 375
Homerus vitam omnium mortalium expreſſit. 396
Homerus defenſus à Porphyrio. 347
Homerus dux omnis elegantiae. 343
Hominis vita breuiſne, an longa. 123
Horatius ſaepe Graeciſmo vſus. 117.148
Horologium. 250
Hortationes imp. 417
Hoſtiae pro frugibus imolabantur. 69
Hoſtium ferocia retunditur audendo grauiora. 423
Humanarum rerum infirmitas. 323
Humandi mos in agris apud veteres. 164
Humectare. 318
Hyacinthus flos. 356
Hydra. 395
Hyllus quid Herculi de Deianira dixerit. 74
Hymnis, Menandri fabula. 6
Hyrtacides. 343

I.

I Pro, L, vitio librariorum accepta. 436
Iacere contumeliam, & ſimilia. 154
Iacobi Tuſani ſententia de libello de Mundo. 305
Ianus quis, & vnde dictus. 146.150
Iamidarum familia. ibid.
Ianus Deus. 427
Iccus Tarentinus. 67
Ignis lentus. 347
Illyricarum mulierum patientia ſingularis in partu. 400. & 401
Ilotae apud Lacedaemonios qui. 6
Ilua inſula, eiuſque deſcriptio. 222.223. cur a Graecis αἰθάλη. ibid.
Ilua inſula. 388
Imbres, filios naebularum dici μεταφορικῶς. 275
Imbrium futurorum ſignum. 398
Imitandi diuerſa iudicia. 344
Immutandi audacia in ſcriptoribus multum obeſt bonis ſtudijs. 294
Impedimentorum vectigal. 250
Imperatorum mos, cum verba faciunt. 353
Imperatoris officium 366.367
Imperium iyſdem artibus retinetur, quibus initio partum. 291
Improbi fortunati, Deorum opprobrium. 359
Inanes cogitationes. 436
Incommoda, quae non abſunt a conſuetudine accubandi ante, quam cena parata ſit. 391
Index quis proprie. 41
Index libelli Ariſtotelis varius in exemplari ſatis fideli. 82
Indicare eſſe honeſtum. 323.334
Indicare de aliquo. 341
Indicium futurae orationis. 399
Indignitas. 424
Inductus. 251
Inertes Athenis damnabantur. 374
Infantes ſtatim natos ad flumen priſci ferebant. 401
Infantia improbe vitio data Homero. 347
Influere quid Ciceroni. 19
Inyecere, & dare mentem. 72
Iniquo loco. 367
In mundo quid Plauto. 92.93
Innata ſigna quae. 90
Innuptae nuptiae. 113
Inopia filia luxuriae. 437
Inquilini ſine auctore apud Athenienſes in iudicio non audiebantur. 81
Inſaniae genus iucundum apud Horatium. 28
Inſaniae ſigna quaedam declarata. 306
Inſculpere in animo, in mente. 102
Inſpirare venenum. 446
Inſpirare ignem. 446
Inſtitutum Lacedaemoniorum. 111
Inſtituta priſcorum Latinorum. 360
Inſtrepitu exaudiſſe. 149
Integer ſanguis. 308
Integumentum. 68
Intemperatum. 377
Interitio. 25
Interitus foetuum in arboribus cauſa triplex. 383
Interficere hominem licere. 318
Interuallum. 406
Inuentori nouarum voluptatum praemium qui propoſuerint. 318
Inueſtigantur omnia quaerendo. 443
Inuidia aduerſus felices. 369
Inuitum ſeruare eſt occidere. 419
Ioachimus Baſſenitius. 408. ibid.
Ioannes Sambucus. 440.441
Ioannes Caſelius Germanus. 377.406.408
Ioannes Vincentius Pinellus merito ab omnibus plurimum laudatus. 321
Ioannes Vincentius Pinellus ſtudioſus laudis auctoris. 348
Iocorum diuerſa genera. 129
Iocus, ac ludus quid aliquando. 64
Ioui Olympio detraxit aureum amiculum Dionyſius tyrannus. 248
Ionis Icmaei ſacellum. 228
Ira quibus modis diſcutiatur. 297

Iram

INDEX.

Iram memorem cur vocauerit Virgilius. 298
Irati animi nota ſuperciliorum ſublatio eſt. 85
Ire in malas oras. 358
Irrepere. 41
Irritamenta gutturis. 453
Iſatis. 219
Iſocrates cur in contionem non aſcenderit, neque cauſas defenſarit 55. quid dixerit de vi orationis. 75. quo argumēto purgauit ſe Philippo regi. 219. 220
Iſocratis opinio de ſtipe Dionyſij tyranni. 126
Iſſus filius Priami. 347
Italorum diſciplinam Numanus Virgilianus in caelum ferebat. 401
Iter longum facientes, quo ornatu vtebantur. 12
Ithome. 251
Itineris celeritas μεταφορικῶς expreſſa. 280
Iuga Iuno. 270
Iugarius vicus. 270
Iugum impiorum. 370
Iugurthinum bellum quo tempore a Salluſtio ſcriptum. 117
Diui Iuliani mons ſtoechadem profert. 217
Iulij Sabini tenebrae. 212
Iulius tutor. 211
Iuppiter Atabyrius. 45
Ius atrum apud Lacedaemonios vbi guſtauerit Dionyſius. 40. 41
Iuſtitiae vis. 259
Iynx auis. 286. 287

L

L. pro I, vitio librariorum. 456
Labefactare munere quid Catullo. 32. 33
Lac ſanguinis ſpuma. 308
Lacedaemonij multis animi motionibus ſana aedificabant. 280
Lacedaemoniorum ducum mos. 110
Lacedaemonijs ab oraculo quid interdictum. 298
Lacedaemoniorum negligentia in mulierum pudicitia cuſtodienda. 288
Laconas ſolitos lauare filios ſtatim natos in Eurota. 401
Lacones quando cera pro melle vſi ſunt. 211
Lacones quomodo capiant timorem. 280
Lacones vitam duram colebant. 351
Lacus Seruilius. 269. 270
Laelij Taurelli laus. 94. 452
Laërtius a Platone diſſentis. 62
Lampſacus patria dei hortorum. 407
Lanae vulſura ante tonſuram inuenta. 191
Lanceam tribuit Herculi Sophocles. 86
Lapathum, & Lapathium. 278
Lapſus Ciceronis. 25
Latinorum priſcorum inſtituta. 360
Latinus Latinius magni ingenij vir. 424
Latrare. 98. 99
Latrones antiquitus ſtipatores. 187
Laurea inſigne virtutis imperatoriae. 55
Lazarus bonamicus. 349
Leda in Leaenam verſa. 151
Legati officium. 442
Legis, & magiſtratus differentia. 271
Lemnus vocata αἰθάλη. 212
Lentiſcus. 388
Lento Ceſenius. 384
Leocratem cur accuſarit Lycurgus. 254
Leon Athenienſis eloquens. 80
Leonidae imperatoris dictum. 277. 517
Leontium meretrix aduerſus Theophraſtum ſcripſit. 294
Leotychydes. 316
Lepus. 376
Lesbia Catulliana quae. 179
Leucadiorum inſtitutum. 345
Leucippus amore Daphnes ardebat. 68
Lex de non dandis ſepulturae cadaueribus proditorum. 341
Libelli Ariſtotelis index varius in exemplari ſatis fideli. 82
Liberi patris nomēn affectauit Mithridates. 71
De liberis inſtituendis quinam ſcripſerint. 167
Libertatis definitio. 51
Librarij imperiti. 416
Librorum Ariſtotelis genus limatius quod. 79
Liburna. 111. 112
Licentia nimia iuniorum, in corrigendis ſcript. mendis. 349
Lignea mulier quae. 219
Ligures mulieres in partu faciles. 409
Ligurum ſtatim natos infantes ad flumen ferendi morem. 401
Lingua continenda. 591
Liquidum. 282
T. Liuius erga Polybium ingratus deprehēditur. 244
T. Liuius in multis Polybium ſecutus. 290
Locus Plutarchi correctus. 280
Loqui ſolum. 371
Lucere vnde dictum. 154. 155
Lucilij locus apud Nonium expenditur. 57
L. Aemilij Varronis ingenium turbidum. 368
L. Siſenna. 418
Lucrum vnde dictum. 155. 287
Lucullus 319. 329
Ludi piſcatorij. 194. 195
Luere. 155
Lumen atrum. 320
Lumen orationis ad rem aliquam amplificandam. 37
Luna ſolis filia. 398
Lunam cur vocarit Virgilius roſcidam. 163
Lupa. 380
Lupus praefectus copiarum ignauus. 386
Luſtrare. 402
Luſus. 407
Luſus Ciceronis in Clodium. 415
Luteum. 219
Luxuria mater inopiae. 437
Lycophronis poema obſcurum. 371
Lycurgus Athenienſis. 254. 323
Lycurgus orator. 204

INDEX.

Lyſander. 316
Lyſiae inuentio laudata. 238
Lyſiae ſermo vere Atticus. 87
Lyſiclem cur damnarit Lycurgus. 254
Lyſimacho quid reſponderit Theodorus Cyrenaeus. 149

M

Machanidam vicit Philopoemen. 244
Machon comicus. 23
Macrobij furta. 191
Magiſtratus, & legis differentia. 271
Magiſtratus municipiorum. 386
Magius interfector Marcelli. 316
Magnetes a Sypilo. 358
Magnetum genera duo. 358
Magni campi in Africa qui. 109
Malcſpina reprehenſus. 433
Malis verbum. 443
Malorum magnitudo, vocem etiam eripit graues iniurias paſſis. 3
Malum pomum. 381
Malus Medica. 381
Mammae vocatae nutrices cur. 232
Mandones. 183
Manibus, pedibuſque aliquid facere. 164
Manlius contra nobiles multitudinem commouit, quo argumento vſus. 181
Marcellus Ceruinus Cardinalis adiuuandarum litterarum ſtudioſiſſimus. 183
Marcellus Virgilius. 219
Marcellinus Marcelli Virgilij F. 174
M. Antonius. 438
M. Antonius, & Dolabella. 370
M. Antonius ſordes hominum coniecit in ordinem iudicum. 351
M. Antonius cum armatis in ſenatum. 353
M. Brutus. 415
M. Liuius victor praeclara in pugna. 344
M. Marcellus. 316. 357. 359
M. Varro emendatus a Victorio. 377. 383. 397. 411
M. Varro Platone delectabatur. 405
M. Varro doctiſſimus Latinorum. 324
Maris, ac procellarum ſimilitudo ad multitudinis naturam tranſlata. 80
C. Marius agrum in Baijs habuit. 231
Marius Columna. 435
Marius. 373
Marius proelio Marſos fudit. 391
Marrucinus Aſinius. 390
Marſyas Phrygius. 362
Maſo. 448
Maſſilienſium nummi argentei. 419
Mathematicae diſciplinae. 332
Maximus progreſſus. 39
Medea quid pollicita Peliae. 46
Medeam, & Hecubam Euripidis conuertit in Latinum Ennius. 108. 162
Medeam ſcripſit Accius. 268
Medias. 431
Medica arbor. 380
Megarorum conditor quis. 58
Melampus. 432
Melancholici plerumque corpore duri ſunt. 306
Melanippus Agrigentinus. 241
Memorem iram cur vocarit Virgilius. 258
Memoriae imbecillitati non ſemper aliquid aſſignandum. 328
Menander cum Ariſtophane collatus a Plutarcho. 392
Menandri quaedam verba cum Terentianis collata. 102. 103
Menda & mendum. 25
Mendicus importuniſſimus Vlyſſem domo exturbare auſus eſt. 256
Menedemus philoſophus. 115
Menelai vox. 359
Menſas tollendi mos. 1
Mente tranſuerſa. 278
Mentionem vini abortum gignentis nullam facit Ariſtoteles. 82
Meri principes exierunt e Ludo Iſocratis. 206. 207
Merum quid. ibid.
Metaphora ἐκ τοῦ ἀνάλογον. 100
Metus magnitudo quomodo expreſſa. 319
Michael Brutus. 385
Micio per c, non t, ſcribendum. [illegible]
Midiae improbitatem quomodo ſignificauit Demoſthenes. 3
Miles glorioſus. 323
Milites duobus ſtimulis impelluntur ad acriter pugnandum. 357
Militia requirit dura corpora. 86
Miltocythes Thrax a Cardianis necatus. 5
Minae Deorum non ſolent eſſe irritae. 40
Mineruae auxilio implorato manus etiam mouendae. 137
Mineruae quartae cognomentum quod. 127
Minerua Itonia. 189
Minos in Sicilia interfectus. 183
Miro, agendi forma. 303
Miſcellanea Politiani. 405
Miſere. 216. 217
Mithridates rex Ponti. 319
Mithridatis Pergameni origo. 33
Mithridatem omnibus verborum honoribus affecerunt Tralliani. 71
Mneſilochus in ſcribendis fabulis adiuuit Euripidem. 105
Monſtra arborum. 408
Morbi, & inſaniae vocabula μεταφορικῶς vſurpata. 8
Mordere. 383
Mordere humum. 354
Morem priſcum ferendorum infantium ſtatim natorum ad flumen. 401
Mores ciuitatum diuerſi. 374. de moribus primus tractauit Pythagoras. 146
Mors miſeris, ac calamitoſis optanda. 135. non ſemper poena

poena ibid. pro patria, & gloria contemnenda. 172
Mortui decorabantur myrto. 180
Mortui ſepeliebantur extra oppida apud Graecos. 16
Mortuorum corpora ſeruandi mos. 118
Mortuos in agris humabant veteres. 164. 165
Mos ducum exercitus in animos hoſtium frangendo. 440
Mos Lacedaemoniorum ducum. 110
Mos ſcribendi in corticibus arborum & in tabulis. 182
Motionibus non nullis animi ſana aedificabant Lacedaemonij. 280
Motus animi. 363
Mulier lignea quae. 229
Mulieribus Romae vinum interdictum. 258
Mulierum pudicitia quam diligenter a Romanis cuſtodita, atque eadem a Lacedaemonijs neglecta. 288
Mulierum ſtudium in fuco, & ornatu. 395
Multitudinis opinio temeraria. 314
Multitudinis ſtulta laetitia. 315
Mulus ſimilis aſino. 434
Munera placant Deos. 154
Muneris, & doni differentia. 150
L. Murenae cauſa quo tempore. 66
Mures aedium ruinas praeſentiunt. 194
Muſae roſis coronabantur. 163
Muſca caeca, ludus puerilis. 174. 175
Mutare. 77
Mutulus piſcis. 29. 30
Myrti ramuli buſtis imponebantur. 180
Myrto ornare aras Deorum Graecos ſolitos. 180
Myſiam depopulati ſunt Graeci ad Troiam nauigantes. 49

N

NAnae arbores. 408
Narciſſus. 356
Natio dura, & aſſueta malis. 401
Nationes Ciceroni quid. 100
Naturae aptum, & accommodatum quid vocet Cicero. 308
Naturae prima inuitamenta quae Ciceroni. 308
Naues depreſſae, & cũ hominibus captae quae. 302
Nauigantium periculum. 355
Nauigiorum inuentor. 427
Nauplius pater Palamedis. 371
per Nebulam audiſſe. 149
Nebularum filios imbres dici μεταφορικῶς. 275
Neceſſaria ad vitam ſine turpitudine aliquando parantur. 326
Neoptolemum, quam potiſſimum ob cauſam execratur Priamus. 5
Neſtor ſapientiſſime obijt periculum ſui conſilij. 356. 357
Nexi qui vocati olim. 246. quo tempore ſoluti. ibid.
Nicander Colphonius ſcripſit Georgica. 165. hunc ſecutus eſt Virgilius, ibid.
Nicetae Syracuſij opinio. 258
Nicias pictor. 51
Nicobolus Plautinus exemplum ſtultitiae. 88
Nicolaus Peripateticus ſcripſit librum de mundo: eiuſdem patria. 305
Nigror. 320
Nonium. 222
Niſus Virgilianus. 342
Nitioborigum rex. 421
Nixus haſtili. 452
Nomina familiarum. 384
Nomiſma Q. Catuli. 201
Non putaui, locutio, cuinam Graece reſpondeat. 51. 55
Notae melioris, vel deterioris homines. 98
Noua an veteribus correctiora. 167
Nouae fabulae quae. 105
Nouus homo, qui. 252
Nonus orator. 252
Nox an Erebo nata. 25
Nubes, nota mali. 186
Nubes atra. 320
Nubes frontis, ac ſupercilij. 186
Numanus. 401
Numidiam praetor rexit Salluſtius. 117
Numiſmatum inuentor. 427
Nuntius cladis. 344
Nuptae ingreſſae domos virorum quomodo appellentur ab Hippolyto. 204
Nuptiae innuptae. 113
Nutrices cur vocatae papillae. 232
Nutrire infantes mercede, eſt ſeruile. 316
Nymphis rem diuinam faciebant ſiculi. 69

O

OLitterae in v, mutatio. 94. 403
Obducere. 170
Obſcurus. 363
Occare, & occatio. 23. 404. 433
Occaecare. 23
Ocelli qui metaphorice. 100
Odyſſeae quaenam pars vocetur νεκυία. 51
Oedipi beneficium in Thebas. 361
Oedipus tyrannus, fabula laudatiſſima. 364
Olea. 322
Olearum conditura. 388
Olynthiacae, Demoſthenis orationes antiquis etiam Philippicae erant. 189
Omne ſibi melius malle. 356
Onager. 444
Onufrius Panuinus antiquitatis peritus. 384
Oratio, qualis quiſque ſit, indicat. 98
Oratio pro M. Marcello praeclara. 403
Oratio cur inuenta. 371
Orationis mollitudo, & flexibilitas cerae comparata. 114
Oratores nimis accurati in geſtu. 373
Orator perfectus. 366
Orcheſtra. 367

INDEX.

Orcini. 187
Oreſtes ſuffragio Mineruae abſolutus. 154. 328
Oroetes non Orontes vocatus Darei praetor. 14
Ornare res ſuas. 436
Oropi cauſa nobilis. 366
Ortygia. 403
Os belli. 349
Oſtendere aciem. 44
Oſtenta, quae Leuctricam pugnam anteceſſerunt. 182
Oſtento ſignificatum regnum Dionyſio. 132
Oſtentare. 274
Otioſus. 363
Otium fons malorum. 374
Oua, quae patrio ſermone, affogate appellamus, quomodo Graece. 348
Ouidius improbatur. 134
Ouum ouo ſimile. 434

P

P. tranſit ſaepe in b. 157
Pacuuius Chryſem ſcripſit. 219
Palaeſtra. 350
Palmulae Nicolai quae, & cur ſic vocatae. 305
Pampinare. 367
Pandectae Florentinae. 315. 410
Papauer cur obiectum Draconi. 35
Papillae cur nutrices vocatae. 232
Paraſiti ſoliti fingi atro colore tincti. 68
Parentes qui Salluſtio. 40
Parere in facinore audientium relatio criminis in potentiores. 348
Partum abigere aliquando ſcelus non exiſtimatum fuit. 326
Partus facillimi mira narratio. 400. & 401
Partus mulierum Illyricarum facilitas. 400. & 401
Participium pro indefinito Attice. 371
Parum. 222
Paſtoralis carminis origo. 69
Patria nihil propius. 323
Patriam ornandi amor moderatus ſit. 206
Patron Epicureus. 96
Paulus Emilius. 446
Paululus. 428
Pauperes duro munere fungi. 6
Pauperum domus vnam ianuam habent. 239
Pauſanias ſuperſtitioſus ſcriptor. 215
Pedes ferre quempiam. 421
Pedis menſura. 310
Pedibus trahi. 256
Pelaſgi qui apud Ciceronem. 6
Pelles ouiles, aut capriles, vbi ſcribitur. 315
Peloponneſum Demetrius Pharius appellauit bouem. 231
Peneſtiae, qui. 6
Penthei nomen. 430
Peregrinantium habitus quis. 22
Peregrinis ducibus exercituum an vtendum. 90
Periander ad ſcelus erudijt filium 413
Pericles orator vehemens. 350. 351
Pericles prudens 403
Pericli quid dixerit Anaxagoras. 140
Periclis prudenter dicta. 344
Pericula, quae non honeſte vitentur. 356
Perſae cur natos ex ſe intra quinquennium videre nolint. 152
Perſarum mores. 360
Perſarum ſepeliendi mos. 110
Perſarum in victu frugalitas. 114
Perſeuerantia. 199
Perſonare aures. 10
Perſonarum ratio attendenda poëtae 392
Perſonae fabularum, quo ornatu eſſent. 324
Pertinacia. 190
Peruidere. 257
Peſtilentia deſcripta a Lucretio. 342. & 343
Peſtilentiae deſcriptio apud Lucretium. 413
Petaſati quinam ſoliti. 12
Petere cibum è flamma. 248
Petri Halcyonij error. 278
Petri Criniti error. 278
Petrus Angelius. 451
Petrus Bembus. 416
Phaganes. 183
Pharos. 231
Philemon docuit fabulam ἔμπορον. 184
Philemon grammaticus. 405
Philenorum arae cur narrantur à Salluſtio. 117
Philippeum. 188
Philippum Macedonem contra foedus in caſtella quaedam Athenienſium inuaſiſſe. 327
Philippus natura dicacior. 120
Philiſtus hiſtoricus, cur breuis. 112. 387
Philocteta non accepit ſagittas ab Hercule. 19
Philocteta quo perueneris. 269
Philolai conſilium. 349
Philolaum Pythagoreum audiuit Plato in Italia. 253
Philopoemen, magiſter Polybij in diſciplina militari. 244
Philoſophia vallatur dialectica tamquam ſaepimento, expreſſaque ſententia ex Graeco. 18
Philoſophica ſcripſit Cicero in ſenectute. 25
Philoxenus qualis. 23
Phocenſes. 419
Phoenices mercaturae dediti. 133. 134. in Graeciam Vitia comportarunt. ibid.
Phthia. 61. & 62
Pica muſicorum inſtrumentorum voces reddens. 102
Pice torquebantur fontes. 89
Picris herba. 300
Pictorum nimia notata licentia. 41
Picus Martius. 286
Pieria roſarum ſedes. 163
Pierius Valerianus. 178
Pilos euellendi è corpore mos. 89
Pinus conigera. 157
Pinus virgultum. 300
Piraticae ignominia. 377
Piſarum ſitus vetus nunc immutatus. 195. 196

Piſcatorij

Piſcatorij ludi. 194
Piſces magni comedunt paruulos, prouerbium etiam Graecis vſurpatum. 61
Piſces venerabantur Syri. 358
L. Piſo quomodo reprehenderit C. Caeſarem. 85
Placere. 415
Platanus ſponte naſcitur in Thuſcia. 227
Plato a ſtudio poetarum non alienus. 105
Plato cur combuſſerit ſua poemata. 416
Platonis, ac Xenophontis refellendi acuta ratio. 31
Platonis ardor animi in artibus perdiſcendis, & peregrinatio. 253. carmina. 238. Dialogi tempore M. Varronis eundem ordinem ſortiti videntur, quem nunc habent. 105. diligentia in componendis verbis. 97. epiſtola ad Dionis propinquos plena optimarum ſententiarum. 97
Platonis ornatum, & elegantiam admirabatur, ac ſtudebat exprimere Cicero. 31
Platoni quid dixerit Timotheus. 205
Platonis rationes de poetarum fabulis reijciendis confirmatae alijs exemplis. 8. 9. ſcommata in Gorgiam. 47
Platonem ſtudioſe imitatus Cicero. 114
Plato exagitat oratores plurimum ſtudentes concinnitatibus. 358
Plautinus coquus. 454
Plautus mercatorem ſuam tranſtulit è Philemone. 184
Plenus cum genit. ſaepius. 322
Plinius in hiſtoria, temporumque ratione ſaepe peccat. 181. fabuloſa de Aethiopiae quibuſdam populis narrauit. 311
Plumbeus gladius, Ciceroni quid. 164. ad plures penetrare. 162
Plutarchus cur de Cicerone modeſtius iudicet. 265
Plutarchus fallitur memoria. 25
Plutarchi erratum. 109
Plutarchi locus correctus, vide locus.
Plutarchi oratio aſpera, & moroſa. 282
Pluuia ingens poſt pugnam. 373
Pluuia minuta. 399
Poculum boni daemonis. 1
Poean dono accepit ſagittas ab Hercule. 19
Poema feuerum, & plenum triſtitiae. 257
Poena, qua Cenſores afficiebant eos, qui culpae affines forent. 177
Poëta ingenioſus. 186
Poëtae verum officium an ignorauerit Cicero. 79. 80
Poëtarum fabulae quantopere obſint teneris puerorum mentibus. 8
Poëtarum phantaſiae, vigilantium ſomnia. 229
Poëtica vetus eſt philoſophia. 400
Poëtis quid vitio detur. 444
Polemo Athenienſis. 206
Politianus Ciceronis erratum animaduertit. 24. quomodo Strabonis locum conuerterit. 301. Sex. Pompeium de vetuſtiſſimo exemplari deſcripſit. 208. 637
Polybius quibus magiſtris vſus. 244. huius in hiſtoria praeſtantia. ibid.
Polybij conſilio vſus Scipio Minor. 244
Polybium in multis ſequitur. T. Liuius. 290
Polycharmus. 382
Polycratis infelix exitus. 14. Sandapila deportatus eſt poſt necem. ibid.
Polydamas. 344. 370
Polynices cum exercitu Arginorum ad expugnandas Thebas venit. 247
Polynicis nomen. 430
Polyphemus. 428
Polyrnes. 382
Pompeius Allexandri Magni facta aemulatus eſt. 44
Pompeius quos verſus Sophocleos pronuntiauerit. 62
Cn. Pompeius ſpreuit voluptates. 74
Cn. Pompeio honores habiti a L. Sylla. 44
Pomponius Epicureus erat. 106
Pomum Medicae mali. 381
Pons Caeſaris ſupra Rhenum. 387
Pontes, & per pontem ferre ſuffragia. 208
Populonia. 389
Porphyrius Tyrius Homericae gloriae ſtudioſus. 347
Portam itineri longiſſimam eſſe. 394
Portij Licinij tetraſtichum purgatum. 136
Poſcunt maioribus poculis. 527
Poſidonio quantum tribuerit Magn. Pompeius. 403
Poſſibile. 248
Poſt homines natos. 298
Poſt ſiparium. 367
Pote. 147. 148
Praeda elegantior fortioribus datur. 313
Praefectus mulieribus quis Graecis. 246
Praemium inuentori nouarum voluptatum qui propoſuerint. 328
Praerodere digitos, vel manus. 33. 34
Praeſentia exempla Ciceroni quae. 128
Prata vnde dicta. 100. 101
Premere forum. 169
Primum quid. 26
Principes in acie quo loco poſiti. 109
Principes noſtri ornandae vrbis ſtudioſi. 250
Principia, quae dicantur in caſtris. 26.
Prior. 31
Problemata Ariſtoteli adſcripta, an huius auctoris propria ſint. 297
Procudere. 199
Proditorum corpora inhumata iacent. 341
Profani dies. 422
Proferre in medium. 405
Prometheo Theſſalo quid vſu venerit. 75
Promiſſa. 449
Promiſſa inania. 361
Promiſſum. 365
Prope accedere ad Deos. 424. 414
Proſopopaeia. 437
Pro ſua parte. 281
Protagoram Platonis vertit Cicero. 9. 222
Prouentus poëtarum. 409

Prouerbij, & vocis eiuſmodi notandi mos. 393. 394
Prouerbiorum auctor valde doctus, ac diligens in illis colligendis. 1. 416
Prouerbiales voces. 316. 344
Pſittacus. 286
Ptolemaeium gymnaſium Athenis. 307
Ptolemaeus ab Alexandro quomodo ſanatus. 58
Publicum bonum procurare. 447
P. Lentulus reip. hoſtis. 341
P. Scipio. 338
Pudor aliquando obeſt. 362
Pudor ſtultitia. 362
Pudor ignauus Deus. 362
Pudore cohiberi. 362
Pueri quomodo diſcebant equitare. 86
Pueri non ſtabant in foro antiquitus. 366
Puerorum educatio antiqua, dura, & ſeuera fuit. 301
Puerorum inſtitutionem quinam ſcripſerint. 167
Pugna aduerſa. 344
N. Pupius Piſo. 270
Puſio interrogatus a Socrate. 453
Putare. 53
Putei anima aqua eſt. 35
Pygmalion rex Cypri Didonis frater. 136. 137
Pyrrhi munera repudiata a Romanis. 264
Pyrrhi vox. 350
Pythagorae dictum. 412
Pythagorae praeceptum de precandis Dijs. 113
Pythagoras primus tractauit de moribus. 146
Pythagoreus fuit Aeſchylus. 75

Q

QVadrantaria vocata Clodia. 179
Quaeſtiones dignae ſtudioſi antiquitatis. 434
Quaeſtum facere ſeruile putatum. 374
Qualus, & quaſillus. 104
T. Quinctij feſtiuum ingenium. 197
Q. Fabij prudentia. 360
Q. Fufius orator. 363
Quintiliani contra Ciceronem ſententia reijcitur. 150
Quot particula geminata ſaepe a Varrone. 100
Quotquot annis Varroni quid. ibid.

R

RAdices arborum quàm altè deſcendant. 411
Ranae potu aquae delectantur. 7
Rapax. 437
Rapere pro conciliare. 438
Recinium. 221
Recipere anhelitum. 353
Redundare. 398
Refellendi modus aduerſarios a definitione falsa. 31
Reflexus quando ab aere fit. 309
Reges Perſarum teneri, ac delicati. 328
Reges populares. 361
Regiae poteſtati qui ſe committit, omnem ſui poteſtatem amittit. 62
Reip. & maris comparatio. 80
Remigium quid vocauit Virgilius in auibus. 310
Repagula. 278
Repetitio vocis eſt exornatio. 394
Res foedae domo eijciuntur. 159
Res magnae inexpectatae non facile creduntur. 327
Res non nullae diligenter a veteribus narratae, quae non erant neceſſariae propoſito ipſorum. 117
Res notae non debent accuratè explicari. 180
Reſpicere. 350
Retorquere oculos. 350
Rhedarij 432
Riccardus Ricardius. 448
Romani cur in funeribus Tubicines adhibebant. 102
Romani repudiarunt munera Pyrrhi regis. 264
Romani veteres praedicati a Sall. 342
Ros Iouis, ac Lunae filius. 163
Roſcidam cur vocarit Lunam Virgilius. 163
Roſis coronabantur antiquitus muſae. 163
Rubrius homo improbus. 162
Ruinis imminentibus mures praemigrant. 194
Rumpere vocem. 111
Runcare. 423
P. Rutilium accuſauit Apicius. 195
P. Rutilius durae Stoicorum rationi deditus. 196

S

SAbini latebrae. 212
Sacellum diuae Mariae extra vrbem in aprico loco. 407
Sacri dies. 442
Salem quid in mulieribus vocauit Catullus. 137
Salluſtius accuratus, & eruditus. 342
Salluſtius Graecarum litterarum ſtudioſus fuit. 77.
quomodo videatur res honeſtas vituperare. 57
Salluſtij & Tullij aduerſariae Orationes non videntur eorundem auctorum eſſe. 168
Salluſtij Theophraſtique conciliatio. 123
Salluſtius multa è Graecis. 315. 330. 333
Salluſtius, cuius criminis notatus. 446
Saltare. 435
Salutis propriae nulla cura, dum quis ulciſcatur dolorem ſuum. 420
Samnites qui. 67
Sandalium. 162
Sandapila. 14
Sanguinis plenus quid Plauto. 309
Sanguis integer. 308
Sapere. 393
Sapiens magiſtratum ſemper gerit. 141
Sapientia. 451
Sapor carnis. 433
Sappho laſciua mulier. 338
Sapphonis carmen collatum cum Horatiano. 104

Sardana-

INDEX.

Sardanapali ſepulchri inſcriptio diſplicuit Ariſtoteli. 306
Sardanapalus rex Aſſyriorum. 328
Sardis. 390
Sarire. 423
Sarmentum. 367
Sarpedon Theſtorides. 342
Sarpedonis verba ad Glaucum. 352
Saturum cubare de die turpe. 421
Saturum fieri bis die. 421
Scaurum accuſauit Domitius. 109
Scaena, & ſcena ſcribitur recte. 203
Scaenicae mulieres. 88
Scholium quam ſit vtile. 338
Scipio minor vſus conſilio Polybij. 244
Scomma in ſalſamentarij filium. 160
Scribendi mos in corticibus arborum, & tabulis. 182
Scribere in vento, & aqua. 102
Scribere, vel dicere quid in buccam venit. 127
Scripta Ariſtotelis de diſciplina domeſtica. 2
Scriptis x.j. ludere. 50
Scriptores de veteribus nummis. 419
Scriptores non idem de eadem re tradunt aliquando. 327
Scriptores non temere corrigendi. 349
Scriptorum incuria. 365
Scripulum. 50
Sculponeae. 122
Scuta Romanorum peditum grauia. 353
Sebaſtiani Corradi laus. 183
Secundae res. 368
Securus. 367
Sedere. 189
Sedes nouas inquirendi mos apud antiquos. 44. 45
Seiani adulterium. 386
Senectutis proprium vacillare memoria. 25
Senectutis ſtudia. 332
Sententia eadem apud Ciceronem, & Demoſthenem inuenta. 2
Sententia nobilis prolata declarat ingenium, & fructum magnum affert. 406
Sententiae notatae mirifice Euripidis. 317
Senum prudentia. 368
Sepulturae genus laudatum a Democrito quod. 218
Serapidis medicina. 303
Serchius fluuius. 195
Serui comici qui. 88
Serui error. 112
Seruilius lacus vnde dictus. 269
Seruis quando concedebatur, vt largius biberent. 84
Seruitus cur feratur. 333
Ser. Galba. 340. 363
Ser. Sulpicius. 336
Seruorum varia nomina ab officio. 431. 432
Seruos ſolutos pellibus veſtiri. 325
Sexagenarij de ponte deijciebantur. 208
Sexti Pompeij libri. 448
Siccitatem in Perſis cur vocet Cicero. 114
Siccum quid interdum. 114
Siculi rem diuinam Nymphis faciebant. 69
Siculorum vita. 421
Sidus. 380.
Signa. 389
Signa innata quaenam Ariſtot. 90
Significatio, id eſt pronuntiatio. 432
Signum animi dolore affecti. 350
Signorum enumerandorum principium. 387
Simile elegans. 406
Similitudo Florentini ſermonis cum Attico. 346
Siniſtra cur potius, quam dextra ſures aliquando vtantur. 390. 391
Smyrna, Cinnae poëtae carmen. 264
Smyrna terremotu diruta. 371
Smyrnaeorum plebiſcitum in Caſtricium mortuũ. 16
Socius ad epulas. 351
Socratis ſomnium. 61. & 62
Socrates quid de Platonis Lyſide. 152
Socrates philoſophiae parens. 331
Socratis opinio. 441
Sol metaphorice. 447
Solarium nõ idem ſẽper valet in lingua Latina. 250
Solarium vectigal. ibid.
Soleae. 122
Soli ſumus. 283
Solidum quid. 160
Solis reuerentia antiquitus. 307
Solon monarchiam ſibi oblatam repudiauit: 136
Solonis poëmata. 426
Solonis periculum propter libertatẽ loquendi. 442
Solonis. 323
Somnium de interfecto a caupone Megaris. 223. 224
Somnium Hamilcaris. 235
Somnum opprimere quempiam. 391
Somnus perijt ex oculis. 352
Sontes. 345
Sophocles vocatus in iudicium. 426
Sophocles lectus ſtudioſe a Virgilio. 336
Sophocles poëta clarus. 361
Sophoclis accurata diligentia. 364
Sordes veſtium. 337
Sorſum. 304
Sortes ex qua materia fiebant. 306
Sortes in vrnam aquae plenam coniiciendi mos. 306
Soſtratus acutus vir. 406
Spargere, & diſſeminare ſermonem. 115
Spartiatarum, & Athenienſium mores diuerſi. 374
Species cogitata. 126
Spectans, pro ſpectatore. 154
Spes fallaces, ſeu inanes. 436
Spes fractae. 436
Sphinx. 361
Spiritus. i. arrogantia. 353
Spiſſum. 52
Sp. Carbilij inepta deliberatio. 360
Stabile quid Plauto. 160
Stagna vnde dicta. 54
Stella. 380
Stercoratio. 337. & 338
Stercus optimum in agris. 407
Stercus aſininum. 407

Stercus bouinum. 407
Stercus caprinum. 407
Stercus ouillum. 407
Sterile. 205
Stipatores antiquitus latrones. 387
Stoechadis herbae magna vis in Etruria. 227
Stoechades inſulae cur ſic dictae. 227
Stoicorum admirabilis ſententia. 130
Stoicorum opinio de poëta. 400
Stolidum cur vocet veternum Catullus. 147
Strabo quis dicatur. 220
Strateſiclea ad ſupplicium ducta, quaenam dixerit ad natos ſuos. 5
Strato innocens ciuis a Midia iniuria affectus, 3
Stratonici citharistae faceta vox. 23
Strigilis. 431
Strigoſi equi. 43
Strophium, 213
Studia litterarum. 320
Studium adhibuit Victorius in purgando Ageſilao Xenophontis. 365
Studium nimis magnum in exornando obeſt. 373
Suber vbinam copioſe naſcatur. 31
Suberem cur in calceis geſtabant Graecae mulieres. 377
Subigere. 336
Sudae ſententia de cubito. 310
Supercilium. 266
Superciliorum ſublatio, irati animi nota. 83
Supplicium ſaeuum. 339
Suppoſiti. 441
Suum manſuetorum non meminit Virgil. in georg. 198
Sybaris fluuius. 318
Sybarita quanam re motus mutarit iudicium de contemnenda morte. 41
L. Sylla honores habuit Pompeio adoleſcenti. 44
Syphax quo tempore mortuus. 244
Syrorum ſuperſtitio. 137. 138

T

Tacitus ſenſus. 145
Talthibius praeco Agamemnonis. 208
Tangere. 205
Tarentini in militia qui. 96
Tarentinorum vrbis ſitus. 16
Tarquinij callida ratio in filio erudiendo ad ſcelus. 413
Tartari origo Graeca eſt. 205
Telam texere. 47
Telephus quid dicat apud Horatium. 154
Telephus ab Achille vulneratus, & curatus. 49
Telephus inductus a tragicis tacitus. 203
Templi Dianae Epheſiae deflagratio quando, 386
Tempora peculiaria. 377
Tempori parcere quid Ciceroni. 129
Temporis quanta vis. 439
Temptare aditus, & tempora, 439
Tendere manus, 141
Tepor. 411
Terentius multas ſententias a ſuperioribus comicis ſumpſit. 162. 245
Terentianae puritatis ſtudioſus Cicero. 170
Terentianus accurate ſcripſit de metris. 124. 234
Tergum. 417
Terram moueri, caelum manere quinam opinati ſunt. 238
Terram videre. 283
Teucer non poſſedit totam Cyprum. 137
Thales Mileſius. 383
Thales ſapiens. 413
Themiſtoclis dictum. 224
Themiſtocles prudens. 403
Themiſtoclis prudentia. 300
Theodori Cyrenaici ſcomma in Stilponem. 303
Theodorus Cyrenaicus qd reſpõderit Lyſimacho. 149
Theodori Gazae conuerſio ex Cicerone expẽditur. 23
Theodorus. 423
Theodori ratio in vertendo e Graecis. 379
Theodori erratum. 321
Theon interpres Arati. 398
Theophraſtus librum περὶ εὐδαιμονίας ſcripſit. 249
Theophraſti, Salluſtijque conciliatio. 123
Theophraſto falſo attribuitur libellus, qui χαρακτῆρες, inſcribitur. 196
Theophraſtum vbinam ſecutus Virgilius. 166
Theophraſtus antiquus ſcriptor. 398
Theopompus Cnidius. 198
Theopompus. 435
Theriaca amarae potionis genus videtur. 31
Theſei beneficium in Athenienſes. 363
Theſpiae cur videbantur. 215
Theſſali, & Thebani, praue, ſtolideque Philippum Macedonem laudibus ornarunt. 71
Theſſalia abundat floribus. 356
Thraſo Terentianus. 352
Thraſybulus dux exulum Athenienſium. 353
Thraſymachus Calcedonius. 26
Thucydidis mali imitatores. 37
Thucydides Homeri imitator ſummus. 350
Tibia barbara. 361
Tibiae dextrae. 454. & 455
Tibiae ſiniſtrae. 454. & 455
Tibicines. 373
Timaeum Platonis vertit Tullius. 226
Timaeus, & Calliſthenes, cur in ſcribenda hiſtoria ſaepe lapſi. 244
Timiditas militis expreſſa. 323
Timon poëta maledicus. 172
Timori fana cur aedificarent Lacedaemonij. 280
Timothei Athenienſis vox examinata. 205. 206
Tinctus litteris. 315
Tireſias. 432
Titanum e genere qui vocentur. 146. 147
Tithraſtes Perſes Ageſilao dona ampla pollicebatur. 110
Titthe fabula Menandri. 27
Tituli Graeci Latinarum fabularũ ſaepe corrupti. 27

T. Pom-

INDEX.

T. Pomponius. 447
T. Quinctij aſtuta ratio. 350
T. Quinctij contio lepida. 453
Tityrinum. 195
Tityrus paſtor vnde dictus. 195
Togarum forma apud Romanos. 221
Tollere pedes. 142
Tondere. i. paſcere. 239
Torquere oculum. 220
Traducere ramos. 407
Tragoedias excitare. 250
Tragoedia laſc iuiuſcula. 421
Trahi pedibus, quid. 256
Tralliani, omnes honores verborum effuderunt in Mithridatem. 71
Translata verba. 265
Translationes aptae orationi ſplendorem adferunt. 223
Translationes frequentes. 455
Translatorum verborum notio ſolet ilico declarari a veteribus ſcriptoribus. 29
Tranſuerſa mente. 278
Triariorum locus in acie quis. 109
Tributum libros ſcripſit Varro. 191
Tributum Athenienſium Minoi regi. 361
Troia execrationibus petita. 364
Troianorum maior, quam Graecorum clamor in proelio. 110
Trudere. 417
Tubarum ſonus Romae adhibebatur in funeribus honeſtorum hominum. 101
Tueri ſe. 477
M. Tullius. vide Cicero.
Tumere terras. 216
Turcae oblectantur floribus. 156
Turgere gemmas. 216
Turpem rem, quam lepide tetigerint Demoſthenes, & Plautus. 245
Tyranni xxx. Athenis. 315. 153
Tyrannis bonum egregium putata a quibus. 236
Tyrbeni veteres. 388

V

V. Pro, o, multis in locis. 327. 403
V. Vagire. 192
Valere verbum quid interdum. 6
Varro ſcripſit de liberis educandis. 167
Varronis, et Heſiodi ſententia diuerſa de Nocte. 25
Vas cereum ad dulcem aquam e mari capiendã. 379
Vectigal impedimentorum. 250
Vectores ſerui. 431
Vectores. 432
Veliae vnde dictae. 191
Vellera. 191
Venatio rei militaris meditatio quaedam. 57
Venationis laudem ſcripſit Xenophon. 57
Veneri cur dicata columba. 30
Venerem vitandam poſt cibum. 334
Venti, principium motus vnde ducant. 222
Ventidius dux illuſtris. 384
Ventri deditos homines, quibus nominibus vocabant Romani. 183
Ventos ferre gaudia. 361
Ventulus. 366
Ventus. i. motus animi. 361
Venus dearum maxima a quo iudicata. 145
Venus, voluptas improbiſſima. 334
Ver ſacrum. 418
Verba nautarum ad officia Remp. regentium traducta. 75
Verecundia vitioſa. 362
Veritas eſt odio fortunatis. 442
Verrere aedes. 191
Verſio per ſimilia non iuuat. 379
Verſus accommodatus ad inflammandos homines deſiderio laudis. 404
Vertendi Graecas fabulas ratio apud antiquos ſcriptores. 66
Vertere. 221. 222
Veſperus ſtella. 419
Veſte ſolebant aliquando donari milites. 12
Veſtes miſerorum. 324
Veſtis paraſitorum in ſcena, atra, ſiue fuſca erat. 69
Veſtibulum. 279
Veſtimenta, & arma cur illinebantur gypſo. 136
Vetera an recentioribus correctiora. 167
Veternum cur ſtolidum vocet Catullus. 147
Via militaris. 438
Victoria bello ciuili parta, non omnibus ſolet probari. 246. 247
Victoria in primis amanda. 451
Victoriam maxime praeſtat locus. 367
Victoria plena iuſtae reprehenſionis. 247
Victoria plena, & integra. 344
Victoriq modus in emendando. 369
Victorius locũ M. Ciceronis pro Milone adnotat 159
Victorius veram lectionem loci C. Caeſaris confirmat. 263
Victorius veteris lectionis tuendae, vel indagandae amore ductus. 280
Victorius quartam auem animaduertit binos digitos in anteriore parte, & binos in poſteriore habere. 286
Victorius de Graeca voce, ἀπειλεῖν diſſerit. 348
Victorius locum Cornelij Celſi emendat. 348
Victorius duo indicat a veteri exemplari ademtus ſe ſuppleſſe in Ageſilao Xenophontis. 365
Victorius in Ageſilao Xenophontis tertium emẽdat, iudicium ſecutus. 365
Victorius vbi macula elui nõ poteſt, veterem lectionem indicat. 424
Victorius non ita curat omnem plagam librorum, vt remedia importuna adferat. 433
Victorius in iis, quae ignorat, exercet ingenia eruditorum. 434
Victorius aduerſatur, non vt fidem minuat, ſed vt induſtriam augeat. 448

Victorius

Victorius non interponit iudicium inter magnos viros. 404
Victorius cupidus illuſtrandorum veterum ſcriptorum. 416
Vicus Iugarius. 270
Videre quaſi per caliginem. 149
Vigilantia non remittenda cum res vrget, nec genio indulgendum. 438
Vigiles caſtrorum ſimiles canum paſtoriciorum. 352
Vincentius Borghinus. 168. 251
Vines a laudato culpam minuit. 319
Vini quoddam genus abortum gignens. 81
Vinum interdictum Romae mulieribus. 288
Virgilio adſcriptũ carmen creditur eſſe Catulli. 304
Virgilius de ſuibus manſuetis nullam fecit mentionẽ. 198. quoſnam ſecutus in Georgicis. 165. 166
Virgilius ſtudioſus valde Sophoclis poëtae. 336
Virgilij loci, qui non videntur carere vitio. 444
Virgilius Theophraſtum in georg. ſaepius ſequitur. 422
Virgines formoſae oculorum aegritudines. 15
Virgines non conſueſſe vti vnguentis. 392
Viri coguntur magnis ſumptibus ornare nuptas. 204
Virtus vbicumque ſit ſemper exercenda. 351
Virtus eximia ab hoſte etiam laudatur. 319
Virtutes maximae in rege duae. 445
Virum a viro legi, quid. 214
Vita oppreſſa ſeruitute moleſtior. 352
Vita ornatur inſpiciendo, tamquam in ſpeculum geſta aliorum. 446
Vitellum oui. 445
Viua, praeſentiaque exempla, quae Ciceroni. 328
Vmerra. 376
Vlciſcendi ratio dira, quaenam. 5
Vlyſſes vnus legatorũ Agamemnonis ad Achillẽ. 62
Vlyſſes furens, tragoedia Sophoclis. 79
Vlyſſes πολύτροπος. 324
Vlyſſis ſapiens dictum. 360
Vnctores ſerui. 431
Vnguenta Alexandriae laudatiſſima. 393
Vnguenti conſuetudo. 431
Vnguentis vti virgines, moris non fuiſſe. 392
Vnico lumine, vnico aditu. 239
Vnum quid Ciceroni in epiſtola ad Trebat. 20
Vocalium concurſum non ſemper vitauit Demoſthenes. 210
Vocalium concurſus vitandus. 138
Vocare quid, & vocationes. 51. 52
Volare. 310
Volaterrae. 388
Volaterrani antiquitus ſtudioſi libertatis. 388
Volaterranorum ſummus magiſtratus. 388
Volcanalia. 195
Voluntas, non facta, ſpectari debet in iudicando. 74
Voluptas corporis an aliqua expetenda. 247
Voluptas fugienda ijs, qui aliquid laude dignum gerere volunt. 74
Voluptatem aduerſus pugnare, arduum. 430
Votis tantum, ſupplicijſque non eueniunt omnia proſpere. 137
Votorum locus, & tempus. 341
Vox Ageſilai aſſimilis illi M' Curij. 310
Vrbanus. 161
Vrbani competitores Ciceroni, qui. 161
Vſus, ac magnitudo animi vtilis in bello. 351
Vt malis. 443
Vtiles res idoneis tractandae temporibus. 20
Vulcani fabrica quo loco. 222
Vulcanus. 355
De vxore ducenda conſilium. 296
Vxoribus primum, domum ingredientibus dabantur claues. 13

X

Xantippus lacedaemonius. 370
Xenocrates Chalcidenſis liberatus a Lycurgo Ath. 254
Xenophanes accuſauit Hom. & Heſiodum, quod turpia facta impurorum tribuit Dijs. 414
Xenophon Socratem conſulit de profectione ſua ad Cyrum. 93
Xenophontis, ac Platonis refellendi mos acutus. 31
Xenophontis Oeconomica vertit Cicero. 273
Xenophon Socraticus. 365
Xerſes noua voluptate non contentus. 328

Z

Zaleucus. 323

A

Ἀγαθοῦ δαίμονος ἐπιγραφὴ, καὶ ποτήριον. 1
ἀγάλματα ἀγορᾶς. 203
ἀγάλματα. 335
ἀγαπάκτησις. 424
ἄγασθαι. 423
ἀγών. 321
ἀγλαόκαρπος. 381
ἀγῶνα. 380
ἀγριβόνου πάθεα. 175
ἀγρύπνια. 331
ἄγρωσις. 65
ἀγωγὴ παίδων. 321
ἀγὼν ὑπὲρ τ' ὅλων. 401
ἀδόλεσχος. 366
ἀδωκαμίας improbe accuſatus Hom. 347
ἄεθλος. 299
ἀθανασία. 412
ἀθλίους. 217
αἰδώς. 362
αἰθάλωσις. 389
αἰθάλη, ὁ αἰθαλίων. 222
αἰθόμενος. 395
αἴρειν, καὶ αἴρειν σκέλος. 141
αἵρεσις. 106
αὐτῶν τὴν μείζονα. 257
ἄκραι τρίχαι. 381
ἀκροαματικόν. 79
ἀκρωτήριον. 200
ἀλάσμαι. 29
ἀλιπαρές. 393
ἅλματα. 346
ἁλμυρὸν κάλλος. 137
ἄλογος αἴσθησις. 145
ἀμηχανία. 100, & 101
ἀμφιθέατρον. 408
ἀμφικύπελλον. 408
ἀμφίστομος. 408
ἀναβολαί. 419
ἀναγνώρισις. 450
ἀναισθησία. 36
ἀνακολουθία. 327
ἀναμάχεσθαι. 357. 359
ἀναμίλλητα. 454
ἀνατομή. 345
ἀνδρεῖον. 83
ἄνθος διατετριμμένον. 383
ἀνταπαγωγή. 416
ἀποδέξασθαι καλῶς, ἢ κακῶς. 48
ἁπαλός. 347
ἁπαλὸν πῦρ. 347
ἀπαθής. 363
ἀπαρχαί. 378
ἀπειθεῖν. 30
ἀπὸ ἀκρέμονος. 166
ἀποκαφίζω. 18
ἀπεξενωμένη. 85
ἀπρεπές. 399
ἀπροσάγιον. 81
ἀπροτίμαστος. 396
ἀπῶσθαι. 105
ἀργὸς θεὸς αἰδώς. 362
ἀρεσκος. 87
ἀρήνιον. 362
ἀρτύματα. 453
ἀρύτεσθαι. 374, & 375
ἀρχὴ ἥμισυ τοῦ παντός. 394
ἀρχιτέκτων ἐπιβουλῆς 124
ἀρχόμενοι. 40
ἄσσα. 150
ἄστρα. 380
ἀστράβλητον. 422
ἄστρον. 380
ἀσφαλής. 367
ἀσχολία. 374
ἀσώδης. 131
ἄτακτα. 281
ἀτρίβωσιν ἀκοῦ. 262
ἀτρεφὲς ἵππος. 43
αὐλός. 362
αὔρα. 366
ἀνταιδρήσαντες, καὶ σοῦ αὐτοῖς ἀνδρεῖον. 302
αὐχμός. 409
αὐχμὸς τῆς σοφίας. 409
ἀφετος. 345
ἀφωρμισμένον. 99
ἀφροσιώσεως χάριν. 94
ἀφροδίσια. 430
ἀφροδίσια. 334
ἄφυλλον. 412

B

Βάκιδες. 321
βαμβαλίζειν. 199
βαρύνεσθαι. 454
βάσις. 408
βιβλιομάτισαι. 438
βέλτιον. 31
βῶμα. 439
βλασός. 367
βλαστολογεῖν. 367
βοηθεῖν φύσει. 92
βοτανίζειν. 424
βοτανισμός. 424
βρυχίζειν. 97

Γ

Γάμος ἄγαμος. 113
γένεια. 100
γήθεσθαι. 105
γῆρας. 293
γλοιός. 287
γῆ σημαντρίς. 157
γλισχρός. 90
γλώσσης χάριν. 230
γνῶθι σεαυτόν. 85
γνώμη. 341
γνώμην ἔχειν, καὶ ψυχὴν ἔχειν. 4
γοργίζομαι, καὶ γοργίσματα. 98
γόνιμον. 380
γράφειν ἐν φρεσὶν, καὶ ἐς τὰς φρένας. 102
γυναικοκόσμος. 246

Δ

Δάκρυον. 382
Δασίας. 376
Δεῖξαι δεύχμην. 44
δεῖπνα ἀποδεικτικά. 48
δεκαδαρχία. 386
δενδύλλειν. 368
δέρμα. 417
δευσοποιὸς βαφή. 115
δεύτερος. 339
δέλεασις. 432
διαβλάπτω. 423
διὰ καταφρόνησιν. 181
διαβολή. 350
διάστασις. 406
διάστημα. 406
διαστρέφειν ὀφθαλμόν. 220
διαφορά. 406
διοικητής. 226
δίσκωμα. 346
διφθέρα. 324
διφθερία. 324
διώκειν. 417
δορκάς. 229
δόρυ, καὶ δόρειος. 227
δυσχροιά. 275
δυσωπία. 449

E

Ἐγκεχρωσμένον πάθος. 115
ἔγκτημα. 355
ἔγχει ἱεροδόμευσε. 452
ἔθνος. 100
εἰκῆ. 314
εἰκόνιον. 202
εἰς μέσον φέρειν. 405
ἐκδῦσαι. 28
ἐκπιεῖν. 177
ἐκτὸς τ' ἐλαιῶν. 372
ἐκ τοῦ ἀδήλου. 323
ἐκτρέπω. 158
ἐκφυγεῖν. 177
ἐλαιῶν σοιχάδες. 372
ἐλευθερία. 51
ἐλκυστικόν. 135
ἐλλεῖπε. 10. 222
ἐμβαλεῖν, καὶ ἐμπνεῖν. 72

ἐμπνέων μένος. 446
ἐμποιῶν ἔννοιαν. 72
ἐν αἰτίαις ἐστίν. 345
ἐν ἀτόμῳ. 187
ἐναργεια. 279
ἔναυλον ἔχειν. 10
ἐνδόμυχον. 184
ἐντρεπαλιζόμενος. 350
ἐντρυφῶν. 176
ἐν τῷ φανερῷ. 367
ἐξάγειν ἑαυτόν. 62
ἐξαίρειν χεῖρας. 142
ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων. 347
ἐξ ἀρχαίων πίπτουσι. 347
ἐξηρημένος. 313
ἐξώτερα. 367
ἐξωτερικόν. 79
ἐπαινέμενα. 401
ἐπανόρθωσις. 37
ἐπαντλῶν. 18
ἐπάρακτον. 299
ἐπήγαγε. 331
ἐπίδομαι. 140
ἐπιζητῶν. 256
ἐπιθυμοδοτεῖν. 52
ἐπικεχρωσμένος. 115
ἐπιπόδιον. 272
ἐπιποθῶν. 256
ἐπιρρήματα θέσεως. 398
ἐπισάσσομαι. 294
ἔργον πλεῖον ἄμεινον. 344
ἔρανα. 370
ἔρρων, καὶ ἔρρωσο. 6
ἐρρέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ. 6
ἐρριμένος. 417
ἐρρῶσθαι. 6
ἔρως. 163
ἔρχομαι φράσων, ἢ λέξων. 97
ἐν τέφραις γράφειν. 102
ἔτος φέρει, οὐκ ἄρουρα. 409
ἐτυμολογία. 190
εὐδαίμονες, καὶ εὐδαιμονία. 249
εὖδον. 75
εὐεξία. 441
εὔθικτος. 120
εὔλογος ἐξαγωγή. 62
εὐτυχῶν, καὶ εὐτυχία. 249
εὐχαῖς ὅμοια. 232
εὐχῆς ἄξια διαπράττεσθαι. 223
ἔχειν φρένας. 303
ἔχειν βιβλίον. 327
ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. 113
ἕωλος στέφανος. 259

Z

Ζ ῶγος δημαγωγῶν. 370
ζυτῶν. 256
ζώδια. 380

H

Ηδύσματα. 453
ἠθικὰ εἴδωλα. 441
ἦμαρ. 62
ἠχώ. 233

Θ

Θαμὰ ἄγειν. 392
θέσις. 327
θέσις λευκοθέσεως. 301
θέσθαι παῖδα. 340
θετέον. 398
θεώμενος. 154
θεωρία. 349
θεωρεῖν. 380
θιγών. 120
θοόν. 71
θρηνῶδες. 18
θύειν. 381
θύρα. 375
θυραῖα. 237
θυρίς. 408

I

Ιαμίδαι μάντεις. 150
ἰδέα ταυτό. 127
ἱερόδουλοι. 345
ἱππομανής. 73
ἶρις. 309
ἰσόρροπος. 357
Ιτωνία χρυσαυγής. 189
ἶυγξ. 286

K

Καθαίρεσθαι. 189
καινὰ δράματα. 105
καινὸς ἐρετμός. 252
καίρια λέγειν. 75. & 76
καιρὸς ὀξύς. 441
καιρὸν λαμβάνειν. 439
καίσων. 295
καλάμη. 196. 390
καλαμῖνος. 390
κάλαμος. 390
καλάμινον πῦρ. 390
καρδία. 342
καρδίαν ἔχειν. 4
κατακλεῖσαι. 287
κατακλύσαι. 397
κατακλυσμός. 397
καταπιεῖν. 89
κατὰ συγχώρησιν, argumentaio. 352
καταφαγὼν οὐσίαν, etc. 36
κατιδεῖν δακτύλους. 33
κείρεσθαι. 339
κέντρον ἐγκαταλείπειν. 31
κέραμος. 374
κεφαλή. 272
κέδα, καὶ ὡς τὰ κέδα καλοῦντων. 272
κῆπος. 303
κίνδυνος ὑπὲρ τῶν ὅλων. 411
κιννάβιον. 190
κλάσις. 367
κλέμμα. 275
κλέπτειν ἀκρόασιν. 275
κλεψύδρα. 250
κλῖνος. 52
κλῶναι. 166
κνίσσας. 84
κοιμητήριον. 83
κόκκυξ. 286
κολεόν. 36
κόλουροι. 36
κομπάζειν. 274
κόπρος. 338
κόραι ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν. 15
κουροτρόφον. 328
κουροτρόφος. 328
κράδη. 166
κρηπίς. 209
κροτητά. 159
κρύσα. 367
κτῆμα. 355
κύκλος. 88
κυλλοποδίων. 355
κωμικὸς μάρτυς. 8

Λ

Λαβὼν ἐκ τοῦ ἀρχαίου. 418
λαγώς. 376
λαγωός. 376
λάθε βιώσας. 278
λακτισμός. 43
λαλῶν. 331
λαμβάνειν ἐκ τῆς γῆς. 418
λαμβάνειν καιρόν. 439
λάπισμα. 274. 433
λάτρον. 187
λεβηρίς. 376
λέγειν οὐκ ὤν. 314
λέγειν καίρια. 75. & 76
λεκτέον. 398
λεπτολογία. 259
λήκυθος. 301
λιμός. 409
λόγοι. 198
λοπὰς ῥοδωνία. 446
λοχεία. 58

M

Μάγνητες ἐπὶ Μαιάνδρῳ. 358
Μάγνητες ὑπὸ Σιπύλῳ. 358

μανία. 8
μεγαλεπιβολία. 109
μεθύοντες. 417
τῆς μείζονα αὐτῶν. 257
τὰ σὺν μέρει. 281
τὸ ἑαυτοῦ μέρος. ibid.
μέσον τίμημα. 9
μετοικίζεσθαι. 274
μετάνοια. 274
μετέωρα. 398
μέχρι. 232
μηνὸς μνήμην. 298
μηνῶν. 341
μηνυτὴς ἡρακλῆς. 41
μητρῷα. 125
μιμεῖσθαι τοὺς θεούς. 415
μνημονικὰ ἁμαρτήματα. 25
μολυβδίνη μάχαιρα. 164
μονομαχία. 370
μονῳδία. 338. 371
μονῳδεῖ. 371
μορίαι. 371. & 372
μυῖα χαλκῆ. 174. & 175
μύκητες. 398
μυμήσεται τίς μᾶλλον ἢ μιμήσεται. 343

N

Ναυαρχία. 402
νεκροθάπτου. 16
νεῦμα Ὁμήρου. 51
νέμειν προβάτων. 81
νέμεσις. 424
νέφος ὀφρύων. 186
νοσώδεις εἶναι. 34
νοστὰ ἴδια. 126
νόμοι θετικοί. 340
νόμῳ. 280
νοτίζειν. 318
νυκτιγρεσία. 27

Ξ

Ξένος. 432
ξένων ὑποδοχαί. 48

O

Ὀγχισμῖτες. 424
ὀγχισμός. 424
Ὀδυσσεὺς μαινόμενος Σοφοκλέους. 80
οἰκονομία. 399. 411
οἶνος Ἀριούσιος. 178
οἰνοχοεῖν. 7
οἱ ὄντι. 148
οἴχεται. 287
οἴχεται δ' ὁ θεός. 347
ὅλος καὶ πᾶς ἦν. 284
ὀλίγος pro μικρός. 428
ὀλίγος αὐρας. 428
ὁμαστίλαντα. 442
ὁμόσε βαδίζειν. 92
ὁμόσε χωρεῖται. ibid.
ὀνειδίζειν, & ὀνειδιζόμενος. 16
ὀνειροκρίτης. 445
ὀξύ. 71
ὀπία. 382
ὀπίσω. 451, & 452
ὀπός. 35. 382
τὰ ὁρατά. 126
ὀργᾶν. 216
ὀργή. 216
ὀρθὸν πρῶτον. 308
ὁσίας χάριν, οὐ ἵνεκα. 94
οὐκ ἂν ᾤμην. 52. & 53
ὀυλάτιερα. 388
ὀφρῦς. 266
ὄψ. 99

Π

Πάθος εγκεχρωσμένον. 115
παιδεία. 320
παιδεραστία. 340
πάλαισμα. 17. 245
παλίνορσος. 330. 396
πάντ' εἶναι τινί. 284
παραβλέπειν. 237
παραβολαί. 202
παραδύεσθαι ὥς τινα τόπον. 42
παραπετάσματα. 68
παρασύειν. 258
ἀπὸ παρασπάδος. 166
παρατιθέναι. 454
παραφαγεῖν. 172
πάρισα. 442
παρίσωσις. lumẽ orationis. 330
παρονομασία. 211
πᾶς πατὴρ μωρός. 416
πατεῖν. 169
πέδαι. 139
πεζῶν, καὶ χρυσῶν. 78
πεινῶν, ὅτε μὴ τυραννεῖ. 38
πεντεπήχεις ἄνθρωποι. 310
περιβαρίδες. 162
περιβάντων εἶναι. 87
περιστερά. 30
περισχίζεσθαι. 386
περιφυλαγμένας. 379
πέτασθαι. 320
πίδημα. 346
πίδημα λυγρόν. 346
πιδήματα δυστυχοῦ. 346
πηλὸς οἶνος. 260
πῆρα. 262
πῆχυς. 310. & 311
πιλεῖν. 89
πλαγιίτης. 112
πλάττεσθαι τρόπον. 87
πλάνος. 16
πλεονέκτης. 437
πληγαὶ βίοτου. 435
πνεῦμα. 363
ποθεῖν. 256
ποιεῖν ὕδωρ. 211
ποιεῖσθαι παῖδα. 340
πολεμεῖν χρόνῳ. 91
πολλὰ χαίρειν. 6
πολύαρχος. 382
πολύθρηνος. 375
πολύθυρον. 375
πολύρρην. 382
ποντιαλὲς ἀνάλωμα τό. 129
πομπικὸς ἡρακλῆος. 218
ποπλάνιον. 389
ποτήριον μεῖζον αὐτῶν. 257
πραγματικῶς φιλοσοφεῖν. 301
πριάπισμα. 407
προκαταφάνησις. 324
προθεραπεία. 103
προσανοθμεῖσθαι. 411
προοικονομία. 399
προσάκον προθύμως. 330
πρὸς τὸν εὖ ἔχοντα ὁ φθόνος ἕρπει. 370
προσαίτης. 81
πρόσωπον πόλεως. 204
πρότερον. 31
προτρεπτικὸς λόγος. 40
πρῶτον αἰκεῖν, καὶ πρῶτον ἀρκτόν. 308
πτέρυξ. 320
πτολίπορθος. 324
πτωχεῖον. 134
πυκνόν. 160
πύξος. 157
πυξίον. 157

P

Ῥαδάπτω. 187
ῥέζειν. 343
ῥῶμα πολέμου. 435
ῥέπεσθαι ὑπὸ πλησμονῆς. 334
ῥάξαι φωνάς. 211
ῥύπος 338

Σ

Σαίρειν δῶμα. 119
σαλπίζειν. 433
σανδάλιον. 162
σεσημείωται. 438
σιδηρᾶς ἀνήρ. 267
σκάφη. 237
σκίψις. 349
σκῦψις. 419
σκληρὸν ἔθος. 24

σοφός. 403
σοφώτατος. 403
σιγμός. 54
σίλιχος. 166
σίξαι. 54
στιβαρὸς βραχίων. 347
στοιχάδης. 372
σόλος. 64
στόμα ἄφυλλον. 413
στροφίον. 213
συγκαυθῆναι. 383
σύγκρισις. 436
σύγκρουσις φωνηέντων. 138
συγκρούσις. 210
συγκυνῶν. 233
συζυγία. 289
σῦκα αἱμάσια. 433
σύκου ὁμοιότερος. 434
σύκῳ σύκον οὐδὲν οὕτω ὅμοιον. 434
συμμαχία. 350
σύμμικτα. 405
συμφορά. 270
σὺν τοῖς θεοῖς. 23
συνεκκομίζειν. 121
συγκολακεῦσαι. 316
σύνθετον. 277
συσσίτια. 269
σύστοιχα. 290
συστρογγύλλειν. 281
σφαῖρα, καὶ σφαίραν παίειν. 281
σφακελίζειν. 422
σχήματα. 129
σχοινίζεσθαι. 401
σχοῖνον τρώγειν. 401
σωκρατικόν. 441

T

Τακερόν. 347
ταριχεύειν. 111
ταυτόματον. 419
ταὐτὸ ἱκανῶς. 117
τέλεια σχήματα. 204
τίθεσθαι ὑπὸ πόδας. 169
τινά. 62
τίτυρος, καὶ τιτυρώδης αὐλός. 196
τολμᾶν. 371
τομή. 133
τραγῳδῶν. 250
τρὶς ἓξ βάλλειν. 305
τρίτον μέτωπον. 85
ὁ τρώσας, καὶ ἰάσεται. 292
καὶ τυφλῷ δῆλον. 120

Υ

Ὑγρόν. 281
ὑδαρὴ, καὶ ὑδαρίς. 8
ὑδρεύειν. 318
ὕθλος, καὶ φλυαρία. 64
ὑλακτεῖν, καὶ ὑλάγματα. 99
ὑπαχθείς. 251
ὑπερβολή. 223
ὑπερείδειν. 379
ὑπήκοοι. 40
ὕπνον ἐπιδέχεσθαι. 391
ὕπνον λαμβάνειν τινά. 391
ὑποβάλλειν. 441
ὑποβολή. 441
ὑποβολιμαῖον. 441
ὑποδεικτικὰ δεῖπνα. 48
ὑποδοχαὶ ξένων. 48
ὑπόξυλον. 229
ὑπαρχεῖν. 10
ὑποτέλλειν. 423
ὑποτύπωσις. 353
ὑπώπια τά. 313

Φ

Φαινόμενα παίζειν. 259
φάλαινα. 157
φαινομηρίδες. 288
φασί. 393
φέρειν. 409
φέρειν πόδας. 421
φέρειν πολεμεῖν. 91
φθόγγοι. 355
φιλεῖν. 101
φιλόμηρος. 375
φλογμός. 383
φλυαρία, καὶ ὕθλος. 64
φόρος. 280
φορά. 409
φορὰ προβάτων. 409
φραγμός. 18
φρονεῖν. 393
φρόνησις. 441
φρόνιμος. 403
φῶς. 447

Χ

Χαλκῆ μυῖα. 174
χαρακτὴρ 98. 211. 262. 434
χαρακτηρισμός. 399
χαράκια. 187
χαρακοῦται. 187
χεῖλος. 266
χειρὶ, καὶ ποδί. 164
χειρὸς, vel χειρῶν νόμῳ. 425
χέρσος, καὶ χέρσα. 29
χίσαι. 295
χρήσιμα. 394
χρῆσθαι. 394
χρὼς φαύλη. 129
χρωικά. 440
χρυσᾶ. 445
χώρα, καὶ ὥρα. 358

Ψ

ψαθυρά. 347
ψακάδιον. 399
ψαλλίζειν. 199
ψαλλιστός. 199
ψυχὴν ἔχειν, καὶ ψυχὴν ἔχειν. 4. & 5.

Ω

Ὠδῖνες. 282
ὠθεῖν. 427
ὠφελήματα. 250
ὥσπερ. 451
ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἄριστα. 442
ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἄριστα. 443
ᾤχετο σὺν μετοχῇ. 287
ὠχρᾶ. 445

ERRATA CORRIGE.

Accuſaus	2.	Accuſans.	diputatio	72.	diſputatio.
penetrare	3.	penetrare.	καταςείοντι	181.	κατασείοντι.
pronuntiatum	5.	pronuntiatus.	Plutarhi	182.	Plutarchi.
comcio	15.	comico.	a mancus	190.	ac mancus.
beneficorum	16.	beneficiorum.	Reſtitutio	197.	Reſtitutus.
Latinis	18.	Latini.	alienus	ibid.	alienis.
molienda	21.	mollienda.	factnm	200.	factum.
peregrinationis	22.	peregrinationi.	conformata	271.	confirmata.
fatrem	ibid.	fratrem.	conſtrupaſſent	385.	conſtupraſſent.
ὑπερβελικῶς	33.	ὑπερβολικῶς.	Lygurea	401.	Ligures.
libri	37.	libris.	diſſimitudinem	433.	diſſimilitudinem.
tampus	50.	tempus.			

Pone hoc, loco excuſi olim vitioſi capitis II. libri XIIII.

Recte tradidiſſe Horatium, Telephum; Myſorum regem, cum rebus aduerſis oppreſſus foret, demiſſe de ſe locutum; idque teſtimonio illius ipſius declaratum: principio orationis, qua hoc fecit, huc allato.

CHARTARVM SERIES.

* ** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ.

Omnes ſunt Terni, praeter Sſ, qui eſt Quaternus.

FLORENTIAE,

In Officina Philippi, & Iacobi Iunctae, & Fratrum.

M. D. LXXXII.



FLORENTIAE,
In Officina Philippi Iacobi Iunctae, & Fratrum.
M. D. LXXXII.